CURSUS JURIS CANONICI,

HISPANI, ET INDICI,

IN QUO,

JUXTA ORDINEM TITULORUM Decretalium non solùm Canonicæ Decisiones afferuntur, sed insuper additur, quod in nostro Hispaniæ Regno, & Indiarum Provinciis Lege, consuetudine, privilegio, vel praxi statutum, & admissum est.

AUCTORE

R. P. PETRO MURILLO VELARDE, Societatis Jesu, olim in Granatensi Imperiali Regia Academia Imperialis S. Michaelis Collegii Alumno: deindè in Salmantino celeberrimo Lycæo Collegii Majoris Conchensis violacea condecorato Toga; & demùm in Pontificia, ac Regia Societatis Universitate Manilana Sacrorum Canonum priùs deindè Sacræ Theologiæ Cathedrarum Moderatore.

EDITIO TERTIA

NOTIS, ET CONSTITUTIONIBUS BENED. XIV. ILLUSTRATA, & aucta, ad mentem ipsius Auctoris, & indice copioso locupletata: ex Regio mandato diligentiori examine revisa, & mendis perpurgata, atque in auctoritatibus, cura, & Studio D. Joannis Martini à Villanueva, in Regiis Consiliis, & Curia Matritensi Advocati, diffussior, & locupletior.

OPUS OMNIBUS NUMERIS ABSOLUTUM, UTILISSIMUM, atque Jurisprudentiæ Canonicæ studiosis apprimè necessarium.

TOMUS SECUNDUS,

COMPLECTENS LIB. IV. ET V. DECRETALIUM.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

MATRITI:

IN TYPOGRAPHIA ULLOÆ A RAMONE RUIZ. ANNO M. DCC. XCI.

Sumptibus Societatis Regiæ Typographorum, & Bibliopolarum.

CURSUS IURIS CANONICI,

HISPANI, ET INDICI,

IN QUO,

IUXTA ORDINEM TITULORUM

Decretalium non solùm Canonicæ Decisiones afferuntur,
sed insuper additur, quod in nostro Hispaniæ Regno,
& Indiarum Provinciis Lege, consuetudine, privilegio, vel praxi statutum, & admissum est.

AUCTORE

R. P. PETRO MURILLO VELARDE,
Societatis Jesu, olim in Granatensi Imperiali Regia Academia Imperialis S. Michaelis Collegii Alumno: deinde in Salmanticensi celeberrimo Lycæo Collegii Majoris Conclavensis vicarium conducente Toga; & demùm in Pontificia, ac Regia Societatis Universitate Mantuana Sacrorum Canonum prius deinde Sacræ Theologiæ Lectore Cathedrario Moderatore.

EDITIO TERTIA

NOTIS, ET CONSTITUTIONIBUS BENED. XIV. ILLUSTRATA,
& aucta, ad mentem ipsius Auctoris, & indice copioso locupletata: ex Regio mandato diligentiori examine recisa, & mendis purgata, atque in auctoritatibus, cura, & studio D. Joannis Martini à Villanueva, in Regio Consilio, & Curia Matritensi Advocati, diligentior, & locupletior.

OPUS OMNIBUS NUMERIS ABSOLUTUM, UTILISSIMUM,
atque Jurisprudentiæ Canonicæ studiosis apprimè necessarium.

TOMUS SECUNDUS,

COMPLECTENS LIB. IV. ET V. DECRETALIUM.



MATRITI:

IN TYPOGRAPHIA ULLOA A RAMONE RUIZ. ANNO M. DCC. XCI.

Sumptibus Seminarii Regii Typographorum, & Bibliopolarum.

INDEX ALPHABETICUS

TITULORUM QUINQUE LIBRORUM

Decretalium : Sexti : Clementinarum , & Extravagantium : & pro Jure Hispano Tituli concordantes Partitarum, Recopilationis Castellæ , ac Recopilationis Indiarum , habetur Tomo primo : ubi & Approbationes , Facultas Regia , &c. necessaria huic operi præmittuntur.

CONCATENATIO METHODICA

JURIS CANONICI,

SECUNDUM ORDINEM TITULORUM

4. & 5. Decretalium.

LIBER QUARTUS.

Tit. 1. *De Sponsalibus , & Matrimoniis.* . . . . . INter alia Sacramenta à Christo Domino instituta, matrimonium invenitur, ad quod sponsalia præcedunt. Et causæ matrimonialis , utpotè graves, ad Judicem Ecclesiasticum , & præcipuè ad Episcopum spectant. (1)

2. *De Desponsatione Impuberum.* . . Sponsalia ab impuberibus possunt contrahi , licèt non possit contrahi matrimonium: nam ætas septem annorum censetur sufficiens ad ipsa. (2)

3. *De Clandestina Desponsatione.* . . Matrimonium debet in facie Ecclesiæ contrahi, non clàm: qui enim odit lucem malè agere creditur. (3)

4. *De Sponsa duorum.* . . . . . Et cum una , non cum duabus simul potest quis contrahere. (4)

5. *De conditionibus appositis in desponsatione , vel in aliis contractibus.* . . . . . Et possunt contrahentes aliquas conditiones possibiles , & honestas in matrimonio , sicut in aliis contractibus apponere, impossibiles tamen, & inhonestæ rejiciuntur ; quod si contra matrimonii substantiam sint , illud destruunt. (5)

6. *Qui Clerici , vel voventes matrimonium contrahere possunt.* . . Clerici in Sacris , vel Religiosi professi matrimonium nequeunt contrahere , quia votum castitatis illud dirimit. (9) . . . .

7. *De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.* . Nec potest quis matrimonium contrahere cum ea, quam per adulterium polluit in casibus in titulo contentis. (7)

8. *De Conjugio Leprosorum.* . . . . Lepra superveniens sponsalibus, ea dissolvit, secus si post matrimonium superveniat , quia est vinculum indissolubile. (8)

9. *De Conjugio Servorum.* . . . . At verò servitus ignorata matrimonium dirimit : si enim liber contrahat cum ancilla , quam liberam credit , non contrahit matrimonium , quia non consentit in illam , quia errat in re substantiali, & sine consensu nullum est matrimonium. (9)

10. *De Natis ex libero ventre.* . . .
Ut verò cognoscatur, quis liber, vel servus nascatur, conditio matris inspicitur; nam partus ventrem sequitur. (10)

11. *De Cognatione Spirituali.* . . . .
Similitèr matrimonium dirimit cognatio, sivè spiritualis orta ex baptismo, vel confirmatione. (11)

12. *De Congnatione Legali.* . . . . .
Sivè Legalis ex adoptione proveniens. (12)

13. *De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ.* .
Sivè carnalis proveniens ex copula habita cum consanguinea uxoris, vel sponsæ, quæ copula, si matrimonium antecedat, illud dirimit, si subsequatur, petitionem debiti impedit. (13)

14. *De Consanguinitate, & Affinitate.* . . . . . .
Etiam consanguinitas usque ad quartum gradum, ad quam etiam affinitas reducitur, usque ad eumdem gradum dirimit matrimonium. (14)

15. *De Frigidis, & maleficiatis, & impotentia coëundi.* . . . . .
Sed maximè ipsum dirimit impotentia coëundi, sivè ex frigiditate, sivè ex maleficio oriatur: quia cum impossibilium nulla sit obligatio, nec matrimonii obligatio stare potest cum tali impossibilitate. (15)

16. *De Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.* . . . .
Aliquando matrimonium non dirimitur, sed tantùm impeditur, maxime si contra interdictum Ecclesiæ contrahatur. (16)

17. *Qui filii sint legitimi.* . . . . .
Quod si matrimonium sine prædictis impedimentis contrahatur, filii ex eo habiti legitimi erunt. (17)

18. *Qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari.* . . . . . .
Quod si aliquod impedimentum intervenisset, debet matrimonium accusari, & detegi impedimentum coram Judice Ecclesiastico, ut sic vitetur talitèr conjugatorum peccatum. (18)

19. *De Divortiis* . . . . . .
Et Judex Ecclesiasticus aliquando illud dissolvet, nullum declarando, vel si aliæ causæ subsint, non pertingentes matrimonii valorem, sententiam divortii, vel ad tempus, vel in perpetuum, prout causa tulerit, pronuntiabit. (19)

20. *De Donationibus inter virum, & uxorem, & de dote post divortium restituenda.* . . . . . .
Et tunc per quamdam consequentiam de restitutione dotis, vel donationum inter virum, & uxorem cognoscere poterit. (20)

21. *De Secundis nuptiis.* . . . . . .
Soluto tamen matrimonio, vel per mortem conjugis, vel ob aliud impedimentum, potest quis ad secundas, vel ulteriores nuptias transire. (21)

LIBER V.

Tit. 1. *De Accusationibus, Inquisitionibus, & Denuntiationibus.* . . .
UT Judex Ecclesiasticus in omni eventu rectè provideat, vitia, & crimina debet evellere, & dissipare, ac proindè ad eorum punitionem debet procedere, sivè per accusationem, sivè per inquisitionem, sivè per denuntiationem innotescat. (1)

2. *De Calumniatoribus.* . . . . . .
Debet tamen adeò cautè accusatores admittere, ut non prosiliant in calumnias, sed talitèr calumniantes severitate canonica coërceat. (2)

3. *De Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur.*
Simoniam, & Simoniacos punire debet, cum hoc vitium sit pestis Ecclesiasticæ Reipublicæ. (3)

4. *Ne Prælati vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu concedant.*
Et ne hoc crimen incurrant Prælati, non debent vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu concedere. (4)

5. *De Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.* . .
Nec Magistri aliquo onere pro licentia docendi sunt gravandi, hoc enim turpe videtur, cum potius debeant præmiis allici, quia sua doctrina Mundum illuminant. (5)

6.	*De Judæis, Sarracenis, & eorum Servis.*	Judæi, & Sarraceni debent contineri, ne sua communicatione Christianos corrumpant, ac proindè non licèt ipsis servos Christianos habere, quod etiam in nominis Christiani deducus cederet. (6)
7.	*De Hæreticis.*	Ideòque Hæretici, quia ut pestis Reipublicæ Christianæ considerantur omnibus viribus exterminandi sunt. (7)
8.	*De Schismaticis, & ordinatis ab eis.*	Etiam puniendi sunt Schismatici, qui Ecclesiæ unitatem dividere conantur, quinimò, & ab ipsis ordinati executione ordinum privantur. (8)
9.	*De Apostatis, & reiterantibus Baptisma.*	Similitèr Apostatæ, qui in totum fidem deserunt, & reiterantes Baptismum, ut Anabaptistæ faciunt, puniendi sunt. (9)
10.	*De his qui filios occiderunt.* . .	Nec non & hi, qui filios dolosè occiderunt. (10)
11.	*De Infantibus, & languidis expositis.*	Et qui infantes, & languidos, & infirmos malitiosè exponunt cum vitæ periculo. (11)
12.	*De homicidio voluntario, vel casuali.*	Et qui homicidium voluntarium, vel casuale commiserunt pro qualitate culpæ. Et quidem non est infima pœna irregularitas, quam contrahunt. (12)
13.	*De Torneamentis.*	Et quia sæpè ad homicidium per torneamenta solet perveniri, & hæc exulare oportet, ut ablata causa, vitetur effectus. (13)
14.	*De Clericis pugnantibus in duello.*	Et ideò nec debet permitti, quod Clerici in duello pugnent. (14)
15.	*De Sagittariis.*	Quinimò ars sagittariorum prohibitur. (15)
16.	*De Adulteriis, & stupro.* . .	Etiam Judex Ecclesiasticus maximè invigilare debet, ne committantur adulteria, stupra, & alii concubitus illiciti, qui Rempublicam Christianam infestant. (16)
17.	*De Raptoribus, Incendiariis, & violatoribus Ecclesiarum.* . .	Etiam raptores, incendiarios, & violatores Ecclesiarum. (17)
18.	*De Furtis.*	Furta. (18)
19.	*De Usuris.*	Usuras. (19)
20.	*De Crimine falsi.*	Falsitates. (20)
21.	*De Sortilegiis.*	Sortilegia, & alias superstitiones. (21)
22.	*De Collusione detegenda.* . . .	Collusionem. (22)
23.	*De Delictis puerorum.*	Delicta puerorum. (23)
24.	*De Clerico venatore.*	Clericum venatorem. (24)
25.	*De Clerico percussore.*	Et percussorem. (25)
26.	*De Maledicis.*	Maledicos, & blasphemos. (26)
27.	*De Clerico excommunicato deposito, vel interdicto ministrante.*	Clericum excommunicatum, depositum, vel interdictum. (27)
28.	*De Clerico non ordinato ministrante.*	Vel non ordinatus, (28) ministrantem.
29.	*De Clerico per saltum promoto.* .	Vel per saltum promotum. (29)
30.	*De eo, qui furtivè ordinem suscepit.*	Vel eum, qui furtivè Ordines suscepit. (30)
31.	*De Excessibus Prælatorum, & subditorum.*	Et deniquè quocumque excessus Prælatorum, vel subitorum debet suppliciis debitis, prout quodlibet exigat delictum, plectere, ut quos timor Dei à peccatis non revocat, timor Ecclesiasticæ severitatis coërceat. (31)
32.	*De Novi operis nuntiatione.* . .	Etiam debet prohibere, ne opus novum fiat, quando in eo faciendo alterius jus læditur. (32)
33.	*De Privilegiis, & excessibus privilegiatorum.*	Et ita privilegiatos, in usu suorum privilegiorum defendet, ut non permittat illorum limites transgredi, ne unius favore tota communitas gravetur. (33)
34.	*De Purgatione Canonica.*	Quod si in delictis ad suum Tribunal deductis desit sufficiens probatio ad eorum punitionem, Canonicam purgationem indicet. (34)

35. *De Purgatione vulgari.* . . . . Minimè tamen vulgarem permittet, quippè hoc esset Deum tentare. (35)

36. *De Injuriis, & damno dato.* . . Etiam injuriam, & damnum ab aliquo causatum reparari curabit. (36)

37. *De Pœnis.* . . . . . Ut ergo hæc delicta puniat pœnas infligere potest in foro externo, nam ejus jurisdictio contemneretur, si debita coërcitione careret. (37)

38. *De Pœnitentiis, & remissionibus.* In foro tamen interno, etiam pœnitentiam culpæ respondentem infliget. Et per pœnitentiam ritè susceptam in foro Sacramentali pervenitur ad remissionem culpæ. (38)

39. *De Sententia excommunicationis.* . Quod si delinquentes in suis delictis contumaces persistant, ad eorum contumaciam infringendam, ad censuras Judex procedet, vel excommunicationem, vel suspensionem, vel interdictum promulgando, prout necessitas, & circunstantiæ exigant: nam hæ sunt præcipua arma, & gladius Ecclesiæ. (39)

40. *De Verborum significatione.* . . . . Denique Judex, & quicumque juris medullam penetrare conatur, debet significationem vocum penetrare. (40)

41. *De Regulis juris.* . . . . . Et sensum regularum juris, quæ in toto illo diffunduntur perfectè callere. (41)

INDEX TITULORUM
4. & 5. LIBRORUM DECRETALIUM.
LIBER QUARTUS.
TIT. I. *De Sponsalibus, & Matrimoniis.*

1. QUid sint sponsalia, & à quibus possint contrahi, vel non?
2. Quæ deliberatio, & consensus ad sponsalia requiratur?
3. De promissione, & obligatione ad ipsa necessaria.
4. Debet esse aliquo signo externo expressa.
5. Et acceptata à promissorio.
6. Debent sponsalia contrahi cum persona determinata.
7. Producunt obligationem justitiæ.
8. An sponsalia per copulam transeant in matrimonium, & quando uxor teneatur sequi maritum?
9. Possunt arrhæ in sponsalibus constitui, secus pœna.
10. Quando resiliens teneatur ad pœnam?
11. Sponsalia solvuntur mutuo consensu, dispensatione, vel si sponsus contrahat matrimonium, vel fiat Religiosus.
12. Si mutabilis mutatio superveniat.
13. Si unus fornicetur.
14. Si in terras remotas discedat, vel si adveniat dies huic obligationi finiendæ appositus, vel impedimentum indispensabile.
15. Quando ad sponsalium dissolutionem Judicis requiratur authoritas?
16. Matrimonium quid sit? De ejus ethymologia, institutione, & obligatione.
17. Matrimonium est legitimum, ratum, & consummatum, & de ejus solemnitatibus.
18. De matrimonio vero, & præsumpto.
19 De consensu ad matrimonium necessario: & de matrimonio B. V. Mariæ.
20. Consensus debet esse liber, mutuus, & expressus.
21. Matrimonium potest per Procuratorem contrahi. Est contractus, & Sacramentum.
22. Definitur ut Sacramentum. De ejus materia forma, & Ministro. Qui de matrimonio contractu à fideli cum infideli.
23. De effectu matrimonii, & petitione debiti.
24. Dubitans quid facere possint quoad debitum?
25. Ad maritum, ut caput familiæ pertinet gubernatio domestica, & per filii matrimonium dissolvitur patria potestas.
26. Qui matrimonium contrahere possint, vel non? Et an filius debeat in hoc Patri obedire?
27. De impedimentis dirimentibus, & impedientibus.
28. Pontifex, & consuetudo possunt impedimenta dirimentia statuere, Episcopus solùm impedientia: nulla Princeps Sæcularis inter fideles.
29. Impedimenta à quo jure proveniant?
30. De impedientibus.
31. De dirimentibus.
32. De publicæ honestatis impedimento.
33. 34. De Errore.
35. De disparitate cultus.
36. Matrimonium fidelis cum hæretico illicitum est.
37. De vi, & metu.
38. Matrimonium metu gravi contractum non valet, etiam adjecto juramento, nisi metus purgetur.
39. Metus levis non irritat matrimonium.
40. Matrimonium metu gravi contractum est nullum, ex utraque parte.
41. De Raptu.

TIT. II. *De Desponsatione impuberum.*

42. Regulariter sufficit septenium ad contrahenda sponsalia.
43. Valent ante septenium, si malitia suppleat ætatem.
44. Impuberes nequeunt à sponsalibus ante pubertatem resilire.
45. Ad matrimonium requiritur pubertas, sed Pontifex dispensat.
46. Valet matrimonium ante pubertatem, si malitia ætatem suppleat. Et matrimonium ante pubertatem contractum resolvitur in sponsalia.

TIT. III. *De Clandestina Desponsatione.*

47. De proclamationibus.
48. In ipsis Ordinarius dispensat.
49. Qui scit impedimentum debet illud denuntiare.
50. Parochus impedimenti conscius debet matrimonium impedire.

51. Filii nati ex matrimonio nullo, in quo omissæ fuerunt denuntiationes sunt illegitimi. Et quando contrahentes spe dispensationis priventur? Et de pœna Parochi, & quid in Hispaniâ?
52. Matrimonium clandestinum à Tridentino irritatur.
53. Si matrimonium clandestinum ab uno negetur contractum, quis matrimonium probare debeat?
54. Quæ verba sint à Parocho dicenda? Ubi Trident. est receptum ejus solemnitas est servanda.
55. Quomodo matrimonium nullum revalidetur? Contrahens clandestinè arbitrio Episcopi punitur.
56. Matrimonio debet proprius Parochus assistere, vel ab eo delegatus.
57. Qui in duobus locis habet domicilium, in utroque contrahere potest. Item in quasi domicilio contrahi valet.
58. Coram quo Parocho contrahere debeant vagi, alienigenæ, peregrini, & Milites?
59. Præter Parochum, possunt matrimonio assistere Episcopus, & ejus Vicarius.
60. Matrimonium coram Testibus debet celebrari, & quales debeant esse Testes?
61. Licentia assistendi matrimonio potest delegari. Sacerdos, qui sine licentia assistit, suspenditur.
☞ Id. num. Refertur Constit. Bened. XIV. Ann. 1741. Qua jubetur, quod solùm Episcopi dispensent in proclamationibus, & quod matrimonium contractum scribatur in libro, quem ad hoc debet habere Episcopus. *

TIT. IV. *De Sponsa duorum.*

62. Contractis primis sponsalibus non valent secunda.
63. Matrimonium dissolvit prima sponsalia cum alia contracta, non vero matrimonium.
64. Polygamia non licet, nisi ex Dispensatione Divina.
65. Polyviria numquam fuit permissa.
66. De pœna contrahentium secundum matrimonium durante primo.

TIT. V. *De Conditionibus appositis in desponsatione, & aliis contractibus.*

67. Quid sit conditio? Et potest matrimonio, vel sponsalibus adjici.
68. Adveniente conditione intelligitur matrimonium contractum.
69. Sponsalia conditionata, secuta copula, censentur absoluta.
70. De modo, causa, & demonstratione in matrimonio appositis.
71. Matrimonium contractum sub conditione de futuro contra illius substantiam, est nullum. In quibus bonis matrimonium consistat?
72. De conditione servandi castitatem, & ingrediendi Religionem.
73. Sponsalia possunt contrahi sub conditione resolutoria.
74. Conditio impossibilis non vitiat matrimonium.
75. Conditio valdè difficilis aliquando non obstat matrimonio. Valent sponsalia contracta cum impedimento, sub conditione dispensationis.
76. Conditio turpis, seu impossibilis de jure regulariter tollitur de medio.

TIT. VI. *Qui Clerici, vel voventes matrimonium contrahere possunt.*

77. Habens Ordinem Sacrum nequit matrimonium contrahere. In Orientali Ecclesia conjugati ordinari valent.
78. Ordo Sacer dirimit matrimonium Jure Ecclesiastico.
79. Qui sine consensu ordinatus est potest contrahere, secus qui metu fuit ordinatus.
80. Uxore consentiente potest ordinari maritus, & quandoque etiam ea invita.
81. Professio Religiosa Jure Ecclesiastico dirimit matrimonium.
82. Matrimonium ratum per professionem dissolvitur.
83. Sponsalia solvuntur per Religionis ingressum.
84. Votum Sacros Ordines suscipiendi non dirimit sponsalia ante contracta, nec votum simplex continentiæ, impedit tamen matrimonium contrahere.
85. Ad quid teneatur virginem deflorans? Qui post votum castitatis contraxit non potest petere debitum, benè tamen reddere. De voto non nubendi, vel suscipiendi Ordines Sacros. De pœna Clerici in Sacris contrahentis matrimonium.

TIT. VII. *De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.*

86. De impedimento ex adulterio.
87. 88. De ejus requisitis.
89. De impedimento ex homicidio.
90. De machinatione mortis.
91. Quis dispenset?

TIT. VIII. *De Conjugio Leprosorum.*

92. Quid sit lepra?
93. Ob lepram potest separari totus conjugum, & quid de debito?
94. Quandoque solvit sponsalia.

TIT.

TIT. IX. *De conjugio servorum.*

95. Servitus est impedimentum ad matrimonium.
96. Quando error servitutis, vel conditionis non obstet?
97. Quomodo dissolvatur matrimonium tali impedimento contractum?
98. Servus cum serva rectè contrahit.

TIT. X. *De natis ex libero ventre.*

99. De servitute ex captivitate.
100. Et ex nativitate.

TIT. XI. *De Cognatione espirituali.*

101. Cognatio spiritualis dirimit matrimonium.
102. Hæc provenit ex baptismo, & confirmatione.
103. Hodie restringitur.
104. De Patrinis.
105. Quid si ante, vel post matrimonium contrahatur?
106. Quid de patre baptizante suum filium? Quis dispenset?

TIT. XII. *De Cognatione Legali.*

107. Quid sit cognatio Legalis, & adoptio? Hoc nomen Pater variæ accipitur.
108. De adoptione, & arrogatione. Qui possunt adoptare? Et de impedimento cognationis.
109. Quotuplex est cognatio Legalis?
110. Quando adoptio matrimonio non obstet.

TIT. XIII. *De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ.*

111. De affinitate ex copulla illicita?
112. Ex qua copula nascatur? Si superveniat privat petitione debiti.
113. Olim etiam impedimentum impediens oriebatur.
114. Quomodo hoc impedimentum probetur?

TIT. XIV. *De Consanguinitate, & affinitate.*

115. Quid sit consanguinitas?
116. Quotuplex sit? De illius arbore, & lineis.
117. De gradibus, & regula illos cognoscendi.
118. Conjugium inter consanguineos primi gradus in linea recta Juræ Naturæ est invalidum.
119. Conjugium patris, & filiæ non est intrinsecè malùm.
120. Matrimonium inter fratrem, & Sororem invalidum est Jure Naturali.
121. In Aliis gradibus jure tantùm Ecclesiastico dirimitur.
122. Ratio hujus impedimenti.
123. Quid est affinitas?
124. Olim erat multiplex, sed quid hodiè?
125. Nec in primo gradu lineæ transversæ affinitatis est invalidum matrimonium Jure Naturæ.
126. Secus in linea recta.
127. Affinitas ex copula illicita etiam in linea recta solùm Jure Ecclesiastico. Et de pœna contrahentium in gradibus prohibitis.
128. Arbor consanguinitatis, & nomina consanguineorum.
129. Arbor affinitatis, & nomina affinium.

TIT. XV. *De frigidis, & maleficiatis, & impotentia coëundi.*

130. Steriles, & senes possunt matrimonium contrahere.
131. Quid, & quotuplex sit impotentia?
132. Si superveniat, non dirimit: & quid tunc liceat conjugibus?
133. Impotentia perpetua dirimit.
134. Non temporalis.
135. Qui cum impotente contraxit, non tenetur cum eo in vita sociali permanere.
136. Si ex maleficio proveniat impotentia, non potest alio maleficio tolli.
137. An mulier arcta incisionem pati teneatur? Quid de Hermophroditis?
138. Matrimonium cum impotentia contractum quomodo dissolvatur?
139. Quomodò probetur impotentia?
140. Quid fiet, si clarè de ea non constet? Et de triennio ad experiendum.
141. De signis impotentiæ.
142 Si dissoluto matrimonio vir appareat potens, quid fiet?

TIT. XVI. *De Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.*

143. Interdictum, seu prohibitio Ecclesiæ impedit matrimonium.
144. Quo tempore prohibeantur nuptiæ.
145. Ministri Regii contrahere prohibentur.
146. Quæ impedimenta sint dispensabilia, vel non?
147. 148. 149. 150. Qui dispensare valeant?
151. 152. 153. De causis dispensandi.
154. Quando ob causæ falsitatem vitietur dispensatio?
155. Dispensatio pro impedimento publico in Dataria, pro occulto in Pœnitentiaria petitur.

156. 157. Quid exprimi debeat in Dataria?
158. De modo dispensandi in foro interno.
159. Formula, qua committitur dispensatio in Pœnitentiaria.
160. Cui committatur dispensatio in foro externo?
161. Quomodo executor dispenset? Et de aliquibus clausulis.
162. Matrimonium nullum quomodo ratificetur?

TIT. XVII. *Qui filii sint legitimi.*

163. Filii legitimi, & illegitimi variè accipiuntur.
164. Qui sint legitimi?
165. Et illegitimi?
166. De filiis infidelium. Causa legitimitatis est Ecclesiastica. Filii naturales per subsequens matrimonium legitimantur.
167. Qui dicantur naturales, & quid consequantur post legitimationem.
168. Princeps Supremus legitimare potest.
169. Quid in Rescripto legitimationis exprimi debeat?

TIT. XVIII. *Qui matrimonium accusare possint, vel contra illud testificari.*

170. Qui possint matrimonium accusare?
171. Qui repellantur?
172. De causa matrimoniali cognoscit Ecclesiasticus. ☞ Novissimè providit Benedict. XIV. quod in dissolutione, vel nullitate matrimoniorum assignetur defensor, qui debeat in omnibus instantiis citari, & audiri. Quod non dissolvatur matrimonium, quin prius duæ sententiæ conformes verificentur, non appellatæ. *

TIT. XIX. *De Divortiis.*

173. Divortium quid sit?
174. Matrimonium non dissolvitur adulterio.
175. De indissolubilitate matrimonii, & Repudio.
176. 177. Quomodo matrimonium infidelium dissolvatur?
178. Quid de matrimonio rato fidelium? ☞ Id. num. Nova Constitutio Apostolica refertur, & forma procedendi in dispensatione matrimonii rati, nondum consummati *remissivè*. *
179. Matrimonio nullo declarato, conjuges separantur. Et de fornicationis malitia.
180. Si unus conjux adulterium committat, alteri divortium permittitur.
181. An innocens teneatur adulterum admittere, si resipiscat?
182. Quando innocens authoritate propria ab adultero discedere valeat?
183. 184. De causis divortii.

TIT. XX. *De Donationibus inter virum, & uxorem, & de dote post divortium restituenda.*

185. 186. 187. Donatio liberalis inter virum, & uxorem, & alii contractus gratuiti, regulariter prohibentur, non tamen semper.
188. De bonis paraphrenalibus uxoris, & de dote, & quotuplex sit?
189. Pater tenetur filiam dotare, & in qua quantitate? Et de aliis donationibus.
190. Quando uxor possit dotem repetere? Et de bonis lucratis.
491. Quomodo possit agere uxor pro dote contra maritum? Et de hypotheca, qua gaudet in bonis mariti, & quando ei dos cedat ob uxoris adulterium?

TIT. XXI. *De secundis nuptiis.*

192. Secundum matrimonium, dissoluto primo licitum est.
193. Quænam certitudo de morte conjugis sufficiat ad secundum matrimonium contrahendum? Et quid si dubitent conjuges de suo matrimonio?
194. Pœnæ statutæ contra viduam secundò nubentem cessant de Jure Canonico.
195. Secus, quæ in liberorum favorem sunt statutæ.
196. De benedictione nuptiarum.

LIBER V.

TIT. I. *De Accusationibus, Inquisitionibus & Denuntiationibus.*

1. QUid sit accusatio, & quomodo ab aliis differat?
2. Quid debeat contineri libellus accusationis?
3. Post accusationem Judex accusatum citat, vel apprehendit.
4. Accusator debet crimen probare, alias punitur. Et accusatus non promovetur ad Dignitates.
5. Qui possint accusare, vel non?
6. Fiscales accusant.
7. Qui possint accusari?
8. Contra accusatum absentem proceditur in contumacia.
9. An semel absolutus possit iterum accusari? Quid faciet Judex, cum plures accusant? Quomodo cesset accusatio?
10. Quid, & quotuplex sit Inquisitio?
11. Quotupliciter Judex ad Inquisitionem procedat? Et de Inquisitione generalissima.

12. Quando de persona certa inquiritur, regulariter debet præcedere infamia.
13. Inquisitio specialis institui nequit, nisi constet de corpore delicti.
14. De Inquisitione severa, seu tortura.
15. Quomodo procedatur contra Regulares. Et de Syndicatu.
16. Quid, & quotuplex sit denuntiatio?
17. De denuntiando Sacerdote solicitante.
18. De denuntiatione Evangelica.
19. Quo ordine fiat?
20. 21. Quomodo procedatur in delictis notoriis?
22. Quando delictum dicatur notorium?

TIT. II. *De Calumniatoribus.*

23. Quid, & quotuplex sit calumnia? De Prævaricatoribus, & Tergiversatoribus.
24. De pœna calumniatorum, & quando ab ea excusentur?

TIT. III. *De Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur.*

25. Simonia unde dicatur?
26. Quid sit?
27. Simonia Juris Divini, seu Naturalis, & Ecclesiastici.
28. 29. Quando committatur?
30. De simonia mentali, conventionali, & reali.
31. De confidentiali.
32. Simonia est grave peccatum.
33. Nomine emptionis in simonia venit omne pactum onerosum.
34. 35. Secus si aliquid gratis detur.
36. Ministrantes spiritualia possunt recipere stipendium.
37. Pro labore an aliquid peti valeat?
38. Spiritualia quotupliciter sumantur?
39. Quid de Sacramentis, & eorum materia, & rebus consecratis?
40. Nec pro ordinum actibus aliquid accipi valet.
41. Nec pro exercenda jurisdictione spirituali.
42. Nec pro admissione ad Religionem.
43. Nec pro rebus, quæ spiritualibus annexæ sunt.
44. Quid pro sepultura, beneficiis, eorum fructibus, & commendis?
45. Quotuplex sit pretium, seu munus in simonia?
46. Non est simonia adjicere pactum, quod de jure inest.
47. Quid de redimenda vexatione?
48. Ecclesiasticus de simonia cognoscit.
49. 50. 51. 52. 53. 54. De variis pœnis simoniæ.
55. 56. Quando, & cui fiat pretii restitutio.

TIT. XIV. *De Prælati vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu concedant.*

57. Nequeunt locari res Ecclesiasticæ pro temporali pensione.
58. Pro concedenda exemptione aliquid vim recognitionis accipi valet.

TIT. V. *De Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.*

59. De Scholis publicis, & earum gradibus.
60. Qui dicantur Magistri?
61. Qui possint creare, & creari Doctores?
62. Qui conferant gradus?
63. Quomodo conferantur?
64. 65. De Doctorum privilegiis.
66. De Magistris Cathedralium.
67. Scientiarum utilitas.
68. Non est simonia pro licentia docendi, vel pro docendo aliquid petere.

TIT. VI. *De Judæis, & Sarracenis, eorumque servis.*

69. Quid, & quotuplex sit infidelitas?
70. 71. Fideles nequeunt cum infidelibus, & Judæis communicare.
72. Nisi adsit necessitas.
73. Sinagogæ antiquæ Judæorum reparari valent.
74. Judæi inter Christianos nequeunt officio publico fungi.
75. Nec sunt facile molestandi, & si convertantur non sunt suis bonis privandi.
76. Infideles non sunt baptizandi inviti.
77. Indirectè compelli valent.
78. Possuntque cogi audire verbum Dei.
79. Non debent fœdus cum infidelibus facile iniri.
80. Arma ad infideles deferri nequeunt.
81. A quo Judæi delinquentes puniantur?

TIT. VII. *De Hæreticis.*

82. Quid sit hæresis.
83. Ignorans non est hæreticus.
84. Nec Cathecumenus, nec negans propositionem Theologicam. Quid de dissentiente revelationi privatæ.
85. 86. Non cuilibet cum hæreticis disputare permittitur.
87. Quando Catholicis cum hæreticis communicare prohibeatur?
88. 89. 90. 91. 92. Libri hæreticorum, & eorum lectio, & retentio prohibentur.
93. 94. Qui de hæresi cognoscant.
95. Jurisdictio Inquisitorum potius ordina-

na-

naria, quam delegata videtur.
96. 97. Qui hinc Tribunali subjaceant, & quomodò, & quando Episcopus de hæresi cognoscat?
98. 99. Quid possint Judices Sæculares?
100. 101. 102. Quis ab hæresi absolvat?
103. Hæresis purè materialis non subjacet censuræ.
104. 105. De pœnis spiritualibus hæreticorum.
106. De eorum descendentibus.
107. De credentibus, fautoribus, & defensoribus hæreticorum.
108. 109. 110. 111. 112. De pœnis temporalibus hæreticorum.
113. Hæretici sunt cogendi suos abjurare errores.
114. De censuris variarum propositionum.
115. Quomodo hæ censuræ intelligantur?
116. De Edicto Generali Inquisitionis.
117. Edictum pro firmanda pace inter Religiones.
118. Edictum circa locum, & modum confitendi.
119. Edictum circa solicitationem.
120. Propositiones Wiclef.
121. Joannis de Hus.
122. Lutheri.
123. Baii.
124. Jansenii.
125. Damnatæ ab Alexandro VII.
126. Ab Innocentio XI.
127. Ab Alexandro VIII.
128. Michaelis Molinos.
129. Kesnel.
130. Breve Clement. XI. Universitati Salmantinæ.
131. Aliqua circa propositiones damnatas notantur.

TIT. VIII. *De Schismaticis, & ordinatis ab eis.*

132. Quid sit schisma, & quomodo ab hæresi differat?
133. Quando non incurratur?
134. De pœna schismaticorum.

TIT. IX. *De Apostatis, & reiterantibus baptisma.*

135. Quid, & quotuplex sit Apostasia? Et de ejus pœnis.
136. De Apostatis à Religione.
137. Et ab Ordine.
138. De Apostasia diffamati debent se purgare. De pœna reiterantium baptisma.

TIT. X. *De his qui filios occiderunt.*

139. Qui sint Parricidæ?
140. Et de eorum pœna.
141. 142. De pœna procurantium abortum.

TIT. XI. *De Infantibus, & languidis expositis.*

143. Infantes, & languidi deseri non debent.
144. De pœna eos exponentium.
145. Expositi pro legitimis habentur.

TIT. XII. *De Homicidio voluntario, vel casuali.*

146. Quid, & quotuplex sit homicidium?
147. Ad incurrendas pœnas homicidii debet mors sequi in effectu.
148. 149. Variè homicidia puniuntur.
150. Nulli seipsum occidere licet.
151. Occidens, vel vulnerans ad damnum tenetur.
152. 153. 154. 155. 156. 157. De irregularitatibus ex homicidio.
158. De aliis homicidarum pœnis.
159. 160. 161. De irregularitate ex homicidio justo.
162. De irregularitate militantium.
163. 164. De homicidio casuali.
165. In dubio an incurratur irregularitas?
166. Ad se defendendum licet alium occidere.
167. Et ad alios defendendos.
168. Quin, & ad bona propria conservanda.
169. In quo stet moderamen inculpatæ tutelæ.
170. Quis in hac irregularitate dispenset?
171. Quando delictum quoad dispensationem censeatur occultum.

TIT. XIII. *De Torneamentis.*

172. Torneamenta prohibentur.

TIT. XIV. *De Clericis pugnantibus in duello.*

173. Quid sit duellum? Et de ejus prohibitione.
174. Quando duellum liceat?
175. Non licet viro equestri ad vitandam timiditatis notam.
176. De pœnis duellantium.
177. Quando non incurrantur?
178. De pœna Clericorum duellantium.

TIT. XV. *De Sagittariis.*

179. Prohibetur usus sagittarum, & ballistarum.

TIT.

TIT. XVI. *De Adulteriis, & stupro.*

180. Quid sit adulterium?
181. Ad quid tenetur adulter innocenti?
182. De pœna adulterii.
183. 184. Qui admittantur ad accusandum adulterium?
185. Quis de eo cognoscat, & quomodo probetur?
186. Quando adulteri ab adulterii pœna liberentur?
187. Stuprum quid, & quotuplex sit? Et de ejus pœna.
188. Quando stuprator à pœna excusetur?
189. Quis de eo cognoscat, & quomodo probetur?
190. De fornicatione, & concubinatu.
191. De incestu, & de ejus pœna.
192. De Sacrilegio, & ejus pœna.
193. De bestialitate, & ejus pœna.
194. 195. 196. De Sodomia, & ejus pœna.
197. 198. De mollitie, tactibus, aspectibus, choreis, &c. Quodnam sit peccatum ponere actiones ad delectationem provocantes? Et de delectatione.
199. Quomodo tentationes abigantur?

TIT. XVII. *De Raptoribus, incendiariis, & violatoribus Ecclesiarum.*

200. De Raptu, & ejus pœna.
201. De Rapina.
202. 203. De ejus pœna, & de Pyratis.
204. Bona naufragantium subripi gravitèr prohibetur.
205. 206. 207. De Incendiariis, & eorum pœnis.
208. De Violatoribus Ecclesiarum, & eorum pœnis.

TIT. XVIII. *De Furtis.*

209. 210. Quid sit, & quando committatur furtum?
211. 212. Qui furti teneantur, vel non?
213. De occulta compensatione.
214. Quotuplex sit furtum? ubi de peculatu, de residuis de sepulchro violato.
215. Termini amotio, & ejus pœna, Plagium, Abigeatus, expilata hæreditas, &c.
216. De quantitate furti: Et qui teneantur restituere?
217. De Compositione vi Bullæ.
218. 219. De Actionibus furti.

TIT. XIX. *De Usuris.*

220. Usura quid sit?
221. De mutuo.
222. Actio ex mutuo.
223. Usuræ malitia.
224. 225. An possint permitti usuræ? Et de Anatocismo.
226. De damno emergente.
227. De lucro cessante. ☞ Et de usura contractus trini. Benedict. XIV. in Synod. Diœces. & refertur Const. ejusd. Benedict. ann. 1745. *
228. De periculo sortis, & contractu correspondentiæ.
229. Mutuans aliquid potest ratione pœnæ accipere.
230. 231. Quodnam lucrum usuram constituat?
232. 233. De Antichrisi, & usura polliata.
234. De Mohatra.
235. An Chirographum possit minori prætio emi?
236. De montibus pietatis.
237. Quid, & quotuplex sit cambium?
238. Mutuatarius non tenetur usuras solvere.
239. 240. Qui teneantur usuras restituere?
241. Cui debeat fieri restitutio?
242. 243. De Usurariorum pœnis.
244. Quis de usuris cognoscat, & quomodo probentur?

TIT. XX. *De Crimine falsi.*

245. Falsum quid sit?
246. Committitur facto.
247. Et in moneta.
248. Verbo.
249. Et Scripto.
250. De falsariorum pœnis.

TIT. XXI. *De Sortilegiis.*

251. Quid sit sors, & superstitio?
252. Idololatria, Divinatio, Necromantia, &c.
253. De Magia.
254. De Sortilegio, & variis sortium speciebus.
255. De Astrologia.
256. De harum superstitionum prohibitione, & pœnis.

TIT. XXII. *De Collusione detegenda.*

257. De Collusione, & ejus pœna.

TIT. XXII. *De Delictis puerorum.*

258. De hominis ætatibus. Infantes in foro externo non puniuntur.
259. Ob defectum ætatis sæpè mitigatur pœna.

TIT.

TIT. XXIV. *De Clerico venatore.*

260. Quid, & quotuplex sit venatio?
261. Quæ Clericis prohibeatur, vel permittatur?

TIT. XXV. *De Clerico percussore.*

262. 263. Quænam percussio prohibeatur & permittatur? Et de ejus pœna.

TIT. XXVI. *De Maledicis.*

264. Quid, & quotuplex sit blasphemia?
265. De ejus pœna.
266. Maledicus in Pontificem quomodo puniatur?
267. Et maledicus in privatum?

TIT. XXVII. *De Clerico excommunicato deposito, vel interdicto ministrante.*

268. De pœna Clerici ligati censuris, si ministret.
269. Nisi justa causa excuset.

TIT. XXVIII. *De Clerico non ordinato ministrante.*

270. De pœna Clerici ministrantis in ordine, quo caret.
271. Quæ causa excuset.

TIT. XXIX. *De Clerico per saltum promoto.*

272. De pœna Clerici per saltum promoti.
273. Quis dispenset?

TIT. XXX. *De Eo, qui furtivè ordinem suscepit.*

274. 275. De pœna sic ordinati.

TIT. XXXI. *De Excessibus Prælatorum, & Subditorum.*

276. 277. Excessus Prælatorum, & Subditorum referuntur.

TIT. XXXII. *De Novi operis nuntiatione.*

278. Cuilibet in suo solo regularitèr ædificare permittitur.
279. Quid sit novi operis nuntiatio, & quomodo fiat?
280. Quis possit nuntiare?
281. Nuntiatione facta in opere cessatur. Et quando cesset nuntiatio?

TIT. XXXIII. *De Privilegiis, & excessibus privilegiatorum.*

282. Quid sit privilegium?
283. Quomodo sit Lex?
284. Quando privilegium juri deroget?
285. Privilegium aliquando fit invito. Et quæ promulgatio sit necessaria?
286. 287. 288. Quotuplex sit privilegium?
289. Tantum valet, quantum sonat: in dubio quomodo interpretetur?
290. Qui possint privilegia concedere?
291. Qui privilegium habet, regularitèr eo uti non cogitur. Quid de privilegiato contra privilegiatum.
292. De Exemptionis privilegio.
293. 294. Quomodo adquiratur?
295. Et probetur?
296. In quibus exempti Episcopo subsint?
297. Privilegia quomodo communicentur?
298. Privilegium cessat per revocationem.
299. Quando non possit sine causa revocari?
300. Cessat mortuo privilegiato per renuntiationem etiam tacitam.
301. Per actum contrarium, per abusum, & lapsum temporis.
302. Cessante causa finali cessat. Quid de morte illud concedentis? De aliquibus Indorum privilegiis.

TIT. XXXIV. *De Purgatione Canonica.*

303. Quid sit purgatio Canonica? Et de juramento, qualitate, & numero compurgantium.
304. Quis purgationem indicat, quibus, & quando indicatur?
305. Quid si aliquis in purgatione deficiat? De Abjuratione.

TIT. XXXV. *De purgatione vulgari.*

306. 307. Quomodo fiebat purgatio vulgaris? & de ejus reprobatione.

TIT. XXXVI. *De Injuriis, & damno dato.*

308. Quid sit, & quomodo fiat injuria?
309. Qui actione injuriarum non teneantur?
310. Quis possit agere pro injuria ipsi indirecte facta.
311. Pro injuria potest agi civilitèr.
312. Et criminaliter. Et quomodo actio injuriarum cesset.
313. Quid sit damnum, & quomodo fiat? Et de dolo, & culpa.
314. De Lege Aquilia.
315. Quando habeat locum?
316. Etiam in foro interno est obligatio re-

sar-

sarcendi damnum. De Repressaliis.
317. de aliis obligationibus ex quasi delicto descendentibus.
318. Ad quid Navarchi, & Neucleri teneantur?

TIT. XXXVII. *De Pœnis.*

319. Quid, & quotuplex sit pœna?
320. Regularitèr nullus sine propria culpa punitur.
321. Quotuplex sit pœna vindicativa?
322. Princeps Supremus potest condemnare pœnam.
323. Judex inferior regularitèr non potest in pœna ordinaria dispensare.
324. Aliquando potest eam mutare.
325. Vel augere.
326. 327. Quando ad pœnam incurrendam sit necessaria sententia?
328. Eidem delicto plures pœnæ possunt infligi.
329. 330. 331. De pœna infamiæ.
332 De incarceratione, & aliis pœnis corporis aflictivis.
333. De pœnis pecuniariis.
334. De privatione beneficiorum.
335. De depositione.
336. Quid sit?
337. Et quotuplex irregularitas?
338. An in dubio incurratur?
339. An excuset ignorantia?
340. Quis in irregularitate dispenset?
341. De Degradatione.
342. A quo, & quomodo fiat? Item de pœnis Fiscalibus.
343. De pœnis delictorum in specie, scilicet, Abigeatus, Aborsus, Adulterii, &c.
344. De calumniatoribus, &c.
345. De decoctoribus, &c.
346. De ebrietate, &c.
347. De falsi crimine, &c.
348. De gabellarum fraudatoribus, &c.
349. De habitum alterius gerente, &c.
350. De immunitatis Ecclesiasticæ violatoribus, &c.
351. De læsæ Majestatis crimine, &c.
352. De Magis, &c.
353. De nominis mutatione, &c.
354. De Parricidio, &c.
355. De raptu, &c.
356. De sacrilegio, &c.
357. De teste falso, &c.

TIT. XXXVIII. *De Pœnitentiis, & remissionibus.*

358. De vagabundis, &c.
359. Quid sit pœnitentia.
360. Est Sacramentum.
361. Materia hujus Sacramenti.
362. De Confessione.
363. An detur obligatio confitendi peccata dubia? Et de scrupulis.
364 De ejus forma, & necessitate.
365. Quando obliget?
366. De ejus Ministro.
☞ Id num. Consuetudo olim admissa ea aliquibus pandendi peccata laico, hodie non viget, neque est permittenda; & refertur Benedict. XIV. Synod. Diœces. ✻
367. De probabilitate opinionum. ☞ Et refertur Benedict. XIV. in Synod. ✻
368. De approbatione Confessarii.
369. De aprobatione Parochorum.
370. De jurisdictione Confessarii.
371. Religiosi habent jurisdictionem delegatam.
☞ Id num. Benedict. XIV. in certa Constit. hortatur Prælatos, ut assignent Confessarium extraordinarium pro Monialibus, bis, vel ter, quoties sit aliqua necessitas, procedendo cum facilitate in hac materia. ✻
372. De reservatione peccatorum.
373. Quænam possint in Religionibus reservari?
374. Qui à reservatis absolvant? Et de Pœnitentiaria: ☞ Et ejus Officialibus, & de facultatibus Pœnitentiarii majoris. ✻
375. Quid possint Religiosi?
376. De satisfactione.
377. Quomodo debeat Confessarius imponere pœnitentiam.
378. De pœnitentia publica.
379. De pœnitentia occidentis presbyterum, & adulterii.
380. De obligatione Medicorum erga infirmos.
381. Quid, & quotuplex sit indulgentia.
382. Quis possit indulgentias concedere?
☞ Id. num. In Constitut. ann. 1747. Bened. XIV. concesit Episcopis facultatem impertiendi benedictionem cum Indulgentia plenaria in articulo mortis. ✻
383. De lucraturo Indulgentias.
384. De Apocryphis indulgentiis.
385. De Jubilæo.
386. Quæ opera tunc præscribantur?
387. De absolutione tempore Jubilæi, & de suspensione indulgentiarum, & de Sacramentalibus.
388. De Bulla Cruciatæ.
389. De sigilo confessionis.
390. Ei potest pœnitens renuntiare.
391. Quando non violetur?
392. 393. Quomodo violatio puniatur?
394. De aliquibus propositionibus in hac materia damnatis.
☞ Id. num. In Bulla ann. 1746. reprobatur praxis Confessariorum, qui nomen

com

complicis exquirunt à suis pœnitentibus, & tollit jurisdictionem Confessariis audiendi confessiones, & absolvendi suos complices in peccato contra 6. Præceptum Decalogi, nisi in casibus in dicta Bull. exceptis. *

395. De pœna non Sacerdotis audientis confessionem & Confessarii solicitantis.

☞ Id num. De Confessore solicitante notatur Bulla Greg. XV. & alia Ben. XIV. confirmatoria illius, in qua ad advertendas calumnias hoc puncto frequentes aliqua determinantur. *

TIT. XXXIX. *De Sententia excomunicationis, suspensionis, & interdicti.*

396. Quid sit censura Ecclesiastica?
397. Quotuplex sit?
398. Qui possint ferre censuras, & in quo?
399. Non potest ligari, qui non est sub jurisdictione ferentis censuras.
400. Ob quam culpam censuræ ferantur?
401. Ad censuram debet præcedere monitio, & qualis?
402. Censura solùm per absolutionem tollitur.
403. 404. Qui absolvat à censuris?
405. Non datur absolutio sine satisfactione. Potest dari absenti.
406. Quando non incurratur censura?
407. Quid, & quotuplex sit excommunicatio?
408. Qui sint vitandi, vel non?
409. 410. 411. Quibus privetur vitandus?
412. In quibus liceat ei communicare?
413. De excommunicatione minori.
414. 415. 416. 417. De excommunicatione Can. Si quis suadente diabolo.
418. 419. Quis ab ea absolvat?
420. Quid, & quotuplex sit suspensio?
421. Qui possint suspensionem ferre?
422. In quos feratur?
423 Suspensio restringenda est.
424. Quomodo tollatur?
425. Quid, & quotuplex sit interdictum?
426. 427. 428. Quibus privet?
429. Qui possint interdicere?
430. Interdictum quomodo interpretetur?
431. Quis ab interdicto absolvat?
432. De pœna violantis interdictum.
433. De cessatione à Divinis.
434. Ad materiæ complementum.
435. De excommunicationibus in jure Pontifici reservatis.
436. de excommunicationibus juris non reservatis.
437. De suspensionibus.
438. De interdictis.

TIT. XL. *De Verborum significatione.*

439. Quomodo verba debeant intelligi?
440. Omnia Capitula hujus tituli suo ordine brevitèr explicantur.

TIT. XLI. *De Regulis juris.*

441. Quid sit regula?
442. Singula explicantur Capitula.
443. Omnia Capitula de *Regulis juris in 6.* afferuntur.
444. *Armamentarium juris.* In quo varia Axiomata juris continentur.
445. De littera *A.* ubi habentur Axiomata, quæ hac littera incipiunt.
446. Litt. B.
447. Lit. C.
448. Lit. D.
449. Lit. E.
450. Lit. F.
451. Lit. G.
452. Lit. H.
453. Lit. J.
454. Lit. L.
455. Lit. M.
456. Lit. N.
457. Lit. O.
458. Lit. P.
459. Lit. Q.
460. Lit. R.
461. Lit. S.
462. Lit. T.
463. Lit. V.
464. Lit. Z.

LIBER IV. DECRETALIUM.

TITULUS PRIMUS.

DE SPONSALIBUS, ET MATRIMONIIS.

1. SPonsalia in præsenti, non sumuntur pro arrha, & muneribus, quæ sponsæ á sponso dantur, ut in *l. 5. C. h. t.* Et 1. *Reg.* 18. *vers.* 25. ibi: *Non habet Rex sponsalia necessè.* Nec pro matrimonio rato, ut in *cap.* 12. 27. *quæst.* 2. *cap.* 22. *cap.* 1. *h. t. Matth.* 1. *l.* 2. *tit.* 1. *p.* 4. & sponsalia de præsenti appellatur: sed pro promissione futuri matrimonii, sic ab spondendo dicta. *L.* 2. *ff. h. tit.* ibi: *Sponsalia dicta sunt à spondendo, nan moris fuit veteribus stipulari, & spondere sibi uxores futuras leg.* 1. *tit.* 1. *p.* 4. etiam appellantur *fides pactionis*: sicut matrimonium *fides consensus* dicitur, *cap.* 1. *h. tit.* & Sacramentalia matrimonii à D. Thom. appellantur. Sponsalia, juxta *l.* 1. *ff. h. tit.* sunt *mentio, & repromissio futurarum nuptiarum, cap.* 3. 30. *q.* 5. *leg.* 1. *tit.* 1. *p.* 4. ibi: *Llamado es desposorio el prometimiento, que facen los omes por palabra, quando quieren casar.* Regularitèr, licèt non semper, nec necessario, præcedere debent matrimonium, *cap.* 39. 27. *q.* 2. ut sic maturius deliberetur status, qui perpetuus, & indissolubilis est: & ut factis proclamationibus, impedimentum, si quod est, opponatur, & probetur, *cap. fin. de Clandest. despons. Trid. sess.* 24. *de Reformat. Matr. cap.* 1. Sponsalia debent contrahi inter personas habiles ad matrimonium posteà contrahendum, scilicet, inter marem, & fœminam, & licèt impuberes pro illo tempore matrimonium nequeant contrahere, possunt tamen celebrare sponsalia, cum hæc ad tempus matrimonii referantur. Ei rationis defectu nequeunt contrahere sponsalia amentes, furiosi, *cap.* 24. *h. tit. l.* 6. *tit.* 2. *p.* 4. nisi tempore lucidi intervalli: matrimonium tamen contractum non dissolvit superveniens furor, *cap.* 26. 32. *q.* 7. Ebrius, vel qui sensibus ita est destitutos, ut nequeat instrui, quid sit matrimonium; secus si instrui valeat, & suum possit, saltem nutibus, præstare consensum, nisi mutus, & surdus sit, *cap.* 23. *h. t. l.* 5. *tit.* 2. *p.* 4. ubi ut Regula generalis ponitur, *quod cum prohibitorium sit edictum de matrimonio contrahendo, quicumque non prohibetur, per consequentiam admittitur.*

2 Ad sponsalia ea deliberatio requiritur, quæ est necessaria, & sufficit ad mortale peccatum. *Sanch. lib.* 1. *de Matr. D.* 8. *num.* 5. Hinc invalida sunt sponsalia ante septennium contracta, nisi malitia, (hoc est, usus rationis) suppleat ætatem, *cap.* 4. *cap.* 5. *cap.* 18. *de Despons. impub. l.* 6. *tit.* 1. *p.* 4. *& comm. DD.* contra *aliquos.* Sponsalia extorta per vim absolutam invalida sunt, nam talis vis tollit libertatem, vel ex errore provenientia: nil enim tàm contrarium est, consensui, quàm error. *L.* 15. *ff. de Jurisd. l.* 9. *C. de Jur. & facti ignor.* cum certè ad sponsalia sit necessarius consensus. Sponsalia metu, etiam gravi, extorta non sunt invalida, nec Jure Naturali, cum consensu constet, nec Jure Positivo; licèt matrimonium hoc jure sit invalidum, quia nullus Textus invenitur, in quo sponsalia nulla declarentur: nam omnes loquuntur de matrimonio,

& in sponsalibus cessat ratio indissolubilitatis vinculi, ob quam matrimonia irritantur. Resindunitur tamen sicut cæteri contractus metu extorti, & hoc, & non plus probat, *cap.* 11. *de Despons. impub.* Hoc tenent *Ledesm. Henriq. Less. de Just. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 37. *Castrop. tr.* 2. *D.* 1. *p.* 9. *n.* 3. contra *Abb. Covarr. Gutierr. Azor, Barb. Laym. Leg. Sanch. de Matrim. lib.* 4. *D.* 19. *n.* 3. *& alios.* Sponsalia amore ira, vel alia passione impellente, contracta valent, cum hæ passiones non ita animum hominis turbent, ut eum à peccato mortali excusent, ac proinde habent libertatem ad sponsalia requisitam. *Navarr. Man. cap.* 18. *n.* 7. *Sanch. de Matrim. lib.* 1. *disp.* 8. *n.* 5. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *disp.* 207. *n.* 1. contra *Farth. Felin. & Decium, ex L.* 3. *ff. de Divort. & L.* 48. *ff. de Reg. jur.* qui Textus intelligendi sunt de iracundia, quæ non sufficit ad peccatum mortale, quia rationis advertentiam aufert. Sed cum hoc rarissimè accidat, in dubio pro valore actus præsumitur, qui etiam est in possessione. *Sanch. de Matr. lib.* 1. *D.* 8. *n.* 10. *&* 11.

3 Promissio ad sponsalia debet esse vera, hoc est, quod promittens habeat animum promittendi, nam etsi habeat animum non adimplendi, nec se obligandi; licèt in tali fictione peccet, vere se obligat ad sponsalia, quia essentia promissionis est promittentem obligari, ne infidelis existat. Quando verò promittens, ore tantum promittit, positivè, excludendo animum se obligandi, cum hæc fictio sit quid facti, debet ab ipso promittente probari, alias in foro externo obligabitur. Ex tali tamen promissione ficta non resultat obligatio, cum animus promittendi desit; *arg. C. fin. de Condit. apposit.* & actus agentium ultra eorum voluntatem non operentur. *L.* 19. *ff. de Reb. cred. Sanch. de Matrim. lib.* 1. *D.* 9. *n.* 5. *Less. de Just. & jur. lib.* 2. *cap.* 18. *n.* 5. *& alii*, contra *Gutierr. de Matrim. cap.* 9. *Pontium. lib.* 12. *de Matrim. cap.* 2. nisi damnum ex tali promissione ficta tale promissario resultet, quod aliter nequeat reparari, nisi matrimonio contracto: tunc enim ad illud tenetur. Sic deflorans virginem sub promissione ficta matrimonii eam determinatè ducere tenetur, quando non potuit ipsa animum falacem facilè percipere, & aliter nequit damnum resarciri. *Sanch. de Matrim. lib.* 1. *D.* 10. *num.* 3. si aliter possit reparari, tenetur sic deflorans ad constituendam dotem, vel ducendam uxorem. Si tamen mulier facilè animum fallacem sub ficta promissione deflorantis cognoscere potuit, ob nimiam inæqualitatem conditionis, vel alias circunstantias, deceptioni consensisse censetur, ac proinde promittens ad nihil tenetur. *D. Thom. in* 4. *D.* 28. *q. unic. art.* 2. *ad* 4. *Sanch. de Matrim. lib.* 1. *D.* 10. *num.* 5. *& comm. Expositores in cap.* 1. *de Adulter.*

4 Cum promissio sponsalium dirigatur ad alterum, à quo est acceptanda, & à quo facienda est repromissio, debet ab ipso intelligi; ac proindè promissio mere interna non sufficit, sed aliquo signo externo exprimi debet, nec est necessè, etiam in eo, qui loqui potest, quod verbis declaretur consensus, sed etiam nutibus declarari valet, *cap.* 23. *cap.* 25. *h. tit. Et ibid. DD.* hæc verba: *Ducam te in uxorem; tecum contrahàm, &c.* certè sufficiunt ad sponsalia. Tamen promissio de sponsalibus contrahendis, non facit sponsalia, sicut promissio venditionis non est venditio. *Covarr. de Spons. lib.* 4. *p.* 1. *cap.* 4. Quando verba, vel signa sunt dubia, debent interpretari juxta modum communem Provinciæ, *cap.* 7. *h. t. L.* 34. *ff. de Reg. Jur.* Et attentis circunstantiis juxta promittentis mentem, non enim intentio verbis, sed verba intentioni deservire debent, *cap.* 41. *de Appellat.* sic hæc verba: *volo te habere id uxorem*, si coram Parocho proferantur modo præscripto. In *Trident. sess.* 24. *de Reform. matr. cap.* 1. matrimonium faciunt: aliter, ad sponsalia deserviunt. Per hæc verba: *Nullam ducam, præter te*, sponsalia contrahi, asserunt *Abb. & Butrius in cap.* 9. *h. t. Menoch. lib.* 3. *de Præsumpt.* 3. *num.* 8. sed cum hæc verba idem significent, ac ista: *Non ducam uxorem, vel si aliquam duxero, ducam te*: non inducunt obligationem absolutam, sed conditionalem, vel disjuntivam, ac proindè ex circunstantiis possunt interpretari juxta promittentis mentem. *Covarr. de Spons. p.* 2. *cap.* 4. §. 1. *Sanch. de Matrim. D.* 19. *ex n.* 5. Annuli traditio, & receptio, seu subarratio, porrectio manuum, vel missio jocalium, licet ex aliis honestis causis fieri possint, tamen ex consuetudine loci, & aliis adminiculis possunt esse signa sponsalium. *Sanch. de Matrim. lib.* 1. *D.* 22. Sed in casibus dubiis, licèt contra aliquem stet præsumptio pro sponsalibus, potest coram Judice probare ex alio fine, talia signa, vel verba posita esse. Sed an sponsalia inter impeditos contracta sub conditione, *Si Papa dispenset*, valida sint; est quæstio ingens in-

inter DD. Negat *Rota in Posth. Farinac. 1. part. decis. 778. num. 5. Diana, part. 3. tr. 4. resol. 290. & alii.* Affirmant *Gutierr. Can. quæst. lib. 1. cap. 22. num. 11. & 12. Vincent. de Justis de Disp. Matrim. lib. 2. cap. 1. à num. 78. sed à num. 82.* pro concordia opinionum casus distinguit, eos consule, *& vide num. 75. h. lib.*

5 Promissio sponsalium debet esse acceptata à promissario, sicut in aliis contractibus requiritur consensus mutuus; *arg. L. 1. ff. de Pact.* Et ante acceptationem realem potest resilere promittens, etiamsi promissio gratuita, & jurata sit, & absenti facta, ut cum aliis tenet *Sanch. de Matrim. L. 1. D. 6. num. 2.* contra *alios*, nisi à Procuratore speciali, nomine absentis acceptata sit, *cap. 5. Qui Cleric. vel Vov.* Et insuper ad obligationem inducendam requiritur repromissio, ut ex definitione constat. *L. 1. ff. h. t.* ita ut non sufficiat simplex acceptatio ad tàm gravem obligationem inducendam. *Navar. Man. cap. 22. num. 18. Soto, Menoch. Gutierr. Sanch. de Matr. lib. 1. D. 5. num. 5.* contra *Palud. Vazq. Enriquez de Matr. L. 11. cap. 13. num. 2.* Nisi ex circunstantiis satis colligatur, acceptationem factam esse animo repromittendi: tunc enim sponsalia contrahuntur, ita ut verificetur mutua promissio, quæ est omninò necessaria ad sponsalia: siquidem cum sponsalia sint previa Matrimonio, quod quidem utriusque contrahentis vinculum desiderat: ipsa quoque vinculum utriusque, & reciprocam, & mutuam promissionem necessariò exigunt. Si Titius; v. g. ad oblatas sibi nuptias taceat, non censetur consentire: nam in his quæ præjudicare possunt, taciturnitas non habetur pro consensu, nisi quando tacens loqui teneatur, ut dissentiat; *arg. L. 8. §. 1. ff. de Procur.* Nec ex taciturnitate puellæ inducuntur sponsalia, si ipsa præsente, & tacente ejus Tutores, cognati, vel fratres, nomine ejus contrahant sponsalia; nam talis contractus adeò personalis est ut nullus præter parentes, *cap. unic. de Despons. impuber. in 6.* pro alio consensum præstare possit, nisi speciali ad hoc mandato instructus sit. *Covarr. de Spons. p. 1. cap. 4. num. 4. Gutier. de Matr. cap. 13. Sanch. de Matr. L. 1. D. 23. num. 9. & videtur sic sentire D. Thom. in 4. D. 27. q. 1. art. 2. q. 2. ad 3.* contra *Hostiens. Rodrig. Enriq. de Matrim. L. 11. cap. 2. num. 6. & alios.* Filii, sivè legitimi, sivè illegitimi, sivè emancipati, obligantur ad sponsalia, nomine ipsorum contracta, à patre, vel matre, sivè præsentes sint, sivè absentes; sivè taceant, & non reclament, postquam sciunt contracta, *cap. un. de Despons. impub. in 6. L. 10. tit. 1. p. 4.* Tunc enim suam mentem explicare tenentur: alias tacentes consentire creduntur, *cap. 43. de Reg. Jur. in 6. D. Thom. in 4. D. 27. q. 2. art. 2. ad 1. Sanch. de Matrim. L. 1. D. 23. num. 3. & alii.* nisi ipsi filii dissensum probaverint. Idem de Matrimonio tenent *Covar. de Spons. p. 2. cap. 4. Sanch. de Matrim. lib. 1. D. 23. num. 3. & alii DD.* sed cum sit speciale, & à jure exorbitans, quod parentes sine mandato possint pro filiis sponsalia contrahere, & quod pro consensu filiorum eorum taciturnitas sufficiat, *cap. un. de Despons. impub. in 6.* non est extendendum ad Matrimonium, *c. 28. de Reg. jur. in 6.* præsertim, cum ex Matrimonio damnum irreparabile sequatur in vinculo indissolubili, quale non inducunt sponsalia: quod maximè habet locum ubi Trid. est receptum. *Ponc. de Matrim. L. 2. cap. 14. num. 3.*

6 Sponsalia debent contrahi cum persona determinata, sicut Matrimonium, ad quod sunt via; *arg. cap. un. h. t. in 6.* Ideò, qui ex duabus sororibus unam ducere promissit, tenetur, unam ex eis eligere, qua electa, cum ea Matrimonium est contracturus. Idem est, si unam ex eis cognoscat, nam ea electa censetur, sicut ante Tridentinum, per talem copulam Matrimonium contrahebatur, *cap. 30. h. t. Sylv. V. Matrim. 2. num. 11. Perez de Matrim. D. 4. sect. 5. num. 18.* contra *Sanch. de Matrim. lib. 1. D. 26. num. 12.* similiter si quis promissit ex tribus puellis illam, quæ certum obsequium præstaret, ducere, una præstante, cum ea tenetur contrahere: præstantibus duabus, cum ea, quæ priùs præstitit; *arg. cap. 54. de Reg. jur. in 6.* Illis tamen simul præstantibus, quamlibet ducere potest: nam in promissione alternativa electio est promissoris, *cap. 70. de Reg. Jur. in 6. Sanch. de Matrim. L. 1. D. 26. num. 4.* Sponsalia clandestina, cum nullo jure prohibita inveniantur, valida, & licita sunt; nec *Trident. sess. 24. de Ref. Matrim. cap. 1.* ut Lex correctoria debet ultra Matrimonium, de quo expresse loquitur, extendi, ut contra *aliquos* tenent *Sanch. de Matrim. L. 1. D. 12. num. 2. Ponz. L. 12. cap. 5. num. 6. & alii.* Possunt probari sponsalia per testes, & scripturam, etiam simplicem, & etiam sine die, loco, inscriptione, vel subscriptione: recognitam tamen à parte. Litteræ tamen amatoriæ, in quibus scribens, puel-

lam vocat sponsam, inter personas æquales aliquam presumptionem inducunt, *cap. 9. 32. q. 4.* & ad probationem coadjuvant.

7 Sponsalia, etiam non jurata, legitimè contracta utrinque producunt obligationem justitiæ, & quidem gravem, quia materia gravis est: nam sponsalia sunt contractus, *facio, ut facias: c. 46. c. 47. 27. q. 2. c. 2. c. 10. c. 17. h. t. L. 7. tit. 1. p. 4. D. Thom. in 4. D. 27. q. 2. art. 1. ad 2. D. Anton. Sylv. Covarr. Gutierr. quos citat*, & sequitur *Sanch. de Matrim. lib. 1. D. 27. n. 2.* ac proindè ille, qui cum Titia contraxit sponsalia, postquam hæc sunt acceptata, etiam si non sint repromissa, sub gravi, illi volenti tenetur adimplere promissionem, quin possit licitè cum alia contrahere, *c. 23. h. t. c. 1. de Spons. duor. D. Thom. in 4. D. 27. art. 1. ad 2. Sanch. de Matrim. L. 1. D. 5. ex n. 8. & D. 27. ubi plures citat.* Quando certus terminus à contrahentibus constitutus est nuptiis, ille adimplendus est, nisi posteà aliter conveniant. *L. 12. C. de Contrah. stipulat.* si nullus dies assignatus est, licèt rigore juris ex tunc incipiat obligatio. *L. 14. ff. de Reg. Jur.* regulariter tamen non obligatur sponsus, saltem per accidens, quousque sponsa adimpletionem exigat. Et sic concordantur *AA.* utriusque sententiæ *Sanch. de Matr. L. 1. D. 18. n. 2. Gutierr. cap. 15. n. 5. Ponc. lib. 12. c. 6. n. 1.* Hinc, si aliquis ex contrahentibus sine causa resiliat, & alter instet apud Judicem pro contractus adimpletione, monendus est priùs resiliens: & sic intelligitur vox *potius Text. in c. 17. h. t. à DD. apud Barbos. ibid. n. 3.* quod si hoc non sufficiat, censuris, & excommunicatione potest compelli: imò, & carcere ad sponsalia, etiam non jurata, adimplenda, *c. 10. h. t. L. 7. tit. 1. part. 4.* Nisi adeò pertinax sit, ut censura potius nocitura, quam profutura censeatur, & matrimonium infelicem exitum habiturum: nam tunc alia satisfactione, & pœna impositis, Judex à censuris abstinebit, *c. 17. h. t. Cov. p. 1. de Spons. cap. 4. n. 3. Sanch. L. 1. de Matr. D. 29. n. 4.* Nec ex inflictione censuræ libertas matrimonii infringitur, siquidem ipse promittens talem necessitatem sibi imposuit; & jam sua libertate usus est, sicut etiam in aliis contractibus accidit. *L. 5. C. de O. & A.* Ubi ea, quæ à principio sunt voluntaris ex post facto fiunt necessitatis. Et talis metus non est injustè, sed justè incussus, ac proindè matrimonio non nocet.

8 Sponsalia, Jure Decretalium attento, transeunt in Matrimonium de præsenti, quando copula carnali confirmantur; secùs est si copula non fuit secuta, sed solùm fuit attentata per conatum ad ipsam. *c. fin. h. t.* nam jus præsumit, potius ex affectu maritali, quam animo fornicandi, talem copulam esse habitam; estque præsumptio juris, & de jure, contra quam in foro externo probatio non admittitur *c. 15. c. 30. h. t.* in foro tamen interno veritati statur; *arg. c. 44. de Sent. excom.* Sed hoc non habet locum, ubi Tridentinum est admissum: nam in eo irritatur omne clandestinum Matrimonium: quod sine Parocho, & Testibus celebratur. *Trid. sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1. Sanch. de Matrim. L. 3. D. 40. n. 3. Barbos. in c. 30. h. t. n. 11.* Et ita sentiunt omnes *DD.* præcipuè Hispani, teste ipso *Barbosa.* Sponsalibus adjici possunt à contrahentibus quæcumque conditiones, & pacta jure non prohibita, v. g. de perpetuo habitando in aliquo loco, nam hoc pactum cedit non in detrimentum libertatis, sed in favorem Matrimonii, ut individua vita, & cohabitatio inter conjuges conservetur: & maximè in uxoris favorem, ne Patria deserta, vitam inter extraneos agere cogatur. Sic contra *Gom. 2. Var. cap. 10. n. 24. & alios* tenent *Navar. Man. cap. 14. n. 20. Sanch. de Matr. lib. 1. D. 40. n. 2.* Et colligitur ex *L. 89. tit. 18. p. 3.* ibi: *E prometió por sí, è por sus fijos de morar en tal su heredamiento, para siempre jamás.* Mulier tamen non tenetur maritum sequi, si vanè, & sine justa causa domicilium mutet contra pactum: imò ipse potest compelli ad uxorem redire. *c. 10. de Restit. Spoliar.* nec satisfacit solvendo uxori interesse: tamen uxor tenetur maritum sequi, etiam contra pactum, si ex causa justa domicilium mutet maritus, v. g. ob aëris intemperiem, nam tale pactum, etiamsi juratum sit imbibit hanc conditionem: nisi nova, & justa causa mutandi superveniat; *arg. c. 25. de Jur. jur. Sanch. L. 1. D. 40. n. 6.* contra *alios.* Similiter potest adjici pactum, ut in certò loco non moretur, ut contra *Alciatum L. 5. cons. 34. n. 3.* tenent *Ponc. de Matr. L. 12. cap. 20. n. 9. & alii*, quia nulli juri publico hoc opponitur, imò in favorem publicum potest cedere, ut sic publica pax conservetur.

9 In sponsalibus possunt constituí *arrhæ* non solùm ex una parte, sed utrinque: ut contra *Barb. & Abb.* tenent

Cov.

Cov. de Spons. p. 2. cap. 3. §. 7. ex n. 7. Gutierr. de Matrim. cap. 18. n. 8. Sanch. de Matrim. L. 1. D. 35. n. 14. & probatur *ex L. 84. tit. 18. p. 3. & ibid. notat Greg. Lop.* Arrha hic intelligitur quidquid à sponso, vel sponsa in pecunia, vel alia quacumque re sibi invicem in signum, & pignus matrimonii datur, & traditur. Si enim tantùm promittitur, potius habet rationem pœnæ. *Sanch. de Matrim. L. 1. D. 35. n. 3.* Ita tamen, ut si matrimonium contrahatur, possit arrha repeti: si verò non contrahatur, suas arrhas amittit injustè resiliens, & si quas accepit, restituit duplicatas. *L. 3. L. 15. C. h. t.* imò, & quadruplicatas, si hoc pactum adjiciatur: quod etiam de Jure Canonico locum habet. *Sanch. de Matr. L. 1. D. 36. n. 11.* Et quidem sunt restituendæ, etiam ante Judicis sententiam, saltem postquam pars instat, & eas exigit: nam pactum, & contractus, etiam ante Judicis sententiam servari debet. Ita tenent *Molin. de Just. tr. 2. D. 97. Covarr. de Spons. p. 1. cap. 6. §. 8. n. 11. Acevedo, & alii*, contra *Nav. Man. cap. 23. num. 67. Sanch. de Matr. L. 1. D. 37. n. 4.* si resiliens sit minor 25. annis non amittit arrhas, etiam si resiliat, nec ipsas amittit pater sponsæ, qui tradidit arrhas, si sponsa contra patris voluntatem resiliat. *Sanch. de Matr. L. 1. D. 36. ex num. 8.* si volens contrahere matrimonium, nomine dotis, vel donationis propter nuptias promittat sponsæ 100. v. g. si cum ipso contrahat: talis promissio valet, nisi ex affectu turpi oriatur. *L. 47. §. 2. ff. de V. O.* similiter, si aliquis in Testamento leget 100. Cajæ, si contrahat cum Titio, tale legatum valet, & à Caja adquiretur, si nubat: secus si nolit nubere. Nec ex hoc libertas matrimonii infringitur, quia solùm agitur de lucro captando, per quod ad Matrimonium allicitur. *L. 17. §. 1. ff. de Condit. & demonst. Sanch. de Matr. D. 33. n. 6. & alii.* Solet etiam *pœna* in sponsalibus constitui, solvenda à resiliente. Et tunc id quod nomine pœnæ venit, non traditur, sed tantùm promittitur, & regularitèr in majori quantitate, quam arrhæ; *arg. L. 4. ff. ad S. C. Vellejan.* quia faciliùs, quis se obligat, quam donat. Indè est, quod si talis pœna à sponso, vel sponsa, vel ab eorum parentibus, & Tutoribus (secus si ab extraneis) solvenda sit, cum libertatem matrimonii metu pœnæ solvendæ infringere possit, improbatur à *Greg. IX.* in celebri; *Text. in C. Gemma, 29. h. t.* quod verùm est, saltem, si solvenda sit à resiliente, etiam justè, & ex causa legitima.

10 Hanc pœnæ prohibitionem ex generalitate; *Text. in cap. 29. h. t.* ad casum, quo quis, etiam injustè resilit ex modo generali respondendi extendere videntur. *Sanch. de Matrim. L. 1. D. 30. n. 2. Gonz. in cap. 29. h. t. num. 2. & alii*, sed tunc non habere locum dictam prohibitionem, ac per consequens injustè resilientem solvere teneri pœnam adjectam, defendunt *Barb. in cap. 29. h. t. num. 10. Suar. L. 2. de Jun. cap. 23. num. 5. & alii*, quæ sententia facilè suadetur paritate arrharum, quas DD. sententiæ contrariæ, etiam de Jure Canonico admittunt, & à qua non satis se expediunt. Nec timor pœnæ solvendæ infringet libertatem, cum sit justè incussus, sicut eam non infringit timor censuræ, qua injustè resiliens cogi potest ad sponsalium adimpletionem, *cap. 10. h. t.* Juramentum adjectum pacto de pœna solvenda à resiliente injustè validum est, secus juramentum de pœna solvenda à resiliente justè, & cum causa: ac proindè nec firmat promissionem invalidam, nec producit obligationem Religionis. Sic contra *aliquos* tenent *Suar. L. 2. de Juram. cap. 23. num. 5. Sanch. de Matr. L. 1. D. 32. num. 21. & alii*; nam cum tale pactum sit invalidum ob publicam utilitatem, quatenùs libertati matrimonii opponitur, est contra bonos mores, ac proindè, nec juramento illi adjecto firmatur, cum juramentum non debeat esse vinculum iniquitatis, nec est obligatorium juramentum contra bonos mores præstitum, *cap. 58. de Reg. Jur. in 6.*

11 Sponsalia non solùm morte naturali alterutrius contrahentium, sed etiam utroque superstite: variis modis *solvuntur.* 1. sponsalia, etiam jurata, per utriusque mutuum consensum solvuntur, sicut societas, & alii contractus. *C. 2. h. t. L. 8. tit. 1. p. 4.* Nihil enim tàm naturale est, quàm res solvatur eo modo quo colligata fuit. *C. 1. de Reg. Jur. L. 35. ff. eod.* & juramentum sequitur naturam actus, cui accedit. *C. 25. de Jur. jur.* ac proindè solutis sponsalibus: & juramentum solutum est; *arg. C. 42. de Regul jur. in 6.* ubi dicitur, quod *accessorium sequitur naturam principalis*, sed cum plerumque, causa dissolvendi sit occulta, & sponsalia publica, & ex hoc possit aliquod populo generari scandalum, quatenùs credat, perjurium committi, debet Episcopus monere sponsos, fidem datam servare:

re: quod si noluerint, in patientia tolerabit. C. 2. *h. t. Sanch. de Matrim. lib.* 1. *D.* 52. *n.* 2. Similiter dissolvuntur, etiamsi juramentum principaliter in honorem Dei sit præstitum; v. g. si quis juret ducere puellam pauperem, pietatis intuitu; quia Deus solum in favorem puellæ promissionem creditur acceptare: puella ergo renuntiante juri suo, etiam ex parte Dei intelligitur renuntiatum. Ita contra *Abb. Sylv. Soto. L.* 8. *de Just. q.* 1. *art.* 9. *ad* 2. tenent *Gutierr. Sanch. de Matrim. L.* 1. *D.* 52. *num.* 8. *& alii*: etiamsi copula sponsalia roborentur, ut declaratum testatur *Pignat. tom.* 9. *cons.* 133. *num.* 45. Quando impubes contraxit sponsalia, si cum pubes est, etiam solus dissentiat, solvuntur sponsalia. C. 7. *de Despons. impub.* si tamen jurata sunt, utriusque dissensus requiritur, *cap.* 10. *h. t.* Etiam solvuntur sponsalia, non impleta conditione sponsalibus adjecta, cum tunc consensus deficiat. C. 3. *de Condit. apposit* 2. dissolvuntur dispensatione. Et quidem solus R. Pontifex dispensare valet, & non aliter, quam ob gravem causam, cum jus tertio per sponsalia sit adquisitum: quod si jurata sint, gravissima requiritur causa, *Sanch. de Matrim. lib.* 1. *D.* 61. *& alii.* 3. solvuntur, si unus sponsorum contrahat cum alia matrimonium, quia cum hoc sit fortius jus, dirimit sponsalia, quæ sunt vinculum minùs fortè, *cap.* 31. *h. t. cap.* 1. *de Spons. duor. L.* 8. *tit.* 1. *p.* 4. si sponsus fiat Religiosus; *arg. cap.* 7. *de Convers. conjug. L.* 8. *tit.* 1. *p.* 4. vel si Sacrum Ordinem suscipiat, *cap.* 1. *cap.* 2. *Qui Cleric. vel vovent.* quia ob votum castitatis redditur inhabilis ad matrimonium.

12 5. Si aliqua notabilis mutatio, vel circunstantia post sponsalia contracta ex parte alicujus ex contrahentibus de novo accidat, vel saltem appareat: cum in jure æquiparentur non esse, & non apparere. *L.* 77. *ff. de Contrah. empt.* Sponsalia enim ex parte ejus, qui mutationem non est pasus dissolvuntur, nam semper in sponsalibus imbibitur hæc conditio: *Si res in eodem statu permanent.* Sponsalia, etiam jurata, solvuntur ex parte alterius contrahentis, qui non est passus mutationem, ita ut ab eis recedere possit, si velit, si ex circunstantiis sit verisimile, se non contracturum, & ipsi cum juramento hoc asserenti, si aliter non potest probari, in utroque foro creditur. *Sanch. de Matrim. lib.* 1. *D.* 62. *n.* 6. *Navarr. & alii.* Si verò huic juri in sui favorem introducto renuntiet, pars altera, quæ mutationem passa est, illis tenetur stare. *Sanch. de Matr. l.* 1. *D.* 57. *n.* 5. Mutatio sufficiens ad sponsalia dissolvenda est omnis ea, quæ judicio prudentum, si à principio estitisset, vel esset cognita, à sponsalibus ineundis absterruisset alterum contrahentem; v. g. si aliquis ex eis ebrietati, vel alii vitio sit deditus, vel in magnam asperitatem morum, & sævitiam incideret; *arg. cap.* 13. *de Rest. spol.* vel si infamatus sit ob hæresim, vel furtum, vel si inter ipsos sponsos, vel eorum familias graves inimicitiæ sint exortæ, vel si aliquis incurabilem, & contagiosum morbum, vel lepram, epilepsiam, vel morbum gallicum, vel oris fœtorem contraxit: vel si alicui gravis deformitas corporis superveniat; v. g. si fiat cæcus, vel luscus, *cap.* 25. *de Jur. jur. L.* 8. *tit.* 1. *p.* 4. sponsa non adeo facilè potest resilere ob deformitatem sponsi: nisi hæc sit valdè gravis, sicut posset sponsus ob minorem sponsæ deformitatem: quia in viris non adeo, ac in infœminis, æstimatur pulchritudo. *Sanchez de Matr. lib.* 1. *D.* 57. Etiam est causa resiliendi, si sponsa, vel ejus parentes nolint dotem promissam dare; *arg. cap.* 3. *de Condit apposit.* vel si unus bonorum jacturam magnam sit passus: tunc enim resilire potest; quod si ambo bona amiserunt, cum minus idonei ad onera matrimonii sint facti, uterque potest resilire. *Ponce de Matr. L.* 12. *cap.* 17. *& alii.* Si verò sponsus; v. g. post inita sponsalia, divitiis, dignitate, vel nobilitate notabiliter sit auctus, cum sponsa in suo statu maneat, sicut erat tempore sponsalium, nec sit facta deterior, non potest ab eis resilire, ut contra aliquos tenent *Gutierr. de Matr. cap.* 33. *num.* 4. *Sanch. de Matr. lib.* 1. *D.* 59. *num. fin.* Si in his casibus sponsus post notitiam mutationis ex parte sponsæ eam carnaliter cognoscat, censetur juri suo renuntiasse, ac proindè nequit resilire. *D. Thom. in* 4. *D.* 35. *q. un. art.* 1. *Sanch. de Matrim. L.* 1. *D.* 66. *num.* 2. *& alii.*

13 6. Si unus sponsorum fornicetur, & de fornicatione plenè constet, vel ita ferat communis fama, ex parte innocentis solvuntur sponsalia, secus ex parte nocentis, ne ex sua culpa lucrum reportet cum innocentis præjudicio: ac proindè si innocens velit, ipse nocens adimplere tenetur, *cap.* 25. *de Jur. jur. L.* 8. *tit.* 1. *p.* 4. non solùm, si sponsa fornicetur, sed etiam si sponsus fornicetur, potest sponsa resilire: quia uterque tenetur alteri fidem servare: sic etiam adulterium ma-

mariti jus dat uxori ad divortium. *Sanch. de Matr. L.* 1. *D.* 55. *ex num.* 4. *Covarr. Gutierr. & alii.* Hinc, si uterque fornicetur, uterque resilire potest: quia licet neuter possit alteri fidem violatam objicere, potest de alterius fide conjugali non servanda timere: ac proindè habet sufficientem causam ad resiliendum à sponsalibus: licèt in simili casu neuter ad divortium agere possit, quando matrimonium est contractum, *cap.* 6. *de Adult.* ob majorem vim matrimonii, licèt *alii aliter.* Deinde sponsus à sponsalibus resilire potest, si sponsa ab alio corrupta, vel fornicata est, etiam ante sponsalia, & hoc ignorabat sponsus; vel si erat vidua, etiam honesta, cum sponsus virginem esse crederet; vel si ab alio, etiam per vim fuit corrupta; vel si admisit tactus impudicos, vel oscula. *Sanch. de Matr. lib.* 1. *D.* 55. *&* 63. Quia etiam quando sponsa vi corrupta est, multo fit vilior sponso, & deindè datur periculum, ne prolem alienam pro sua alat. Si verò hæc contingant sponso, non licet regulariter sponsæ resilire, cum ex eo non fiat sponsus notabiliter vilis, nec sponsa cum illo contrahens nota afficiatur, nisi ex frequentia tactuum impudicorum, vel fornicationis sponsi cum aliis timeret sponsa, facile illum ipsi violaturum fidem: vel nisi sponsus sodomiticam vim passus esset: nam tunc redderetur vilior. Similiter, si unus ex eis incidat in fornicationem spiritualem, scilicèt, hæresim, seu apostasiam, solvuntur sponsalia ex parte innocentis, cum hæc causa, etiam ad divortium sit sufficiens, *cap.* 2. *de Divort.*

17 7. Si sponsus in terras remotas inscia, vel invita sponsa discedat animo, ibi figendi domicilium, cum renuntiasse sponsalibus per ipsum factum censeatur, potest sponsa alteri libere nubere, *cap.* 5. *h. t. L.* 8. *tit.* 1. *part.* 4. Si de sponsæ voluntate discessit, expectandus est usque ad tempus conventum; quod si intra illud non veniat, creditur, renuntiasse sponsalibus; si non longè discedat, ejus animus requirendus est. Si in remotas terras discedat, unde non sit spes brevi rediturum, sponsa est libera à sponsalibus. Si de intentione absentis, & absentiæ diuturnitate dubitetur, requirendus est per Epistolam: quod si non possit hoc fieri, sponsa ad Judicem recurret, ut circunstantiis attentis, ejus libertatem ad alias nuptias transeundi, declaret, quamvis in *L.* 8. *tit.* 1. *p.* 4. dicatur, quod sponsa debet per tres annos expectare sponsum. *Sanch. de Matr. lib.* 1. *D.* 54. *Gonz. in cap.* 5. *h. t. n.* 3. 8. Quando certus fuit dies appositus sponsalium obligationi finiendæ; quod sanè ex verbis constabit, vel ex circunstantiis colligetur, si statuto tempore per utriusque culpam stetit, ne sponsalia adimplerentur ex parte utriusque solvuntur: si ex alterius culpa stetit ipse est obligatus, ne ex sua culpa commodum reportet: alter verò non est obligatus, etiamsi sponsalia jurata sint, *cap.* 22. *h. t. Sanc. de Matr. lib.* 1. *D.* 53. *n.* 6. Si alteri citra culpam impedimentum accidat, ut non possit implere sponsalia tempore statuto, & alter paratus sit adimplere, iste ab obligatione sponsalium liberatur, cum contractus legem accipiant à contrahentibus, etiamsi nulla culpa detur. *L.* 23. *ff. de Reg. jur.* sic *Navarr. Man. cap.* 22. *n.* 27. *cas.* 12. *& alii* contra *Sanch. de Matr. lib.* 1. *D.* 53. *n.* 7. Quando verò dies est præfixus obligationi adimplendæ, cum duas obligationes contineant, alteram, scilicèt, adimplendi, & alteram ultra talem diem non differendi, etiamsi hæc elapso termino non habeat locum; manet tamen altera, adimplendi, scilicèt, ac proindè sponsalia manent firma ex parte utriusque; *arg. cap.* 6. *de Dol. & contum. Covar. de Spons. p.* 1. *cap.* 5. *n.* 8. *Sanch. de Matr. lib.* 1. *D.* 53. *n.* 2. 9. Superveniente impedimento indispensabili; v. g. impotentia, sponsalia antecedentia dissolvuntur, ne ad matrimonium impossibile sponsi teneantur, contra *L.* 185. *ff. de Reg. jur. cap.* 6. *eod. in* 6. *L.* 8. *tit.* 1. *p.* 4. Si impedimentum sit dispensabile, v. g. impedimentum ex fornicatione sponsi cum sorore sponsæ, ex parte innocentis ob notabilem mutationem factam, solvuntur sponsalia; *arg. cap.* 25. *de Jur. jur.* nocens verò si absque graviori incommodo, quàm quod pateretur sponsa, possit dispensationem petere, eam petere tenetur, ut reparet damnum, quod sua culpa causavit sponsæ, si ipsa adhuc pro adimpletione urgeat: secus si ipsa renuntiet suo juri. Hinc est, quod per supervenientiam impedimenti tantùm impedientis sponsalia non dissolvuntur. *Sanch. de Matrim. lib.* 1. *D.* 56.

15 Si de prædictis causis liquido, & certo constet, non requiritur Judicis authoritas, ut sponsi à contractu discedant, cum sit imbibita ea conditio, *nisi justa causa discedendi detur.* Licèt in matrimonio jam contracto ad divortium requira-

tur Judicis sententia ob ejus indissolubilitatem, *cap.* 1. 33. *q.* 2. Si tamen dubium, vel juris, vel facti incidit, est necessaria Judicis Ecclesiastici authoritas. Si sponsalia sint publica, & aliquod timeatur scandalum generari, erit consultius, & securius, ut qui vult resilire, coram Judice se sistat, ab eoque petat, declarari esse justam causam recedendi. *Nav. Man. cap.* 22. *n.* 28. *Sanch. lib.* 1. *de Matr. D.* 69. *n.* 3. *Ponc. l.* 12. *cap.* 18. *n.* 8. *& alii.* Si agatur de jure resiliendi, requiritur plena probatio. V. g. duorum testium omni exceptione majorum; quia agitur de tertii prejudicio: si causa, quæ proponitur impediat, vel dirimat matrimonium, sufficit ad ipsum impediendum depositio unius testis, alias non idonei, vel confessio saltem unius ex contrahentibus, vel fama publica, *cap.* 12. *h. t. cap.* 2. *de Consang. & affinit.* quia agitur ne periculo animæ, & peccato vitando, quale ex matrimonio nullo sequeretur; ac proinde sufficit minor probatio in favorem animæ. *Sanch. de Matr. lib.* 1. *D.* 71. *n.* 1. *& seqq.* quod si sponsalia erant jurata non dissolventur per dictum unius testis. *cap.* 12. *h. t.* Etiam si talis sit integer, idoneus, & omni exceptione major, ob juramenti religionem. Nam cum Ecclesia sit certa de perjurio, si non adimplentur sponsalia, & sit incerta de impedimento, quod ex unius tantùm testis depositione novit; ideò eligit tutius, quod est, servari juramentum, & sponsalia. Aliud est in *cap.* 2. *h. t.* Ubi sponsalia, etiam jurata dissolvuntur per mutuum utriusque consensum: nam tunc non est dubium, quod sponsalia ex se hoc modo dissolvantur: & cum juramentum eorum naturam sequatur, dissolutis sponsalibus cessat juramentum: addit enim vinculum religionis, ac proinde, si quis altero invito, resiliret, non solum faceret contra obligationem justitiæ ex sponsalibus ortam, sed etiam contra obligationem religionis ortam ex juramento. Et prædicta sententia clarè habetur in *L.* 18. *tit.* 9. *p.* 4. ibi: *E esto es, porque tovo por bien Santa Eglesia, que sobre tal razon, como esta, que fuesse cabido testimonio de un ome bueno, ò de una buena muger: ò que si embargasse tal casamiento por la fama de aquel logar. Mas si tal desposorio, como sobredicho es, fuesse firmado por jura, non serìa creìdo en su cabo ningun destos sobredichos: mas deben caber el testimonio del uno de ellos con otro, ò con la fama de la vecindad. Et ibid. Greg. Lop.* V. *Por jura*, & alii contra *Sanch. de Matr. lib.* 1. *D.* 71. *ex n.* 8. *& alios*, qui tenent talia sponsalia depositione unius testis integri, vel etiam fama dissolvi. His de Sponsalium natura, & obligatione tamquam per transennam attactis ad matrimonii naturam, impedimenta, obligationes, & qualitates explanandas gradum faciamus.

16 *Matrimonium*, sic à *Matre* dicitur, *quasi Matris munium*: tùm quia Mater sola in prolis generatione est certa, cum Pater semper incertus sit: tum quia proles est Matri ante partum onerosa, in partu dolorosa, & post partum laboriosa, ac proinde magis Matris, quam Patris munium proprium videtur, *cap. fin. de Convers. infidel. L.* 2. *tit.* 2. *p.* 4. Etiam dicitur *consortium* quasi ejusdem *sortis communicatio. L.* 1. *ff. de Ritu nuptiar.* Etiam *conjugium ab animorum, & corporis conjunctione*, *cap.* 5. 27. *q.* 2. Dicitur deinde *connubium, & nuptiæ à nubendo, vel obnubendo*, quia olim fœminæ velo, quasi nube, se pudoris gratia tegebant, *cap.* 7. *cap.* 8. 30. *q.* 5. Sed hodie potius solemnitas, quam ipsum matrimonium nomine nuptiarum venit; ut patet, quando certis temporibus nuptiæ prohibentur; id est, solemnitates, & benedictiones, non tamen matrimonium. Etiam matrimonium nomine sponsalium de præsenti aliquando significatur, *cap.* 12. 27. *q.* 2. *cap.* 22. *h. t. L.* 2. *tit.* 1. *p.* 4. Matrimonium, ut contractus, & ut Sacramentum potest considerari, quia utramque rationem continet. Matrimonium, ut contractus, fuit institutum in Paradiso ante peccatum primi parentis per illa verba, quæ Adam, Deo inspirante, dixit (quando Dominus adduxit Hevam ad eum) *hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, & erunt duo in carne una.* Quamvis alii dicant, fuisse institutum, quando Dominus dixit: *Crescite, & multiplicamini*; sed hæc verba solùm ad benedictionem pertinebant, & jam per verba prædicta, quæ præcesserant, matrimonium erat institutum. Sic expressè habetur *in l.* 4. *tit.* 2. *p.* 4. facit *Text. in cap. un. de Vot. in* 6. & satis clarè habetur *in Trid. sess.* 24. *in princ.* sic etiam *D. Aug. D. Ambr. D. Bonav. Magist. Sent. & alii apud Sanch. de Matr. l.* 2. *D.* 4. *n.* 2. *Ponce, de Matr. l.* 1. *cap.* 3. & quia ex inspiratione Divina Matrimonium institutum est, frequentèr dicitur, quod Deus, ut Auctor naturæ matrimonium instituit: nec in hac locutione difficultatem habemus, si prædicto modo intelligatur. Matri-

trimonium quidem ante Adæ peccatum erat precisè in officium naturæ, quia adhuc non erat concupiscentia, & cum hæc post peccatum Adæ viguisset, cœpit matrimonium esse etiam in ejusdem remedium. Et sic debet intelligi, quod dicit *Mag. Sent. in* 4. *D.* 26. *cap.* 2. *Conjugii institutio duplex est, una ante peccatum ad officium facta est in Paradyso, ubi esset torus immaculatus, & nuptiæ honorabiles, ex quibus sine ardore conciperent, sine dolore parerent: altera post peccatum ad remedium facta extra Paradysum.* 1. *Ut natura multiplicetur.* 2. *Ut natura exciperetur, & vitium cohiberetur.* Et quidem initio mundi, & statim à diluvio, omnes præcepto naturali, & probabiliter præcepto Divino positivo impositio in illis verbis: *Crescite, & multiplicamini*: tenebantur matrimonium contrahere, utpotè necessarium ad generis humani propagationem, sed hodie utrumque præceptum cessat quoad obligationem in individuo: imò laudabilius est castitatem servare, quam contrahere matrimonium. *Matt.* 19. *ut* 2. *Apost.* 1. *Cor.* 7. *v.* 38. ac prætereà tunc tantùm Rempublicam obligat in communi, ut necessitate occurrente compellat subditos contrahere matrimonium. *D. Thom. in* 4. *D.* 26. *q.* 1. *Sanch. de Matrim. lib.* 2. *D.* 3. *n.* 3. qui etiam tenet, defficientibus sæcularibus, Religiosos teneri matrimonium contrahere, quoquidem negat *Ponce, de Matr. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 11. qui credit, quod in tali casu jam mundi finis adesset. *Matrimonium ergo, contractus est viri, & mulieris legitima conjunctio individuam vitæ consuetudinem continens. L.* 1. *ff. de Ritu nuptiar.* §. 1. *Instit. de Patr. potest. cap.* 11. *de Præsumpt. L.* 1. *tit.* 2. *p.* 4. *hoc est, est conjunctio*, non corporis, sed animorum consensus: nam matrimonium non concubitus, sed consensus facit. *L.* 30. *ff. de Reg. jur. legitima*, id est, inter personas nullo modo impeditas; *individuam vitæ consuetudinem continens*: per quod à concubinatu, & aliis contractibus, natura sua dissolubilibus, differt: nam matrimonium sua natura, & Dei institutione ob prolis generationem, & meliorem ejus educationem, vinculum continet indissolubile. *C. fin. de Condit. apposit.* Hanc conjugatorum unionem, per quam ipsi debent esse cor unum, & anima una, explicarunt Gentiles in conjunctione Salmacis, & Hermaphroditi. = *Nam mista duorum corpora junguntur, faciesque inducitur illis.* = *Una veluti siquis conducta cortice ramos.* = *Crescendo jungi, pariterque adolescere cernat.*

17 Matrimonium triplex est: 1. *Legitimum*, quod tantùm habet rationem contractus non Sacramenti, ut olim in Lege Naturæ, & Mosayca, & hodie inter Gentiles celebrantur, *cap.* 7. *de Divort.* 2. *Ratum*, quod ab Ecclesia approbatur, & habet rationem Sacramenti, ac proindè tantùm inter Christianos celebratur, sed copula nondum consummatum est, *arg. L.* 30. *ff. de Reg. jur. L.* 4. *tit.* 1. *p.* 4. 3. *Consummatum*, quod scilicèt postquam legitimè contractum est, copula perficitur, & quidem copula perfecta, & sufficienti ad generationem: sufficietque, ut matrimonium censeatur consummatum, quod quomodocumque, etiam Dæmonis ministerio semen virile recipiatur in vase fœminæ: non tamen sufficiet vas penetrare mulieris, nisi semen intra ipsum effundatur: nam tunc solùm, quando sic ostenditur fiunt conjuges una caro, per sanguinis, & seminis mixtionem, & producitur affinitas, *cap.* 2. *de Convers. conjugat. Sanch. de Matr. lib.* 2. *D.* 21. Et quamvis aliqui teneant, ad hanc consummationem requiri fœminam seminare, quia ejus semen est necessarium ad generationem juxta *Hyppocrat. & Galen.* tamen communis est, non requiri ad consummationem matrimonii fœminam seminare, aliàs pluribus scrupulis esset expositum matrimonium. Nec sufficit ad consummationem, quod conjuges ante matrimonium contractum, se cognovissent carnaliter, nulla data fide de matrimonio contrahendo. Copula etiam vi extorta intra bimestre matrimonium consummatur, & fit indossolubile, cum jam per commixtionem sanguinis, conjuges una caro fiant, & talis copula pariat affinitatem, *cap.* 6. *De eo, qui cognovit*, ut contra *Abbat. in cap.* 2. *de Convers. conjugat.* tenent *Covar. de Sponsal. p.* 2. *cap.* 7. §. 4. *n.* 10. *Sanch. de Matr. lib.* 2. *D.* 22. *n.* 4. qui videndus omninò est, & *Ponc. de Matr. lib.* 9. *cap.* 10. matrimonium ratum, quod consistit in consensu animorum significat charitatem, quæ consistit in spiritu inter Deum, & justorum animam, juxta illud Apostoli: *qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo.* Consummatum, quod consistit in corporum commixtione significat conformitatem, quæ consistit in carne inter Christum; & Ecclesiam juxta illud Evangelii: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, cap.* 5. *de Bigam.* significat enim unionem Eccle-

siæ cum Christo, & sicut hoc matrimonium est individuum, sic Ecclesia, id est, fidelium congregatio, numquam à Christo separatur. *L.* 5. *tit.* 1. *p.* 4. Profecto apud omnes Nationes, aliqua adhibebatur solemnitas nuptiis, & matrimoniis, sic *Ovid. Metam. lib.* 7. ait: *Tibi se semper debebit Jason: Te face solemni junget sibi.* Et *in cap.* 1. 30. *q.* 5. ait: *Evaristus Papa. Alitèr legitimum non sit conjugium, nisi ab his, qui super ipsum fœminum dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, uxor petatur, & à parentibus, & propinquioribus sponsetur, & legibus detetur, & suo tempore sacerdotalitèr, ut mos est, cum precibus, & oblationibus à Sacerdote benedicatur, & à Paranymphis, ut consuetudo docet, custodita, & sociata à proximis congruo tempore petita Legibus detur, ac solemnitèr accipiatur, & biduo, vel triduo orationibus vacent, & castitatem custodiant.* Sed hodie plura ex his non servantur, & hæc si aliquando viguerunt, jam desuetudine obrogata sunt. Matrimonium ergo, quod juxta dispositionem Canonum celebratur, & hodie, juxta Tridentinum, validum est: etiamsi aliquæ solemnitates civiles desint, vel Lex, vel consuetudo loci, vel regionis non servetur, *cap.* 1. *h. t.* Lege quidem Pontificia forma contractus matrimonialis immutari potest, & defacto est immutata, quatenùs irrita sunt matrimonia clandestina. *Trid. sess.* 24. *de Reform. matrim. cap.* 1. Olim tamen uxor sine legitima solemnitate ducta dicebatur concubina, *cap.* 4. *cap.* 5. *D.* 34. licèt, verè esset uxor. Solemnitates Lege Regni requisitæ, si contra substantiam matrimonii non sint, debent servari: hinc matrimonium *Morganaticum*, seu conscientiæ valet: tale est, quando vir illustris contrahit legitimè matrimonium coram Parocho, & testibus cum fœmina inferioris conditionis adjecto pacto, ut ipsa uxor, & ex ea descendentes contenti sint dono nuptiali, quod Morgengaba, & corruptè Morganatica dicitur; vel alia portione, tunc assignata, & abstineant à Titulis, Dignitatibus, & bonis paternis, & avitis.

18 Rursus, matrimonium aliud est, *verum*, quod scilicèt verè contractum est, & probatur, vel ex Libro matrimoniorum Parochi, vel ex Parochi assertione, vel per duos testes, etiam consanguineos, & fœminas, vel quia vir, & fœmina conjuges se nominant, vel ex confessione ipsorum, vel ex diuturna cohabitatione, vel ex fama publica, *cap.* 11. *de Præsumption.* Alliud est *præsumptum*, quod scilicèt, à jure præsumitur. Tale est, quando sponsi post sponsalia contracta se carnalitèr cognoscunt, *cap.* 15. *cap.* 30. *h. t.* etiamsi sponsalia sint conditionata, & nondum sit adimpleta conditio: nam si copula sequatur, tunc purè censentur contrahere, *cap.* 6. *de Condition. apposit.* vel quando impuberes, in quibus malitia non supplet ætatem, matrimonium contrahunt, quod tunc est invalidum, ratificatur tamen, si post pubertatem aliqua signa ratificati consensus præbeant. Talia sunt, non solùm copula, sed etiam oscula, amplexus, munera, cohabitatio, *cap. unic.* §. *Idem, de Despons. impub. in* 6. hoc matrimonium præsumptum hodie solùm habet locum, ubi non est admissum. *Trident.* nam hoc *sess.* 24. *de Reformat. Matrim. cap.* 1. irritat matrimonia clandestina, qualia sunt prædicta. Aliud est *putativum*, quod scilicèt, celebratur in facie Ecclesiæ, & bona fide saltem ex parte unius, ac proindè verùm matrimonium putatur, cum verè nullum sit ab aliquod impedimentum latens, habet tamen vim legitimandi prolem ex tali matrimonio susceptam, *cap.* 14. *Qui filii sint leg.*

19 Ad matrimonium omninò necessarius est mutuus conjugum consensus, sicut ad alios contractus; imò fortiori jure in matrimonio requiritur ad prolis procreationem, rectam ejus educationem, & fidei conjugalis observantiam, *cap.* 2. 27. *q.* 2. *cap.* 14. *cap.* 23. *cap.* 27. *h. t. Trid. sess.* 24. *de Ref. Matrim. cap.* 1. *L.* 5. *tit.* 2. *p.* 4. ibi: *Consentimiento solo con voluntad de casar, face matrimonio entre el varon, è la muger.* Nec potest suppleri ab Ecclesia, vel alia potestate humana. *Covar. de Spons. cap.* 4. *pr. num.* 4. *& p.* 2. *cap.* 2. *n.* 1. *Sanch. de Matrim. L.* 2. *D.* 27. *n.* 2. Imò nec de potentia Dei absoluta, cum matrimonium, prout defacto est institutum ex sua essentia sit conjunctio animorum maris, & fœminæ ad individuam vitæ societatem, quod sine eorum consensu percipi nequit. *Sanch. de Matrim. lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 4. Nam licèt Deus, ut Supremus Dominus, possit homini in corpus alterius dominium dare ad actus conjugales, hoc jus cum non ex mutuo animorum consensu nasceretur, non esset matrimonium, & hoc, & non aliud dicunt *Soto, Henriquez, Ledesm. & alii*, qui pro sententia contraria citantur. Præterea, licèt ad matrimonii substantiam non requi-

quiratur copula actualis, ut patet in Matrimonii B. Virginis cum B. Joſepho, *Matth. cap.* 1. *v.* 20. quod verum fuit matrimonium, juxta *Mag. in* 4. *D.* 30. *cap.* 3. *D.Thom. in* 3. *p. q.* 29. *art.* 2. & juxta *Suar.* hoc eſt de fide: & tamen non fuit conſummatum, requiritur tamen conſenſus ſaltem virtualis, & implicitus in obligationem ad actus conjugales, ex ſe aptos ad generationem prolis, ſi à conjuge exigantur, cum ex ſua inſtitutione hoc habeat matrimonium, juxta illud: *Erunt duo in carne una. Geneſ.* 2. *v.* 24. ſiquidem, ut ait Apoſt. 1. *ad Cor.* 7. *v.* 3. *Uxori vir debitum reddat, similiter autem, & uxor viro. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir; similiter autem, & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* Ita contra *Ponc. lib.* 1. *de Matrim. cap.* 18. *ex n.* 7. *Medin. & alios*, tenent *D. Thom. in* 4. *D.* 28. *q. un. art.* 4. *& ibid. D. Bonavent. Covarr. de Spons. p.* 2. *cap.* 3. *n.* 1. *Suar. p.* 3. *q.* 29. *art.* 2. *diſp.* 7. *ſect.* 1. *Sanchez de Matr. lib.* 2. *D.* 28. *ex n.* 3. *Vazquez, Barb. & alii.* Et licèt B. Virgo non conſenſisſet, nec conſentire potuiſſet, voto obſtante, in actum conjugalem, conſenſit in obligationem corpus tradendi ad tales actus, ſuam Virginitatem Divinæ diſpoſitioni committendo, abſque periculo tamen violandi votum, quia ex Divina revelatione cognovit, D. Joſephum numquam hoc ſuo jure uſurum, *cap.* 3. 27. *q.* 2. *D. Thom. in* 4. *D.* 30. *q.* 2. *art.* 1. *q.* 2. *ad* 3. *Suar. & Sanch. ubi ſup.* quod optimè explicat *D. Thom. in* 3. *p. q.* 29. *art.* 2. *in corp.* ibi: *Reſpondeo dicendum, quod matrimonium, ſivè conjugium dicitur verum ex hoc, quod ſuam perfectionem attingit: duplex eſt autem rei perfectio, prima, & ſecunda: prima quidem rei perfectio conſiſtit in ipſa forma, ex qua ſpeciem ſortitur. Secunda verò perfectio conſiſtit in operatione rei, per quam res aliqualiter ſuum finem attingit. Forma autem matrimonii conſiſtit in quadam indiviſibili conjunctione animorum, per quam unus conjugum indiviſibiliter alteri fidem ſervare tenetur. Finis autem matrimonii eſt proles generanda, & educanda: ad quorum primùm pervenitur per conſenſum conjugalem; ad ſecundum per alia opera viri, & uxoris, quibus ſibi invicem obſequuntur ad prolem nutriendam. Sic igitur dicendum eſt, quod quantùm ad primam perfectionem omninò verum fuit matrimonium Virginis Matris Dei, & Joſeph, quia uterque conſenſit in copulam conjugalem, non autem expreſsè in copulam carnalem, niſi ſub conditione, ſi Deo placeret. Undè; & Angelus vocat Mariam, conjugem Joſeph. Matth.* 1. *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod exponens Aug. in lib. de Nuptiis, & concupiſcentia, dicit: Conjux vocatur ex prima deſponſationis fide, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus: quantùm verò ad ſecundam perfectionem, quæ eſt per actum matrimonii, ſi hoc referatur ad carnalem concubitum, per quem proles generatur, non fuit illud matrimonium conſummatum.* Et hac ratione ait *D. Hieronym.* quod Joſeph Mariæ cuſtos fuit potius, quam maritus, & ſuper *Matth.* 1. ait: *Cum virum audieris, ſuſpicio tibi non ſubeat nuptiarum, ſed recordare conſuetudinis ſcripturæ, quod ſponſi viri, & ſponſæ uxores vocantur.* Nam ut *D.Thom.* notat *D. Hieron.* nuptias vocat nuptialem concubitum.

20 Profecto, conſenſus ad matrimonium debet eſſe omninò liber à metu gravi: quia cum ſit vinculum perpetuum non ſufficit voluntas, quæ ad alios contractus ſufficeret, *cap.* 14. *cap.* 29. *h. t.* Et quidem conſenſus debet eſſe mutuus, *cap.* 1. *cap.* 3. *de Sponſa duor.* Et ſimultaneus, ſaltem moraliter, ita ut poſt unius conſenſum non revocatum, neque expreſsè, neque tacitè, accedat alterius conſenſus, *cap. fin. de Procur. in* 6. Quæ omnia ideò debent adeſſe, quia matrimonium eſt contractus utriuſque obligans, & quidem in perpetuum; & ideo non ſolum voluntas, & conſenſus utrumque requiritur, & prout ſufficit ad alios contractus, ſed inſuper major libertas eſt neceſſaria. Conſenſus debet exprimi, vel per verba, vel per alia ſigna externa, *cap.* 2. 3. *h. t. Leg.* 5. *tit.* 2. *p.* 4. Hæc enim ſufficiunt, etiam in valentibus loqui ad valorem matrimonii, ſicut in aliis contractibus, nec ratione præcepti Eccleſiæ plus requiritur, cum tale præceptum non extet. Sic contra *alios* tenent *D. Thom. Suar. Palacios, Sanch. de Matr. lib.* 2. *D.* 31. *ex n.* 5. *Ponc. de Matr. lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 14. *& alii.* Sed cum verba ſint aptiora ad conſenſum exprimendum, quam alia ſigna, ideò neceſſaria, ſaltem ad faciliorem probationem cenſentur, *cap.* 3. *de Spons. duor. cap.* 25. *h. t. L.* 5. *tit.* 2. *p.* 4. ibi: *Conviene, que lo fagan por palabras: porque ſe pueda probar, ſi meneſter fuere.* Et ſecundùm eorum communem ſenſum interpretetur in duo intentio contrahentium; ita tamen, ut magis ſtetur intentioni, quam verbis: nam verba intentioni deſervire debent, non è contra, *cap.* 6. *de V. S. Sanch. de Matrim.*

lib. 1. *D.* 18. *& alii comm.* Sanè per interprætem potest matrimonium celebrari. Et si hic sit electus communi contrahentium consensu, plena, ei adhibetur fides in dubiis, si quæ contingant. *Sanch. de Matrim. lib.* 3. *D.* 39. *n.* 4. consensus quomodocumque expressus non debet esse fictus, vel simulatus, sed verus, *cap.* 26. *h. tit. l.* 30. *ff. de Rit. nuptiar.* Sit Titius per verba de præsenti contrahens cum Seja, sed sine animo contrahendi, nullum sanè contrahit matrimonium in foro interno, in quo non alius testis, quàm veritas, & conscientia propria attenditur: In foro tamen externo, cum Ecclesia non judicet de occultis, hoc matrimonium pro vero habebitur, donec probetur fictio, *cap.* 26. *cap.* 30. *h. t.* Nec ipsi, etiam cum juramento asserenti, animo, & consensu caruisse, creditur; *arg. cap.* 10. *de Probation.* ne detur occasio matrimonia legitima dissolvendi cum maximo periculo, & damno contrahentium, & Sacramenti injuria, ac proindè ipse Titius gravæ injustitiæ, & sacrilegii peccatum committit. *Sanch. de Matr. lib.* 1. *D.* 11. *n.* 1. Et cum hoc damnum alitèr non possit reparari, regulariter tenetur fictè contrahens, ablata fictione, verè in matrimonium consentire, & ad hoc potest in foro externo compelli. *Sanc. de Matr. lib.* 1. *D.* 11. *ex n.* 4. Si tamen cum alia verè contraxit, & per censuram cogatur cum decepta cohabitare, potius censuram (quæ tunc non ligat) sustinere debet, quam accedere ad non suam: cum nullam ob causam possit peccatum fornicationis committere, *cap.* 44. *de Sentent. excommun.* casu quo ex parte unius tantùm deficiat consensus, quia vel fictè contraxit, vel gravi metu ductus est utriusque consensum de novo requiri, tenent *Felin. Ledesm. & alii*: sed cum alter verè consensisset, ejusque consensus validus, & sufficiens ad matrimonium esset, & nondum sit revocatus, sufficit tantùm de novo adjungi consensum illius, qui fictè, vel metu contraxerat. *D. Thom. in* 4. *D.* 29. *q. un. art.* 3. *q.* 2. *ad* 2. *D. Bonav. ibid. Navarr. Man. cap.* 12. *n.* 1. *Sanch. de Matrim. lib.* 2. *D.* 32. *n.* 9.

21 Non solùm per se potest quis Matrimonium contrahere, sed etiam per Procuratorem, habentem ad hoc mandatum speciale: quod nequit alteri sine speciali facultate sabstitui, dùm tamen tempore contractus matrimonii non fit mandatum revocatum, *cap. fin. de Procur. in* 6. quod etiam post Tridentinum habet locum sic universali Ecclesiæ praxi testante. Ita tamen, ut Procurator nomine suî principalis coram Parocho, & testibus contrahat, & potest Parochus dicere: *Ego vos Procuratores, quatenùs repræsentatis vestros principales conjugo.* Non tamen est necessè, quod Procurator constituatur coram Parocho, & testibus, quia nec jure, nec praxi hoc est inductum. *Sanch. de Matr. L.* 2. *D.* 11. *ex n.* 20. *Gutierr. & alii.* Similiter per epistolam potest matrimonium contrahi, dummodò, ubi *Trident.* est receptum, traditio, & acceptatio utriusque contrahentis coram eodem Parocho, & testibus fiat. *Sanch. de Matrim. l.* 2. *D.* 12. *n.* 3. *Gutier. de Matrim. cap.* 45. *n.* 4. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 254. contra *Ledesm. Rodrig. in Sum. & alios.* Matrimonium contractum, vel per Procuratorem, vel per Epistolam habet rationem Sacramenti: in Christianis namque numquam ratio Sacramenti dividitur à contractu; sed hoc habet speciale, quod per absentem, & per substitutum confici possit, licèt alia Sacramenta hoc modo nequeant fieri; quia Christus non immutavit contractum, sed illum elevavit ad esse Sacramenti. Sic contra *Durand. Can. Ledesm. & alios* tenent. *Sanch. de Matrim. L.* 1. *D.* 11. *n.* 27. *& alii.* In matrimonio enim non solum ratio contractus invenitur, ut in Lege veteri celebrabatur, & etiam hodie inter non baptizatus; *arg. cap.* 3. *de Presbyt. non bapt.* Sed in Leg. Evangelica ipse contractus matrimonii, fuit à Christo D. ad Sacramentum elevatus, ut est de fide contra Lutheranos, & alios. *Trident. sess.* 7. *de Sacram. in gener. Can.* 1. *& sess.* 24. *de Matrim. Can.* 1. *Paul. ad Ephes.* 5. *v.* 32. ibi: *Sacramentum magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Quod fuit valdè conveniens, ut gratia Divina conjugibus conferretur ad onera matrimonii sustinenda, cum vinculum perpetuum contineat, maximè ex Lege Christi apud *Matth.* 5. *v.* 19. Et quidem dum Christus nuptiis interfuit in Canà Galileæ hoc Sacramentum, vel instituit juxta aliquos, vel saltim approbavit; & posteà instituit, quando abrogata Lege repudii ad suam naturalem indissolubilitatem illud restituit illis verbis: *Quod Deus conjunxit, homo non separet. Matth.* 19. *v.* 7. *Sanch. de Matrim. l.* 2. *D.* 4. *n. fin. Palac. Henriq. & alii.* Gratiæ Sacramentalis matrimonii duplex est effectus, alter concupiscentiam reprimere, alter efficere, quod conjuges prolem religiosè educent, sibi fideli-

litèr assistans, & operas suas communicent. Et quidem actus contrahentium sunt Sacramentum tantùm, effectus Sacramenti est res tantùm: vinculum verò, quo conjuges uniuntur sunt res, & Sacramentum. *D. Thom. in* 4. *D.* 26. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 5. *Sanch. de Matrim. L.* 2. *D.* 10. *num.* 3.

22 Matrimonium, quatenùs Sacramentum; potest definiri sic: *Est legitima viri, & mulieris conjunctio individuam vitæ consuetudinem continens, gratiam sanctificantem conferens ritè dispositis.* Et quidem hoc Sacramentum in ipso tantùm contractu consistit, nec post ipsum factum perseverat. Sacramentum enim est signum practicum ex opere operato sanctificans suscipientem. *Trid. sess.* 7. Et tantùm in ipso contractu matrimonii confertur conjugibus hæc gratia ex opere operato, non verò in ejus usu. Si verò conjuges, peccato obstante, gratiam non consequantur in ipsa Sacramenti susceptione, eam durante matrimonio consequi valent, obice peccati per pœnitentiam remoto. *Suar. de Pœnit. D.* 28. *sect.* 6. Ejus *materia* est eadem, ac contractus, siquidem hic non est mutatus, sed tantùm elevatus ad Sacramentum; ac proindè materia remota sunt corpora contrahentium ad generationem idonea: proxima est actualis corporum traditio, & acceptatio. *Forma* est consensus utriusque verbis, vel aliis signis expressus in talem traditionem, & acceptationem. Sic *Suar. Bellarmin. Sot. & alii cum Sanch. de Matrim L.* 2. *D.* 5. *n.* 6. contra *varios variè sentientes apud ipsum Sanchez.* Verba consueta, quibus consensus exprimitur, sunt hæc, vel similia: *Ego te in meam accipio, & ego te accipio in meum, cap.* 31. *h. t. l.* 2. *tit.* 1. *p.* 4. ibi: *Quando dice el home: Yo te recibo por mi muger; è ella dice: Yo te ricibo por mi marido, ò otras palabras semejantes de estas.* Hinc est, quod cum ipsi contrahentes ponant formam: non Parochus, *ut Cano L.* 8. *de Locis, cap.* 5. *ad* 5. censuit, sed ipsi contrahentes sunt hujus Sacramenti *Ministri*; quod est singulare in hoc Sacramento. *Suar. tom.* 1. *de Sacram. q.* 65. *D.* 16 *sect.* 1. *Sanch. de Matrim. L.* 2. *D.* 6. *n.* 2. *Bellarm. Ponc. Gutierr. & alii.* ☞ Et jam contraria sententia ab aliquibus improbabilis, ab aliis temeraria, & ab omnibus minùs probabilis censetur. Vide *Lacroix L.* 6. *p.* 3. *n.* 28. * Siquidem ante Trid. matrimonium à fidelibus contractum sine Parocho valebat, ut Sacramentum; & sine Ministro nequit Sacramentum conficí. Parochus enim non profert verba, tanquam Sacramenti Minister, sed declarat, confirmat, & approbat, quod inter ipsos fit, vel factum est. Et sicut unus tantum est contractus, ita etiam unicum est Sacramentum, licèt in utroque recipiatur: sic contra dicentes, esse duo Sacramenta partialia, & unum totale tenent. *Sanch. de Matrim. l.* 2. *D.* 10. *n.* 5. *& alii*; quia licèt ibi sint plura materialiter, & in genere entis, est unicum signum repræsentans unicam unionem Christi cum Ecclesia: & unica materia, & forma, & neutra per se hoc repræsentat. Hinc si fidelis cum infideli contrahat, sicut olim Clothildis cum Clodovæo Ethnico Rege Gallorum contraxit, solùm rationem contractus habebit tale matrimonium, non verò Sacramenti, cum hoc deberet utrumque afficere, quod impossibile est ex parte infidelis; quia ante baptismum est incapax Sacramenti recipiendi. Ita contra paucos, tenent *Gutier. de Matrim. cap.* 42. *num.* 2. *Sanch. de Matrim. L.* 2. *D.* 8. *num.* 2. *Vazq. Ponc. & alii.* Fideles contrahentes matrimonium, quod fortè ignorant, esse Sacramentum, cum habeant intentionem faciendi, quod faciunt alii fideles, vel Ecclesia, etiam Sacramentum suscipiunt. *Sanch. de Matrim. L.* 2. *D.* 10. *num.* 6. *ex D. Thom. & aliis.* Imò, etiamsi habeant positivam intentionem solùm contractum celebrandi, & nullomodo Sacramentum; nam in matrimonio inter fideles contracto nequit ratio Sacramenti à ratione contractus separari. Siquidem *Trid. sess.* 24. *de Matrim. Can.* 1. *& Florent. in Decret. union.* §. 5. & §. 7. Indefinitè, & sine exceptione, nec distinctione dicunt matrimonium fidelium esse verè, & propriè Sacramentum: ergo de omni matrimonio fidelium, hoc intelligendum est. *Sanch. de Matrim. lib.* 2. *D.* 10. *num. fin. & alii* contra *Scot. in* 4. *D.* 26. *q. un. Vazq. Ponc. de Matr. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 3. Hinc Hæretici, dum matrimonium celebrant, si nolunt conficere Sacramentum, ex errore speculativo; cum tamen absolutè velint contractum celebrare, utrumque faciunt, & contractum, & Sacramentum ipsi connexum. Si vero ita velint separare Sacramentum à contractu, ut nullomodo velint in contractum consentire, si non separetur á Sacramento: neutrum faciunt. Siquidem deest consensus necessarius ad contractum. Matrimonium infidelium, si ad fidem

dem convertantur, & baptizentur in Sacramentum transit, ac proindè illud matrimonium, quod anteà erat tantum contractus, erit tunc etiam Sacramentum. Ita tenent *Sanch. de Matr. L. 1. D. 9. n. 5. Gutier. cap. 42. n. 5. Bellarm. de Matrim. L. 1. cap. 5. Henriq. Laym.* & etiam sic *D. Thom. in 4. D. 39. q. un. art. 2. ad 1.* sentire videtur. Statim enim ac illi conjuges baptizantur, Matrimonium illud repræsentat unionem Christi cum Ecclesia, cum perseveret contractum in Christi fide, & indissolubile redditur, ut Matrimonium ratum fidelium, ac proindè statim, ac baptizantur illud Matrimonium efficitur Sacramentum. Contra *Vazq. tom. 2. in 3. p. D. 138. cap. 5. Ponc. de Matrim. L. 1. cap. 9. n. 8. & alios*, qui in esse contractus tantùm manere dicunt.

23 Effectus Matrimonii ritè contracti varii sunt, conjux equidem, alio vivente, nequit cum alia persona contrahere Matrimonium, nec ullo modo, sivè in effectu, sivè in affectu cum alio carnaliter commisceri, *cap. 19. h. t.* Deindè conjuges tenentur educare prolem in Religione vera, bonis moribus, pietate, & artibus, eosque alere, non solum tribuendo cibum, & potum; sed & vestitum, habitationem, suppellectilem domesticam, medicamenta, & studia pro conditione status. *L. 43. ff. de V. S.* Et quidem pater, principaliter; mater tantum in ejus defectum: etiam si liberi sint illegitimi, & spurii, *cap. 5. de eo, qui duxit*: quia sic jus naturale dictat, nisi habeant ipsi undè alantur, vel sint ingrati. *L. 5. §. 7. & 11. ff. de Agnosc. & alend. liber.* Debentque ipsi conjuges mutuo cohabitare in eadem domo, utendo mensa, & toto communi, *cap. 1. & 2. de Conjug. Lepros.* & deducitur ex *Genes. 2. Matth. 5.* nisi ambo in separationem consentiant, & nullum sit incontinentiæ periculum. *1. Cor. 7.* Vel si subsit justa causa; v. g. quia vir ad bellum, vel Provinciam regendam à Principe destinetur: tunc etiam uxore invita potest discedere. Prætereà, licèt neuter conjugum regulariter debitum petere teneatur, cum nullus suo jure cogatur uti, nisi ex charitate quatenùs credat, alteri periculum incontinentiæ imminere. Tamen, uno petente, alter reddere tenetur: nam dùm Deus *Genes. 2.* dixit: *Crescite, & multiplicamini*, actum conjugalem præcepit. Et constat ex *Apost. 1. Cor. 7. v. 3. Uxori vir debitum reddat*: similiter autem uxor viro: reddere enim unicuique, quod suum est, quale est corpus viri respectu uxoris, & è contra, est actus justitiæ. Hinc patet Manichæorum delirium, qui Matrimonium, esse malum afferunt; & aliorum credentium, actus conjugales esse illicitos; nam alias à Domino non præciperentur. Accedere enim ad uxorem gratia alicujus finis, qui ad tria bona Matrimonii pertineat, licitum est, & actus virtutis; ut si quis accedat gratia servandæ fidei, vel communicationis indissolubilis, vel ob bonum prolis. Quin, & actus honestus erit talis accessus ad fornicationem vitandam, vel in alio conjuge, vel in se. Actus conjugalis tuendæ, aut restaurandæ salutis causa, cum finis non sint malus, non est peccatum, ne quidem veniale. *Ponc. de Matr. l. 10. cap. 8.* qui etiam ait, intemperantiam voluptatis esse, ac proindè peccatum veniale, si conjugati utantur cibis calidis, aut unguentis, oleis, musco, & aliis medicamentis ad excitandam, & accendendam magis voluptatem. Et hac ratione *Innoc. XI.* damnavit hanc propositionem, *quæ est 9. opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitùs caret culpa, ac defectu veniali.* Non vero comprehenditur in damnatione exercere opus conjugii ob finem honestum, etiamsi simul fiat ob delectationem, & voluptatem. Et simili ratione est damnata ab ipso *Innoc. prop. 8. Commedere, & bibere, usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus rationalis suis actibus frui.* Licèt olim actus conjugalis videatur ptohibitus, quando erat sumenda Eucharistia, vel cum jejunandum erat, vel etiam diebus Dominicis, & festivis: tales sanè prohibitiones, vel solùm ob decentiam factæ sunt, vel jam omninò cessarunt. *Ponc. de Matrim. L. 10. cap. 9.* petere debitum tempore menstrui, si incontinentiæ periculum, vel alia causa non urgeat, videtur esse veniale, cum mulier tunc sit aliqualiter innepta commodæ seminis receptioni, ac retentioni: at verò reddere, cum vir admonitus non resipiscit, licitum est: imò ad hoc tenetur mulier ex debito justitiæ, nec datur sufficiens causa ab hac obligatione eam excusans. *D. Thom. in 4. D. 32. quæst. un. art. 2 quæst. 3. corp. Sanch. de Matrimon. lib. 9. D. 21.* ubi latè de his tractat plures sententias referens. Etiam licitum per se est accedere ad mulierem tempore, quo gra-

gravida est. Item post partum ante purificationem, & etiam tempore, quo infans lactatur. Textus tamen, in quibus contrarium constare videtur, intelligi debent, quando est periculum abortus, vel aliud inconveniens invenitur. *Sanch. de Matrim. lib. 9. D.* 22. Quando ambo conjuges sunt amentes separandi sunt ob evidens damnum prolis, quæ careret parentibus, qui eam educare, & instruere possent. Si verò unus sit mentis compos, sivè vir, sivè fœmina licitè ad consortem accedit, nisi periculum abortus, vel aliud inconveniens hoc impediant. Sanus verò non tenetur reddere debitum furioso petenti, sicut nec ebrio, quia non petunt modo humano, nisi adesset in petente incontinentiæ periculum. *Sanch. de Matrim. l. 9. D.* 23. Debitum petere, vel reddere in loco publico lethale esset ob scandalum, quod inspicientibus daretur. Nec in loco sacro potest peti, nec reddi debitum ob decentiam, & reverentiam loco sacro debitam. Et ea copula esset mortalis, & sacrilega, & locum sacrum violaret, *cap.*20. *de Consecr. D.* 1. *cap.* 5. *de Adulter.* nisi in casu necessitatis, quo saltem unus ex conjugibus obsessus esset diu in Ecclesia, & non esset aditus ad alium locum, ubi talis actus posset exerceri: quia tunc difficillimum continere esset, & communitèr adest incontinentiæ periculum, quamvis desit in aliquibus particularibus conjugibus, aut eventibus. *Sanch. de Matr. L. 9. D.* 15. ubi plura affert. Actus conjugalis numquam est culpa mortalis, nisi non servetur modus ordinarius, & naturalis concubendi, dum fiat in vase debito, & sine periculo generationem impediendi: ac proindè, non erit lethale, sivè congrediantur stando, sedendo, vel á latere, vel præposterè more pecudum accedendum: erit tamen veniale grave, saltem propter abusum, & indecentiam, nisi fortè dispositio corporum, vel alia causa justa id excusaret ab omni peccato. Et quamvis uxor non teneatur reddere debitum, quando adest periculum effusionis seminis, tenetur tamen reddere, quando hoc periculum deest, quamvis aliàs ratione mutationis situs culpam venialem committeret sic exigens. *Sanch. de Matr. L. 9. D.* 16. ubi plures sententias refert *Ponc. de Matr. L.* 10. *cap.* 11.

24 Qui dubitans de matrimonii valore ob suspicionem impedimenti latentis matrimonium contraxit, nequit ob malam fidem debitum petere, sed si alia pars bona fide contraxisset, & habeat jus petendi debitum, & utendi re, quam bona fide possidet, etiam malæ fidei possessor reddere tenetur, ne bonæ fidei possessor suo jure spolietur; *arg. cap.* 2. *de Secund. nupt. Sanch. de Matrim. l.* 2. *D.* 42. *n.* 2. *& alii*, contra *Soto*, *& alios.* Similitèr potest reddere, si ipsi, matrimonio jam contracto, dubium de matrimonii valore superveniat, tenetur tamen diligentiam sufficientem ad inquirendam veritatem adhibere, & sic intelligitur; *Text. in cap.* 44. *de Sent. excommun.* quod si adhuc dubitet, reddere, & petere potest; nam nulla est ratio, ut jure legitimè adquisito privetur, nec spolietur possessione bonæ fidei, quam habet: ac proindè nec fructu, & usu ejus: redditione, scilicèt, & petitione debiti. In dubio enim melior est conditio possidentis. *Sanchez, de Matr. L.* 2. *D.* 41. *ex n.* 46. *Soto, Ledesm. & alii*, contra *alios alitèr sentientes.* Si post matrimonium contractum non solùm dubium, sed opinionem habeat aliquis conjugum de nullitate matrimonii, quam nec adhibita diligentia, elidere potest, reddere debet, quia non potest alterum sine certitudine, sua possessione spoliare, petere tamen nequit, quia licèt possessio suffragetur dubitanti, non tamen habenti assensum opinativum, *cap.*44. *de Sentent. excommun.* Aliud esset, si etiam contra opinionem probabiliorem de matrimonii nullitate, habeat opinionem verè probabilem de ejus valore: nam ei se conformando potest reddere, & petere. *Sanch. de Matrim. L.* 2. *D.* 44. *ex n.* 2. Si utrique conjugi dubium de matrimonii valore superveniat, neuter petere potest ante adhibitum sufficientem diligentiam: si ea adhibita, dubium persistat, uterque petere valet: si ante diligentiam adhibitam alter illicitè petat, alter non tenetur, nec potest reddere debitum: nam cum alter non habeat jus petendi, negans nullo jure eum privat; imò si redderet, exponeret se, & compartem periculum fornicationis, non tantùm materialis; sed & formalis, cum nullo jure talis actus cohonestetur. Aliud est, quando malæ fidei possessor petit, & altera pars bona fide possidet; nam tunc licèt debitum negari possit, quia petens non habet jus petendi, reddere tamen potest, quia ipse est in possessione bonæ fidei, & ea potest uti, petendo, & reddendo, nec tenetur credere comparti de matrimonii valore dubitanti: imò nec asserenti, illud esse nullum. *Sanchez, de Ma-*

Matr. lib. 2. D. 41. ex n. 55. & alii, contra *aliquos aliter sentientes.*

25 In hac maritali conjunctione vir est pars principalis, & ad maritum, ut caput familiæ pertinet gubernatio domestica, & in his, quæ ad eam spectant tenetur uxor marito obedire. Gen. 3. 8. 16. ibi: *Mulieri dixit: sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* 1. *Cor.* 11. *v.* 3. ibi: *Caput autem mulieris vir.* Quod si inobediens sit, potest à marito moderatè puniri, non tamquam ancilla, sed ut conjux. Et etiam familiam, & uxorem alere tenetur, nam ideò ab ea recipit dotem. *L. 7. ff. de Jur. dot.* nisi mulier discedat à viro sine justa causa: secus si ob justam causam discedat; v. g. ob sævitiam, vel morbum mariti, vel etiam ob culpam propriam uxoris. *Sanch. de Matr. L. 9. D. 4. ex n. 2. & alii.* Si maritus sit inops, & uxor dives, hæc ipsum altere debet. *Sanch. de Matr. L. 9. D. 5. n. 9.* Nec potest uxor, sine viri consensu, vel casu necessitatis, ab eo discedere, etiam locum sacrum visitandi causa. *Sanchez, de Matrim. lib. 9. D. 4. num.* 17. Si maritus etiam pro libitu voluntatis domicilium mutet, eum sequi tenetur uxor, *cap.* 3. 13. *q.* 2. nisi aliud inter ipsos sit conventum, vel magnum incommodum uxori sequeretur. Vir tamen non tenetur sequi domicilium uxoris, nisi hæc ob casum necessarium illud mutet, itaque concludit. *Sanch. de Matrim. L. 1. D. 4. in fin.* quod vir cum sit familiæ caput potest eligere domicilium, quod velit, & mulier tenetur eum comitari, non verò è contra: nisi necessitas cogat mulierem domicilium mutare. In nostris Indiis dispositum est, quod conjugatis in his Provinciis, non permittantur ire ad Hispaniam sine Gubernatorum licentia, & præcedente causæ cognitione, & pro tempore limitato. *L. 7. tit. 3. lib. 7. Rec. Ind.* nec conjugatis in Hispania permittitur in Indiis residere sine gravi causa, sed debent ad Hispaniam remitti. *L. 1. tit. 3. lib. 7. Rec. Ind.* ibi: *Ningun Virrey, Presidente, Audiencia, Gobernador, ò Justicia, dé, ni pueda dar licencia, ni prorrogacion á los casados en estos Reynos, para poder estar, ni residir en los de Indias; y si se ofreciere algun caso tan raro, preciso, è inexcusable y forzoso, que nos pudiera mover á dispensar por algun tiempo, constándoles primero de la necesidad, que obliga por informacion cierta y verdadera, que haga plenísima probanza, puedan dispensar los Virreyes y Audiencias, con la limitacion de tiempo que el caso permitiere, sobre que les encargamos las conciencias.* Præterea: vir habet in liberos patriam potestatem: & licèt olim patria potestas ad omnia bona liberorum, & ad jus vitæ, & necis extenderetur. *L. fin. C. de Patr. potest.* Hodie tantùm potest pater controversias domesticas terminare, & filios inobedientes moderatè castigare. *L. 3. & 4. C. de Patr. potest.* Et tantum in peculio profectitio habet plenum dominium; in adventitio solum usumfructum; pleno dominio filiis relicto in castrensi, & quasi castrensi, §. 1. *Inst. per quas person. L. 6. C. de Bonis, quæ liber.* Et licèt Jure Communi, etiam per matrimonium liberorum neutiquam solveretur patria potestas, §. *fin. Inst. de Patr. potest.* Jure tamen *Hispano* solvitur. *L. 8. tit. 15. Rec. C.* ibi: *El hijo, ò hija casado y velado, sea habido por emancipado en todas las cosas para siempre.* Deindè uxor participat dignitatem, & nobilitatem mariti. *L. 13. C. de Dignit.* lib. 12. & privilegiis fori, sessionis, immunitatis, & domicilio mariti etiam gaudet. Quæ omnia uxor retinet, etiam mortuo marito, dum vidua est: amittit tamen, quando ad alias nuptias transit. *L. 13. C. de Dignit.* Sed licèt mulier marito inferioris conditionis nubat, non amittit propriam nobilitatem; *arg. l. 10. C. de Nuptiis.*

26 Omnes, qui specialitèr non prohibentur, *possunt matrimonium contrahere*, cum hoc sit de genere permissorum, *cap. 23. h. t. L. 6. tit. 2. p. 4.* Quinimò Hispani, qui in his partibus degunt monendi sunt à Prælatis, & Gubernatoribus, ut matrimonium contrahant intra triennium, ut sic vitentur scandala, & incrementum harum Regionum consolatur. Et hac ratione præferendi sunt non conjugatis in Commendis, aliisque præmiis. *L. 5. tit. 5. lib. 4. L. 36. tit. 9. lib. 6. Recop. Indiar.* filiifamilias matrimonium contrahere volentes tenentur sub gravi consilium parentum exquirere, quippè sperare debent à parentibus esse fidelissimè eis derogandà omnia, quæ ipsis obesse, vel prodesse possent, & sæpè ipsis incauta ob cæcum amorem non perspiciunt; & insuper esset contra obsequium parentibus debitum, consilium non petere. Alias in re tam ardua imprudentèr agerent. Sanè parentum sæpè scire interest, an, & cum qua persona sui liberi matrimonium contrahant, *cap. 4. 30. q. 5. cap. 13. 32. q. 2.* Nisi justa causa excuset; v. g. quia liberi prævideant, parentes injustè im-

impedituros sponsalia, aliàs licita. *Covar. de Spons. p. 2. cap. 3. §. 8. n. 1. Sanch. de Matr. l. 4. D. 23. n. 10.* Sponsalia contracta pro casu, quod matrimonium ex defectu notitiæ, vel consensus parentum esset illicitum, invalida erunt, etiamsi jurata sint, quia nemo potest ad inhonestum obligari, *cap. 18. de Jure jur. cap. 5. 22. q. 4.* sed non tenentur filii consilium parentum sequi, si nullam justam causam habeant matrimonium impediendi; sed eis etiam invitis, licitè valent matrimonium contrahere, quia in status electione, præsertim matrimonii, non subduntur alieno arbitrio, sed suum propositum debent sequi, quia ipsi, non eorum parentes, commoda, vel incommoda status electi, vel neglecti sustinere debent, *cap. 13. h. t. cap. 12. de Regul. D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5. in corp. Covar. de Spons. p. 2. cap. 3. §. 8. n. 5. Sanch. de Matrim. l. 4. D. 23. n. 10.* Nec parentes possunt irritare sponsalia valida liberorum, licèt vota possint irritare: nam quoad status electionem filii omninò sui juris sunt, *cap. 12. de Regular.* ibi: *Tamen, quia liberum habet arbitrium in electione propositi, sequi parentum non cogitur voluntatem.* Et *D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5. in corpor.* ait: *Alio modo non tenetur inferior sui superiori obedire, si ei aliquid præcipiat, in quo ei non subdatur, dicit enim Seneca in tertio de beneficiis; errat, si quis existimat servitutem in totum hominem descendere: pars enim melior excepta est: corpora obnoxia sunt, & scripta Dominis; mens quidem est sui juris: undè non tenentur servi Dominis, nec filiis parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda, aut aliquo alio hujusmodi.* Et quidem sub anathemate est prohibitum affirmare irrita matrimonia filiorum sine consensu parentum contracta, & parentes ea irrita, vel rata facere posse, contra aliquos Hæreticos. *Trid. sess. 24. de Reform. matr. cap. 1.* Nec Jure Civili, ut contra aliquos tenent *Gonz. in cap. 1. de Desponsat. impub. n. 8.* Nec Canonico, etiam antiquo, fuit requisitus parentum consensus ad matrimonii valorem. Siquidem in *cap. 2. 27. q. 2. cap. 13. cap. 14. cap. 23. cap. 25. h. t.* ubi agitur de consensu ad matrimonium necessario, solùm fit mentio consensus à contrahentibus, non vero à parentibus præstandi. *Covarr. de Sponsal. p. 2. cap. 3. §. 8. ex n. 1. Sanch. de Matrim. L. 4. D. 22. n. 3. Bellarm. & alii.* Consensus tamen parentum antiquitus requirebatur ad solemnitatem matrimonii, adeò, ut nuptiæ sine eo contractæ, illegitimæ dicerentur, & aliquando uxor vocabatur concubina, *cap. 5. D. 34.* Et sic veniunt intelligendi: *Text. in prop. Inst. de Nuptiis, L. 18. ff. de Ritu nupt. cap. 1. cap. 3. cap. 4. 30. q. 5.* qui à DD. sententiæ contrariæ pro ipsis citantur. *Gonz. in cap. 1. de Despons. impuber.* Parentes tamen, absque justa causa, nequeunt liberorum matrimonia impedire, nec eos invitos ad matrimonium cogere, quia hoc magna scandala generaret, & filii propriæ libertatis jure privarentur: ac proindè graviter sic facientes peccant, non tamen ad ipsos extenditur excommunicatio imposita contra Dominos temporales, & Magistratus impedientes libertatem matrimonii. *Trid. sess. 24. de Ref. matr. cap. 9.* quia prædicta Constitutio, ut pœnalis, & odiosa potius restringi, quam ampliari debet, *cap. 15. de Reg. jur. in 6.* ac proindè filii etiam impuberes non tenentur contrahere matrimonia promissa à parentibus nomine filiorum, nisi post pubertatem velint talem promissionem ratificare, *cap. un. 30. q. 2. cap. 13. h. t. cap. un. §. fin. de Desponsat. impub. in 6.* Debent filii, & quidem sub gravi culpa contrahere matrimonium, quando hoc est medium maximè expediens ad graves inimicitias componendas inter consanguineos, vel ad sublevandam necessitatem parentum; non tàm ex præcepto paterno, quàm ex virtute pietatis. *D. Thom. in 4. D. 29. q. un. art. 4.* Et sic intelligi debet: *Text. in cap. 1. de Desponsat. impuber. & tenent Abul. Sot. Henriq. Sanch. de Matr. lib. 4. D. 23. ex num. 3.* contra *Navarr. Man. cap. 14. n. 15. Bellarm. Gutierr. & alios*, qui absolutè censent, etiam extra casus prædictos, filio sub gravi teneri in matrimonio contrahendo parentibus obedire. Si filii matrimonium cum persona indigna contrahere velint, ex quo timentur scandala, discordiæ, inimicitiæ, & dedecus familiæ, hoc matrimonium illicitum est, pietati, & charitati repugnans, & ut tale à parentibus potest prohiberi, etiam Judicis Ecclesiastici authoritate implorata; ad quem prohiberi ex officio spectat matrimonia, ex quibus infelices exitus timentur, *cap. 17. h. t.*

27 Sicut in aliis contractibus, sic etiam in matrimonio, aliqua inveniuntur *impedimenta* inhabilitantia absolutè ad matrimonium contrahendum, & dicuntur *dirimentia*, quia ejus valorem dirimunt. Alia dicuntur *impedientia* tantùm, quia illis stantibus matrimonium va-

validè, tamen illicitè contrahitur. Ecclesiam posse impedimenta dirimentia statuere, decidit. *Trid. sess. 24. de Matrim. Can. 4.* Et patet in impedimentis metus, *cap. 14. & 15. h. t.* Criminis, *cap. 3. De eo, qui duxit.* Conditionis, *cap. 2. & fin. de Conjug. servor.* & clandestinitatis. *Trid. sess. 24. de Ref. matr. cap. 1.* Nam Christus D. dum matrimonium ad esse Sacramenti elevavit, non mutavit naturam contractus, nec in ejus institutione determinavit materiam Sacramenti, sed ipsum instituit sub ratione generica contractus legitimi, ita ut hic, vel ille contractus matrimonii, qui legitimè celebretur inter fideles sit simul Sacramentum, relinquendo Ecclesiæ, sicut in aliis contractibus facultatem, & determinationem contractus matrimonialis: ac proindè Ecclesia nihil immutat citra materiam, vel formam à Christo institutam. Nam Christus Dominus, in aliquibus Sacramentis materiam in specie infima determinavit, ut aquam in Baptismo, oleum in Extrema-Unctione, chrisma in Confirmatione: in aliis tantùm habetur quædam determinatio generica, ut dolor in pœnitentia, sivè à contritione, sivè ab attritione procedat. In aliis deniquè magis generica est determinatio, ut in Sacramento ordinis, ubi Christus tantùm determinavit, aliquod signum sensibile adhiberi ad significandam potentiam traditam, relicta Ecclesiæ determinatione in particulari. Et sic diversa materia in Ecclesia Græca, ac in Latina invenitur. Etiam in matrimonio reliquit Ecclesiæ determinare contractus legitimitatem.

28 Potestas impedimenta dirimentia statuendi competit soli R. Pontifici, non verò Episcopis, etiam pro suis Diœcesibus, cum sit una ex majoribus causis Ecclesiæ; *arg. cap. 3. de Baptism. Covarr. de Spons. p. 2. cap. 6. §. 10. n. 16. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 1. n. 9.* Possunt tamen Episcopi in suis Diœcesibus impedimenta tantum impedientia statuere, quippè quod non censetur esse ex majoribus causis. Potest similitèr Pontifex aliquam personam reddere inhabilem, ut cum alia determinata contrahat. *Hostiens. Felin. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 1. n. 7.* Imò absolutè, & in perpetuum reddere inhabilem. V. g. in pœnam gravis criminis, *Sanch. num. 8.* Sed adeò requiritur justa causa ad impedimenta, præcipuè dirimentia, statuenda, ut si hæc desit, non solum illicitè, sed, & invalidè ea statuat Pontifex, quia matrimonium est vinculum institutum Jure Naturali, ac proindè dirimi nequit sine justa causa, ut in dispensatione voti, relaxatione juramenti, &c. accidit. *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 1. n. 6.* Cum consuetudo, si legitimè sit præscripta, & rationabilis, secus si nec rationabilis, nec legitimè præscripta sit, habeat vim legis, *cap. fin. de Consuet.* ipsa etiam potest inducere impedimenta dirimentia, etiamsi non specialitèr à Papa approbetur; *arg. Text. in cap. 3. de Cognat. spir. Suar. de Leg. L. 7. cap. 19. n. 26. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 4. n. 11. Gonz. in cap. 1. h. t. n. 22.* contra *Joann. Andream. Tabien. Hostiens. Ponce, Fagnan. & alios variè sentientes.* Similitèr consuetudine tolli, & restringi possunt talia impedimenta; *arg. cap. 8. de Consang. Trid. sess. 24. de Ref. matr. cap. 3. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 4. n. 14.* contra *alios apud eundem.* Nec indè infertur, posse Principem Sæcularem, etiam supremum impedimenta dirimentia statuere. *D. Thom. in 4. D. 42. q. 2. art. 2. ad 4. Prohibitio Legis humanæ non sufficit ad impedimentum matrimonii, nisi interveniat authoritas Ecclesia, quæ idem etiam interdicat: Sacramenta Ecclesiæ, quale est etiam matrimonium, humanis Legibus non subduntur. Covarr. de Spons. p. 2. cap. 6. §. 10. n. 30. Bellarm. de Matr. L. 1. cap. 32.* nam per hanc elevationem matrimonium cœpit esse contractus spiritualis, & sacer à Legibus Civilibus, etiam quoad cognitionem, exemptas, *cap. 3. de Ordin. cogn. eo qui filii sint legit. Trid. sess. 24. de Matr. Can. fin.* hac ratione subditi fideles non diligantur impedimentis statutis à Principe infideli, ut contra *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 3. n. 7. & alios* tenent. *Penc. de Matrim. lib. 6. cap. 2. ex n. 3. Laym. L. 5. tr. 10. p. 4. cap. 1. n. 3. & alii.* Principes infideles respectu suorum subditorum infidelium impedimenta statuere possunt: & similitèr Principes fideles respectu subditorum infidelium, quia tunc matrimonium tantùm est contractus civilis, non Sacramentum; ac proindè omninò subjectum ejus potestati Legislativæ. *D. Thom. in 4. D. 39. q. unic. art. 2. ad 3. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 3. n. 5. & alii.*

29 Non omnia impedimenta sunt ejusdem generis, & vigoris, & eodem jure introducta. Aliqua enim impedimenta sunt Jure Naturali, vel Divino inducta, scilicèt: *Error, ætas infantiæ, impotentia, ligamen, & consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ.* Et talia dirimunt om-

omnia matrimonia, etiam infidelium, siquidem ipsi Lege Divina, & Naturali obligantur. Alia sunt Jure tantùm Ecclesiastico inducta. Et hæc, licèt dirimant matrimonia fidelium ubicumque sint, nam ut subditi Ecclesiæ ejus Legibus tenentur; non tament dirimunt infidelium matrimonia, quia cum nondum Ecclesiam per Baptismi januam sint ingressi, subditi Ecclesiæ non sunt, nec Legibus Ecclesiæ tenentur, *cap.* 8. *de Divort.* 1. *Cor.* 5. *v.* 12. nisi in Domino temporali Ecclesiæ degant; nam tunc Pontifex, ut Princeps temporalis potest ligare eos impedimentis, sicut quilibet Princeps Sæcularis: siquidem talium matrimonia non Sacramentum, sed tantùm contractus sunt. *Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 1. *num.* 3. Hæretici contrahentes cum impedimento Ecclesiastico, attento juris rigore, nullitèr contrahunt; ipsi enim baptizati sunt, ac proindè Ecclesiæ Legibus tenentur: Consuetudine tamen non improbata, imò, & permissa á Pontifice: & ne tranquilitas, & pax publica turbetur admissum est in Germania, ubi cum Catholicis commixti degunt, quod talia matrimonia pro validis habeantur, ut saltem tolerentur.

30 Impedimenta impedientia, prout olim vigebant, his Versiculis comprehenduntur.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque catechismus, crimen, sponsalia, votum:
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Vel brevius sic explicantur. *Interdico, Dies, Votum, Sponsalia, Crimen. Interdictum* est, quando Episcopus, vel Parochus ob dubium impedimenti prohibet: aliquos contrahere, usque dum de impedimento discutiatur. *Dies* est tempus *feriatum*, quod nunc incipit ab Adventu usque ad Epiphaniam inclusivè, & à die Cinerum usque ad octavam Paschæ inclusivè. *Trid. sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 10. de quibus agimus in *Tit. XVI. Votum*, scilicet simplex castitatis, sivè Religionis, sivè non nubendi, de quo in *Tit. VI. Sponsalia* cum una contracta, & non dissoluta, de quo in *Tit. IV. Crimen*: multipliciter committitur ad hunc effectum. *L.* 14. *tit.* 2. *p.* 4. & aliis Textibus. 1. Sic maritus cum consanguinea uxoris rem habeat, vel sponsus cum consanguinea sponsæ in primo gradu, vel vicissim; tunc enim neuter complex poterat amplius matrimonium contrahere, *cap.* 1. *cap.* 4. *De eo, qui cognovit.* 2. Si maritus occidat uxorem ex ira, vel odio: quod si uxor occidat maritum. *Navarr. Gutier. Ponc. Gonz. in cap.* 1. *de Divort. n.* 3. *& alii* tenent, quod mulier etiam hoc impedimentum incurrit; sed cum materia sit odiosa, & nullus Text. inveniatur, qui clarè, & expressè loquatur de uxore occidente virum, ut patet ex *cap.* 5. *cap.* 6. *cap.* 7. *cap.* 8. 33. *q.* 2. non debet extendi Lex ad uxoricidium. Ita tenent *D. Thom. D. Bonav. in* 4. *D.* 37. *& alii*, cum *Thom. Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 16. *num.* 6. Hoc impedimentum etiam incurrit vir si uxorem in adulterio deprehensam occidat; ac proindè tunc non potest cum alia, quæcumque sit, contrahere matrimonium, *cap.* 5. *cap.* 6. 33. *q.* 2. *D. Thom. in* 4. *D.* 37. *q.* 2. *art.* 2. *in corp. Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 16. *n.* 2. *& alii.* Si verò publica authoritate occidere non contrahebat impedimentum; *arg. cap.* 7. 33. *q.* 2. Nec obstat, quod occisio conjugis animò contrahendi matrimonium cum alio constituat impedimentum dirimens, sivè à viro, sivè ab uxore homicidium committatur; nam hoc expressè habetur *in cap.* 5. 31. *q.* 1. *cap.* 1. *de Convers. infidel.* Quod non habetur in nostro casu quoad impedimentum impediens, ac proindè non debet extendi, quia materia est odiosa. *Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 78. *num.* 8. 3. Si quis alienam sponsam, vel de futuro, ut aliqui putant, vel præsenti, ut alii tenent, rapiat violenter, non poterat cum alia contrahere. Similiter, & ipsa impedimentum contrahebat, etiam cum quocumque alio, si ipsa in raptum consentiebat, *cap.* 34. 27. *q.* 2. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 12. *ex n.* 44. 4. Si quis sine necessitate, sed malitiosè, & animo privandi alteram partem debito conjugali, propriam prolem suscipiebat, vel levabat ex baptismo, & quidem prolem communem ipsius, & uxoris, vel saltem uxoris: nam si filius esset solius baptizantis, vel levantis nullum oriebatur impedimentum; vel si baptizabat, vel tenebat in confirmatione: nam eo matrimonio per mortem soluto, ille qui levavit, nequibat aliud contrahere matrimonium, *cap.* 50. 30. *q.* 1. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 6. *n.* 3. 5. Si quis fuit in judicio con-

victus de homicidio Sacerdotis, *cap.* 2. *de Pœnitent. & remission.* non autem sufficit homicidium occultum, vel in foro pœnitentiæ notum. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 6. *n.* 9. 6. Tempore, quo pœnitentia publica ob delictum inflicta durat, non potest pœnitens contrahere matrimonium, *cap.* 16. *cap. fin.* 33. *q.* 2. nam luctui pœnitentiæ non benè concordat nuptiarum lætitia. 7. Si aliquis attentet cum Moniali contrahere matrimonium, & cum ea illud consummet: nam licèt matrimonium sit nullum, est sacrilega temeritas, puniturque in eo, quod deinceps hoc faciens, cum nulla possit matrimonium contrahere, *cap.* 13. 27. *q.* 1. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 6. *n.* 11. 8. Interfectio proprii filii; *arg. cap.* 1. *de his, qui filios occider. Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 6. *n.* 12. omnia hæc impedimenta ex crimine orta hodie ex generali consuetudine sublata sunt. *Navarr. Man. cap.* 22. *n.* 75. *Sanc. de Matr. lib.* 7. *D.* 17. *n.* 8. *Ponc. & alii com.* Similitèr, & impedimentum catechismi, quod olim contrahebatur ab eo, qui pro infante respondebat, quando ipsum præ foribus Ecclesiæ tenebat, & hodie fit, dum Sacerdos interrogat baptizandum, an renuntiet Satanæ, an credat, &c. sivè hoc ante baptismum fiat, sivè quando supplentur solemnitates Baptismi in necessitate collati. Et quia hujus instructionis tempore sal imponitur ori baptizandi, per quem sapientia Cœlestis significatur, *cap.* 65. *de Consec. D.* 4. Catechismus dicitur pabulum Sacramenti salis, *cap.* 5. *de Cognat. spirituat.* Hæc cognatio non invalidum, sed illicitum tantùm faciebat matrimonium inter baptizatum, & Patrinum, *cap.* 5. *de Cognat. spirit. cap.* 2. *eod. in* 6. Hodie idem est Patrinus catechismi, & baptismi; sed licet esset diversus, ut olim, *cap.* 100. *de Consec. D.* 4. jam hoc impedimentum impediens ex hac cognatione resultans est ablatum per *Trid. sess.* 24. *de Ref. Matr. cap.* 2. *Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 10. *n.* 12. *cum aliis*; contra *Navarr. Palac. Toled. Lancel. in Instit. Canon. lib.* 2. *tit.* 13. §. *Per catechismum.* Hodie tantùm quatuor permanent impedimenta impedientia, sequenti Versiculo contenta.

Sacratum tempus, vetitum, sponsalia, votum:
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

31 Impedimentis dirimentibus Jure Antiquo stabilitis, quæ asserunt à *D. Thom. tit.* 3. *part. Suppl. quæst.* 50. *art. unic. in corp.* Duo sunt addita à Trid. clandestinitas, videlicèt, & raptus, & his Versiculis comprehenduntur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Ætas affines, si clandestinus, & impos,
Raptavè sit mulier, nec parti, reddita tutæ.
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Infrà agemus de Conditione servili *in Tit. IX.* de Voto, & Ordine *in Tit. VI.* de triplici Cognatione, & Affinitate in *Tit. XI. & seqq.* de Crimine *in Tit. VII.* de Ligamine *in Tit. IV.* de Ætate *in Tit. II.* de Clandestinitate *in Tit. III.* de Impotentia *in Tit. XV.* Hic tamen, quia Titulum proprium non habent, agemus de Impedimentis *publica honestatis, Erroris, Disparitatis Cultus, Vis, vel Metus, & Raptus.*

32 Ex sponsalibus certis, & absolutis, non ex conditionibus, nisi post impletam conditionem, *cap. un. h. t. in* 6. *Sanch. de Matrim. l.* 7. *disp.* 69. *num.* 2. nascitur impedimentum, matrimonium dirimens, quod dicitur *impedimentum publicæ honestatis*, seu *publicæ honestatis justitia*, quod quidem non Jure Divino, aut Naturali; sed Jure solùm Ecclesiastico introductum est, *cap.* 3. *cap.* 4. *cap.* 8. *h. t. cap. un. eod. in* 6. *L. fin. tit.* 1. *p.* 4. ibi: *E este derecho tovieron todos los omes por bien, que fuese guardado por honestidad de la Eglesia, è por egualdad de los Pueblos, è por toller escandalo de entre ellos. Gregor. Lop. ibid.* Publicæ enim honestati convenit, ut sicut ex matrimonio consummato nascitur vera affinitas, sic ex sponsalibus; qua-

quasi ex matrimonio inchoato, quædam affinitatis imago oriatur, ita ut sponsus non possit contrahere matrimonium cum consanguineis sponsæ, nec vicissim. Et cum hæc ratio fortius militet in matrimonio rato; etiam ex eo nascitur publicæ honestatis impedimentum. *Joann. And. Abb. Soto, Navarr. Sanch. de Matr. lib. 7. disp. 70. Gonz. in cap. 4. h. t. n. 9.* impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio resultans sicut antiquitus, sic & hodie extenditur usque ad quartum gradum; secus, quod resultat ex sponsalibus: nam licèt olim usque ad quartum gradum extenderetur; *arg. cap. 8. de Consanguin.* Et expressè habetur *in L. fin. tit. 1. p. 4.* hodie tamen *ex Trid. sess. 24. de Ref. Matrim. cap. 3.* est restrictum ad primum gradum. Sed cum hæc constitutio sit correctoria, ac proindè strictæ interpretationis, & solùm de sponsalibus loquatur, non extenditur ad matrimonium ratum, & sic est declaratum à *S. Pio V. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 70. n. 16.* Hodie, sicut & olim hoc impedimentum oritur ex matrimonio rato absoluto, non ex conditionali, dummodo non sit invalidum ex defectu consensus: v. g. ob metum, vel errorem. Si ex aliis causis sit invalidum, v. g. ob consaguinitatem, impotentiam, &c. publicæ honestatis impedimentum nascitur, *cap. un. h. t. in 6.* etiamsi ob clandestinitatem sit invalidum, ut contra *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 7. n. 13.* tenent *Gutier. cap. 103. n. 9. Ponc. lib. 7. cap. 36. num. 5. Pignat. tit. 4. cons. 15. n. 2.* & declaratum testatur: nam *Text. in cap. un. h. t. in 6.* generaliter loquitur: *aut alia quavis ratione sint nulla*: ac proindè generaliter debet intelligi. Hoc enim olim erat satum de sponsalibus invalidis, *cap. 4. h. t. cap. un. eod. in 6.* sed hodie *ex Trid. sess. 24. de Ref. Matrim. cap. 3.* ex sponsalibus quacumque ex causa invalidis non oritur hoc impedimentum. Si tamen causa fictionis sit invalida, ita ut in foro externo nequeat fictio probari, cum hujusmodi impedimentum sit institutum ad vitandum scandalum, & ob publicam honestatem: & idem scandalum sit in hoc casu, ac si vera sint sponsalia, cum defectus consensus probari nequeat, tale impedimentum oriri tenendum est. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 68. n. 14. Ponc. lib. 7. cap. 35. num. 10. Gonz. in cap. 4. h. t. n. 7.* Negant *Navar. Man. cap. 22. n. 57. Ledesm. & alii.* Ex sponsalibus, quæ contrahunt minores suprennio non oritur hoc impedimentum, nisi sponsalia sint valida, quia contrahentes habeant jam usum rationis ad ipsa, ætatem malitia supplente. *L. fin. tit. 1. p. 4.* Hoc impedimentum ex sponsalibus validis resultans, manet, etiam uno ex contrahentibus mortuo, *cap. 11. cap. 14. 27. q. 2. cap. 8. h. t. L. 6. tit. 1. p. 4.* Et etiam aliquo resiliente ex justa causa; imò etiam quando duorum consensu dissolvuntur, ut contra *Gutier. de Matrim. cap. 103. n. 11. Ponc. de Matr. lib. 7. cap. 30. n. 9. Gonz. in cap. 4. h. t. n. 7.* tenent *Sanch. de Matr. lib. 7. disp. 68. n. 21.* & Sacra Congreg. imò *Alex. VIII.* teste *Fagnano in cap. 4. h. t. n. 29.* jussit, hoc non revocari deinceps in dubium.

33 *Errare est unum pro alio putare, cap. 6. 22. q. 2.* & dicit positivum judicium intellectus perversum; vel est approbare falsa pro veris, ut ait *D. August.* Et in hoc differt error ab ignorantia, quæ de sui ratione non importat aliquem cognitionis actum: tamen quantum ad hoc, quod est impedire voluntarium, nihil interest, an dicatur ignorantia, vel error, quia nulla ignorantia potest impedire voluntarium, nisi quæ habet errorem adjunctum, eo quod actus voluntatis præsupponit æstimationem, siyè judicium de aliquo in quod fertur. Undè si est ibi ignorantia, etiam debet esse error. *D. Thom. in 3. p. Suppl. q. 51. art. 1. ad 1.* Sanè: Error alius est *antecedens*, vel dans causam actui, quando, scilicèt, eo non existente, nequaquam fieret actus. Alius est, *concomittans*, quando, scilicèt, non inducit ad contrahendum, sed ita actum committatur, ut etiam eo non existente, actus fieret. Sed non omnis error consensum excludit: ait *Gratianus* in Decreto, *caus. 29. q. 1. Sed error alius est personæ, alius fortunæ, alius conditionis, alius qualitatis. Error personæ est, quando his putatur esse Virgilius, & ipse est Plato. Error fortunæ, quando his putatur esse dives, qui est pauper, vel è converso. Error conditionis, quando putatur esse liber, qui servus est. Error qualitatis, quando putatur esse bonus, qui malus est. Error fortunæ, & qualitatis conjugii consensum non excludit. Error personæ, & conditionis conjugii consensum non admittit.* Error antecedens circa substantiam dirimit matrimonium Jure naturæ, etiam inter infideles, quin ab Ecclesia possit talis defectus suppleri. *D. Thom. in 4. dist. 30. q. 1. art. 2. Sanch. de Matrim. lib. 7. disp. 18. ex num. 12. & alii.* Nam consensus est omninò necessarius ad matrimonii valorem, etiamsi hoc

ut

ut contractus tantùm consideretur, *cap.* 2. 27. *q.* 2. *C.* 14. *cap.* 25. *h. t. Trid. sess.* 24. *de Reformat. Matrim. cap.* 1. Et circa personam errans nullum consensum erga eam habet: siquidem errantis nullus est consensus, nec voluntas. *L.* 9. *C. de Jur. & fact. ignor. L.* 15. *ff. de Jurisdict.* ac proindè matrimonium nequit validè contrahere. *L.* 10. *tit.* 2. *p.* 4. Sic *D. Thom. in* 3. *p. Suppl. q.* 13. *art.* 1. *in corp.* ibi: *Respondeo dicendum, quod quidquid impedit causam, de sui natura impedit, & effectum similitèr: consensus autem est causa matrimonii, & ideò quod evacuat consensum, evacuat matrimonium; consensus autem voluntatis est actus, quod præsupponit actum intellectus, deficiente autem primo, necesse est, defectum contingere in secundo; & ideò, quando error cognitionem impedit: sequitur etiam in ipso consensu defectus, & per consequens in matrimonio, & sic error de Jure Naturali habet, quod evacuet matrimonium.* Idem dicendum est de errore comittante: etiamsi contrahens cum Titia, quam credebat esse Cajam, ita sit affectus, ut eam duceret, etiamsi sciret esse Titiam, quia ad matrimonium requiritur consensus positivus: & quidem actualis, nec sufficit consensus, qui esset, sed est necessarium, quod sit. *Sanc. de Matr. lib.* 7. *D.* 18. *n.* 6. Si verò errans actu vellet cum præsenti, quæcumque esset, contrahere, esset validum matrimonium. In Baptismo enim, Confirmatione, Pœnitentia, & aliis hujusmodi, solum attenditur persona præsens, quæcumque sit, ac proinde error circa eam nihil obstat ad eorum valorem, nec in emptione, & venditione attenditur persona contrahentis, nec undè sit merx, sed tantùm ejus bonitas, & utilitas ad finem intentum, nec aliud contrahentium, & Sacramenta prædicta administrantium interest: at in matrimonio plurimum interest contrahentis, cum qua contrahat persona, nam se ad perpetuam vitæ societatem ineundam cum ea obligat. Quod si conjuges per errorem invalide contraxerunt, & posteà stante adhuc illo errore denuò consentiant, non convalescit tale matrimonium, etiamsi consentiens esset paratus ad consentiendum, si sciret, quod matrimonium non valebat: quia non intendit denuò contrahere, sed tantùm ratificare matrimonium antecedens, quod cum nullum fuisset, nequit ratificari: nec sufficit consensus, qui esset, sed est necessarius consensus, qui actu sit, & nihil tàm contrarium est consensui, quàm error. *L.* 15. *ff. de Jurisdict. Sanch. de Matrim. lib.* 2. *D.* 34. nec in prædicto casu sufficit, quod una pars consentiat, sed requiritur, quod pars impedimenti ignara, aliquomodo cercioretur, licèt cautè, nam aliàs, non tàm novum matrimonium contrahere intendet: quàm antecedens, quod nullum est, ratificare; sufficitque, si impedimenti conscius ita peteret ab alio: *Me ita diligis, ut si non esset inter nos matrimonium, denuò contraheret, ac ex nunc vis me in conjugem, ac si non fuisset validum matrimonium inter nos priùs contractum?* Et altèr respondeat: *ita volo*: interrogansque, se quoque idem velle dicat. *Sanch. de Matr. L.* 2. *D.* 36. *num.* 5. Quando Jacob contraxit cum Lia supposita à Labano loco Rachelis, cum qua Jacob contrahere volebat, ab initio non valuit tale matrimonium, errore obstante: copula tamen ob ignorantiam non fuit formalitèr fornicaria. Posteà verò novo consensu accedente validarum fuit matrimonium. *Genes.* 29. *v.* 28. *acquievit placito, & hebdomada transacta Rachel duxit uxorem. Gratian. in* Decret. *caus.* 29. *q.* 1. ibi: *Jacob ergo, & Liam non fecit conjuges præcedens consensus, sed subsequens, nec tamen ex primo concubitu fornicarii judicantur, cum ille maritali affectu eam cognoverit, & illa uxorio affectu sibi debitum persolverit, & paternis imperiis se sibi jure copulatum.* Similitèr *Magist. Sent. in* 4. *D.* 30. *D. Thom. in* 3. *p. Sup. q.* 51. *art.* 1. *ad* 4.

34 Si unus, vel uterque credat per errrorem habere impedimentum, quòd revera non datur, si aliundè contrahentes intendant quantum in ipsis est, consentire, ut accidere potest, validè contrahunt: nam cum revera sint habiles ad contrahendum, & aliundè sufficientem consensum habeant, nil deest, ut matrimonium contrahatur, sicut validè baptizat, qui vult facere quantùm potest, licèt errore judicet, baptismum esse tantùm nugas Christianorum. *D. Anton. Henriq. Rodrig. Covarr. de Spons. p.* 2. *cap.* 3. §. 7. *n.* 3. *Sanch. de Matrim. L.* 2. *D.* 33. *n.* 2. *& alii* contra *Abb. & Joann. And. in cap.* 18. *h. t. Navar. Man. cap.* 22. *n.* 56. *& alios*; nec enim in matrimonio requiritur, quod contrahentes sciant, ex qua causa, & quo jure contrahant, sicut in hæreditatis additione requiritur, quod hæres sciat, an necessarius, an voluntarius sit. *L.* 15. *ff. de Adquir. vel omit. hared.* Error, etiam antecedens, circa qua-

li-

litatem personæ, etiamsi ex dolo, & deceptione alterius compartis oriatur, regulariter non obest valori matrimonii; *arg. cap.* 18. *h. t. caus.* 29. *q.* 1. *L.* 10. *tit.* 2. *p.* 4. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 352. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 18. *n.* 18. *Covar. & alii.* Nam talis error non tollit consensum circa substantiam, sed circa personæ accidentia, quæ tantùm se habent per modum rationis impulsivæ, & finalis extrinsecæ. Et si hæc via dissolutioni matrimoniorum aperiretur, plurima scandala in detrimentum prolis, Reipublicæ, & conscientiarum orirentur quotidiè, & licèt metus gravis vitiet matrimonium, non indè infertur, errorem circa qualitatem, illud debere vitiare; quia metus minuit voluntarium circa substantiam, secus error, de quo nunc, quippè facilius potest probari metus, quam error, & dolus, & ideò matrimonium, etiam cum tali errore contractum non irritavit Ecclesia ad plures lites cavendas. Si tamen contrahens ita suum consensum alliget qualitati, ut actu contrahere nolit, si sponsa non sit nobilis, dives, vel virgo, &c. cum tunc illa qualitas se habeat, ut conditio, ea deficiente, deficeret consensus ad matrimonium necessarius, ac proindè nullum est matrimonium. *D. Bonav. in* 4. *D.* 30. in expositione litteræ, *n.* 4. *D. Ant. Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 18. *n.* 21. *& aliis.* Similiter error qualitatis vitiat matrimonium, si ipse in errorem personæ refundatur: quod ex eo colligitur, si qualitas sit individualis determinatio ipsius personæ, v. g. si quis vellet cum primogenita Titii contrahere, & illi secundo genita sisteretur: tunc in personæ errorem refunditur error qualitatis: secus est, si credat, eam, cum qua contrahit esse primogenitam, & sua voluntas non feratur in ipsam, quatenùs est primogenita: tunc enim non in persona erratur. *D. Thom. in* 4. *D.* 30. *q.* 1. *art.* 2. *ad* 5. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 18. *num.* 23. *& 25.*

35 Ob *cultus disparitatem* est irritum matrimonium contractum à fideli cum infideli, seu Pagano, non Jure Naturali, nam Esther cum Assuero, Moyses cum Sophora, Jacob cum Lia, & Rachele contraxerunt matrimonium, & non reprehenduntur à Scriptura; nec Jure Divino invalidatur ut aliqui censuerunt, siquidem ex nullo Textu Legis novæ irritatur tale matrimonium: est ergo irritum Jure Ecclesiastico vel scripto, *cap. fin.* 28. *q.* 1. vel saltem ex usu antiquissimo, & praxi Ecclesiæ, & habetur expressè in *L.* 15. *tit.* 2. *p.* 4. ibi: *De variamiento de ley es la sexta cosa, que embarga el casamiento: Cà ningun Christiano debe casar con Judia, nin con Mora, & ibid. Greg. Lop. Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 71. irritando enim Ecclesia matrimonium ex parte fidelis, ut proculdubio potest, quia ipsi fidelis subditus est, per consequens irritatur respectu infidelis, licèt subditus non sit Ecclesiæ, cum nequeat matrimonium ex una parte irritum, & ex altera validum esse. Talia verò matrimonia sunt illicita Jure Divino Naturali. *Deut.* 7. *v.* 3. ibi: *Neque sociabis cum eis* (id est Gentilibus) *conjugia, filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo, quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & ut magis serviat Diis alienis.* Jus enim Naturale dictat, hoc periculum peccandi, quod Text. exprimit, esse vitandum. Deindè: *Apostolus ait.* 2. *Cor.* 6. *v.* 14. *nolite jugum ducere cum infidelibus*, id est, nolite conjugium inire, juxta *Div. Hieron. & alios.* Nec Hæreticus, vel Apostata potest cum infideli contrahere, quia hæretici, utpotè baptizati Legibus Ecclesiæ impedimenta statuentibus, subduntur. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 71. *num.* 4. Nec fidelis potest cum cathecumena contrahere, quia adhuc est extra Ecclesiam, nam licèt cathecumena Christiana aliquando latè appelletur, non verè fit Christiana, nisi per baptismum, ut constat ex Text. sic intelligendo, in *cap.* 15. 28. *q.* 1. ibi: *Si Christiana fit, non est satis, nisi ambo initiati sitis Sacramento baptismatis. D. Thom. in* 4. *D.* 39. *q. un. art.* 1. *ad* 5. *& Sanch. de Matrim. l.* 7. *D.* 71. *n.* 2. *plures citans.* Benè tamen possunt sponsalia à fideli cum catechumeno contrahi: cum matrimonium tantum promittatur, & referatur ad tempus, quo potest valere, scilicèt, post baptismum susceptum; *arg. cap.* 16. 28. *q.* 1. & expressè habetur in *L.* 15. *tit.* 2. *p.* 4. sicut valent sponsalia ab impuberibus contracta, cum referantur ad tempus habile, si necessitas urgens, & valdè gravis matrimonium fidelis cum infideli suaderet, & nullum, vel solùm remotum periculum perversionis adesset, cum eo casu cessaret Juris Naturalis prohibitio, posset tale matrimonium contrahi, accedente dispensatione Pontificis, vel ejus delegati, quoad impedimentum Ecclesiasticum. Privilegium quidem in hoc impedimento dispensandi con-

concessit *Paulus V.* Episcopo Funajensi, & Superioribus Societ. Jesu in Regno Sinensi ad decennium in *Const. Ut animarum*, 21. *Jun.* 1616. Et sanè mediante dispensatione, vel potius ex divina inspiratione matrimonium contraxerunt Sancta Cæcilia cum Valeriano; Sancta Monica cum Patritio; Clotildis cum Clodovæo adhuc Gentilibus. *Ponc. de Matr. L. 7. cap. 47. n. 7. & aliis.*

36 Matrimonium fidelis cum Hæretico, vel Apostata est illicitum Jure Naturali ob periculum perversionis, cui fidelis, & ipsorum filii exponuntur, & ob dissensiones, quæ inter ipsos conjuges solent oriri, *cap. 16. 28. q. 1. cap. 14. de Hæret. in 6.* Imò, & sponsalia, si ad matrimonium, etiam altero hæretico manente, tendant, illicita, & nulla sunt utpotè promissio de re turpi. *Sanch. de Matrim. l. 7. D. 72.* Si tamen defacto tale matrimonium contrahatur, valet, nam in *cap. 14. de Hæret. in 6.* Mulier scientèr contrahens cum hæretico dote privatur, sed non jubetur ab eo separari, ac proindè supponitur validum matrimonium, & ita decidi in prædicto Text. in *cap. 14. de Hæret. in 6.* cum comm. tenet *Greg. Lop. in L. 15. tit. 2. p. 4. quamvis contrarium videatur ex d. L. deduci, & Congreg. de Propag. Fid. ann. 1638.* censuit in terris hæreticorum, ubi hæreses impune grassantur, maximè si ibi Catholicæ Fidei cultus non permittitur, matrimonia cum ipsis hæreticis per exhortationes potius, quam per censuras esse prohibenda, & tale matrimonium valere tenent *D. Thom. in 4. D. 39. q. un. art. 1. ad 5. D. Bonav. D. Albert. Mag. & plurimi cum Sanch. de Matr. lib. 7. D. 72. n. 2.* contra *Host. Anchar. Simanc. & alios.* Nec *Can. 72. in Trullo.* In quo hi Authores fundantur est authenticus, quia jam dissoluta Synodo ab aliquibus Episcopis fuit conditus. Præterquamquod est reprobatus à Sergio Papa. Quando periculum perversionis, & malæ educationis prolis cessat, justaque adest causa, potest Catholica cum hæretico, vel è contra, matrimonium contrahere, accedente Pontificis dispensatione, etiamsi inter Principes celebretur. Sic dispensavit *Urban. XIII.* ut Soror Regis Galliæ cum filio Regis Angliæ contraheret. In Germania, aliisque Provinciis Septentrionalibus, ubi sunt permixti hæretici cum Catholicis licitè etiam sine dispensatione, ex recepta tamen consuetudine, talia matrimonia contrahuntur instar aliorum contractuum civilium, si nullum sit periculum perversionis, nec scandalum timeatur, justaque causa adsit. *Sanch. de Matrim. L. 7. D. 72. n. 5.* Et quamquam pactum, quod masculi, v. g. hæresim paternam sequantur, & fœminæ Religionem Catholicam Matris, vel quod primus Fidem Catholicam, secundus Sectam Lutheranam, &c. impium, & illicitum sit, quia pugnat cum Jure Divino, juxta quod parentes debent liberos in Fide Catholica educare, eiisque moribus, ut adipiscantur remedia saluti spirituali necessaria. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 72. n. 6.* permittitur tamen consuetudine sic approbante, quia aliter nulla spes solet manere, aliquos saltem filios, in Religione Catholica educandi. Et ego hic Manilæ fui aliquale instrumentum, ut quidam Holandi Fidem Catholicam amplecterentur, quorum parentes similia pacta inierant.

37 *Vis est majoris rei impetus, qui repelli non potest. L. 2. ff. Quod metus caus. L. 15. tit. 2. p. 4.* si est *absoluta*, tollit libertatem: v. g. si quis arrepta mulieris manu illam scribere faciat, se velle cum illo contrahere. Voluntas tamen non potest hanc coactionem, sive violentiam pati: nec consensus potest dici sic violentus: nam violentum est juxta Philosophum *id, cujus principium est extra, nihil conferente vim passo*, cum omnis consensus principium sit intra, siquidem à voluntate procedit. Si est *conditionalis*, ex parte inferentis dicitur vis, ex parte patientis dicitur *metus*, de quo latius diximus in *Tit. de His, quæ vi metusvè causa fiunt*: sic optimè distinguit, & explicat. *D. Thom. in 3. p. Sup. q. 46. art. 1. in corp.* ibi: *Respondeò dicendum, quod duplex est coactio, vel violentia, una quæ facit necessitatem absolutam, & tale violentum dicitur à Philosopho, violentum simplicitèr, ut cum quis aliquem corporalitèr impellit ad metum: Alia, quæ faciat necessitatem conditionatam, & hanc vocat Philosophus violentum mixtum, sicut cum quis projicit merces in mare, ne periclitetur, & mixto violento, quamvis hoc quod fit, non sit per se voluntarium, tamen consideratis circunstantiis hic, & nunc voluntarium est, & quia actus in particularibus sunt, ideò simplicitèr voluntarium est, sed secundum quid involuntarium indè hæc violentia, vel coactio potest esse in consensu, qui est actus voluntatis, non autem prima, & quia hæc actis fit, ex hoc quod timetur, aliquod periculum imminens, ideò is-*

ista vis idem est, quod metus, qui voluntatem cogit quodammodo, sed prima vis cadit in corporalibus actibus. Et quidem metus matrimonio valdè contrarius est: nam matrimonium significat conjuctionem Christi ad Ecclesiam, secundùm libertatem amoris factam, ac proindè fieri nequit per consensum coactum. Deindè vinculum matrimonii est perpetuum: undè illud quod perpetuitati repugnat, matrimonium tollit, metus autem, qui cadit in constantem virum perpetuitatem contractus tollit, quia potest peti restitutio in integrum, & ideò talis coactio metus, quæ cadit in constantem virum, tollit matrimonium. *D. Thom. in 3. p. Suppl. q. 47. art. 3.* Nec qui coactus contraxit procreationi prolis intendit: & facilè adulteria committentur, cum præjudicio fidei conjugalis. Ideò volens Ecclesia matrimonia omninò libera ob perpetuitatem vinculi, & conjugalis societatis arduitatem, statuit, metum esse impedimentum matrimonium dirimens, ac proindè matrimonium metum contractum nullum declaravit, *cap. 14. cap. 15. cap. 28. h. t. L. 15. tit. 2. p. 4.* ibi: *La setena cosa, que embarga el casamiento, que non se faga, es fuerza, ò miedo, la fuerza se debe entender desta manera, quando alguno aducen contra su voluntad, ò le prenden, ò ligan, è le facen otorgar el casamiento: ò otrosi, el miedo se entiende, quando es fecho en tal manera, que todo ome, maguer fuese de gran corazon, se temiese de él.* Et quidem solus metus gravis à causa libera injustè incussus, & ad matrimonium extorquendum, etiamsi non incutiatur ab eo, qui matrimonium intendit contrahere, sed ab alio, & etiamsi metum patiens sua culpa in metum inciderit, si incutiens non habet jus incutiendi, irritat matrimonium, *cap. 14. cap. 15. h. t.* sicut alii contractus ex simili metu provenientes rescindibiles sunt. *L. 14. §. 3. ff. Quod metus causa. L. 15. tit. 2. p. 4.* Cogitur aliquis metu, quando aliquid facit, quod alias non vellet ad evitandum id, quod timet. In hoc tamen constans ab inconstanti distinguitur, quantum ad duo: primo quantum ad qualitatem periculi, quod timetur, quia constans requirit rationem rectam, per quam scit, quid pro quo dimittendum sit, vel faciendum. Semper autem minùs malum, vel majus bonum eligendum est, & ideò constans ad minùs malum sustinendum cogitur metu majoris mali: non autem cogitur ad majus malum, ut vitet minus malum, sed inconstans cogitur ad majus malum propter metum minoris mali, scilicèt ad peccatum propter metum corporalis pœnæ, sed pertinax è contra, non potest cogi, etiam ad minùs malum sustinendum, vel faciendum, ut vitet majus malum: undè constans est medius inter inconstantem, & pertinacem. Secundo differunt, quantùm ad æstimationem periculi imminentis, quia constans non nisi ex forti æstimationi, & probabili cogitur, sed inconstans ex levi. *Prov. 28. fugit impius nemine persequente. Div. Thom. 3. p. Suppl. quæst. 47. art. 2.* In particulari ergo metus gravis, seu cadens in constantem virum est metus mortis, carceris, privationis officii, damni gravis in rebus, vel alia similis, vexatio. *L. 15. tit. 2. p. 4.* metus reverentialis conjunctus cum indignatione parentum, & mala tractatione, etiam gravis, & irritans matrimonium censetur. *Sanch. de Matrim. lib. 4. D. 12.* Non tamen æquè gravis metus requiritur in fœmina ad nullitatem matrimonii, quam in viro: quia cum hæc sua natura, sit inconstantior, & dibilior, minor metus conturbat fœminam, quam virum, ideòque minor metus in ea, quam in viro censetur gravis; sed hoc quando casus particularis contingat, arbitrio Judicis relinquitur. *Santh. de Matrim. lib. 4. D. 3.* & generalitèr dicendum est quod tunc metus gravis dicitur cadere in constantem virum, quando hæc duo concurrunt, scilicèt, & quod malum, quod timetur grave sit judicio prudentum, & quod gravi, seu probabili ratione timeatur; tamquam imminens. *Suar. de Relig. tom. 2. lib. 1. de Voto, cap. 8.* Et quamvis in Textibus citatis matrimonium metu gravi contractum potius antiquiori jure supponatur jam irritum, quam Legem irritantem ipsi statuerant, credendum est, talem impedimentum, vel viva voce, vel scripto ab Ecclesia inductum, licèt Text. nunc non inveniatur. Nec indè licèt inferre, matrimonium metu contractum, irritum esse Jure Naturæ, quia Jure Naturæ ad matrimonii valorem, sicut aliorum contractum, aliis requisitis suppositis, nil aliud est necessarium, quam consensus verè voluntarius; licèt non sit spontaneus; quam quidem consensum, licèt metus minuat, non tamen destruit. *L. 21. §. 5. ff. Quod met. caus.* Neque baptismus metu susceptus, *cap. 3. de Baptism.*

cap. 5. *D.* 45. Nec juramentum metu præstitum irritatur, *cap.* 8. *cap.* 15. *de Jur. jur.* Imò nec ipsum matrimonium metu intrinseco, seu à causa necessaria proveniente, nec metu levi contractum, est irritum: & certum est, talem metum voluntarietatem minuere, & spontaneitatem tollere, consequentèrque, tale matrimonium, metu non obstante, est validum de Jure Naturæ: ac proindè hoc impedimentum precisè à Jure Ecclesiastico est inductum. Et ita tenent *Sylv. Tabien. Navar. Sot. Henriq. Sanch. de Matrim. lib.* 4. *D.* 14. *n.* 2. *Suar. de Relig. tom.* 2. *lib.* 1. *de Vot. cap.* 8. *n.* 9. *& alii*, contra *Scot. Covarr. Mol. de Just. tr.* 2. *D.* 326. *n.* 14. *Ponc. de Matrim. lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 4. *Gonz. in cap.* 15. *h. t. n.* 5. Qui tenent, tale matrimonium esse irritum Jure Divino, & Naturali, & sentire videtur. *D. Thom. in* 4. *D.* 29. *q. unic. art.* 3. *q.* 1. Quando verò metus non est incussus ad extorquendum matrimonium, sivè proveniat à causa naturali, sivè libera, quantumvis gravissimus, non reddit irritum matrimonium, quia tunc homo non ab alio impellitur ad matrimonium, sed à se ipso: cum nullus matrimonium exigat, sed ipse contrahens voluntariè matrimonium eligit, tamquam medium ad periculum animæ, vel corporis evadendum, sicut votum simili metu factum est validum, *cap.* 17. *de Regular.* quam conclusionem certissimam apud omnes appellat. *Sanch. de Matrim. lib.* 4. *D.* 12. *n.* 3. Undè infert, validum esse matrimonium contractum cum concubina metu præsentis mortis ex morbo, vel naufragio, vel ex consilio Medici, ad evitandam mortem, quæ propter humoris abundantiam, timetur eventura; vel si morte damnatus ducat meretricem ad mortem evadendam; vel si alius ei offerat immunitatem, si talem fœminam ducat, vel si Medicus non alitèr ægrotum curare velit, nisi ægrotus suam filiam in uxorem ducat; vel si obsessus Princeps offerat obsidenti suam filiam, ut obsessionem solvat, & alia hujusmodi. Matrimonium metu gravi injustè incusso contractum est nullum in utroque foro: quia non adest consensus requisitus ad ipsum, *cap.* 14. *h. t. Et in cap.* 2. *de Eo, qui duxit.* Illi, qui postquam metu cum una contraxit, deindè aliam duxit, facultas datur, ad secundam revertendi; quæ facultas non posset dari, si matrimonium primum in conscientia fuisset validum. *Div. Thom. in* 4. *D.* 29. *q. un. art.* 3. *quæstiunc.* 1. *in corp. Sot. Navarr. Sanch. de Matr. lib.* 4. *D.* 12. *n.* 18. contra *alios apud ipsum.*

38 Matrimonium simili metu contractum, nec adjecto juramento firmatur: imò juramentum non valet, nec quidem obligationem Religionis producit, *cap.* 2. *de Eo, qui duxit.* Quia matrimonium irritatur, non tàm ob privatam contrahentium, quàm ob publicam utilitatem. Et per metum contrahentes inhabiles reduntur, ac proindè, nec juramentum confirmat contractum, nec ipsum valet; *arg. cap.* 12. *de Foro comp.* maximè cum juramentum sequatur naturam contractus, cui accedit. *Gloss. in cap.* 2. *de Eo, qui duxit.* V. *Tanta. Abb. Sylv. Sanch. de Matr. lib.* 4. *D.* 20. *num.* 12. *& alii*, contra *Richard. & alios*, qui fundantur in *cap.* 22. 22. *q.* 4. ibi: *Quæsivi, quid tibi agendum sit de Hubaldo Parochiano tuo, quia captus, & timore necis impulsus suæ concubinæ juramento firmavit, ipsam in conjugem suscipere, propriamque matrem cum fratribus de domo expellere, nihilque eis alimoniæ unquam impendere: quia verò, quam priùs concubinam habuerat non est peccatum in conjugem suscipere, matrimonium sit in Deo firmum, & stabile.* Nam respondeo, quod in hoc casu distinguendum est juramentum de contrahendo cum concubina, & juramentum expellendi matrem à domo. Primum juramentum est de re licita, ac proindè potest adimpleri, si purgato per subsequentem consensum metu, ipse matrimonium cum ea contrahere velit: in quo nullum est peccatum. Secundum verò, cum sit de re illicita, adimpleri nequit, sed non dicitur, quod necessariò debeat primum juramentum adimpleri, etiam stante metu. Alias solutiones afferunt alii cum *Sanch. de Matrim. lib.* 4. *D.* 20. *num.* 13. Matrimonium tamen metu contractum potest revalidari, purgato metu, *cap.* 21. *h. t. L.* 15. *tit.* 2. *p.* 4. Et quidem, non tantùm, quando expressè constat de consensu, sed etiamsi de consensu tacito constet, ut notat *Gregor. Lop. ibid.* Si post matrimonium metu contractum in facie Ecclesiæ sequatur copula spontanea, cum ex ea præsumitur consensus conjugalis, matrimonium etiam post Tridentinum confirmatur, *cap.* 21. *cap.* 30. *h. t.* secus si & ipsa copula metu sit extorta. *Sanch. de Matrim. lib.* 4. *D.* 18. *ex num.* 10. Similitèr si conjuges cohabitent post matrimonium metu contractum, cum scivissent nulli-

ta-

tatem matrimonii : & talis cohabitatio sit spontanea (quia jam cessarit causa timoris) & diuturna arbitrio Judicis, creditur ; etiam post Tridentinum matrimonium ratificatum ex præsumptione juris, & de jure, *cap.* 21. *h. t. ibid. Glos.* V. *Per annum. Sanch. de Matr. lib.* 4. *D.* 18. *n.* 3. *Gonz. in cap.* 21. *h. t. n.* 5.

39 *Metus levis*, etiam injustè incussus, cum facilitèr possit superari, nec in virum constantem cadat, non irritat matrimonium : alias plurima matrimonia essent nulla, vel dissolvenda cum maxima perturbatione Republicæ Christianæ in grave animarum detrimentum ; *arg. cap.* 15. *h. t.* Metus gravis ab intrinseco, seu causa non libera proveniens : v. g. metus mortis ex morbo, vel naufragio non irritat matrimonium, nec alios contractus rescindit. Nec item irritat metus, etiam à causa libera proveniens, si justè incutiatur, vel à Judice, vel ab alio habente jus illum incutiendi, quia ipse contrahens sibi hunc metum infert. *L.* 21. *ff. Quod met. caus.* Sic valet matrimonium, si Judex Ecclesiasticus per Censuram aliquem compellat ducere puellam, cum qua contraxit sponsalia, vel quam sub spe, & promissione nuptiarum decepit, & corrupit. Si juvenis sine promissione, vel spe matrimonii virginem corrumpat, cum solùm teneatur ad ducendam, vel dotandam disjunctivè; *arg. cap.* 2. *de Adulter.* Si Judex minetur carcerem ærumnosum, si non ducat, injustè incutit metum, ac proindè matrimonium eo contractum est nullum. *Sanchez, de Matr. lib.* 4. *D.* 13. *n.* 7. Quod si juvenis cum puella à patre inventus, ut vitet accusationem coram Judice, quam pater minatur, cum ea contrahat, valet matrimonium. Si verò minetur mortem, cum ad hoc non habeat jus, hic metus erit injustus, & irritabit, *cap.* 15. *h. t.* Similiter valet matrimonium, si Princeps ob metum belli justè illati contrahat cum filia inferentis bellum ad consequendam pacem, vel si reus in carcere detentus, ut ab eo liberetur cum filia custodis contrahat. *Hostiens. Joann. And. Less. L.* 2. *de Justit. cap.* 17. *ex num.* 37. *Sanch. de Matrim. lib.* 4. *D.* 13. ubi alios, qui aliter sentiunt refert, & impugnat.

40 Matrimonium metu contractum adeò nullum est, ut neque metum inferens maneat ex sua parte obligatus ad matrimonium, si vim passus illud inire vellit, sed potest, etiam parte invita, resilire siquidem non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum *cap.* 51. *de Reg. jur. in* 6. nec consensus metum inferentis est absolutus, sed tacitè conditionatus, si scilicèt altera compars maneret obligata. Cum ergo ex parte coacti non resultet obligatio, nec resultare debet ex parte cogentis, ne contractum natura sua reciprocum claudicare sine positivo fundamento dicamus. Et in hoc differt matrimonium ab aliis contractibus : quippè qui metu extorti rescinduntur tantùm ad instantiam metum passi, quia jure subsistunt, & ex parte coacti obligationem efficacem adversus cogentem producunt, quod non accidit in matrimonio, quod absolutè est nullum. *Sanch. de Matrim. lib.* 4. *D.* 15. *n.* 5. *& alii*, contra *Sylv. Navar. Man. cap.* 22. *num.* 51. Si tamen metum inferens non aliter quam matrimonium contrahendo damnum ab eo illatum potest reparare, ad hoc tenetur, & potest à Judice compelli. Sic quidem æquitate, & ratione naturali dictante. Et sic intelligitur. *Text. in cap.* 1. *de Eo, qui duxit.* Mulier intendens nullitatem matrimonii ex metu, illum debet probare, siquidem metus illatio est quid facti, quod non præsumitur, nisi probetur, & metum intervenisse, & gravem esse, *cap.* 28. *h. t.* In dubio valoris, vel nullitatis matrimonii pro matrimonio, quod jam in possessione est, pronuntiatur, & insuper quia causa favorabilis est. *Sanch. de Matrim. lib.* 4. *D.* 27. *Laym. L.* 5. *tr.* 10. *part.* 2. *cap.* 5. *n.* 4. Et ob Sacramenti reverentiam, & ut vitentur inconvenientia, quæ ex facili dissolutione matrimoniorum sequerentur, *cap.* 47. *in fin. de Testibus. Sanch. de Matrim. lib.* 4. *D.* 27.

41 Impedimento metus est proximum impedimentum raptus. *Hic prout in præsenti est violenta de loco in locum matrimonii contrahendi causa abductio fœminæ cujusque, sivè virgo, sivè corrupta, sivè etiam meretrix sit. Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 13. *n.* 14. Antiquitus inter raptorem, & raptam tantùm prohibebatur matrimonium ; validè tamen contrahebatur, *cap.* 4. *cap.* 9. *cap.* 10. 36. *q.* 2. posteà fuit statutum, quod inter raptorem, & raptam non tantùm validè, sed, & licitè matrimonium contraheretur, etiam in potestate raptoris ipsa constituta : si liberè consentiret, *cap. fin. de Raptor. Sanch. de Matrim. L.* 7. *D.* 12. *ex num.* 41. *sed ex Trid. sess.* 24. *de Ref. matr. cap.* 6. Inter raptorem, & raptam statutum est impedimen-

tum dirimens, si raptus contingerit, puella invita, (secus ea consentiente, etiam suis parentibus invitis) & raptor non pro alio, sed pro se rapiat: nam si pro alio rapiat, potest cum ea contrahere. Et hoc impedimentum durat, dum mulier est in potestate raptoris, ac proindè cessat ea in loco tuto, & libero constituta: tuncque cum ea validè, & licitè contrahere valet. *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 13.* Si forte fœmina rapiat virum, etiam non servata forma Trid. potest cum eo contrahere: ac proindè, si ipse liberè consentiat, etiamsi in potestate raptricis sit, valet matrimonium. Nam cum Constitutio Trident. sit pœnalis, & odiosa, non debet extendi ultra casum expressum, qui tantùm est de raptore, non de raptrici; & cum hoc rarissimè contingat, non venit in Legis consideratione, quæ ad frequentèr contingentia ordinatur: nec est in utroque casu eadem ratio, nam gravius delictum committit vir rapiens fœminam, majusque scandalum sequitur, graviorque ipsi, & ejus parentibus irrogatur injuria, quam è contra: quando fœmina rapit virum. *Barbos. ad Trid. sess. 24. de Reform. matr. cap. 6. n. 5. Gonz. in cap. fin. de Raptor. n. fin. Sanch. de Matrim. lib. 7. disp. 12. num. 25. Ponc. de Matrim. L. 7. cap. 69. n. 6.* contra *Bald. Tiraq. Henriq. Gutierr. & alios.* Si quis sponsam invitam rapiat, pœnis. *Trident.* tenentur; nam Text. *in cap. 6. de Raptor.* excusat à raptu obductionem desponsatæ de ejus consensu factam: nam tunc non læditur libertas matrimonii, cum ipsa ad hoc sit obligata, *cap. 10. h. t.* ac proindè includere videtur casum, quo invita abducatur, nam licèt rapiens sponsam recipiat, quod suum est; non tamen accipit modo legitimo, debebat enim non authoritate propria, sed authoritate publica eam vindicare, quod præcipuè habet locum, si ipsa justam causam resiliendi habeat: quippè tunc idem est, ac si sponsalia non præcessissent. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 13. num. 15.* contra *Henriq. de Matrim. lib. 12. cap. 14. num. 5. & alios.*

TIT. II.

De Desponsatione impuberum.

42 SPonsalium contractus est actus humanus, qui ad sui valorem exigit Jure Naturæ usum rationis in utroque contrahente: quo, saltem in uno deficiente, Jure Naturali sunt invalida sponsalia, etiamsi à parentibus nomine filiorum sint contracta, *cap. un. h. t. in 6. L. 6. tit. 1. p. 4.* & non solùm hoc intelligitur, quando sunt minores septennio: sed etiamsi contrahentes majores septennio sint. *L. 14. ff. de Sponsal.* Regulariter tamen requiritur, & sufficit septennium tàm in mare, quàm in fœmina ad contrahenda sponsalia; nam tunc sufficiens usus rationis ad ipsorum obligationem regulariter invenitur. *L. 14. ff. de Sponsal. cap. 4. cap. 5. cap. 13. h. t. cap. un. eod. in 6. L. 6. tit. 1. p. 4. D. Thom. in 3. p. Sup. q. 43. art. 2. in corp.* ibi: *Ante primum septennium nulli contractui homo aptus est, sed in fine primi septennii incipit esse aptus ad aliqua promittenda in futurum præcipuè de his, ad quæ ratio naturalis inclinat magis, non autem ad obligandum se perpetuo vinculo, quia adhuc non firmam habet voluntatem, & ideò tali tempore possunt contrahi sponsalia, sed in fine secundi septennii jam potest obligare sed de his, quæ ad personam ipsius pertinent, vel ad Religionem, vel ad conjugium, sed post tertium septennium, etiam potest de aliis se obligare. Sanc. de Matrim. lib. 1. D. 16. n. 7.* Hoc septennium, quando non constat, quod malitia suppleat ætatem, debet esse completum, non tantùm moraliter, ut cum aliis docet *Gutierr.* Sed etiam physicè, ut tenent *Barbos. in cap. 4. h. t. n. 2. Sanch. de Matrim. lib. 1. D. 16. num. 4. Gonz. in cap. 5. h. t. & alii.* Nam quando agitur de obligatione imponenda, verba Legis in sensu proprio accipi debent, & ideò 16. anni physicè completi requiruntur ad professionem religiosam. *Trid. sess. 25. de Reg. cap. 15.* Item regulariter 14. anni physicè completi sunt necessarii ad testamenti factionem. *L. 5. ff. Qui Testam.* similiter ergo debet sumi verbum: *Complesset, & compleverat.* Loquendo de septennio ad sponsalia *in cap. 4. cap. 5. h. t.* Nec sufficit, quod ultima dies septenii sit incepta, ut tenet *Sanch.* sed requiritur, quod sit completa de momento ad momentum, ut patet in ætate requisita ad professionem: nec aliter potest intelligi septennium physicè completum; nisi & ultima dies septenii completa sit. *Gonz. in cap. 5. h. t. n. 5.* Et quamvis *in L. fin. tit. 1. p. 4.* dicatur, V. *Poco menos*, clarè loquitur de casu, quo malitia suppleat ætatem. Et sic etiam intelligendus est. *D. Thom. in 3. p. Suppl. q. 43. art. 2. ad 7.* Sponsalia contracta ante usum rationis utriusque, quin & unius tan-

tantùm contrahentis, sunt nulla. Nam cum sint promissio mutua, si ex una parte claudicent non subsistunt ex altera, etiamsi una pubes, vel major septennio sit. Promissio tamen à pubere facta infanti in vim simplicis promissionis valet quin acceptationem ex parte infantis requirat; ac proindè nequit revocari; *arg. L. 5. C. de Emancip. liberorum*; possunt tamen à contrahentibus, postquam ad usum rationis accedent, talia sponsalia, vel expressè ratificari verbo, scripto, nutu, vel alio signo; vel saltem tacitè cohabitando, mittendo munera, vel aliud hujusmodi proprium sponsorum faciendo: & tunc convalescunt, dùm tamen sponsi sciant, se tempore infantiæ sponsalia contraxisse: & ea fuisse nulla: alias ex errore procedendo, nil agunt; cum nil tàm contrarium sit consensui, quàm error. *Ex L. 15. ff. de Jurisdict.* Quod quidem deducitur *ex C. fin. h. t. C. un. eod. in 6. L. 6. tit. 1. p. 4. Sanch. de Matr. L. 1. D. 16. n. 5. & 6.*

43 Si contrahentes sponsalia ante septennium in quacumque ætate, & quocumque modo, ut contra alios tenent *Sanch. de Matrim. lib. 1. D. 10. num. 14. & alii*, habeant usum rationis prudentiam, seu discretionem (quod dicitur malitiam supplere ætatem) hujusmodi sponsalia erunt valida, non solùm Jure Naturæ, *L. 4. L. 14. ff. de Sponsal.* sed etiam Jure Positivo: siquidem *ex cap. 3. de Sponsal.* constat, sponsalia contracta cum puella nondum septenni producere impedimentum publicæ honestatis, quod est signum validitatis sponsalium, & expresse habetur *in L. fin. tit. 1. p. 4.* ibi: *Esto se debe entender, si los desposados fuesen de edad de siete años cumplidos, ò poco menos, de manera, que hayan entendimiento para placerles las desposajas.* Nam ætas in sponsalibus, non est simpliciter definita. *L. 14. de Sponsal.* Et ætas septennii, quæ regulariter assignatur dependet à certa suppositione, scilicèt, usu rationis, adeò ut magis usus rationis, quam ætas spectetur: secus accidit in professione religiosa, & testamenti factione ubi ætas absolutè, & sine dependentia ab alia suppositione definitur: quod clarius patet in matrimonio, ubi licèt sit designata ætas 14. annorum, valet matrimonium, si malitia ætatem suppleat. Similiter ergo dicendum est in sponsalibus. *D. Thom. in 4. D. 27. q. 2. artic. 2. ad 7. D. Antonin. Joann. And. Covarr. Gutierr. Sanch. de Matrim. lib. 1. D. 16. n. 9. Gonz. in cap. 5. h. t. n. 4.* contra *Angel Fachin. & alios.* Tunc malitia, seu prudentia creditur, ætatem supplere, si quis posset peccare mortaliter: nam id sufficit, ut se obliget per votum solemne Ordinis Sacri, & simplex Religionis, quare ergo non sufficiet, ut se obliget per sponsalia? Quorum obligatio facilius dissolvitur, scilicèt per illius tantum voluntatem, cum ad pubertatem perveniat. *Sanch. de Matrim. L. 1. D. 16. n. 16. cum pluribus, quos n. 9. citat*, contra *D. Thom. in 4. D. 27. q. 2. art. 2. ad 2. Henriq. de Matr. L. 11. cap. 13. n. 9. & alios.*

44 Si impuberes majores septennio contrahunt sponsalia, neuter etiam mutuo consensu ante pubertatem resilire potest: ne ex fragilitate judicii temerè, sponsalia sæpè contrahant, & dissolvant: pubertate tamen adepta, etiam sine alia causa resilire possunt, etiam in foro conscientiæ, ne firmitèr observare teneantur, quod judicio immaturo fecerunt, *cap. 7. h. t. Sanch. de Matrim. lib. 1. D. 51. n. 19.* Nec ille, qui primo fit pubes alterum debet expectare, *cap. 7. h. t.* quia etiam altero pubertatem adepto, reclamare, & resilire potest; ut quid alterius pubertatem expectabit? Cum frustra expectetur eventus, cujus nullus est effectus; *arg. cap. 36. de Offic. delegat.* Si verò non statim resiliat, sed rata habeat sponsalia, alterius pubertatem spectabit. *Sanch. de Matrim. lib. 1. D. 51. num. 9. & 14.* Si tempore contractus unus erat pubes, non ipse etiam de impuberis consensu, sed impubes potest resilire, cum ad pubertatem perveniat: quod si stare velit contractui, pubes etiam stare tenetur, *cap. 7. h. t.* Et tunc claudicat contractus in favorem impuberis. *Sanch. de Matrim. L. 1. D. 51. n. 10.* nisi aliam justam causam resiliendi habeat pubes: nam tunc resilire potest; v. g. ob metum, *cap. 11. h. t.* Licèt ad ratificanda sponsalia à minoribus septennio contracta, quia nulla fuerunt, novus consensus requiratur verbo, vel facto, tempore pubertatis exprimendus: at verò, ut rata sint contracta à majoribus septennio, cum sint valida, sufficit taciturnitas illorum, seu quod non reclament statim cum possunt, & ipsis hoc jus competere sciant. Statim & illico reclamare censetur, qui reclamat intra triduum, etiam postquam pubertatem sit ingressus. *L. fin. C. de Judic. Sanch. de Matr. lib. 1. D. 51. n. 14.* Juramentum sponsalibus adjectum ab impuberibus nondum proximis pubertati sequi-

quitur sponsalium naturam: ac proindè in illo subintelligitur hæc conditio; nisi pubes factus reclamet. *Ponc. de Matrim. lib.* 12. *cap.* 9. *n.* 8. At verò si sponsalia sint juramento firmata ab impuberibus proximis pubertati, ita confirmantur, ut nulli ex eis liceat resilire: quia illis esset periculosum contra juramentum venire, *cap.* 10. *de Sponsal. Covarr. de Spons. p.* 1. *cap.* 5. §. 1. *n.* 3. *Sanch. de Matrim. lib.* 1. *D.* 51. *ex n.* 22. *& alii*, contra *Joan. And. & alios.* Proximus pubertati censetur masculus, si decimum annum cum dimidio, & fœmina nonum cum dimidio excedat. *L.* 6. *tit.* 5. *p.* 6.

45 Ad matrimonium contrahendum nulla determinata ætas Juræ Naturæ requiritur; sed tantùm usus rationis, seu discretio: major quidem, quam ad sponsalia ob strictiorem obligationem, & vinculi perpetuitatem. Profecto in homine paulatim ratio convalescit, secundum quod quietantur motus, & fluxibilitas humorum, ut ait *D. Thom. in* 3. *p. Sup. q.* 43. *art.* 2. *in corp.* Sicut etiam major maturitas ad professionem, quam ad matrimonium à jure requiritur ob arduitatem negotii, quia Religio est earum rerum, quæ sunt suprà inclinationem naturæ, quæ majorem difficultatem habent, quam matrimonium. *D. Thom. in* 4. *D.* 36. *q. un. art.* 5. Deindè requiritur, quod corpora sint habilia ex se ad generationem, licèt non sint proximè habilia. *Arist. D. Thom. in* 3. *p. Sup. q.* 53. *art.* 2. *ad* 3. *Sanch. de Matr. L.* 7. *disp.* 104. *n.* 19. Jure Ecclesiastico requiritur, quod contrahentes sint puberes, *cap.* 6. *cap.* 10. *cap.* 11. *h. t. D. Thom. in* 4. *dist.* 36. *q. un. art.* 5. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *disp.* 104. *n.* 9. *Gonz. in cap.* 2. *h. t. n.* 7. *& comm. DD.* Idem est de Jure Civili. *Princ. Instit. de Nuptiis.* Et de Jure Hispano. *L.* 6. *tit.* 1. *p.* 4. ibi: *Mas para casamiento facer, ha menester, que el varon sea de edad de catorce años, è la muger de doce.* Puberes ergo censentur masculus post 14. fœmina post duodecimum annum completum, *cap.* 6. *cap.* 10. *cap.* 11. *h. t.* ob specialem tamen favorem matrimonii sufficit, quod ultima dies sit incœpta, licet non completa, quamvis hoc non sufficiat in sponsalibus. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *disp.* 104. *n.* 2. quia in hac ætate regulariter, præter sufficientem usum rationis, & maturitatem judicii jam habent generandi potentiam, & facultatem. Et quidem citius fœminæ, quia debilior, advenit pubertas. Nam regulariter minùs perfecta citius in sua linea perficiuntur. *Macrob. L.* 7. *Saturnal, cap.* 7. ibi: *Quod citò admoventur generationis fœminæ non nimii caloris, sed naturæ infirmioris est: ut exilia poma celerius maturescunt, robusta serius.* Etiam consentiunt *Aristot. Gonz. in cap.* 3. *h. t. n.* 3. *& alii*, quamvis usus rationis æqualiter in utroque affulgeat in septennio. *D. Thom. in* 3. *p. Sup. q.* 43. *art.* 2. *ad* 3. Hinc est, quod infideles, qui Lege Ecclesiastica non tenentur, validè possunt contrahere matrimonium, etiamsi impuberes sint, dum alias Jure Naturæ inspecto, habiles ad matrimonium inveniantur. Matrimonium à puberibus contractum, etsi non possint carnaliter commisceri, validum est: nam Jure Ecclesiastico non requiritur actualis potentia ad generandum; dùm impotentiam absolutam non habeant; alias qui ob corporis infirmitatem non posset copulam exercere, invalidè contraheret; quod falsum est. *Abb. Covarr. de Spons. p.* 2. *cap.* 5. *num.* 2. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 104. *n.* 15. Pontifex, ut Superior omni Jure Ecclesiastico, benè potest in hoc impedimento ex defectu ætatis dispensare ex justa causa, & sic aliquando dispensarunt Pontifices, maximè pro bono pacis, *cap.* 2. *h. t.* nam pro pace plura admittuntur quæ alias prohiberentur, *cap.* 10. 3. *q.* 6. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 104. *n.* 11. ubi dicit, quod Pontifex potest dispensare, ut matrimonium in quacumque ætate initum valeat, modo pueri rationis usus participes sint, sicut in quocumque alio Jure Humano dispensare valet, *cap.* 4. *de Conces. præbend.* Et probabiliter potest etiam Episcopus in casu urgentissimo cum impuberibus dispensare: præsertim, si dubium sit, an malitia suppleat ætatem. Sic contra *Fagnan. & alios* tenent *Covarr. in C. Alma, p.* 1. §. 7. *n.* 8. *Suar. de Leg. L.* 6. *cap.* 14. *n.* 8. *Sanch. de Matr. lib.* 7. *disp.* 104. *n.* 12. *Barbos. & Gonz. in cap.* 2. *h. t. n.* 7.

46 Aliquando malitia supplet ætatem: tunc videlicèt, quando in impubere invenitur simul, & copulativè habilitas ad generandum, & sufficiens discretio ad matrimonium, vinculique perpetuitatem cognoscendam: *arg. cap.* 6. *h. t.* Et tunc validè contrahit impubes matrimonium etiam sine ulla dispensatione, *cap.* 9. *cap. fin. h. t. L.* 6. *tit.* 1. *p.* 4. Nam ætas solum assignatur dependenter à suppositione, quod anteà malitia non præveniat ætatem. *Gutierr. de Matr. cap.* 2. *n.* 23. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *disp.* 104. *n.* 5.

n. 5. & *n.* 21. *Gonz. in cap.* 2. *h. t. n.* 7. & *cap.* 3. *n.* 4. & *alii.* Si unus, vel duo impuberes, in quibus malitia non supplet ætatem per verba de præsenti matrimonium contrahant, non valet tale matrimonium, nec lapsu temporis, nisi alitèr approbetur, convalescit. Et quidem hoc districtè fieri prohibetur *in cap.* 2. *h. t.* ac proindè sub culpa gravi prohibetur ob gravem irreverentiam, quæ Sacramento irrogaretur. Nam attentatur invalidi Sacramenti administratio. Si tamen ob aliquam urgentissimam necessitatem fiat, à culpa tales excusarentur; necessitas namque matrimonium cohonestaret. Et certè, quando tale matrimonium ab impuberibus defacto contraheretur, licèt non valeret, ut matrimonium; ex præsumpta tamen contrahentium voluntate, & juris interpretatione talis promissio in vim sponsalium valeret, *cap. fin. h. t. cap. un. eod. in* 6. *l.* 6. *tit.* 1. *p.* 4. ibi: *E si ante de este tiempo se casasen algunos, non seria casamiento, mas desposajas.* Quippè actus, qui non valet, ut agitur, eo modo, quo valere potest: nisi expressè velint contrahentes excludere sponsalia; & sic intelligitur, *L.* 9. *ff. de Spons.* Nam tunc non habet locum præsumptio, sed ipsa cedit veritati, ne actus agentis ultra ejus voluntatem extendatur. Contra *L.* 19. *ff. de Reb. cred. Covarr. de Sponsal. p.* 1. *cap.* 3. *Sanch. de Matr. lib.* 1. *D.* 21. *num.* 2. *Barbos.* & *Gonz. in cap. fin. h. t. n.* 4. contra *alios.* Et tunc habet locum illa regula. *Quod potuit, noluit; quod voluit, non potuit.* Si duo, vel saltem unus impubes contrahat matrimonium clandestinum, hoc habet vim sponsalium: etiam hodie: nam Tridentinum, ut lex correctoria Juris Communis non extenditur, nisi ad illum contractum, qui esset matrimonium: & cum hic contractus Jure antiquo non esset matrimonium, sed in sponsalia resolveretur, *cap. un. h. t. in* 6. ideò etiam post *Trid.* sustinetur talis promissio clandestina in vim sponsalium *Navarr. Man. cap.* 22. *n.* 57. *Gutierr. Sanch. de Matrim. lib.* 1. *D.* 21. *num.* 5. *Gonz. in cap. fin. h. t. num.* 4. qui ita declaratum à Cardinalibus testatur. Quando verò duo puberes matrimonium clandestimum contrahunt, cum Trid. decernat, talem contractum absolutè esse irritum, & invalidum ex defectu formæ, nec in vim sponsalium sustinetur. Et ita declaratum testatur. *Gallemart. ad Trid. sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 1. *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 32. *ex cap.* 143. *Sanch. de Matr. L.* 1. *disp.* 20. *n.* 3. Et *Gonz. in cap. fin. h. t.* & *alii*, contra *Henriq. Laym.* & *alios*, quod si voluerunt, se ad sponsalia obligare, valet promissio clandestina, ut sponsalia; nam per Tridentinum matrimonia, non verò sponsalia clandestina irritantur.

TIT. III.

De Clandestina desponsatione.

47 MAtrimonium *triplicitèr clandestinum* dicitur. 1. quia solemnitates legales deficiunt, v. g. quia fit sine notitia consanguineorum, vel sine constitutione arrharum. 2. quia denuntiationes, seu proclamationes publicæ, *Hispanè*: *Amonestaciones* omittuntur, 3. quia non celebratur in facie Ecclesiæ coram Parocho, & testibus. *L.* 1. *tit.* 3. *p.* 4. Et præcepto Lateranensis Concilii *in cap. fin. h. t.* renovato *à Trid. sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 1. debent præcedere ad matrimonium, & quidem sub gravi, quia præceptum est in materia gravi. *Sanch. de Matrim. lib.* 3. *D.* 5. *n.* 6. proclamationes publicæ tribus diebus festivis continuis, ut si quis aliquod sciat impedimentum, illud manifestet Parocho. *L.* 1. *tit.* 3. *p.* 4. Et possunt quocumque tempore fieri, etiamsi nuptiæ tunc prohibeantur celebrari, ut in tempore Adventus, & Quadragesimæ. *Gonz. in cap. fin. h. t. num.* 7. & *Barbos.* Et debent fieri in Ecclesia, & intra Missarum solemnia ob majorem populi concursum, ut facilius impedimenta detegantur. Undè si die profesto, & extra Ecclesiam, v. g. ad concionem audiendam Populus concurreret, cum sic Concilii finis obtineatur, ibi possent fieri proclamationes. *Sanchez, de Matrim. lib.* 3. *D.* 6. *n.* 9. *Gonz. in cap. fin. h. t.* sed in huc standum est cujusque Ecclesiæ consuetudini: Matrimonium sine eis celebratum, quamvis illicitum, validum tamen erit, ut contra paucos certum est, & declaratum *à S. Congregat. Concil. Navarr. Gutier. Laym. Sanch. de Matrim. L.* 3. *D.* 5. *n.* 3. *Gonz. in cap. fin. h. t. n.* 7. Siquidem nullus Textus datur tale matrimonium irritans. Parochus quidem contrahentium, per se, si velit, vel per alium, etiam laicum, ut habet praxis, debet proclamationes facere, *cap. fin. h. t. Sanch. de Matr. lib.* 3. *D.* 6. *n.* 5. Si sponsi ad duas Parochias spectent in utraque fieri debent proclamationes. *Sanch. de Matr. L.* 3. *D.* 6. *n.* 4.

Gonz.

Gonz. in cap. fin. h. t. n. 7. Quibus factis possunt etiam alibi, ubi non sunt factæ proclamationes matrimonium contrahere. Sponsi, qui ante proclamationes Parochiam mutuarunt, proclamari debent in duabus Parochiis, si in illis impedimentum contrahere potuerunt: nam sic melius satis fit, & litteræ, & intentioni. *Text. in cap. fin. h. t. & Trid. sess.* 24. *de Ref. matr. cap.* 1. ibi: *Præcipit, ut in posterum, ante quam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia puplicè denuntietur inter quos matrimonium sit contrahendum. Junct. cap.* 7. *Sanch. de Matr. lib.* 3. *D.* 6. *n.* 6. contra *aliquos.*

48 *Trident. sess.* 24. *de Ref. matrim. cap.* 1. facultatem dispensandi in proclamationibus, etiam in tribus, reliquit judicio, seu conscientiæ, ut ait *Sanch. de Matrim. lib.* 3. *D.* 8. *n.* 4. & prudentiæ Ordinarii, quo nomine veniunt Archiepiscopus, Episcopus, Capitulum Sede-vacante, Sedis Apostolicæ Legatus in sua Provincia, Prælatus habens in certum territorium jurisdictionem quasi Episcopalem, Vicarius Generalis, saltem ex consuetudine, nisi hæc facultas specialiter illi restringatur, ut contra *Menoch. Henr. & Ponc. de Matrim. lib.* 6. *cap.* 31. *n.* 5. tenent. *Gutier. de Matrim. cap.* 56. *num.* 11. *Sanch. de Matrim. lib.* 3. *D.* 7. *n.* 10. *Gonz. in cap. fin. h. t. n.* 7. *& Salcedo*, qui asserit, praxim totius orbis sic recepisse: Imò possunt Episcopus, & Vicarius Generalis hanc facultatem alteri delegare, ut contra *Menoch.* tenent *Covarr. de Sponsal. p.* 2. *cap.* 8. §. 10. *n.* 1. *Sanch. de Matrim. lib.* 3. *D.* 7. *num.* 20. *&* 21. Si denuntiationes non fuerunt omninò remissæ per dispensationem, sed solùm prætermissæ, posteà supplendæ sunt post matrimonium contractum: sed ante ejus consummationem, ut impedimenta, si quæ sunt, detegantur. Et cum hoc præceptum sit in re gravi, tenentur conjuges sub mortali, non consummare, antequam denuntiationes fiant. *Sanch. de Matrim. lib.* 3. *D.* 11. *num.* 3. Sanè: Ordinarius nequit absque justa causa dispensare, in denuntiationibus: nam cum à Lege requirantur, peccabit graviter contra eam faciens in materia gravi: debet ergo præcedere cognitio, an absit omne impedimentum, & subsit justa dispensandi causa, sed hæc cognitio non est necessario judicialis, sed sufficit extrajudicialis, cum hoc relinquat concilium judicio, seu conscientiæ Episcopi. *Gutierr. de Matrim. cap.* 57. *n.* 2. *Sanch. de Matrim. lib.* 3. *D.* 8. *ex n.* 4. Justæ causæ dispensandi, vel in eis omnibus, vel in eo, quod una pro tribus fiat, sunt, quando Reges, vel Magnates contrahunt, vel si matrimonium semel solemniter celebratum sit ratificandum ob latens impedimentum, vel si prudenter timeatur, ne malitiosè impediatur matrimonium, vel si sponsi ludibrio exponerentur, ut quando contrahit nobilis cum plebeja, vel senex cum juvencula, & aliæ hujusmodi, quas afferunt. *Sanc. de Matr. lib.* 3. *D.* 9. *Gonz. in cap. fin. h. t. & alii.* Ordinarius non semper, ac potest, debet dispensare: nam teste Paniano *in L.* 40. *ff. de Judicii: non quidquid Judicis potestati permittitur id subjicitur juris necessitati.* Sic contra *aliquos* tenent *Sanch. de Matrim. lib.* 3. *D.* 10. *ex num.* 2. *Gutier. de Matrim. cap.* 57. *num.* 4. *Ponc. l.* 5. *cap.* 31. *n.* 6. *& alii.* Quando verò dispensatio ad bonum commune deservit; vel ad avertendum grave damnum in bonis animæ, corporis, aut fortunæ: vel ad adquirendum notabile bonum privatis, cum Episcopus ex officio bono subditorum providere teneatur, debet tunc dispensare; *arg. cap.* 28. *D.* 50. *cap.* 8. 2. *q.* 5. Parochus non potest in his denuntiationibus dispensare, cum totum hoc judicio Episcopi relinquat Trid. nisi fortè periculum sit in mora. V. g. si concubinarius in articulo mortis constitutus velit contrahere matrimonium ad vitandum animæ periculum, & prolem legitimandam. Tunc enim Parochus potest per Epiqueiam Legem interpretari, quasi tunc non obliget, quia impossibilis observari. *Soto, Gutier. Sanch. de Matrim. lib.* 3. *D.* 10. *num.* 27.

49 Qui scit impedimentum tenetur sub gravi illud manifestare, non solùm ex præcepto Ecclesiastico, sed etiam Jure Naturali, & Divino: siquidem hoc conducit ad vitandum peccatum proximi, & nullitatem, & irreverentiam Sacramenti. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 70. *art.* 1. *ad* 2. *Covarr. de Spons. p.* 2. *cap.* 6. §. 10. *n.* 21. *Navar. Henriq. Gutier. Sanch. de Matrim. lib.* 3. *D.* 13. *n.* 2. Etiamsi tale impedimentum sciat sub secreto commisso sub juramento, & etiamsi addatur: *hoc tibi detego sub sigillo confessionis*, dummodò non sit intra confessionem Sacramentalem. Nam nec secretum, nec juramentum obligant in præjudicium boni publici, aut tertii, *cap.* 28. *de Jure jur.* ma-

xi-

ximè quando nullitas, vel irreverentia Sacramenti resultaret. *D. Thom. 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2.* ibi: *Ad secundum dicendum, quod de illis, quæ homini, sunt commissa in secreto per confessionem nullomodo debet testimonium ferre, quia hujusmodi non scit, ut homo, sed tamquam Dei Minister, & majus est vinculum Sacramenti quilibet hominis præcepto. Circa ea verò, quæ alitèr homini sub secreto committuntur, distinguendum est: Quandoque enim sunt talia, quæ statim cum ad notitiam hominis venerint, homo ea manifestare tenetur, puta si pertinet ad corruptionem multitudinis spiritualem, vel corporalem, vel grave damnum alicujus personæ, vel si quid aliud est hujusmodi, quod quis propalare tenetur, vel testificando, vel denuntiando.* Quod quidem habet locum, etiam si solus sciat, nec illud possit probare: nam cum de peccato vitando agatur, ipsi creditur; *arg. cap. 12. de Sponsal.* Etiamsi tantùm ex audito sciat, si à personis fidedignis audivit, secus, si audivit à persona non fidedigna. Sic contra *aliquos* alitèr sentientes tenent *Sanch. de Matrim. lib. 3. D. 13. Gonz. in cap. fin. h. t. n. 7. & alii.* Imò, & ipse contrahens, si rogatus fuerit ab Episcopo de impedimento occulto, etiamsi nulla præcesserit infamia, illud manifestare debet, etiamsi impedimentum infamatorium sit: vel abstinere debet à matrimonio; *arg. cap. 10. de Renunt. Sanch. de Matr. lib. 3. D. 14. n. 2. Gonz. in cap. fin. h. t. n. 7.* Conscius impedimenti excusatur ab ejus manifestatione, si sciat, contrahentes dispensationem occultam pro foro conscientiæ impetrasse, vel si monendo ipsum impeditum; vel alia via possit vitare matrimonium: vel si timeat ex manifestatione grave oriturum scandalum, vel nullo modo esse profuturam. *Navarr. Man. cap. 22. num. 83. Sanch. de Matrim. lib. 3. D. 13. ex n. 3.*

50 Parochus sciens extra confessionem impedimentum debet matrimonii impedire celebrationem, *cap. fin. h. t.* Et etiamsi impedimentum sit occultum, & contrahentes publicè matrimonium contrahere intendant, debet ipse sicut quilibet alius: imò à fortiori, siquidem ei ex officio incumbit, Ordinario deferre, qui si discussa causa, nullum adesse impedimentum pronuntiet, Parochus tali matrimonio assistet. *Sanch. de Matrim. lib. 3. D. 15. ex n. 3.* Si Parochus in confessione sciat impedimentum, debet monere pœnitentem in ipsa confessione, non extra eam, ne contrahat matrimonium: quod si monitioni nolit obedire, tamquam indisposito negare debet absolutionem: si tamen monitione contempta, publicè matrimonium petat, debet Parochus matrimonio assistere: quia notitiæ confessionis nullus ad actus exteriores usus est, *cap. 2. de Offic. Ord. Sanch. de Matrim. lib. 3. D. 16. num. 4.* contra *D. Thom. D. Bonan. Suar. & alios*, á quorum opinione recedere cogor, ut magis sigillo Sacramenti consulam. Si Parochus, vel Ordinarius sciant impedimentum, & simul sciant, pro foro interno esse dispensatum possunt dissimulare, & impeditos matrimonio conjugere, cum tunc sine peccato contrahant: secus, si ipsis impedimentum ab alio denuntietur; nam tunc si pro foro externo hoc constet, debet Ordinarius compellere sponsos à matrimonio abstinere, vel dispensationem pro foro externo impetrare. Nam dispensatio, quam habebant, ut limitata ad forum internum, non habet effectum in foro externo; *arg. L. 16. ff. de Adquir. rer. domin.* limitata namque causa limitatum producit effectum. *Sanchez, de Matrimon. lib. 3. D. 15. ex num. 14. & alii.*

51 Omissis denuntiationibus sine causa, & posteà detecto impedimento dirimente quocumque, quod per denuntiationes sciri potuit, etiamsi contrahentes ignorent impedimentum, scientiam latentis impedimenti habere præsumuntur, ac proindè mala fide contraxisse, & ideò filii ex tali matrimonio nati, sunt illegitimi, *cap. fin. h. t. L. 3. tit. 3. p. 4.* ibi: *Porque casandose encubierto semeja, que sabian, que algun embargo habia entre ellos, porque lo non debian facer, ó á lo menos, que lo non quisieron saber. Sanch. de Matrim. lib. 3. D. 42. n. 4. & alii.* Si vero matrimonium erat irritum ex impedimento occulto, quod per denuntiationes non poterat detegi; v. g. ob defectum consensus in altero contrahentium, si alter conjux in bona fide fuisset, filii non erunt illegitimi, quia cum impedimentum non potuisset detegi, etiam per denuntiationes, non censetur, eos affectasse ignorantiam impedimenti. *Sanch. de Matrim. lib. 3. D. 42. n. 5.* Filii nati ex matrimonio valido, in quo fuerunt omissæ denuntiationes, legitimi sunt, nec ad hunc casum debet extendi constitutio pœnalis; *ex cap. fin. h. t.* Cum tantum loquatur de filiis ex matrimonio invalido natis; *arg. cap. 2. h. t. Sanch. de Matrim.*

lib. 3. *D.* 42. *n.* 8. Imò filii nati ex matrimonio clandestino invalidè contracto ob ignorantiam impedimenti, si hoc posteà publicetur, & nullo impedimento detecto approbetur ab Ecclesia, legitimi sunt, non tantum nati post Ecclesiæ approbationem, sed etiam antea nati, quia approbatio Ecclesiæ omne vitium matrimonii clandestini purgat, & præsumptionem affectatæ ignorantiæ tollit, ac proinde cessat ratio, *cap. fin. h. t.* Sic contra *Angel. Rosel. & Tabien.* tenent *Joan. And. Sylv. Covarr. de Spons. p.* 2. *cap.* 8. §. 2. *n.* 16. *v.* 12. *Sanch. de Matr. lib.* 3. *D.* 43. *n.* 4. Contrahentes sine præviis denuntiationibus, si posteà detegatur impedimentum dirimens matrimonium, dispensationis super eo obtinendæ spe privantur *à Trid. sess.* 24. *de Ref. Matr. cap.* 5. *quia dignus non est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cujus salubria præcepta temere contempsit.* Et licèt Trident. facultatem Pontificum ad dispensandum ligare non possit, tamen ut dispensatio valida sit, & non subreptitia, debet exprimi in supplicatione, denuntiationes fuisse omissas, *Sanch. de Matrim. lib.* 3. *D.* 45. *n.* 3. Hæ duæ pœnæ locum habent, etiamsi matrimonium coram Parocho, & testibus sit contractum, in odium omissionis denuntiationum, *cap. fin. h. t. Trid. sess.* 24. *de Reform. matrim. cap.* 5. Imò Parochus, vel alius Sacerdos de ejus licentia tali matrimonio assistens, vel etiamsi non prohibet, debet per triennium ab officio suspendi. Sed hæc suspensio non est latæ, sed ferendæ sententiæ, *quia Text. in cap. fin. h. t.* dicit: *suspendatur*: quod ministerium Judicis significat. Ita tamen suspensus ab officio non intelligitur à beneficio suspensus, cum sint distinctæ suspensiones, quarum una alteram non includit: ac proindè potest fructus beneficii percipere. Si tamen culpæ gravitas id exigat potest á Judice talis Parochus, etiam à beneficio suspendi, vel aliis pœnis puniri, *cap. fin. h. t. L.* 4. *t.* 3. *p.* 4. *Sanch. de Matrim. lib.* 3. *D.* 48. *ex n.* 2. In nostra Hispania contrahentes matrimonium; quod ab Ecclesia habetur ut clandestinum, testes, & alii in ipso intervenientes exilio, & privatione omnium bonorum puniuntur, & insuper est justa causa, ut parentes possint filios, vel filias, sic contrahentes exhæredare. *L.* 49. *Taur. L.* 1. *tit.* 1. *lib.* 5. *R. C.* quæ, & aliæ Leges aliquid circa matrimonia disponentes, vel requirentes consensum parentum, vel Dominorum justæ sunt, ac proindè servandæ: siquidem minimè sunt contra Jus Naturale cum non tolant alimenta filiis debita, sed tantùm legitimam, quæ jure tantùm positivo debetur, & quamvis disponant in materia ad Ecclesiam pertinente, nihil contra Jus Canonicum disponunt, sed potius ad faciliorem ejus observantiam cooperantur, ut dicitur *in L. fin. tit.* 3. *p.* 4. *Onde Nos porque habemos voluntad, que lo que Santa Eglesia manda, que sea guardado*, sic *Cajet. Sot. Azor, Molin. de Just. & jur. tract.* 2. *D.* 176. *Ponç. Laym. & alii* contra *Abbat. Sylv. Navar. Man. cap.* 24. *num.* 5. *Jul. Clar. Pract. q.* 83. *Covar. de Spons. p.* 2. *cap.* 3. §. 8. *n.* 5. *Sanch. lib.* 4. *de Matrim. D.* 25. *n.* 2.

52 Jure quidem Naturali nec irrita, nec illicita sunt matrimonia clandestina, sicut nec alii clandestini contractus: quam conclusionem certam esse ex *Trident.* asserit *Platel. cap.* 7. §. 5. *n.* 1113. *cum aliis* contra *Sanch. de Matrim. lib.* 3. *D.* 3. *n.* 8. *& alios*, sed ob gravissimas causas, & inconvenientia; quæ ex matrimoniis clandestinis oriebantur, quia scilicèt ob defectum probationis facilè dissolvebantur, & nova conjugia non legitima, sed potius adulterina cum gravissimo animarum periculo, & Reipublicæ incommodo, & perturbatione contrahebantur: ideò Ecclesia semper talia clandestina matrimonia detestata est, atque prohibuit, *cap.* 1. *& per tot.* 30. *q.* 5. *L.* 1. *tit.* 3. *p.* 4. sed non irritavit, *cap.* 2. *h. t.* donec *à Trid. sess.* 24. *de Ref. matr. cap.* 1. Tale matrimonium fuit irritatum: non quidem quasi directè irritetur Sacramentum; nam hoc non potest Ecclesia facere, sed indirectè; quatenùs irritato contractu legitimo, qui est materia Sacramenti, per consequens irritatur Sacramentum; sicut potest quis corrumpendo panem, vel vinum, facere, quod illis non possit confici Encharistia, licèt directè non sit in ejus potestate materiam tanti Sacramenti determinare, vel mutare. Requirit sanè Trident. copulativè, & indivisim ad Sacramenti valorem, quod celebratur à contrahentibus coram Parocho, & duobus, vel tribus testibus; adeò, ut non sufficiat præsentia Parochi sine testibus, nec præsentia testium, sine Parocho: nec præsentia Parochi potest per plures testes, etiam per concursum totius Populi suppleri; nam cum hæc ad formam præscriptam pertineat, propriè, & specificè ponenda est, non per equiva-

len-

valentia. *Sanch. de Matr. lib.* 3. *D.* 17. Hoc tamen Decreto, utpotè Lege Ecclesiastica, non tenentur Infideles, imò nec fideles, in quorum Provincia, vel Regno, vel Parochia, hoc Decretum non est publicatum, licèt sit publicatum in Diœcesi, vel si non est usu receptum, vel ex contrario usu abrogatum, vel derogatum; tenentur ergo solùm fideles; & ex his illi, in quorum locis hoc Decretum publicatum est, & usu receptum, etiamsi ignorent tale Decretum; nam quamvis ignorantia excuset à culpa, non potest supplere solemnitatis defectum. *Sanch. de Matr. lib.* 3. *D.* 17. *num.* 10. *plures citans.*

53 Ubi valet matrimonium clandestinum, si alter ex contrahentibus intendat, matrimonium esse contractum, & alter neget, solùm viro incumbit probatio, non verò mulieri; sivè ipsa affirmet, sivè negèt, ut expresse habetur *in cap.* 1. *h. t.* quia pro muliere stare videtur præsumptio, cum non sit verisimile, quod mulier neget veritatem, sivè circa matrimonium contractum, sivè non contractum. *Barbosa, & Gonzal. in cap.* 1. *h. t.* quamvis alii aliter sentiant. Si ita occultè sit contractum matrimonium, ut nequeat probari, si uterque matrimonium esse contractum asserat, ipsis creditur, & tale matrimonium ab Ecclesia approbatur, quia ipsi jam de eo constat per contrahentium confessionem. Si verò uterque, vel unus saltem, neget, non sunt cogendi cohabitare; quin, & separandi sunt, quippè Ecclesia non judicat de occultis, quæ nequeunt probari, *cap.* 11. *D.* 32. Si quis cum una contraxit clandestinè, quod nequit probare, & cum alia publicè: cum de 2. constet Ecclesiæ, secus de primo, ad secundum cogetur, secus ad primum. Qui verò primum matrimonium contraxit, non potest accedere ad secundam, quia non est sua, sed potius excommunicationem, quæ solùm in foro externo ligabit, tenetur sustinerè, *cap.* 44. *de Sent. Excommun.* Si matrimonium clandestinum publicetur, ex tunc habetur, ut si ab initio fuisset in facie Ecclesiæ contractum, *cap.* 2. *h. t.*

54 Parochus matrimonio assistens debet hæc, vel similia verba dicere: *Ego vos in matrimonio conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Trid. sess.* 24. *de Ref. Matr. cap.* 1. Sed hoc non requiritur ad valorem matrimonii: sed ex præcepto Ecclesiæ, ac proindè illa verba omittens peccabit, & quidem juxta aliquos gravitèr, sed venus solùm erit venialis talis omissio, cum tàlia verba non pertineant ad formam, nec ad magnam solemnitatem Sacramenti, nec magnum contineant mysterium. *Gutier. de Matrim. cap.* 69. *num.* 3. *Sanch. de Matrim. lib.* 3. *D.* 38. *ex num.* 4. *Gonz. in cap. fin. h. t. num.* 9. Fideles, id est, baptizati, etiam peregrini, & vagi, & etiam hæretici, qui ex loco ubi Trid. non est receptum veniunt; si in loco ubi Trid. est receptum, velint contrahere matrimonium, coram Parocho, & testibus illud contrahere debent, alitèr erit nullum, etiam si bona fide contrahant, & etiam sine contrahentium culpa, sed quia Parochus absens, vel mortuus est. Et etiamsi constitutus in articulo mortis velit contrahere ad prolem legitimandam; quippè assistentia Parochi, & testium requiritur per modum formæ substantialis, & solemnitatis necessariò requisitæ ad valorem matrimonii, quam non potest supplere bona fides, vel inculpabilitas, vel necessitas contrahentium. *Barbos. de Offic. Episcop. alleg.* 32. *Sanch. de Matrim. lib.* 3. *D.* 18. *num.* 26. *& alii comm.* Et hac ratione probatur, Episcopum non posse dispensare in hac forma, & solemnitate, nec in casu urgentis necessitatis, ut ex ipso *Trid. sess.* 24. *de Ref. Matrim. cap.* 1. deducitur: nam cum ibi permittatur Episcopo in denuntiationibus dispensare, infertur negata facultas ad dispensandum in solemnitate præsentiæ Parochi, & testium; *arg. cap.* 5. *de Præsumpt. Navar. Henriq. Gutier. Sanch. de Matr. lib.* 3. *D.* 17. *num.* 6. *& alii.* Qui ex loco, ubi Trid. est usu receptum transit ad locum, ubi receptum non est, si ibi domicilium figat, sine solemnitate Trid. validè matrimonium contrahit. Vel si unus ex contrahentibus ibi habeat domicilium, vel quasi domicilium: nam alter gaudet consortis privilegio. Vel si causa negotiorum, commercii, vel alia causa ad illum locum pervenisset. Etiam si peregrinus, & vagus sit, qui seriò dimisisset suum domicilium: nam hi non tenentur Legibus suæ patriæ, quando extra eam versantur; *arg. cap.* 2. *de Constit. in* 6. Et subjiciuntur Legibus, & sortiuntur forum locorum, in quibus inveniuntur, *cap. fin. de Foro compet. L.* 6. *ff. de Eviction. Sanch. de Matrim. lib.* 3. *D.* 18. *ex num.* 27. *& alii*, qui idem tenent etiam in casu, quo quis præcisè in talem locum se confert, ut matrimonium sine solemnitate contrahat, retinendo anti-

quum domicilium, ubi usu receptum est Trid. sed cùm contrarium declaratum sit *à Sacra Congreg. Card. approbante Urban. VIII.* 14. *Aug.* 1627. dicendum est, talem nullitèr contrahere. *Barb. de Offic. Episc. alleg.* 32. *num.* 153. *Lug. Resp. Moral. lib.* 1. *dub.* 36. *Gobat. Exper. tr.* 9. *num.* 481. Similitèr Christiani captivi, vel Mercatores, sivè viatores, vel peregrini in terra Maurorum, vel Infidelium, vel Hæreticorum, ubi non est promulgatum Tridentinum, sine Concilii solemnitate validè contrahunt. *Sanch. de Matrim. lib.* 3. *D.* 18. *num.* 35. *Barb. de Offic. Episc. alleg.* 32. *num.* 154. *& alii.* At verò in locis Hæreticorum, ubi Trid. promulgatum est, ut in Hollandia requiritur præsentia Sacerdotis, vel Parochi Catholici, quod si vel nullus inveniatur, vel ignoretur, vel non sit ad eum tutus accessus, sufficit duos, vel tres testes adhibere ad matrimonium coram prædicante, vel etiam sine illo, quasi Ecclesia in his matrimoniis dispensante. *Laym. lib.* 5. *tr.* 10. *p.* 2. *cap.* 4. *num.* 7. *Ilsung. tr.* 6. *D.* 9. *num.* 111.

55 Quando matrimonium in facie Ecclesiæ celebratum est coram Parocho, & testibus, si sit contractum cum impedimento occulto dirimente, sed tali, quod non sit periculum illud probandi, vel etiamsi ad forum externum sit delatum, ex defectu probationis impedimenti fuit pronuntiatum pro matrimonio, ad illud revalidandum sufficit, quod conjuges, ablato jam impedimento, mutuum consensum occultè renovent, sivè verbis, sivè habendo copulam affectu conjugali, vel alio signo ejus expressivo: nec est necessè, ut coram Parocho, & testibus iterum celebretur: siquidem jam Ecclesiæ constat de matrimonio, & semper potest illud probari ex solemnitate antecedenti. *Navarr. Man. cap.* 22. *num.* 70. qui à S. Pio V. declaratum testatur *Sanch. de Matrim. lib.* 2. *D.* 37. *num.* 3. *Gonz. in cap.* 12. *de Spons. num.* 5. *& alii*, contra *Gutier. Can. qq. L.* 1. *cap.* 18. *ex num.* 7. *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 32. *num.* 157. *Ponc. de Matr. lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 6. *& alios.* Quando verò impedimentum publicum, vel notorium est, vel per duos testes probari potest, debet repeti solemnitas, quia cum constet de nullitate, consequentèr non probatur illius valor, nisi post ablatum impedimentum, repetatur consensus coram Parocho, & testibus, & hoc modo, quasi purgetur vitium præcedens. *Henriq. de Matr. L.* 11. *cap.* 3. *num.* 6. *&* 7. *Sanch. de Matr. L.* 2. *D.* 37. *num.* 10. *&* 11. *Gonz. in cap.* 21. *de Sponsal. num.* 5. Qui clandestinè contrahit, vel sine Parocho & quidem proprio, vel alio Sacerdote de Parochi licentia: vel sine testibus, præterquamquod non contrahit matrimonium sic celebratum, quamvis posteà posita solemnitate possit illud contrahere, quin aliqua indigeat dispensatione, ut contra aliquos tenent *Sanch. de Matr. lib.* 3. *D.* 46. *num.* 2. *Gutier. de Matrim. cap.* 61. *num.* 2. *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 32. *ex num.* 151. etiam debet puniri ab Episcopo, cujus arbitrio quantitas pœnæ relinquitur tàm circa contrahentes, & testes, quàm circa Parochum, vel Sacerdotem tali matrimonio assistentes. *Trid. sess.* 24. *de Ref. Matrim. cap.* 1. quin tamen ad Parochum, vel Sacerdotem pro hoc casu extendatur suspensio triennalis, quæ infligitur *in cap. fin. h. t.* Parocho asistenti matrimonio sine prævиis denuntiationibus celebrato, quia cum ea constitutio sit odiosa non extenditur ultra casum expressum. Sic contra *Salced. Pract. Can. cap.* 17. *& alios*, tenent *Sanch. de Matrim. lib.* 3. *disp.* 48. *num.* 4. *Ponc. lib.* 5. *cap.* 37.

56 Matrimonio debet assistere *Parochus proprius*, saltem unius contrahentis, vel sponsæ, vel sponsi, nisi alia vigeat consuetudo, ut in his Insulis: nam regularitèr fit matrimonium coram Parocho sponsæ: sed sufficit, quod assistat Parochus cujuslibet. Nam cum matrimonium sit unus contractus, & individuum Sacramentum, si potest Parochus sponsæ eam legitimè conjungere cum sponso, hoc ipso potest sponsum cum sponsa conjungere. *Navar. Gutier. Sanch. de Matr. lib.* 3. *disp.* 19. *num.* 4. Cùm tamen possit esse Parochus, qui nondum Sacerdos est, *cap.* 14. *de Elect. in* 6. Et Trid. solùm assistentiam Parochi exigat, & aliundè ad talem assistentiam Ordo Sacerdotalis non requiratur, dicendum est, quod potest validè, & licitè matrimonio assistere Parochus proprius, etsi Sacerdos non sit. *Gutier. de Matr. cap.* 62. *num.* 16. *Sanch. de Matr. lib.* 3. *D.* 20. *num.* 3. *Gonz. in cap. fin. h. t. num.* 8. *& alii*, contra *Navar. Ledesm. Rodrig. & alios.* Non tamen potest substituere pro se ad hanc assistentiam nisi Sacerdotem, quippè sic expressè exigitur *à Trid. sess.* 24. *de Ref. Matr. cap.* 1. ibi: *Qui alitèr quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, &c.* Nec per verbum *alio* significatur qualitas similis, ut patet *ex Luc.* 23. *Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo*: scilicèt, cum Christo. Validum est matrimonium celebratum co-

coram Parocho excommunicato, etiam vitando, suspenso, irregulari, vel etiam privato à Superiore administratione Sacramentorum, & specialitèr assistentia matrimonii: quia adhuc Parochus est, quod unicè requiritur à Trid. Sic contra *aliquos* tenent *Suar. de Cens. D.* 11. *sect.* 2. *num.* 2. *Sanch. de Matr. L.* 3. *D.* 21. *ex num.* 4. *Gonz. in cap. fin. h. num.* 8. etiam si privatus sit ipso jure beneficio, dum adhuc sit in possessione; *arg. cap.* 28. *de Præbend. in* 6. *Sanch. de Matr. lib.* 3. *D.* 22. *num.* 62. Etiam valet coram Parocho solùm existimato, habente Titulum coloratum: vel quia beneficium ipsi invalidè est collatum, vel eo privatus est ipso jure, & facto ob occultum delictum; v. g. hæresim, etiam si hoc sciant contrahentes, quia jus supplet defectum ob communem errorem, & bonum publicum; *arg. L.* 3. *ff. de Offic. Prætor. Sanch. de Matr. lib.* 3. *disp.* 22. *Gonz. in cap. fin. h. t. num.* 8. Imò *Ponce de Matr. lib.* 5. *cap.* 20. *num.* 3. *& alii*, tenent idem de Parocho, qui Titulum coloratum non habet, dum errore communi Parochus credatur. Deindè: Parochus debet esse proprius respectu domicilii, vel quasi domicilii, nec sufficit, quod sit Parochus originis: nam origo solùm quoad ordines suscipiendos jure speciali attenditur, *cap.* 3. *de Tempor. ordin. in* 6. *Gutierr. de Matr. cap.* 62. *num.* 29. *Sanch. de Matr. L.* 3. *D.* 23. *num.* 7. *Gonz. in cap. fin. h. t. num.* 8. Parochus proprius domicilii potest assistere validè matrimonio sui Parochiani etiam extra propriam Parochiam, in Parochia, vel Diœcesi aliena, etiam sine illius loci Ordinarii, vel Parochi licentia, quia Trid. solùm exigit proprii Parochi assistentiam ad matrimonii valorem. *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 32. *num.* 95. *Gutierr. de Matr. cap.* 62. *num.* 5. *Sanch. de Matr. lib.* 3. *D.* 19. *num.* 11. *&* 14. contra *Navarr. Ponc. de Matr. L.* 5. *cap.* 6. *num.* 4. quin, & licitè potest, si non solemnitèr assistat: nam in hac assistentia non exercet jurisdictionem, saltem contentiosam, sed se habet ad modum testis qualificati. Non tamen potest assistere solemnitèr, quia hoc esset se intromittere in officium alienum publicum in re gravi: quod sine peccato non fit, sicut non potest nuptias extra propriam Parochiam benedicere, ex declaratione *S. Pii V.* Et sic possunt concordari *Gutier. Laym. Sanch. de Matr. lib.* 3. *D.* 19. *num.* 18. *& alii*, qui hujus assistentiæ licitudinem propugnant. Contra *Barb. de Offic. Episc. alleg.* 32. *num.* 97. *Ponc. de Matr. lib.* 5. *cap.* 16. *num.* 11. *& alios.* Similitèr delegatus à Parocho, ut matrimonio suorum Parochianorum assistat, potest etiam extra Parochiam illos in matrimonio conjungere, nisi ab ipso Parocho sit restricta ad certum locum hæc facultas, & assignatio loci non tantùm demonstrationis causa sit adjecta: nam tunc etiam extra locum assignatum potest assistere. *Barb. de Offic. Episc. alleg.* 32. *num.* 96. *&* 114. *Gutier. de Matr. cap.* 62. *num.* 10. *Sanch. de Matr. L.* 3. *D.* 34. *num.* 3. *& alii.*

57 Qui in duobus locis habet domicilium, quia utrolibet habitat per tempus æquale, non mathematicè, sed moralitèr, potest non solùm in loco, in quo, dum contrahit, habitat coram alterutro Parocho; sed etiam in loco, in quo tunc non habitat, contrahere potest matrimonium coram illius loci Parocho; quia cum in illis duobus locis habeat domicilium, & Parochianus sit, valet propterea matrimonium contrahere; *arg. cap.* 2. *de Sepult. in* 6. *Navar. Henriq. Sanch. de Matr. L.* 3. *D.* 24. *num.* 4. *&* 5. contra *Paludan Roselam, & alios.* Princeps, licet omnium locorum sui Regni Civis censeatur, solùm potest contrahere coram Parocho Palatii, in quo ordinarie residet. *Lug. Resp. Moral. L.* 1. *dub.* 37. Qui in aliquem locum se transfert animo ibi figendi domicilium, ex primo die potest coram ejus loci Parocho, utpotè proprio, matrimonium contrahere, *arg. L.* 20. *ff. ad Municipal. Barb. de Offic. Episc. alleg.* 32. *num.* 68. *Gutierr. de Matr. cap.* 63. *num.* 13. *Sanch. de Matr. L.* 3. *D.* 23. *num.* 14. Etiam qui alicubi habet domicilium, potest ibi contrahere ubi habet quasi domicilium: si scilicèt habet animum ibidem per majorem partem anni habitandi; v. g. qui studiorum, vel negotiationis, vel officii: imò, & exilii causa ibi est; *arg. L.* 19. §. 2. *ff. de Judic. Sanch. de Matr. lib.* 3. *D.* 23. *num.* 12. *Gonz. in cap. fin. h. t. num.* 8. *qui à S. Congreg. Concilii declaratum testatur, & alii*, contra *Henriq. Rodrig. Segura, & alios.* Si verò quis in aliquem locum se transferat ad breve tempus; v. g. recreationis causa, vel ruris collendi, vel colligendorum fructuum: cum talis habitatio eum non constituat Parochianum illius loci, non potest ibi matrimonium contrahere; *arg. cap.* 3. *de Sepult. in* 6. *Barb. de Offic. Episc. alleg.* 32. *num.* 71. *Sanch. de Matr. L.* 3. *D.* 23. *num.* 9. *Gonz. in cap. fin. h. t. num.* 8. Licet Parochus catholicus non possit matrimonio Catholici cum Hæretica contrahendo assistere, in Germania,

& alibi, quasi ex consuetudine, hoc est admissum. *Laym. lib. 5. tr. 10. p. 2. cap. 4. num. 8.*

58 Si contrahentes, vel saltem unus eorum sit vagus, qui nullum domicilium, vel quasi domicilium habeat, sed hic indè vagetur, vel si deserto primo domicilio adhuc non pervenit ad locum destinatum (nam hic vagus censetur. *L. 27. §. 2. ff. ad Municip.*) debet celebrari ejus matrimonium coram Parocho loci, ubi vagus versatur. Sic *Dicastillo, Castropal. Laym. L. 5. tr. 10. p. 2. cap. 4. & alii.* Et quamvis *Sanch. de Matr. L. 3. D. 25. n. 11. & Gonz. in cap. fin. h. t. num. 8.* dicant, vagos posse coram quolibet Parocho contrahere, possunt intelligi modo dicto: nisi alicubi sit Confessor pro vagis deputatus, ut dicitur esse in Compostella: nam tunc ille Parochus ipsorum censetur: debet tamen Parochus, qui vagos vult conjungere (idem dicendum est de alienigenis, & peregrinis) priùs facere diligentem inquisitionem de eorum vita, ne fortè alibi sint conjugati, & ab Ordinario loci debet obtinere licentiam ad assistendum eorum matrimonio. *Trid. sess. 24. de Ref. Matr. cap. 7.* quod si hoc non observet, validè eos in matrimonio conjuget, quia non est Decretum irritans, sed gravitèr peccabit, quia in re gravi violat Trid. præceptum. *Sanch. de Matr. lib. 3. D. 25. ex num. 8. & alii.* Milites possunt contrahere coram Parocho loci ubi sunt, non solùm quando sub papilionibus degunt, sed etiam si sint in Præsidiis: debet tamen inquiri de eorum statu, & præcedere licentia Ordinarii, sicut de vagis disponit Trid. nisi habeans Cappellanum, qui pro administratione Sacramentorum præpositus sit Legioni, habeatque facultatem, vel à Papa, vel ab Ordinario Diœcesis, in qua sunt: tunc namque à Cappellano possunt in matrimonio conjungi juxta tenorem facultatis ipsi concessæ: quin ex generali consuetudine admissum videtur, quod Cappellanus cujuslibet Legionis, etiam Militibus alterius Legionis ministrare possit Sacramenta, & matrimonio assistere, vel quia superior, vel quia consuetudo dat hanc facultatem, vel saltem creditur commissa ad invicem à Cappellanis alterius Legionis. De quibus alibi diximus.

59 Præter Parochum proprium possunt matrimonio cumulativè assistere Episcopus in sua Diœcesi, & Capitulum Sedevacante, & utriusque Vicarius Generalis: vel Prælatus quasi Episcopalem jurisdictionem exercens in Parochia exempta: Archiepiscopus in sua Provincia, dum actu visitat, vel quando ad ipsum est appellatum: secus aliter; *arg. cap. 11. de Offic. Ordin.* Legatus Sedis Apostolicæ in sua Provincia; *arg. cap. 2. de Offic. Legat. in 6.* Cardinalis in Ecclesiis sui Tituli, *cap. 11. de Majorib. & obed.* Quia hi omnes habent jurisdictionem ordinariam cumulativam cum Parochis. *Sanch. de Matr. lib. 3. disp. 28. & alii.*

60 Ultrà præsentiam Parochi de novo requirit Trid. (jus antiquum corrigendo) præsentiam duorum, vel trium testium. Et quidem præsentia testium, & Parochi debet esse simultanea: aliàs non de eodem actu deponerent. *Sanch. de Matrim. lib. 3. D. 41. num. 3.* Et cum nihil addatur de qualitate testium, & aliundè, quia correctorium hoc Decretum, strictè interpretari oporteat, dicendum est, sufficere, testes habere præcisè, quod Jus Naturale requirit, scilicèt, usum rationis: ac proindè posse esse testes in matrimonio, qui alias essent inhabiles, ut impuberes, servi, fœminæ, Pagani, excommunicati, infames, consanguinei unius, vel utriusque contrahentis. Ita contra *paucos* tenent *Gutierr. Barb. Sanch. de Matr. lib. 3. disp. 41. num. 5. Laym. Gonz. in cap. fin. h. t. num. 10. & alii.* Nam si aliæ qualitates requirerentur, matrimonia prætextu alicujus defectus in testibus facilè dissolverentur contra intentum Trid. præterquamquod inhabilitas testium suppletur per assistentiam Parochi, qui est testis majoris exceptionis, & velut Notarius publicus: nec requiritur, quod testes sint ante matrimonium rogati, vel requisiti ad matrimonium, sed sufficit, si de intentione matrimonii contrahendi in ipso actu moneantur. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 32. num. 89. Gutier. de Matr. cap. 55. num. 9. Sanch. de Matr. L. 3. D. 39. num. 7. Gonz. in cap. fin. h. t. num. 10.* contra *Ponc. de Matr. L. 5. cap. 21. num. 4. Gonz. ad Reg. 8. Canc. Glos. 48. num. 32. & alios.* Debent tamen non tantùm corpore, & physicè esse præsentes, sed moralitèr, & modo humano, ita ut possint verè, & propriè testificari, sponsos matrimonium de præsenti contraxisse. Hinc non valet matrimonium contractum coram teste ebrio, dormiente, vel non advertente, quid agatur. Vel si Parochus contrahentes non cognoscit, nec intelligit eorum idioma: sufficit tamen, si per interpretem, vel per nutus intelligatur, à Parocho, & testibus eorum consensus. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 32. n. 78. Gutier. cap. 69. n. 2. Sanch. de Matr. L. 3. D. 39. & alii.* Si metu, vel dolo, vel

casu adessent Parochus, & testes, valet matrimonium: quia cum benè intelligant, quod contrahentes agunt, de matrimonio possunt testificari; *arg. L. 209. ff. de V. S* adimpleturque finis, & præceptum Trid. siquidem nihil plusquam Parochi, & testium requirit præsentiam. Contrahentes tamen illicitè metum inferent, nisi justa causa excuset. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 32. ex n. 82. Gutierr. de Matrim. cap. 69. n. 10. Sanch. de Matr. lib. 3. D. 39. ex n. 9. Gonz. in cap. fin. h. t. n. 8.*

61 Omnes illi, qui per se possunt matrimonio assistere, hanc facultatem possunt aliis delegare; *arg. cap. 68. de Reg. jur. in 6.* verbo, scripto, vel nutu: specialitèr, vel generalitèr. Et quando generalitèr committitur administratio Sacramentorum, cum censeatur comissa cura Parochialis, etiam assistentia matrimoniis censetur commissa, ut contra *Henriq. Perez, Sanch. de Matr. lib. 3. D. 35. n. 8.* tenent *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 32. num. 127. Gonz. in cap. fin. h. t. n. 9.* & ita declaratum dicitur *à S. Cong. Trid.* Nec obstat, quod talis licentia sit metu extorta: quia adhuc matrimonium esset absolutè liberum, & sine metu; nec constat undè irritetur. Ita contra *Abb. & alios* tenent *Barb. Gutierr. Sanch. de Matr. lib. 3. D. 39. & alii.* Nec item obstat, quod licentia sit revocata, si revocatio, vel non est intimata Commissario, vel non est legitimè intimata, hoc est, per nuntium ad id destinatum, licèt aliundè Commissarius extrajudicialitèr revocationem sciat. Si verò legitimè sit intimata, non potest Comissarius matrimonio assistere; *arg. L. 17. ff. de Offic. Præsid. Sanch. de Matr. lib. 3. D. 36. n. 9.* Si licentia ad assistendum sit per dolum obtenta, vel per falsam allegationem, ita ut licentia non sit alligata causæ allegatæ, valet, & licentia, & matrimonium: etiamsi Parochus concedens licentiam, ita esset dispositus, ut eam negaret, si sciret, falsam esse causam allegatam; quia absolutè præstitit consensum, non alligando illum veritati causæ propositæ. *Gutier. de Matr. cap. 64. ex n. 14. Sanch. de Matrim. lib. 3. D. 39. n. 14.* Et etiam sufficit ratihabitio de præsenti, hoc est, si Parochus videat, alium Sacerdotem matrimonio assistere, & ipse, nec dissentiat, nec contradicat, cum posset, quia illa scientia, & patientia in favorabilibus, ut est matrimonium pro consensu habetur; *arg. cap. un. de Despons. impub. in 6.* Si verò assistat credens, Parochum ratam habiturum assistentiam, si licentia pateretur, non valet matrimonium, quia tunc non verificatur, quod Trid. exigit, quoad valorem matrimonii, scilicèt, licentia Parochi ad assistendum matrimonio. *Sanch. de Matr. lib. 3. D. 35. n. 17. & 20. Pone. L. 5. cap. 29. n. 1. & alii.* Si aliquis petiit licentiam à Parocho, & antequam sciret esse concessam, assistat matrimonio, peccat gravitèr, quia exponit Sacramentum periculo nullitatis: si tamen verè eo tempore concessa erat, valet matrimonium: secus alitèr, imo non valet, etsi verè concessa esset licentia à Parocho, si ipse quidem Comissarius non erat saltem concessionis conscius, quia ignorans non potest acceptare. *Sanch. de Matr. L. 3. D. 36. n. 2.* Hæc tamen delegatio debet fieri Sacerdoti, quia ita expressè requiritur *à Trid.* alitèr non valet. *Navarr. Rodrig. Sanch. de Matr. L. 3. D. 20. n. 10.* Licitè potest fieri cuicumque Sacerdoti, Sæculari, vel Regulari; nec valori matrimonii, vel commissionis obstabit, etiamsi Sacerdos, cui committitur assistentia, sit excommunicatus, etiam vitandus, suspensus, interdictus, irregularis, vel etiam degradatus: quippè solum requiritur, quod sit Sacerdos: imò etiam non Sacerdos validè assistet, si errore communi pro Sacerdote habeatur; *arg. L. Barbar. 3. ff. de Offic. Prætor. Sanch. de Matr. l. 3. D. 22. n. 61.* Parochus, vel alius Sacerdos, Sæcularis, vel Regularis, qui sine licentia Parochi, etiam prætextu consuetudinis immemorialis, seu privilegii in matrimonio jungit, aut benedicit Parochianos alienos ipso jure incurrit suspensionem, donec absolvatur ab Ordinario Parochi, qui assistere matrimonio debebat. *Trid. sess. 24. de Ref. matr. cap. 1.*

☞ S. D. N. Benedict. XIV. ut inconvenientibus, quæ ex matrimonio occulto resultant provideret, jubet quod Episcopi solum magna cum cautela dispensent in proclamationibus, & quod matrimonium coram Parocho, vel Clerico, & testibus contractum scribatur in Libro, quem ad hoc debet Episcopus habere, & magno cum secreto servari. Quod sic contrahentes admoneantur de puero baptizando, & quamvis in Libro Parochorum fingantur, vel simulentur nomina parentum, hæc omnia debeant scribi in Libro Episcopi. Quod si parentes in hoc malitiosè deficiant, in gratiam filiorum, matrimonium publicabitur. Sic in Const. *Satis.* 17. Novemb. ann. 1741. *

TIT. IV.

De Sponsa duorum.

62 QUI cum una contrahit sponsalia de futuro, quod est *fidem facere pactionis*, impedimentum impediens contrahit, ut aliam non possit ducere, nec cum alia contrahere sponsalia: imò, & secunda sunt omninò invalida; adeò ut nec solutis primis convalescant, & obligent. *Sanch. de Matrim. lib.* 1. *D.* 50. *num.* 6. *Ponc. & alii*, contra *Covar. de Spons. p.* 1. *cap.* 4. §. 1. *n.* 10. Siquidem nemo potest alteri validè obligare rem, quam alteri validè obligavit; ac proindè non solvuntur prima sponsalia per secunda, etiam jurata, *cap.* 22. *cap.* 31. *de Spons. Sanch. de Matr. lib.* 1. *D.* 50. *n.* 2. *& alii.* Nam juramentum non est vinculum iniquitatis, *cap.* 18. *de Jur. jur.* nec cum tertii præjudicio obligationem inducit, *cap.* 58. *de Regul. jur. in* 6. & in dicto casu iniquitas, & præjudicium tertii sequeretur. Secunda sponsalia, etiam copula secuta, non dissolvunt prima, non solùm, quando hæc etiam copula sunt confirmata; *arg. cap.* 54. *de Reg. jur. in* 6. Vel quando secunda sponsa habebat notitiam priorum sponsalium; quia tunc non in sponsalia sed in fornicationem tantùm consensisse videtur; *arg. L.* 1. §. 6. *ff. de Ædilitio edicto.* Sed etiam quando secunda sponsa ignorabat prima sponsalia, nec in eis intervenit copula. Quia vel vi promissionis erant dissolvenda prima; & hoc non potest esse, nam secunda promissio nulla est: siquidem per prima sponsalia obligatio justitiæ, & jus ad rem est adquisitum primæ sponsæ; ac proindè copula cum secunda, ablato jam per *Trident.* matrimonio præsumpto Juris Antiqui qui *in cap.* 30. *de Spons.* Censetur fornicaria, nec potest habere rationem traditionis legitimæ ad auferendum jus prioris sponsæ, & consequentèr nequit secundæ jus matrimonii dare; *arg. L.* 5. *C. de Legib.* Nec ratione damni dissolvuntur prima per secunda: nam damnum alia ratione potest compensari: si enim hoc admitteretur facilè quis posset sine causa á primis sponsalibus liberari, nova contrahendo, illaque copula confirmando, quod esset viam fraudibus, & dolis aperire cum magno animarum periculo, & præjudicio juris primæ sponsæ adquisitæ. Si verò damnum illatum secundæ per defloration em, non aliter, quam per matrimonium possit reparari, charitas obligabit, saltem in foro conscientiæ, & juxta *Sanch. Henr. & Lop.* Etiam in foro externo, ut prima sponsa cedat juri suo cum levi incommodo, ut potest, ut sponsus resarciat grave damnum secundæ. *Sot. Henr. Gut. de Matr. cap.* 17. *n.* 7. *Sanc. de Matr. lib.* 1. *D.* 49. *n.* 5. *& 6.* contra *Ponc. de Matr. L.* 12. *cap.* 14. *n.* 4. *& alios*, qui tenent prima sponsalia utrumque solvi. Semper tamen solvuntur prima sponsalia ex parte innocentis, qui non contraxit secunda, ob notabilem mutationem factam ex parte deflorantis. Si verò innocens velit cedere suo juri, vel ex alia causa talia sponsalia dissolvuntur, obligant secunda, siquidem, ut hæc non præsumantur peccaminosa, censentur facta sub conditione, si prima desint obligare; *arg. cap.* 15. *& 30. de Spons.* Cum per prima sponsalia obligatio justitiæ, & jus adquisitum sit priori sponsæ, eo non debet spoliari, nisi detur justa, & legitima causa; ac proindè Episcopus nullo modo potest irritare prima sponsalia, ut subsistant secunda; *arg. cap.* 10. *de Spons. Sot. Henr. Sanc. de Matr. lib.* 7. *D.* 17. *n.* 13. Imò nec R. Pontifex, nisi ex causa gravi, & ferè publica.

63 Qui semel cum una contraxit sponsalia, non potest licitè cum alia contrahere matrimonium, primis sponsalibus non dissolutis: si tamen defacto contrahat, etiamsi matrimonium tantùm ratum sit, cum hoc majus, & fortius vinculum, quam sponsalia inducat: siquidem matrimonium confert jus in re, sponsalia tamen solum jus ad rem: tale matrimonium primis sponsalibus præfertur, *cap.* 1. *h. t. cap.* 22. *& 31. de Spons. L.* 9. *tit.* 1. *p.* 4. Sicut secunda venditio ejusdem rei, traditione roborata, præfertur primæ venditioni traditione destitutæ. *L.* 15. *C. de Rei vindic.* Ex parte innocentis; v. g. sponsæ dissolvuntur sponsalia, non solùm per matrimonium validum, quia violavit sic contrahens fidem priorum sponsalium; sed etiam per invalidum, quia sponsalibus renuntiasse censetur. *Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 48. *n.* 1. Si verò matrimonium contractum à sponso per mortem uxoris dissolutum sit, tenetur ipse primæ sponsæ promissionem adimplere, sicut, qui facto voto Religionis, & Fidem Deo frangendo, matrimonium contrahat, hoc per mortem uxoris dissoluto, tenetur Religionem ingredi, adeò ut prima obligatio, tàm voti, quàm sponsalium maneat suspensa, non extincta, per incompatibilitatem matrimonii, ne is, qui fidem vio-

la-

lavit, ex sua malitia commodum referat in præjudicium juris partis læsæ; nec Text. citati plus probant, nec absolutam sponsalium dissolutionem exprimunt. *Ponc. de Matr. lib.* 12. *cap.* 13. *num.* 4. *& alii*, contra *Sanc. de Matr. lib.* 1. *D.* 48. *n.* 3. *& alios.* Qui matrimonium de præsenti cum alia contrahit, seu *dat fidem consensus* juxta phrasem *Augustini in cap.* 1. *h. t.* habet impedimentum dirimens, quod dicitur *Ligaminis* ad contrahendum cum alia, primo matrimonio durante. Quod si de facto contrahat, etsi secundam carnalitèr cognoverit, non cognita prima, nullum est secundum matrimonium, & sustinetur primum, *cap.* 31. *de Spons. cap.* 3. *cap. fin. h. t. L.* 9. *tit.* 1. *p.* 4. Et etiamsi primum sit quoad effectum inutile ob morbum, vel impotentiam supervenientem, *cap.* 25. 32. *q.* 7. vel sterilitatem, *cap.* 27. 32. *q.* 7. vel ob diuturnam conjugis absentiam, *cap.* 2. *de Secund. nuptiis.*

64 Ab ipsa enim institutione matrimonii in Paradiso illicita fuit *Polygamia*, seu pluralitas uxorum: nam Deus dixit ad Adam. *Gen.* 2. *v.* 24. *Adhærebit uxori sua, & erunt duo in carne una.* Et ut declarat *Innoc. III. in cap.* 8. *de Divortiis. Erunt duo in carne una, non dixit tres, vel plures, sed duo, nec dixit adhærebit uxoribus, sed uxori.* Et sic observatum fuit semper ante diluvium, nec legitur, quod aliquis plures simul habuerit uxores præter Lamech, qui duas duxit, & propterea à Nicolao reprehenditur, quando Lothario Regi rescribit, *in cap.* 19. 24. *q.* 3. ibi: *An non districta ultione feriendus es, qui in duabus uxoribus adulterium Lamech, & flagitium imitatus, esse dignosceris?* Posteà Deus dispensavit per inspirationem internam antiquis Patriarchis factam, ut plures possent uxores habere, ut sic Populus fidelis extenderetur. Nec in mundi initio fuit ad hunc finem necessaria polygamia: nam abundè propagatio habebatur per longissimam hominum vitam. Et sumpto exemplo à Patriarchis dispensatio fuit ad populum Israel derivata, *cap.* 7. 32. *q.* 4. ibi: *Objiciuntur Jacob quatuor uxores: quod quando mos erat, crimen non erat.* Et juxta *Bellarm. & alios* hæc dispensatio, etiam ad Gentiles fuit protensa: quod negat *Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 80. *n.* 13. Et quidem Abimelech Gentiles, qui describitur, ut vir moraliter bonus, plures habuit uxores, nec alitèr matrimonium Esther cum Assuero fuisset verùm matrimonium, cum prius haberet pro uxore Reginam Vasthi. In Lege verò Gratiæ fuit matrimonium restitutum à Christo D. ad suam primitivam institutionem libello repudii, & polygamia ablatis. *Matth.* 19. *v.* 8. *Trid. sess.* 24. *de Matr. Can.* 2. ibi: *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla Lege Divina esse prohibitum, anathema sit*, ac proindè hodie non solùm fideles, sed etiam infideles vi hujus Divini præcepti non possunt duas uxores simul habere; nec prima adhuc vivente repudiata, accipere secundam, *cap.* 7. *cap.* 8. *de Divortiis. Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 80. *num.* 14. Nec sunt audiendi *Abulens. & Cajet. in* 14. *Matth.* qui in hoc puncto male sentiunt. Licèt Polygamia Jure Divino fuisset prohibita, non tamen omnino Jure Naturali repugnat: nam apud plures gentes non Barbaras permissa fuit: imò à Deo cum aliquibus Patriarchis fuit dispensatum, *cap.* 8. *de Divortiis*: ergo non repugnat Juri Naturali, alias Deus nullatenus dispensasset. Deindè per consuetudinem ex dispensatione descendentem fuit polygamia apud plures admissa, *cap.* 7. 32. *q.* 4. *Div. Thom. in* 4. *D.* 33. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 1. Et contra Jus Naturale non prævalet consuetudo, *cap. fin. de Consuet.* Nec polygamia fini matrimonii repugnat, scilicèt generationi, quæ non impeditur ex pluralitate uxorum: Imò nec educationi prolis, nec conjugum paci, & tranquilitati, cum hos fines, Domino providente, Patriarchæ, etiam in uxorum pluralitate consequerentur: licèt aliquo modo his repugnat talis pluralitas. Undè tenendum est, quod hæc pluralitas, licèt aliquomodo sit contra Jus Naturale, non tamen omninò, hoc est contra Jus Naturale, primarium, seu contra ejus prima principia: quod tenet, & optime explicant *D. Thom. in* 3. *p. Sup. q.* 65. *art.* 1. *in corp.* ibi: *Matrimonium ergo habet pro fine principali prolis procreationem, & educationem, qui quidem finis competit homini secundum naturam sui generis; undè, & aliis animalibus est communis, ut dicitur in* 8. *Ethic. & sic bonum matrimonii assignatur proles: sed pro fine secundario, ut dicit Philos. habet in hominibus solis communicationem operum, quæ sunt necessaria in vita, & secundum hoc fidem sibi invicem debent, quæ est unum de bonis matrimonii: habet ulterius alium finem, in quantum est inter fideles, scilicèt significationem Christi, & Ecclesiæ: & sic bonum matrimonii dicitur Sacramentum. Undè primus finis respondet matrimonio hominis, in quantum est animal: secundus in quantum est homo: tertius in qnantum est fidelis. Pluralitas*

ergo uxorum, neque totalitèr tollit, neque aliqualitèr impedit matrimonii primum finem, cum unus vir sufficiat pluribus uxoribus fœcundandis, & educandis filiis ex eis natis, sed secundarium finem, etsi non totalitèr tollat, tamen multum impedit, eo quod non facile potest este pax in familia, ubi uni viro plures uxores junguntur, cum non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus uxoribus ad votum: & tamen, quia communicatio plurium in uno officio causat litem, sicut figuli corrixantur ad invicem: & similitèr plures uxores unius viri. Tertium autem finem totalitèr tollit, eo quod sicut Christus est unus, ita, & Ecclesia una; & ideò patet ex dictis, quod pluralitas uxorum quodammodo est contra Legem Naturæ, & quodammodo non. Et sic possunt concordari duæ sententiæ oppositæ; quarum prima asserit, hanc pluralitatem esse contra Jus Naturale. Quam tenent *Bellarm. Henriq. Ledesm. & alii*, altera negat, esse contra Jus Naturale: quam tuentur *Durand. Abul. Palac. Gonz. in cap. 1. h. t. n. 7.* Nostram sententiam mediam plures propugnant cum *Sanc. de Matr. lib. 7. D. 80. n. 8.*

65 Contra tamen, Polyviriam, seu pluralitatem virorum respectu unius uxoris, ut Juri Divino, & Naturali contrariam nullæ Gentes, quantumvis Barbaræ unquam admisserunt, nec ulla dispensatio permissit. Sic tenet *D. Thom. in 3. p. Sup. q. 65. art. 1. qui in 8. arg. sic sibi objicit: de Lege Naturæ est, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; sed vir nullomodo vellet, quod uxor alium virum haberet: ergo contra Legem Naturæ faceret, si uxorem aliam superduceret*: Resp. *dicendo: Quod illud præceptum Legis Naturæ: quod tibi non vis, alteri ne feceris; debet intelligi eadem proportione servata: non enim si Prælatus non vult sibi resisti à subdito, ipse subdito resistere non debet, & ideò non oportet, ex vi illius præcepti, quod sicut vir non vult, quod uxor sua habeat alium virum, quod ipse non habeat aliam uxorem: quia unum virum habere plures uxores, non est contra prima præcepta Legis Naturæ; sed unam uxorem habere plures viros est contra præcepta prima Legis Naturæ: eo quod per hoc quantum ad aliquid totalitèr tollitur, & quantum ad aliquid impeditur bonum prolis, quod est principalis matrimonii finis: in bono enim prolis intelligitur non solùm procreatio, sed etiam educatio. Ipsa enim procreatio prolis, etsi non totalitèr tollatur, quia contingit post impræg-*

nationem primam, iterum mulierem imprægnari, ut dicitur in nono de animalibus, in multum impeditur, quia vix potest accidere, quin corruptio accidat, quantum ad utrumque fœtum, vel quantum ad alterum, sed educatio totalitèr tollitur, quia ex hoc, quod una mulier plures maritos haberet sequeretur incertitudo prolis respectu patris, cujus cura necessaria est in educando, & ideò nulla Lege, vel consuetudine est permissum unam mulierem habere plures viros sicut è converso. Non tamen esset polyviria intrinsecè mala, ut mendacium, & perjurium, à quibus numquam potest malitia separari, ac proindè Deus non potest in eis dispensare: posset tamen Deus in polyviria dispensare de potentia absoluta, vel potius conditionem apponere, qua posita, non esset mala, nec prohibita, dando, scilicèt fœminæ facultatem, ut sine injuria mariti corpus suum ad usum, & actus conjugales alii tradat viro, & huic vicissim corpus suum fœminæ traderet; quod negari Deo non potest ob supremum dominium, quod in omnibus rebus creatis habet. Si potest alicui dominium concedere, ut possit invito Domino rem accipere, & in vitam alterius, ut possit occidere innocentem. *Major. Laym. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 80. n. 15.* contra *Bellarm. lib. 1. de Matr. cap. 11.* Nulla tamen Lex Humana, etiam Pontificia potest in polygamia, seu pluralitate uxorum dispensare, *cap. 8. de Divort. Div. Thom. in 4. D. 33. q. 1. art. 2.* nec ulla consuetudo, etiam immemorialis potest licitam facere polygamiam, nam consuetudo neutiquam potest contra Jus Divinum prævalere, *cap. fin. de Consuet. D. Antonin. Covar. de Spons. p. 2. cap. 7. §. 3. n. 1. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 80. n. 10.* Nisi fundetur in revelatione, seu dispensatione Divina, *cap. 7. 32. q. 4. cap. 8. de Divort. D. Thom. in 3. p. Sup. q. 65. art. 2. in corp.* ibi: *Lex autem de unitate uxoris non est humanitùs, sed divinitùs instituta, nec unquam verbo, aut litteris tradita, sed cordi impressa, sicut, & alia, quæ ad Legem Naturæ qualitèrcumque pertinent, & ideò in hoc à solo Deo dispensatio fieri potuit per inspirationem internam, quæ quidem principalitèr Patribus Sanctis facta est, & per eorum exemplum ad alios derivata est eo tempore, quo oportebat, prædictum naturæ præceptum prætermitti, ut major esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ: semper enim principalior finis, magis observandus est, quam secundarius: undè cum bonum prolis sit principalis matrimonii finis, ubi prolis multiplicatio necessaria*

erat,

erat, debuit negligi ad tempus impedimentum, quod posset in secundariis finibus, evenire: ad quod removendum præceptum prohibens pluralitatem uxorum ordinantur. Et postea *ad* 5. ait: *Non est inconveniens, si propter bonum prolis aliquid detrahitur aliis duobus bonis; nec tamen omninò tollantur, quia fides manet ad plures, & Sacramentum aliquomodo, & quamvis non significaretur conjunctio Christi ad Ecclesiam, in quantum est una, significatur tamen distinctio graduum in Ecclesia per pluralitatem uxorum, quæ quidem non solùm est in Ecclesia Militante, sed etiam in Triumphante, in qua sunt diversæ mansiones.*

66 Attentantes secundas nuptias, primis durantibus, de Jure Civili incurrunt infamiam. *L.* 1. *ff. de His, qui not. infam.* & in aliquibus Regnis morte puniuntur. Jure Canonico, olim scientèr cum alterius uxore contrahenti imponebatur publica pœnitentia per septem annos, cum jejunio per 40. dies in pane, & aqua, quod *carenam* dicebant, *cap.* 2. *h. t.* Hodie tamen hoc non obtinet, sed arbitrio Confessariorum imponitur pœnitentia. Insupèr, sic contrahens per verba de præsenti scientèr cum alterius uxore, & eam, vivente adhuc primo ejus marito cognoscens, incurrit criminis impedimentum, ita ut etiam mortuo primo marito, non possit cum ea contrahere. De quo *in Tit.* 7. In *nostra Hispania* variæ pœnæ adversus polygamos fuerunt statutæ. *In L. fin. tit.* 17. *p.* 7. Et olim ferro candenti hæc littera *Q* in fronte eis imprimebatur. *L.* 5. *tit.* 1. *lib.* 5. *R. C. & ibid. Azeved.* Sed jam hodie hoc crimen reservatur S. Inquisitionis Tribunali, ut constat *Ex Edicto Generali, num.* 11. *O si alguna persona se ha casado segunda, ó mas veces, viviendo su primera muger, ó marido.* Et quidem publicæ confusioni exponuntur, & publica afficiuntur ignominia, capiti imposita mitra infami, *Hispanè*: *Coroza*, in publicu suggestu, fustibusque cæduntur, & per quinquennium ad triremes damnantur. *Gonz. in cap.* 2. *h. t. num.* 6. *Aceved. in L.* 5. *tit.* 1. *R. C. num.* 3. *& alii.* In Hispania quidem polygami abjurant de *levi*: in Italia tamen de *vehementi* adjurant. Quando conjugatus contrahit sponsalia de futuro cum alia; etiam polygamus censetur, & ad forum Inquisitionis pertinet, & ibidem juxta delicti qualitatem punitur. Sic *ex Simancas, & aliis* afferunt *Cæsar Carena de Offic. Inquisit. p.* 2. *tit.* 5. *Dian. in Summ.* V. *Inquisitorum Jurisdictio, num.* 166. *& alii.*

TIT. V.

De conditionibus appositis in desponsatione, & aliis contractibus.

67 NON sumitur in præsenti *conditio pro statu hominum*, ut in §. *fin. Inst. de Jur. personar.* Nec *pro Lege, seu pacto contractus*, ut in *L.* 7. *C. de Pactis*: sed *pro circunstantia alicui dispositioni adjecta, à qua pendet dispositio*, & frequentissimè explicatur hac dictione: *Si*, v. g. *Si mihi das centum, dabo tibi equum.* Aliquando, etiam his particulis explicatur. *Nisi*: *dummodo, donec, quando, ubi, cum, quandiu, & similibus.* Et sic definitur *à Rege N. in L.* 1. *tit.* 4. *p.* 4. ibi: *Condicion tanto quiere decir, como pleyto, ó postura, que es fecha sobre otro pleyto, con esta palabra si, é es de tal manera, que si se cumple, confirma el pleyto sobre que es puesta; é si por aventura desfallece, non vale la postura principal. Conditio verè, & propriè talis est oratio dispositionem in tempus, & eventum futurum incertum suspendens.* Ita ut verificata conditione, dispositio teneat, & ea deficiente, etiam deficiat dispositio. *L.* 1. *tit.* 4. *p.* 4. *Gonz. in cap.* 1. *h. t. num.* 4. Hinc non sunt propriè conditiones, conditio necessaria; v. g. *si Sol cras oriatur*: non præterita, nec præsens; v. g. *si Navis ex oriente venit, vel si Rex vivit. L.* 10. *ff. de Condit. Instit.* Nec conditio impossibilis per naturam; v. g. *si digito Cœlum tetigeris*, quia hæ omnes, vel non suspendunt dispositionem; vel non pendent ab eventu contingenti. Matrimonium sub conditione necessaria contractum, non suspenditur, sed statim valet; *arg. L.* 9. §. 1. *ff. de Novat.* Imò etiam si sit contingens, infallibilitèr tamen sit eventura; v. g. *si venerit Anti-Christus. Sanch. de Matrim. lib.* 5. *D.* 2. *num.* 7. Conditio, vel est *expressa*, quæ verbis expressis apponitur, vel *tacita*, quæ licèt non exprimatur, subintelligitur. Et hæc si exprimatur eo modo, quo inest, non reddit contractum conditionatum: secus si alitèr, ac inest adjiciatur; v. g. *Tecum contraham, si Ecclesia, nullum in hoc matrimonio impedimentum esse judicaverit.* Nam tunc matrimonium suspenditur, donec Ecclesia suum judicium proferat. *Sanch. de Matr. L.* 5. *D.* 1. *ex n.* 12. In omnibus ergo conditionibus potius contrahentis mentis, &

intentioni, quam conditionis verbis attendendum est. *Sanch. de Matr. L. 5. D. 2. num. 3.* Sponsalibus, & matrimoniis, sicut & cæteris contractibus, potest adjici conditio honesta, & possibilis ab eventu futuro contingente pendens; & etiam si conditio sit impertinens: nam hæc nullo jure reprobatur; *arg. cap. 5. h. t. Sanch. de Matr. L. 5. D. 18. num. 3.* contra *alios*, siquidem sponsalia non sunt ex illis actibus legitimis, quibus nequit conditio apponi. *L. 77. ff. de Reg. jur.* Imò expressè in jure permittitur, tales conditiones apponi, *cap. 3. cap. 5. h. t. L. 3. tit. 4. p. 4.* in praxi tamen vis tales conditiones apponuntur ob magna inconvenientia, quæ possunt timeri.

68 Conditio ergo suspendit obligationem, & valorem sponsalium, & matrimonii, quamdiu ipsa pendet; *arg. L. 97. §. 2. ff. de V. O. & ibid. Gothofr. L. 1. tit. 4. p. 4.* ibi: *E por ende fasta que sepan cierto, si la condicion se cumple, ó non, está el pleyto principal, sobre que es puesta, en pendencia.* Impleta tamen conditione, statim absque novo consensu inducit obligationem absolutam, & perficitur matrimonium, quia consensus tempore contractus appositus perseverat moraliter cum impletur conditio: sicut accidit etiam in contrahente per Procuratorem, quin in hoc casu novus requiratur consensus: nec in aliis contractibus est necesse novum consensum apponere tempore conditionis impletæ, sed per ipsam purificationem conditionis contractus perficiuntur. *L. 7. ff. de Contrah. empt.* Et idem accidit in sponsalibus; *arg. c. un. de Sponsal. in 6.* quo ergo fundamento aliud de matrimonio dicemus, cum etiam quando consideratur, ut Sacramentum non amittit naturam contractus? Sic *Innoc. Host. Navar. Man. cap. 22. num. 63. Sanch. de Matr. L. 5. D. 8. num. 5. & alii*, & hoc observat in praxi Curia Romana, etiam post Trid. teste *Fagnan. in cap. 5. h. t. num. 4.* contra *D. Thom. in 4. dist. 29. q. un. art. 3. q. 3. S. Bonav. Covar. Gutier. Ponc. Barb. in cap. 5. h. t. num. 7. & alios.* Adimpleta ergo conditione, & non antea, conficitur Sacramentum, cum detur jam consensus perfectus, & absolutus, qui per eventum conditionis satis significatur. Et licèt ad valorem, & perfectionem matrimonii sufficiat eventus conditionis, quin notitia ejus adimpletionis sit necessaria tamen sic contrahentes uti matrimonio non possunt, quousque sciant, esse impletam conditionem, non solùm quando hæc est de futuro, sed eadem ratione, etiam quando est de præterito, vel præsenti. Sed jam perfecto matrimonio per adimpletionem conditionis potest contrahens ad cohabitandum conjugi compelli, si altera pars istud petat; *arg. cap. 5. h. t. Sanch. de Matr. lib. 5. D. 8. num. 6.* Et quamvis expediret, ut Parochus, & testes tempore conditionis impletæ interessent, non tamen est necessarium, cum conditio retrotrahatur ad tempus, quo fuit adjecta, & ex tunc censetur matrimonium contractum: sufficit ergo, quod tempore conditionis adjectæ intersint Parochus, & testes. *Navar. cons. 1. h. t. num. 6. Rodrig. Sanch. de Matr. lib. 5. D. 8. num. 24. Fagnan. in cap. 5. h. t. num. 5. & à Sac. Congreg.* declaratum, & à S. Pio V. & Clem. VIII. confirmatum testatur. Contrariam sententiam tenent *Rebel. Coninck. Laym. lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 7. num. 3. & alii.*

69 Si contrahentes apponant in sponsalibus, vel matrimonio conditionem de præterito, vel præsenti non suspenditur contractus, sed statim valet, si conditio vera est: vel non valet, si conditio est falsa; sicut accidit in aliis contractibus. *L. 37. ff. de Reb. credit. D. Thom. in 4. dist. 29. q. un. art. 3. q. 3. Sanch. de Matr. L. 5. D. 6. num. 1.* Quando adjicitur sponsalibus conditio in futurum eventum contingentem pendens, suspenditur contractus valor. Quod si sequatur copula, censentur sponsi ab eventu conditionis recessisse, velleque absolutè contrahere, *cap. 3. cap. 5. h. t. L. 3. tit. 4. p. 4.* Matrimonium tamen sub conditione de præterito, vel præsenti, hac non verificata, ubi *Trid.* est receptum, non convalescit per subsecutam copulam, nam cum præcedens matrimonium sit nullum, hæc copula est fornicaria: ac proindè non est apta ad confirmandum matrimonium, nisi coram Parocho, & testibus declarent, se velle à conditione recedere, novumque matrimonium contrahere. *Covar. de Spons. p. 2. cap. 3. §. 1. num. 13.* Si sponsalia, vel matrimonium sub conditione in futurum beneplaciti paterni contrahantur, suspenduntur, quousque conditio verificetur; sed hæc conditio non requirit consensum positivum, sed tantùm negativum, quarè sufficit, si pater sciat, & taceat, nec contradicat. *Silv. Rosel. Sanch. de Matr. lib. 5. D. 7. num. 12.* contra *Navar. Man. cap. 22. num. 63. & alios*: quia talis conditio adjicitur, ne pater ægrè ferat matrimonium; & certè, si ipsi non placeat

ceret, statim contradiceret, atque adeò ejus taciturnitas pro consensu habetur, juxta *cap.* 43. *de Reg. jur. in 6.* Si verò pater prius dissentiat, licèt posteà consentiat, non valet contractus; *arg. L.* 29. *ff. de Condit. & demonstrat. Sanch. de Matr. lib.* 5. *D.* 7. *num.* 9. contra *Navar. Man. cap.*22. *num.*63. *& alios.* Si duo matrimonia sub conditione contingente contrahantur, illud præfertur, & valet, cujus conditio prius est impleta: nam tunc idem est, ac si illud absolutè esset contractum; ac proindè aliud non habet locum. Si utraque conditio simul existit, cum ignoretur, quodnam sit prius, vel posterius, utrumque ob incertitudinem vitiatur. Ut ex *cap.* 10. *de Sponsal.* deducunt communitèr DD. *Gregor. Lopez in L.* 3. *tit.* 4. *p.* 4. V. *Si me dieres. Barbos. in cap.* 5. *h. t. num.* 4. *Sanch. de Matrim. L.* 1. *D.* 8. *num.* 15. contra *aliquos.* Quando sponsalia sunt contracta cum duabus sub conditione, priora præferentur secundis, etiamsi conditio adjecta secundis sponsalibus prius adimpleatur: quia qui prima sponsalia celebravit, nec licitè, nec validè potuit secunda contrahere, durante, & non extincta priorum obligatione. Nam quod semel placuit amplius displicere non potest, *cap.* 21. *de Reg. jur. in 6.*

70 In contractibus, & in matrimonio, etiam possunt apponi *modus*, *causa*, *& demonstratio*, quæ sunt conditioni affinia. *L.* 2. *tit.* 4. *p.* 4. Et aliquando idem valent, ac conditio, quia suspendunt, & pendent in futurum eventum; ac proindè, quod de conditionibus dictum est, debet de ipsis dici, cum non intentio verbis, sed verba intentioni deservire debeant, *cap.* 6. *de V. S.* Si enim contrahentes velint, contractum valere, solùm post eventum modi adjecti, talis modus erit conditio: si verò velint, contractum statim valere, & modum tamquam onus adjiciant, erit modus verè talis, ut à conditione distinctus. *Modus* ergo tunc propriè apponitur, quando aliquod onus adjicitur, ad quod contrahens obligatur post contractum perfectum, & solet explicari dictione: ut *L.* 2. *tit.* 4. *p.* 4. *& ibid. Greg. Lop.* Et tunc, non suspendit actum, & etiam si impossibilis sit, turpis, vel illicitus non vitiat matrimonium: sed talis modus pro non adjecto habetur ob matrimonii favorem: quod proindè statim valet. *Sanch. de Matrim. lib.* 5. *D.* 19. *num.* 7. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 208. idem de modo adjecto contra substantiam matrimonii tenent. *Barthol. Rosel. Ledesm. Perez, & alii*, dicendum tamen est, quod sicut conditio contraria matrimonii substantiæ illud vitiat, ita modus. Nam satis per ejus appositionem significatur animus, non aliter contrahendi, quam sub illo modo. V. g. *contraho tecum, donec inveniam aliam te ditiorem.* Et cum hoc destruat ipsam matrimonii substantiam, idem est, sub hoc modo velle, ac absolutè nolle. *Greg. Lop. in L.* 5. *tit.* 1. *p.* 4. *Covar. de Sponsal. p.* 2. *cap.* 3. §. 1. *num.* 8. *Sanch. de Matrim. lib.* 5. *D.* 19. *num.* 5. *Barbos. in cap. fin. h. t. num.* 5. Etiam in matrimonio solet adjici causa contrahendi, quæ dictione *quia* significatur. *L.* 2. *tit.* 4. *p.* 4. *Demonstratio* fit, quando ponitur aliqua qualitas, ut persona, cum qua contrahitur, determinetur. V. g. *contraho tecum, quæ primogenita Principis es. L.* 2. *tit.* 4. *p.* 4. Si sponsalia, vel matrimonium ex certo die, vel incerto contrahantur, habentur tamquam conditionalia: sicque ante diei adventum nullam obligationem producunt: Etiam usque ad certum diem sponsalia contrahi possunt, sicut possunt sub conditione resolutiva; secus matrimonium: nam hoc semel contractum vinculum indissolubile inducit, consequentèrque sub conditione resolutiva non potest contrahi.

71 Si aliquæ conditiones contra substantiam matrimonii apponantur, quæ sint de præterito, vel præsenti, & non afficiant matrimonium in futurum, non vitiant matrimonium, sed eis existentibus valet: eis deficientibus deficit matrimonium: quia solùm inspicitur executio illorum actuum: quæ non est contra substantiam matrimonii, sed tantùm obligatio ad eos exequendos. *Covar. de Spons. p.* 2. *cap.* 3. §. 1. *num.* 9. *Barbos. in cap. fin. h. t. num.* 8. *Sanch. de Matr. lib.* 5. *D.* 9. *num.* 6. *&* 7. Si verò conditio sit de futuro, nullum est matrimonium, *cap. fin. h. t. L.* 5. *tit.* 4. *p.* 4. In tribus enim bonis consistit matrimonii substantia, & non in pluribus: scilicèt in bonis *prolis*, *fidei*, & *Sacramenti.* Nam matrimonium est in officium naturæ, & est Sacramentum Ecclesiæ: in quantum est in officium naturæ duobus ordinatur, sicut & quilibet alius virtutis actus, quorum unum exigitur ex parte ipsius agentis, & hoc est, intentio finis debiti: & sic ponitur finis matrimonii *proles.* Aliud exigitur ex parte ipsius actus, qui est bonum in genere ex hoc, quod cadit supra debitam materiam; & sic est *fides*, per quam homo ad suam accedit, & non ad aliam. Sed alterius habet ali-

aliquam bonitatem, in quantum est Sacramentum; & hoc significatur ipso nomine *Sacramenti. D. Thom. in* 3. *p. Sup. q.* 49. *art.* 2. *in corp.* Consistit ergo matrimonii substantia. 1. in *bono prolis*, quod stat in obligatione ad exhibendos actus aptos ad prolis generationem. Et quidem in prole, non solùm intelligitur procreatio prolis, sed etiam educatio ipsius: ad quam sicut ad finem ordinatur tota communicatio operum, quæ est inter virum, & uxorem, in quantum sunt in matrimonio conjuncti; ac proindè contra hoc bonum est conditio de evitanda prolis generatione, vel de procuranda sterilitate, vel de seminando extra vas, vel de abortu procurando, vel de prole jam nata enecanda: similitèr pactum de non petendo, vel non reddendo debitum, quando alter habet jus petendi, quamvis non licitè peteret. Nam in matrimonio debet dari mutua, & totalis corporum traditio, cum æquali jure ex parte utriusque. Etiam contra hoc bonum est pactum de nunquam cohabitando; conditio tamen, de non cohabitando ad tempus sustinetur. *Sanch. de Matr. lib.* 5. *D.* 10. *ex num.* 4. Consistit 2. in *bono fidei*, quod stat in servanda mutua fidelitate, tum in redditione debiti; tum in eo, quod alteri non se immisceant. Contra hoc bonum est conditio excludens obligationem radicalem ad actus conjugales, vel obligationem imponens se aliis prostituendi. Nec enim sumitur hic fides, prout est virtus Theologica; sed prout est pars justitiæ, secundum quod fides dicitur ex hoc, quod fiant dicta in promissione matrimonii. *D. Thom. in* 3. *p. q. Sup. q.* 49. *art.* 2. *ad* 2. *&* 3. In *bono Sacramenti* denique stat matrimonii substantia: hoc consistit in vitæ societate individua, in quo non solùm intelligenda est indivisio; sed omnia illa, quæ consequuntur matrimonium ex hoc, quod est signum conjunctionis Christi, & Ecclesiæ: & omnia, quæ ad inseparabilitatis hujusmodi significationem pertinent. *D. Thom. in* 3. *p. Sup. q.* 49. *art.* 2. *ad* 4. *&* 7. Contra hoc bonum est conditio resolutiva matrimonii ejus perpetuitatem dissolvens. V. g. duco te, donec aliam ditiorem, vel nobiliorem inveniam. Etiam est nullum matrimonium à Judæis, vel Paganis celebratum sub conditione dandi libellum repudii juxta eorum Leges; quippè hodie abrogato à Christo Domino libello repudii, est contra indissolubilitatem, & substantiam matrimonii talis conditio, ac proindè illud vitiat. *Covar. de Spons. p.* 2. *cap.* 3. §. 1. *num.* 5. *Sanch. de Matr. lib.* 5. *D.* 12. *num.* 3. Similitèr, si infideles apponerent conditionem habendi tot uxores, quot alere possent, vitiaretur matrimonium. *Sanch. de Matr. L.* 5. *D.* 12. *num.* 4. Jus etiam naturale dictat, quod nihil potest consistere sine ejus substantia: hinc matrimonium, in quod non alitèr consentiunt contrahentes, quam sub conditione ejus substantiam destruente chymericum est, nec valet subsistere, consequentèrque ut matrimonium subsistat, debet in se ea bona, in quibus ejus substantia consistit, habere, undè ait *August. in cap.* 10. 27. *q.* 2. ibi: *Omne itaque nuptiarum bonum impletum est in illis Parentibus Christi, proles, fides, Sacramentum: prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum: fidem, quia nullum adulterum: Sacramentum, quia nullum divortium. Solus ibi concubitus nuptialis non fuit: quia in carne peccati fieri non poterat sine illa pudenda carnis concupiscentia, quæ accidit ex peccato: sine qua concipi voluit, qui futurus erat sine peccato.* Quod corroboratur *ex cap. fin. h. t.* ibi: *Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, puta si alter dicat alteri: Contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus digniorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus quantumcumque sit favorabilis caret effectu. L.* 5. *tit.* 4. *p.* 4.

72 Quando Pontifex *in cap. fin. h. t.* decidit, conditiones contra matrimonii substantiam illud vitiare, solùm facit mentionem conditionum turpium: & hinc *Abulens. Palud. Ponce de Matr. L.* 3. *cap.* 11. *num.* 5. *& alii* tenent, matrimonium non vitiari per conditionem honestam, etiam si contra substantiam matrimonii sit: v. g. si conjuges contrahant, sub conditione servandi, vel vovendi perpetuam castitatem; quod exemplo B. Virginis intendunt comprobare. Sed cum ratio Textuum sit generalis, & comprehendat, etiam conditionem honestam matrimonii substantiæ appositam, dicendum est, casus ibi positos solùm se habere, ut exempla, quæ non restringunt regulam. *D. Thom. in* 4. *dist.* 28. *q. un. art.* 4. *ad* 3. *D. Bonav. Sot. Covar. de Spons. p.* 2. *cap.* 3. §. 1. *n.* 3. *Sanch. de Matr. L.* 5. *D.* 10. *num.* 2. *&* 3. *Barb. & Gonz. in cap. fin. h. t. n.* 8. *in fin.* Licèt enim substantia matrimonii non consistat in copula, vel intentione eam exigendi, vèl reddendi. *L.* 30. *ff. de Reg. jur.* Consistit

ra-

tamen in obligatione ad actus conjugales exercendos, quæ ex mutua corporum traditione oritur: quam obligationem excludunt contrahentes apponendo conditionem servandæ, vel vovendæ castitatis. Si tamen post contractum matrimonium contrahentes apponant pactum, vel conditionem servandi castitatem, servanda est, quia cum jam sit perfectus contractus, per talem conditionem non vitiatur. Etiam quando contrahentes ante matrimonium voverant castitatem, valet matrimonium; illicitum tamen est. Siquidem posteà in ipso contractu traditur jus ad copulam, sicut res Sejo vendita adquiritur Sempronio, si ipsi vendatur, & tradatur, non obstante prima venditione. At verò quando conditio servandi castitatem apponitur in ipso contractu, efficacitèr impedit corporis translationem, ac proindè irritat matrimonium. B. Virgo contraxit matrimonium sine consensu ad copulam, sed consensit in traditionem juris, & potestatis in corpus suum. Et quidem licitè, non obstante voto castitatis, siquidem ex Divina revelatione sciebat, debitum non esse exigendum, *cap.* 3. 27. *q.* 2. *D. Thom. in* 4. *D.* 30. *q.* 2. *art.* 2. *ad* 1. Et omnia bona matrimonii in illis nuptiis fuerunt; & quidem sine carnis concupiscentia, sine qua concipi voluit, qui futurus erat sine peccato. Sic *August. jam* citatus *in cap.* 10. 27. *q.* 2. Si apponatur hæc conditio, ut liceat ante consummationem ingredi religionem, cum sit imbibita Jure Communi in matrimonio rato non est contra ejus substantiam, sicut, nec quævis alia, quæ matrimonio insit: esset tamen si apponeretur conditio; quod ambo, vel alter Religionem ingredi teneretur ante, vel post consummationem, quia imponit obligationem, quæ Jure Communi non inest, & tollit mutuam corporum traditionem, ac proindè nullum reddere matrimonium. *Sanch. de Matrim. lib.* 5. *D.* 10. *n.* 6.

73 Conditio sponsalibus apposita contra substantiam matrimonio, si adimplenda sit post matrimonio contractum vitiat sponsalia; *arg. L.* 16. *ff. de Sponsal. D. Thom. in* 4. *D.* 27. *q.* 2. *art.* 1. *Sanch. de Matrim. lib.* 5. *D.* 14. si est adimplenda ante matrimonium, & ad eorum dissolutionem tendat; v. g. *Ducam te, nisi aliam ditiorem, ante matrimonium inveniam*: cum sponsalia ex se dissolubilia sint, & sub conditione resolutoria contrahi possint; nec ipsa, nec matrimonium per talem conditionem vitiantur. Si conditio sit contra matrimonii fidem; v. g. *Ducam te, si ante matrimonium forniceris*, non vitiat matrimonium, quia ad ejus fidem solùm pertinet, quod uxor post sui corporis traditionem in matrimonio, secus anteà, illud alteri non tradat, nec vitiat sponsalia rejecta conditione, tamquam turpi. Si bono prolis sit contraria conditio; v. g. *Ducam te, si sumas potionem, ut sterilis efficiaris*: cum sit contra substantiam matrimonii, vitiat sponsalia, & matrimonium. *Sanch. de Matrim. lib.* 5. *D.* 14.

74 Conditio equidem impossibilis alia est *defacto*, seu per *naturam*, seu *physicè impossibilis*, quando scilicèt, ipsa natura repugnat ejus existentia; v. g. si hæc apponatur conditio. *Contraham tecum si digito Cœlum tetigeris; vel si mare ebiberis.* Alia est *impossibilis de jure*, quæ scilicèt, jure prohibente, nequit fieri, id enim tantùm posse censemur, quod de jure possumus; v. g. *Contraham tecum, si cecideris Titium, vel si furtum feceris. L. fin. tit.* 4. *p.* 4. Conditio ergo impossibilis contractibus adjecta eos vitiat, §. 11. *Inst. de Inut. stipulat. L.* 31. *ff. de O. & A.* Et hac ratione de Jure Antiquo etiam vitiabat matrimonium: adjecta tamen ultimis voluntatibus eas non vitiat, sed favore ultimarum voluntatum fuit statutum, ut potiùs ipsa conditio vitiaretur, & pro non adjecta haberetur, §. 10. *Inst. de Hæred. instit.* Hinc Pontifex considerans, matrimonium non debere esse minus favorabile, quam testamentum, statuit *in cap. fin. h. t.* & expresse habetur *in L. fin. tit.* 4. *p.* 4. Quod conditio impossibilis in matrimonio apposita, tolleretur de medio; quia joco potius quam animo serio adjecta censetur; nec Ecclesia in hoc supplet consensum, sed in dubio illum præsumit, ne matrimonium, semel contractum, facilè dissolvatur cum gravi animarum periculo, & fidelium scandalo. Sic *Sanch. de Matrim. lib.* 5. *D.* 3. *n.* 15. *&* 19. *& alii*, contra *Ponc. lib.* 3. *de Matrim. cap.* 4. *n.* 10. & alios, qui tenent, non esse ibi novum jus stabilitum, sed tantùm declaratum Jus Naturale. Et idem, ac statutum est in matrimonio, etiam in sponsalibus statutum censetur, ac proindè, etiam à sponsalibus est rejicienda conditio impossibilis. *D. Thom. in* 4. *D.* 27. *q.* 2. *art.* 1. *in corp. D. Bonav. D. Anton. & alii cum Sanch. de Matrim. lib.* 5. *D.* 17. *n.* 2. contra *Ledesm. & alios*, & expressè habetur *in L. fin. tit.*

tit. 4. p. 4. ibi: *Tales condiciones, como estas, non valen nada, maguer las pongan, non se destorvan por ellas las desposajas, nin los casamientos, maguer non se puedan complir.* Non solùm conditio impossibilis de futuro, sed etiam de præsenti, & præterito tollitur de matrimonio, quia tàm una, quàm altera non potest adimpleri: & tàm in una, quàm in altera idem favor debet fieri matrimonio: cum hæc sit ratio quæ movit *Pontif. in cap. fin. h. t. Covar. de Spons. p. 2. cap. 3. §. 2. n. 2. Greg. Lop. in L. fin. tit. 4. p. 4. V. Monte de Oro. Sanch. de Matr. lib. 5. D. 4. n. 3.* contra *Sylv. Ponc. L. 4. cap. 4. num. 12. & alios.* Sed cum talis conditio tollatur ab Ecclesia, quia non serio, & animo dissentiendi, sed joco censetur adjecta; hinc si ex circunstantiis colligatur, adjectam esse serio, cognita ejus impossibilitate, vitiabitur matrimonium. Si verò dubitetur, quo animo est adjecta in favorem matrimonii præsumit Ecclesia præsumptione juris tantum joco, & non serio adjectam esse; *arg. cap. fin. de Sentent. & re judicat.* Idem est, si contrahentes ignoraverint conditionis impossibilitatem; nam tunc in eventum, quem possibilem credebant fertur consensus. Undè cum eventus impossibilis fit, irritum est matrimonium, vel si contrahentes ignorent favorem juris ex *cap. fin. h. t.* In quo talis conditio pro non adjecta habetur, nam tunc censentur potius dissensisse, secundum impossibilitatem conditionis, quam consensisse attento favore juris, quem ignorant. *Covarr. de Spons. p. 2. cap. 8. §. 1. n. 9. Sanch. de Matrimon. lib. 5. D. 3. num. 8. Gonz. in cap. fin. h. t.*

75 Conditio, non absolutè impossibilis, sed tantùm *impossibilis moralitèr*, sed *valdè difficilis*, quæ etiam solet appellari impossibilis defacto. Si attentis circunstantiis non possit à parte adimpleri, animo magis jocandi, quam dissentiendi esse adjectam, à paritate impossibilium, tenendum est: ac proindè rejicienda erit; secus si serio exigatur ejus adimpletio. *Barb. in Rub. h. t. n. fin.* Si volentes contrahere matrimonium sciant, se impedimento aliquo dirimente laborare, & nulla facta dispensationis mentione matrimonium absolutè promittant, promissio, ut contra Leges facta nulla est. *L. 35. §. 1. ff. de V. O. L. 14. tit. 4. p. 6.* promissio enim secundum jus temporis præsentis secundum quod accipi debet est facta inter personas ad matrimonium inhabiles, ac proindè nullam obligationem producit, ut contra *Sot. Tabian. & Armil.* tenent *Covar. de Spons. p. 2. cap. 3. n. 7. Sanch. de Matrim. lib. 5. D. 5. n. 26.* Valent tamen, & etiam licita sunt sponsalia, & matrimonium contractum sub conditione dispensationis inter laborantes impedimento purè Ecclesiastico, in quo solet Papa dispensare ex juxta causa, & contrahentes causam justam habent: quia supposita dispensatione, sub qua contrahunt, habiles sunt ad matrimonium contrahendum: ac proindè hoc valet, & posita dispensatione absolutè contrahitur. *Covarr. de Spons. p. 2. cap. 3. n. 9. Sanch. de Matrim. lib. 5. D. 5. n. 12. & 13. & alii*, contra *Host. Sot. Henriq. & alios.* Ille verò qui sub tali conditione primo promisit matrimonium, tenetur etiam dispensationem petere, ut medium necessarium ad effectum promissionis. Sed cum negotium commune sit, ab utraque parte debent sumptus impendi. *Sanch. de Matrim. lib. 5. D. 5. n. 36. & 37.* contra *alios.* Si impedimentum sit tale, in quo Papa non soleat dispensare; v. g. si matrimonium contrahatur cum Sacerdote sub conditione, *si Papa dispenset*, est nullum, & conditio reputatur impossibilis, ut à voluntate Principis dependens. Idem est, etiamsi soleat dispensare Pontifex, requiratur tamen causa justa, & hac contrahentes sint destituti: quippè tunc nullum est matrimonium, etiamsi firmatum sit juramento; quia juramentum non est vinculum iniquitatis, *cap. 18. de Jur. jurand. Sanch. de Matrim. lib. 5. D. 5. ex n. 2.* Vide quæ diximus, *tit. 1. h. t. lib. 4. n. 4. in fin.*

76 Conditio impossibilis de jure, seu turpis de futuro, & quæ non sit contra substantiam matrimonii, quando adjicitur à contrahentibus consciis constitutionis in *cap. fin. h. t.* habentis tales conditiones pro non adjectis, vel quando dubitatur, quo animo est adjecta, & quando ab ipsis cognoscitur ejus turpitudo, favore matrimonii tollitur de medio, & potius joco, quam serio animo censetur adjecta; *arg. cap. fin. de Sentent. & re judicat.* Non verò tolluntur, sed potius vitiant, si alter contrahentium ignoret favorem juris in *cap. fin. h. t.* Vel si certò sciatur, animo serio adjectas esse; vel quando ipsi contrahentes ignorant earum turpitudinem. *Sanch. de Matrimon. lib. 5. D. 15. Covar. de Spons. p. 2. cap. 3. §. 2. n. 6.* si hæc turpis conditio sponsalibus ad-

adjiciatur pro non adjecta, sicut in matrimonio, habetur. *In cap. fin. h. t. L. fin. tit. 4. p. 4. Sanch. de Matr. lib. 5. D. 17. num. 2.* Conditio turpis de præsenti, vel præterito, cum non sit propriè conditio, nec ad peccatum invitet, non tollitur de medio *per cap. fin. h. t.* cum ejus ratio tunc cesset. *D. Thom. in 4. D. 29. q. un. art. 3. Barb. in cap. fin. h. t. n. 8. Covarr. Sanch. de Matr. lib. 5. D. 15. num. 5.* Hæc conditio: *Si te virginem invenero tecum contraham*; relata ad illicitam explorationem per coitum, ut turpis tollitur de medio. Si referatur ad modum licitum, scilicèt per depositionem Matronarum, & famam viciniæ; quia non est turpis, suspendit contractum. *Navar. Man. cap. 22. n. 66. Covarr. de Spons. p. 2. cap. 3. §. 2. n. 12. Barb. in cap. 6. h. t. n. 6. Sanch. de Matr. lib. 5. D. 16. n. 7.* Hæc conditio: *Si mecum concubueris*: ad concubitum ante matrimonium relata, illicita, & turpis est, ac proindè tollitur. Si verò referatur ad concubitum post matrimonium, sed intra bimestre ad deliberandum datum, contractum suspendit. Si verò ad concubitum post bimestre referatur, cum ipso jure insit, etiamsi exprimatur, non habet rationem conditionis, nec suspendit contractum, sed purus habetur, tamquam si adjecta non esset. *L. 69. ff. de Hæred. inst. Sanch. de Matr. lib. 5. D. 16. ex n. 1.* Hæc conditio: *Si mihi centum donaveris*; si ex justa causa sit adjecta est honesta conditio: ac proindè obligat, suspenditque, vel sponsalia, vel matrimonium; *arg. cap. 3. h. t. L. 3. tit. 4. p. 4.* secus, si ex causa inhonesta procedat; nam tunc, ut turpis rejicitur. *Barbos. & Gonz. in cap. 3. h. t. Sanch. de Matrimon. lib. 5. D. 6. n. 6.*

TIT. VI.

Qui Clerici, vel voventes matrimonium contrahere possunt.

77 ORdo Sacer, scilicèt Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotium ex institutione, & præcepto Ecclesiæ habet connexum votum castitatis solemne, ita ut sit impedimentum matrimonii dirimens: ac proindè matrimonium post Ordinis Sacri susceptionem contractum, est nullum, non solùm in Occidentali, seu Latina Ecclesia, sed etiam in Græca, seu Orientali Ecclesia, *cap. 8. D. 27. cap. 7. D. 32. Can. 25. Apostol. cap. 1. & 2. h. t. cap. un. de Vot. in 6. Trid. sess. 24. de Matr. Can. 9. L. 16. tit. 2. p. 4.* & expressè habetur *in L. 39. tit. 6. p. 1.* ibi: *Otrosi, que non pueden casar desque ovieren Orden Sagrada; é si casaren, que non vale el casamiento. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 28. n. 3.* Quando *in cap. un. in fin. 35. q. 1.* dicitur, quod Ecclesia, quædam consilia perfectionis addidit, utpotè de continentia ministrorum, intelligitur, quod addidit ex præcepto, quod antecedenter erat de consilio. Rationem, & congruentiam inducendi hoc impedimentum reddit. *D. Thom. in 3. p. Suppl. q. 53. art. 3. in corp.* ibi: *Respondeo dicendum, quod Ordo Sacer de sui ratione habet ex quadam congruentia, quod matrimonium impedire debeat, quia in Sacris Ordinibus constituti Sacra Vasa, & Sacramenta tranctant, & ideò decens est, ut munditiam corporalem per continentiam servent. Sed quod impediat matrimonium ex constitutione Ecclesiæ habet; tamen alitèr apud Latinos, quam apud Græcos, quia apud Græcos impedit matrimonium contrahendum solùm ex vi ordinis; sed apud Latinos impedit ex vi ordinis, & ulterius ex voto continentiæ, quod est Ordinibus Sacris annexum: quod etiamsi quis verbo tenus non emittat, ex hoc ipso tamen, quod ordinem suscipit secundum ritum Occidentalis Ecclesiæ intelligitur emisisse: Et ideò apud Græcos, & alios Orientales Sacer Ordo impedit matrimonium contrahendum: non tamen matrimonii prius contracti usum; possunt enim matrimonio prius contracto uti, quamvis non possint matrimonium denuo contrahere. Sed apud Occidentalem Ecclesiam impedit matrimonium, & matrimonii usum, nisi fortè ignorante, aut contradicente uxore vir Ordinem Sacrum susceperit, quia ex hoc non potest ei aliquod præjudicium generari.* Qui verò tantùm minoribus ordinibus initiatus est, scilicèt censura, & quatuor gradibus, validè, & licitè matrimonium contrahit. Nam Ecclesia illis votum castitatis non annexuit, *cap. 7. D. 32. cap. 1. D. 28. D. Thom. in 3. p. Sup. q. 53. art. 3. ad 4.* ibi: *Illi, qui sunt in minoribus ordinibus constituti ex vi ordinis, non prohibentur matrimonium contrahere, quia quamvis ordines illi deputentur ad aliqua spiritualia, non tamen immediatè habent accessum ad tractandum sacra, sicut illi, qui sunt in Sacris Ordinibus.* In Orientali, seu Græca Ecclesia etiam conjugati possunt or-

ordinari, *cap.* 8. *D.* 28. *cap. fin. D.* 31. Et post ordines uti matrimonio antea contracto, secus in Latina, invita uxore, *cap.* 6. *de Cleric. conjug. L.* 39. *tit.* 6. *p.* 4. ibi: *Los Clerigos del Oriente, quier sean casados, quier non, pueden recebir Ordenes Sacras, non prometiendo guardar castidad; mas los de Occidente non pueden esto facer, á menos de lo prometer.* In Ecclesia Latina nequidem ad Ordines Minores promovetur licitè conjugatus ex prohibitione, *cap. fin. de Tempor. ordin. in* 6. validè tamen ordinatur, etiam Sacris Ordinibus, & etiam invita uxore: cum nullo jure hæc ordinatio irritetur: potest tamen sic ordinatus ab uxore revocari; & tenetur ipse debitum reddere, non tamen petere; nec mortua uxore, potest cum alia contrahere, voto castitatis obstante, *capit.* 10. *cap.* 11. *cap.* 12. *D.* 28. *L.* 40. *tit.* 6. *p.* 1. Ordo Sacer dirimit sponsalia ante ipsum ordinem contracta, quia ad matrimonium sponsus redditur inhabilis, sicque sponsalia desinunt obligare: non tamen dirimit etiam matrimonium ratum tantùm, & non consummatum; cum neque Jure Divino, nec Canonico, neque in Ecclesia Latina, nec in Græca sit concessa Sacris Ordinibus vis dissolvendi matrimonium ratum, sicut *ex cap.* 2. *cap.* 7. *de Convers. conjugator.* concessum est professioni religiosæ, sicque ad tollendam varietatem opinionum statutum est *in Extrav. un. de Voto. Joann. XXII.* ubi additur, ordinatum sine conjugis consensu irregularitatem incurrere, qua etiam soluto matrimonio, irritetur, nisi approbatam aliquam Religionem ingrediatur, ubique vel expressè, vel tacitè profiteatur: nam tunc Episcopus Diœcesanus cum eo ad functiones sui ordinis exercendas dispensat, & ut ad altiores ordines promoveatur, imò sic ordinatus ante matrimonii consummationem instanter monendus est per Diœcesanum Religionem ingredi; si verò renuat, & sponsa ejus insistat, etiam per censuram Ecclesiasticam cogetur matrimonium consummare.

78 Ordo Sacer dirimit motrimonium contrahendum, non Juri Naturali, nec Divino, sed precisè Jure Ecclesiastico, *cap.* 40. 27. *q.* 1. ut constat ex verbo: *Statuimus*, & clarius *ex Trid. sess.* 24. *de Matrim. Can.* 9. ibi: *Non obstante Lege Ecclesiastica, vel Voto. D. Thom. supracitatus in* 4. *D.* 37. *& ibid. Albert. Magn. D. Bonav. Scot. & alii. Covar. Bellarm. Sanc. de Matrim. L.* 7. *D.* 28. *num.* 11. contra *aliquos*, qui intendunt, continentiam Jure Divino Sacris Ordinibus esse adjunctam. Licèt enim castitas sit consilii, & non præcepti. 1. *Cor.* 7. *v.* 25. Nec absolutè possit Clericis præcipi ab Ecclesia hæc difficillima virtus, *cap.* 13. 32. *q.* 1. potest tamen sub conditione præcipi, scilicèt, si velit quis Sacros Ordines suscipere, quibus votum solemne castitatis est annexum. Cum ergo tantùm ex Jure Ecclesiastico, & non ex Jure Naturali ob repugnantiam Clericatus cum conjugio hoc impedimentum descendat, potuit permitti Clericis in Ecclesia Græca usus matrimonii antea contracti. Et hac etiam ratione R. Pontifices dispensarunt cum Clericis in Sacris constitutis, ut validè, & licitè matrimonium contraherent. Sic Cœlestin. III. dispensavit cum Ramiro Rege Aragoniæ Religioso, & Episcopo, Alexand. VI. cum Cæsare Borgia Cardinali Diacono. Greg. XIII. cum fratre Cardinalis Joyosæ Sacerdote, & Provinciali Capuccinorum. Et alii cum aliis similiter dispensarunt.

79 Qui ante usum rationis ordinatus est in sacris, si usum rationis adeptus non habeat ratam expressè, vel tacitè talem ordinationem: neque voto, siquidem sine consensu non valet, neque alia Lege Ecclesiastica ad continentiam obligatur; ac proindè matrimonium contrahere potest. *Soto, Navar. Sanch. de Matrimon. L.* 7. *D.* 30. *n.* 3. *Ponc. de Matrim. lib.* 7. *cap.* 29. *n.* 15. idem ipsi sentiunt de impubere in sacris ordinato. Talem verò impuberem, nec Jus Naturale eximit ab obligatione continentiæ, siquidem habet sufficientem usum rationis ad Clericatum, & continentiam. Et licèt Jus Positivum talem ordinationem prohibeat, *cap.* 120. 1. *q.* 1. eam non irritat, nec irritare potuit; nec irritat votum, ex ea resultans, sicut irritat votum solemne Religionis, & matrimonium in impubertate contractum. *Glos. in cap.* 120. 1. *q.* 1. *Soto, lib.* 7. *de Just. & jur. q.* 2. *art.* 5. *Suar. de Relig. tom.* 3. *lib.* 9. *cap.* 17. *dub.* 3. *n.* 22. qui hanc sententiam vocat omninò veram, & concludit, quod non valet argumentum: à professione, quæ non est valida, nisi post pubertatem ratificetur, *cap.* 1. *cap.* 10. 20. *q.* 1. *cap.* 8. *de Regular.* quia est à re dissimili, & diversæ rationis. Nam professio irritari potuit, non autem ordo: aliàs nunc ordinatus post 14. annum ætatis non teneretur voto castitatis, quia nunc professio in illa ætate non tenet per Concilium Tridentinum; quod absurdum est. At verò *Sanch. de Matrim.*

L. 7.

L. 7. D. 39. n. 8. consequenter ad suam doctrinam dicit, talem non teneri, nisi post 16. annum ratam habeat ordinationem. Hinc consequenter dicendum est, ordinatum vi absoluta, & præcisa, non manere ordinatum, nec suscipere characterem ex defectu consensu; *arg. c. 3. de Bapt. L. 32. tit. 6. p. 1.* nec impedimentum ad matrimonium contrahere; nam accessorium sequitur naturam principalis. *c. 42. de Reg. jur. in 6. Sanch. de Matr. L. 7. D. 29. n. 1.* Qui verò metu, etiam gravi injustè incusso, ordinatus est valide ordinatur: & sic matrimonium non potest validè contrahere, si non exclusit votum, & obligationem continentiæ. Cum Juræ Naturali talis ordinatio habet sufficientem consensum ad votum ordinibus annexum; nec Jure Positivo irritetur, sicut irritatur matrimonium metu contractum *c. 14. de Sponsal.* Et profesio metu emissa. *c. 1. c. 6. de His, quæ vi,* à quibus ad Sacros Ordines argumentum non probat. *Extrav. unic. de Voto. Joann. XXII.* Professio enim religiosa est difficilior, quam ordinatio, quippè est omnium rerum, & propriæ voluntatis perpetua abdicatio: ac proindè majorem libertatem, & voluntarietatem, quem ordinatio requirit, Et sic expressè habetur *in L. 32. tit. 6. p. 1.* ibi: *Si à alguno facen premia, que reciba orden, amenazandolo, que le tomarán el beneficio, si non se ordenare, maguer aquel consienta por tal miedo como este, pues recibiò la orden de fuera, yà finca el alma dentro señalada por ella, de manera, que es tenudo de vivir sin casamiento.* Sic tenent *Joann. Andr. Abb. Sot. de Just. lib. 7. q. 2. art. 5. & alii,* contra *Sanch. de Matr. L. 7. D. 29. n. 5. Greg. Lop. in L. 32. tit. 6. p. 1. V. Que le tomàra, & alios.* Licèt emittens professionem ex aliquo defectu invalidam, teneatur ad castitatem ex voto simplici; *arg. c. 3. & c. 12. de convers. conjugat.* quia non tantùm ad Religionem, sed etiam ad castitatem principaliter se obligat eo modo, quo valere potest. Secus se habet in ordinatione, quæ si ex aliquo defectu, formæ, vel materiæ, sit invalida, nullam obligationem, nec votum, nequidem simplex continentiæ producit: quia sic ordinatus votum solùm emisit in consequentiam ordinationis: & cum hæc sit nulla, nullum effectum producit: nam cadente principali, non potest subsistere accessorium. *L. 1. 29. ff. de Reg. jur. c. 42. eod. in 6.*

80 Consentiente uxore, & juri in ejus favorem inducto renuntiante, potest ejus maritus, etiam ad Sacros Ordines promoveri. *c. 5. c. 6. de Convers. conjugat. L. 2. tit. 10. p. 4.* ipsa tamen, si senex sit, & non suspecta de incontinentia, debet votum castitatis emittere: si verò juvenis, vel de incontinentia suspecta sit, debet ingredi Religionem. *c. 5. de Convers. Conjugator.* Si tamen maritus fiat Episcopus, secus si fiat Cardinalis non Episcopus, ejus uxor, etiam senex ob gradus excellentiam, debet vestem assumere Religionis. *c. 6. de Convers. conjugat. Covar. de Sponsal. p. 2. cap. 6. §. 3. n. 3. Sanch. de Matr. L. 7. D. 41. ex n. 2. Greg. Lop. in L. 2. tit. 10. p. 4. V. En orden.* Uxor, quæ liberè, & expressè in ordinationem mariti consensit, nec licitè, nec validè contrahit matrimonium, etiam mortuo marito ob specialem prohibitionem Ecclesiæ. *c. 10. c. 11. c. 12. D. 28. L. 40. tit. 6. p. 1.* ibi: *E otrosi, desque vieren sus maridos muertos, que non se puedan despues casar; è si casarem, non vale el casamiento. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 40. n. 2.* Si illa non consensit in mariti ordinationem, vel non consensit liberè, sed per vim, vel dolum, aut metum non contrahit impedimentum; sed potest matrimonium contrahere. *D. Thom. 4. D. 37. q. 1. art. 2. ad 4. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 40. ex n. 4.* similiter si non consensit expressè in ordinationem, sed tantùm dissimulavit, cum esset conscia, neutiquam potest contrahere matrimonium, etiam mortuo marito; ut expressè habetur *in L. 40. tit. 6. p. 1.* ibi: *E lo consienten, que lo non contradixessen, mas callasen,* contra *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 40. n. 5.* apud quem plures citantur pro nostra sententia. Semper tamen ordinatus characterem ordinis recipit, licèt aliquando executione ejus privetur: prout distinguens varios casus affert *D. Thom. in 3. p. Sup. q. 53. art. 4. in corp.* ibi: *Respondeo dicendum, quod matrimonium non impedit Ordinis Sacri susceptionem; quia si matrimonio junctus ad Sacros Ordines accedat, etiam reclamante uxore, nihilominùs characterem ordinis suscipit: sed executione ordinis caret. Si autem volente uxore, vel ipsa defuncta, recipit ordinem, & executionem.* Et *ad 1.* dicit. *Quod vinculum ordinis solvit vinculum matrimonii ratione redditionis debiti, ex qua parte habet repugnantiam ad matrimonium ex parte ejus, qui suscipit ordinem, quia non potest petere debitum, nec uxor ei tenetur reddere non tamen solvit ex parte alterius, quia ipse tenetur uxori debitum reddere, si non pos-*

posset eam inducere ad continentiam. Et *ad* 2. ait: *Quod si uxor sciat, & de ejus consensu vir Ordinem Sacrum susceperit, tenetur perpetuam continentiam vovere: non tamen tenetur Religionem intrare, si sibi non timeat de periculo castitatis, propter hoc, quod vir ejus solemne votum emisit: secus autem si emisisset votum simplex. Si autem sine ejus consensu susceperit, non tenetur; quia ex hoc nullum sibi præjudicium generatur.* Aliquando, etiam invita uxore, potest maritus ordinari, vel ingredi Religionem. 1. Si uxor comittat adulterium. Nam præcedente divortii sententia: vel si adulterium adeò notorium sit, ut innocens propria authoritate possit uxorem dimittere, juxta facultatem à Christo Domino concessam *Matth.* 19. sine metu restitutionis, potest innocens ordinari, vel Religionem ingredi. Et semel statu ab innocente mutato, potest etiam nocens Religionem ingredi: si nondum statum mutavit innocens, & hic à nocente requisitus paratus sit reconciliari, nequit nocens, invito innocente ingredi Religionem, etiam si divortium ab Ecclesia factum, & aprobatum sit, quia innocens, re adhuc integra, potest nocentem revocare, nec potest à nocente privari hoc jure. *Sanch. de Matim. lib.* 10. *D.* 10. *n.* 12. *Palacios in* 4. *D.* 35. *Disp. un.* si innocens requisitus à nocente non tantùm semel, sed sæpius post nocentis emendationem: secus alitèr: non sit paratus reconciliari, præsumitur tacitè licentiam nocenti concedere, ut ordinetur, vel ingrediatur Religionem. *c.* 19. *de Convers. conjugat. Et ibid. Abb. & Joan. Ant. Sanch. de Matrim. L.* 10. *D.* 10. *n.* 16. 2. Innocenti licet ordinari, vel Religionem ingredi, si alter conjux in hæresim, vel infidelitatem sit lapsus; & quidem postquam ab Ecclesia, ut hæreticus est damnatus; etiam si especialis sententia divortii non feratur. Quippè tunc potest catholicus à tali hæretico divertere; cum jam divortium habeatur, ut effectus hæresis; nec tenetur ipsum etiam resipiscentem recipere. *c. fin. de Convers. conjugat.* secus est, si à conjuge in hæresim lapso divertat propria authoritate, hoc est, antequam ab Ecclesia, ut hæreticus alter conjux judicetur, quia cum illa hæresis solùm sit causa divortii pro tempore, quo in hæresi perseverat conjux, quippè Jus Naturale dictat illud periculum vitare, tenetur innocens conjugem resipiscentem admittere in matrimonio, & ad hoc potest compelli, & hinc non potest ad ordines, vel Religionem transire. *c.* 6. *de Divort. Sanch. de Matrim. lib.* 10. *D.* 15. *ex n.* 15. *ubi varia DD. placita refert.*

81 Professio Religiosa, per quam professus vovet solemnem, & perfectam castitatem, etiam in Religione Militari, v. g. Melitensium, secus ubi tantùm castitas conjugalis vovetur, ut faciunt Equites Divi Jacobi, Alcantaræ, & Calatravæ: inducit impedimentum dirimens matrimonium contrahendum. *c.* 12. 27. *q.* 1. *c.* 3. *c. fin. h. t. c. un. de Vot. in* 6. *Trid. sess.* 24. *de Matr. can.* 9. Aliqui enim cum *Almaino de Potest. Eccles. cap.* 15. tenent, hoc impedimentum esse de Jure Divino: esse tamen de Jure Naturali defendunt *D. Thom. in* 3. *p. Sup. q.* 53. *art.* 2. *Et in* 4. *D.* 38. *D. Bonav. ibid. Soto de Just. lib.* 7. *q.* 2. *art.* 5. *Henriq. Valent. & alii.* Asserendum tamen est, solùm Jure Ecclesiastico esse inductum. *Glos. in c.* 6. *h. t.* V. *Apud Deum. Et ibid. Joann. And. Hostiens. Covar. de Spons. p.* 2. *cap.* 7. §. 4. *n.* 7. *Scot. Abulens. Suar. de Relig. tom.* 3. *L.* 2. *cap.* 6. *& seqq. Sanch. de Matr. L.* 7. *D.* 26. *n.* 4. *Vazq. Ponc. & alii.* Nam tale votum non dirimit matrimonium præcisè, quia votum est, sed quia solemne: alias, quodlibet votum, etiam simplex castitatis dirimeret, quod falsum est. Et cum solemnitas ipsi proveniat præcisè à Jure Ecclesiastico. *c. un. de Vot. in* 6. ab hoc etiam jure nascitur impedimentum. Nec alitèr posset R. Pontifex in hoc impedimento dispensare, ut defacto fuit dispensatum cum Ramiro Rege Aragoniæ anteà Monacho, & cum aliis. Sed quia Dominus dedit consilium castitatem servandi, hoc impedimentum ad matrimonium in verbum Domini refertur, & simul in Canonicam authoritatem, à qua impedimentum constitutum est *c.* 17. 27. *q.* 1. ibi: *Undè & verbis Domini, & Canonica authoritate in hac Sancta Synodo præcipimus, ut omninò reparentur, & juramento colligentur, ut ulterius, non sub uno cohabitent tecto.* Et meritò hoc impedimentum stabilitum est, ne qui semel se Deo tradidit publicè, & solemniter in Religione in statu perfectiori possit pro libitu ad imperfectiorem statum descendere, & cum publico scandalo fidem Deo datam violare. Cum tamen traditio Religiosi per profesionem, & traditio per matrimonium sint diversæ rationis: siquidem professio inducit obligationem Religionis tantùm, matrimonium obligationem justitiæ, non sunt ex natura sua in-

incompatibiles hæ duæ traditiones, sicut non repugnant traditio hominis per servitutem Domino suo, & traditio ejusdem suæ uxori per matrimonium: ideò fuit necesse traditionem Religiosi per matrimonium ab Ecclesia irritari.

82 Professio Religiosa, solemnis, legitima (scilicèt in manibus Prælati, post 16. annos ætatis, & annum integrum probationis elapsum edita) tacita, vel expressa in quacumque Religione approbata, etiam Militari: & quidem in effectu, non tantum in proposito, vel in voto emissa. *c.* 14. *de Convers. conjugat.* quia quædam mors civilis, & spiritualis censetur juxta illud Apostol. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est in Christo*: habet vim dissolvendi matrimonium antea contractum, dum tantùm ratum sit, & non consumatum. *c.* 2. *c.* 7. *c.* 14. *de Convers. conjugat. Trid. sess.* 24. *de Matrim. Can.* 6. *L.* 11. *tit.* 2. *p.* 4. & quia nec ex scriptura constat, nec sua natura habet professio Religiosa hanc vim dirimendi matrimonium, tenendum est, eam habere à Jure antiquissimo Ecclesiastico à temporibus Apostolorum introducto per ipsum factum, & traditionem. *Hostiens. Joan. Andr. in c.* 7. *de Convers. conjugat. Suar. de Relig. tom.* 3. *lib.* 9. *cap.* 6. *ex n.* 20. *Garc. Less. Laym. & alii*, contra *aliquos*, qui, vel de Jure Naturali, vel Divino, hanc vim habere professionem contendunt. Matrimonium enim ratum non est absolutè, sed tantùm conditionatè indissolubile, scilicèt, si conjux non ingrediatur Religionem, vel si Pontifex non dispenset; ac proindè per ingressum in Religionem dissolvetur. Mulier quidem, cujus maritus post matrimonium ratum professus est Religionem manet libera à vinculo matrimonii: nam hoc per professionem est solutum potestque, etiam marito vivente; cum alio contrahere. Si verò post matrimonium consummatum, maritus transiit ad Religionem, cum uxor fecisset continentiæ votum, non potest, etiam mortuo marito, licitè matrimonium contrahere. Si tamen de facto contrahat, validum est matrimonium, quia nec ex voto quod tantum simplex est, nec ullo alio jure irritatur. Ita contra *Hostiens. Abbat. & alios* tenent *Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 32. *n.* 8. *& alii.* Nec ad hunc casum extenditur irritatio matrimonii contracti ab uxore ejus, qui ordinatus est, ut diximus ex *c.* 10. *c.* 11. *c.* 12. *D.* 28. Vota simplicia societatis, quæ fiunt post biennium non habent ex se dirimere matrimonium contrahendum: Sed *Greg. XIII. in Const. Ascendente, ann.* 1584. hanc vim eis concessit, ut societati, consuleret adversus sacrilegam temeritatem desertorum, injuriasque, & imposturam malignantium, & cum hæc constitutio non extendatur ad matrimonium ratum antecedentèr contractum, dicendum est, talia vota non dissolvere matrimonium ratum. *Suar. de Religion. t.* 4. *L.* 4. *cap.* 2. *n.* 3. *Vazq. Laym. Sanch. de Matr. lib.* 2. *D.* 18. *n.* 6. Nec matrimonium ratum solvitur, per vota emissa à quibusdam fœminis, quas *Beatas* vocant, vel quibusdam viris Tertii Ordinis S. Francisci: quia tantùm vota simplicia emittunt; at verò si prædictæ fœminæ verè sint Religiosæ, & in communi vivant, & clausuram servent, earum professione dirimitur matrimonium ratum. *Sanch. de Matr. lib.* 2. *D.* 18. *n.* 4.

83 Non solùm per professionem solvuntur sponsalia antea contracta; *arg. c.* 2. *c.* 7. *c.* 14. *de Convers. conjugator.* sed etiam per ingressum, non fraudulentum in Religionem, seu per Novitiatum solvuntur; & quidem ex parte utriusque, quippè talis solutio non tàm ratione mutationis, quàm ob favorem status inducta creditur. Ita. *Navarr. Man. cap.* 22. *Greg. Lop. in L.* 7. *tit.* 1. *p.* 4. V. *Excusacion. Soto, & alii cum Sanch. de Matr. lib.* 1. *D.* 42. *ex n.* 2. contra *D. Thom. Durand. Covarr. de Sponsal. p.* 1. *cap.* 5. *n.* 1. *& alios* asserentes ex neutrius parte solvi sponsalia, nisi sequatur professio: Et contra *Rodrig. Ledesm. & alios*, qui solùm ex parte manentis in sæculo solvi tenent. Hinc est, quod cum juramentum sequatur naturam contractus cui adjicitur. *c.* 25. *de Jur. jur. L. fin. C. de Non numerat. pecun.* sponsalia etiam jurata, solvuntur per ingressum in Religionem; *arg. c.* 2. *de Sponsal. Gl. in c.* 16. *de Sponsal.* V. *Tutius, Hostiens. Joan. Andr. ibid. Covar. de Spons. p.* 1. *cap.* 5. *n.* 11. *Sanch. de Matr. lib.* 1. *D.* 43. *n.* 3. quam sententiam vocat verissimam, & tenendam contra *Navar. & alios.* Nec ille, qui sponsalia juravit, tenetur priùs matrimonium contrahere ad juramentum adimplendum, ut videtur decidi in *c.* 16. *de Sponsal.* Nam sponsus, de quo ibi, nondum plenè Religonem ingredi statuerat, nec voverat, sed quasi quadam levitate proposuerat: & ne hoc prætextu differret adimplere promissionem,

nem juratam, ait Pontifex: *Tutius esse, si matrimonium contrahat, & si posteà velit, possit ante consummationem, Religionem ingredi.* Secus esset, si absolutè vellet ingredi Religionem: nam tunc non teneretur matrimonium prius contrahere. *Sanch. de Matr. lib. 1. D. 43. n. 5. Gonz. in c. 16. de Spons. n. 2. in fin.* Qui post jurata sponsalia votum fecit Religionis ingrediendæ, hoc adimplere tenetur, cum enim, etiam sponsalibus initis, possit Religionem ingredi, etiam potest eam vovere: sed non tenetur, imò nec potest prius matrimonium contrahere animo non consummandi, & posteà Religionem ingrediendi, quia se exponeret manifesto periculo consummandi, & consequentèr violandi votum. Deindè, quia sic contrahens notabilem injuriam sponsæ irrogaret eam obligando innuptam remanere, donec ipse à Religione egrederetur, vel profiteretur in ea. *Glos. in c. 16. de Spons. V. Tutius & ibid. Joann. Andr. & Hostiens. Sanch. de Matr. lib. 1. D. 43. n. 7.* contra *aliquos.* Si tamen puellam defloravit, vel non potest aliter injuriam, vel infamiam ipsi illatam resarcire, quam eam ducendo, ad hoc tenetur, quamvis posteà non consummato matrimonio ad Religionem transire valeat: quin, & in matrimonio perseverare fortè tenebitur, si hoc sit necessarium ad reparandum damnum puellæ illatum; nam hæc est obligatio justitiæ. *Sanch. de Matr. lib. 1. D. 44. ex n. 3. Laym. Perez, Henriq. & alii.*

84 Votum Sacros Ordines suscipiendi non dirimit sponsalia ante contracta, cum à nullo jure ipsis hæc vis, sicut professioni Religiosæ, concessa sit, & cum sit in præjudicium sponsæ, Deus non acceptat tale votum, etiamsi sit de meliori bono. Et sic Ordinarii in praxi sponsarum oppositiones admittunt, quæ scilicet ordinandis objici solent: potestque sic vovens sponsalia implere, contrahendo matrimonium, nec tenetur Religionem ingredi, quod si ex aliqua causa sponsalia, vel matrimonium solvatur, tenetur sponsus votum adimplere. *Sanch. de Matr. lib. 1. D. 47. n. 3.* contra *Soto de Just. & jur. lib. 7. q. 1. art. 3. Henriq. & alios.* Si verò defacto, etiam invita sponsa, ordinetur sponsus, nec debent, nec possunt amplius matrimonium contrahere. At verò cum sponsus emittens tale votum censeatur sponsalibus renuntiasse ex sua parte; sicut, qui votum Religionis emittit, tunc sponsa potest alteri liberè nubere, cum ex sua parte sint sponsalia soluta. *Sanch. de Matr. lib. 1. D. 47. n. fin.* Votum simplex continentiæ (excepto voto simplici Societatis post biennium edito ex Constitut. *Greg. XIII. Ascendent*) non habet vim matrimonii dirimendi; siquidem nullibi ab Ecclesia concessam esse constat; impedit tamen matrimonium contrahere. *c. un. de Voto in 6.* quia talis promissio, cùm sit licita, & à Deo acceptata obligat promitentem ab omni actu venereo, etiam alias licito abstinere; & consequenter: à matrimonio: non tamen irritat matrimonium, quia tantùm fit promissio traditionis, non verò traditio corporis; ac proindè matrimonium posteà contractum, quamvis illicitum, validum tamen est. *c. 4. c. 6. h. t. D. Thom. in 3. p. Supp. q. 53. art. 1. in corp.* ibi: *Votum simplex quamvis impediat matrimonium contrahendum, quia peccat contrahens matrimonium post votum simplex continentiæ, tamen quia verus contractus est, non potest matrimonium per hoc dirimi. Barb. in c. 3. h. t. Gonz. in c. fin. h. t. n. 7.* ubi plura concilia, & DD. refert. Si sponsalia jam sint contracta, non dissolvuntur per subsequens votum simplex castitatis ex parte voventis: siquidem Deus non acceptat promissionem in tertii præjudicium, ut in præsenti sequeretur comparti, cui violaretur fides, ut dicitur in *c. 5. h. t.* ac proindè infertur, quod votum continentiæ post sponsalia emissum, ea non dirimit, nec in ipsis videtur imbibita conditio; *nisi eligam statum continentiæ.* Nam hoc gratis confingitur, at vero ex parte non voventis solvuntur, quia alter vovendo censetur sponsalibus renuntiasse, & aliundè notabilis mutatio est facta: nam per tale votum impeditur à debito conjugali petendo, & alteri imponeret onus semper petendi, quod grave est præcipuè respectu fœminæ. *Sylv. Navar. Man. cap. 22. n. 27. Sanch. de Matr. lib. 1. D. 46. ex num. 5. Laym. lib. 5. tr. 10. p. 1. cap. 2. & alii,* contra *Soto, Henriq. Rodrig. Ponc. lib. 6. c. 12. n. 4. & alios.*

85 Qui post votum castitatis virginem, vel viduam vi corrupit, tenetur eam ducere, si aliter damnum nequeat reparare; nam obligatio justitiæ prævalet obligationi voti, & Religionis. Sed ad hoc debet præcedere Pontificis dispen-

pensatio, vel saltem Episcopi, si periculum sit in mora, & difficilis ad Papam recursus. Si mulier in copulam liberè consensit, & fuit conscia voti, etiamsi sub spe matrimonii consensisset, qui votum emisit, votum, non matrimonium adimplere tenetur. Nam scienti, & consentienti non fit injuria, *cap.* 27. *de Reg. jur. in* 6. *Sanch. de Matrim. lib.* 1. *D.* 45. *n.* 5. *& alii*, si ignara voti, etiam sub promissione matrimonii consensit, & nullum grave damnum sequatur, vel si grave secutum est alitèr reparari potest, corrumpens, votum adimplere tenetur; non tamen cum ea contrahere, siquidem talis promissio matrimonii, ut facta de re jam antea per votum Deo obligata est invalida, sicut sunt invalida secunda sponsalia facta in priorum præjudicium. *Navar. Rodrig. Dicast. Laym. L.* 5. *tr.* 10. *p.* 1. *cap.* 2. *num.* 5. *& alii*, contra *Sanch. de Mrtrim. lib.* 1. *disp.* 45. *n.* 3. Qui post votum castitatis matrimonium contrahit, tenetur reddere debitum conjugale comparti petenti, ne juri ab ea per matrimonio adquisito præjudicet: non tamen potest debitum petere ob votum castitatis, *cap.* 3. *de Convers. conjugat. D. Thom. in* 4. *D.* 38. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 2. *ad* 4. *D. Bonav. & Scot. ibid. Sanch. de Matr. L.* 9. *D.* 33. *n.* 5. *plurimos citans.* Sed ne sit in continuo periculo votum violandi per petitionem debiti, consultius erit, si dispensationem petat, vel à Papa, vel Episcopo, si difficilis sit recursus ad Papam, vel ab habente hujusmodi facultatem. Si verò post Religionis votum contrahat matrimonium, licèt tunc peccet, quando matrimonium consummat, posteà verò, reddita impossibili materia voti, licitè potest reddere, & petere debitum, donec possit Religionem ingredi; v. g. per mortem conjugis, vel divortium. *Sanch. de Matr. L.* 9. *D.* 33. *ex n.* 14. qui citat *Cajetan. Sot. Henriq. & alios.* Votum non nubendi, vel suscipiendi Sacros Ordines post sponsalia factum, non impedit matrimonium contrahere. Si tamen ante sponsalia fiat hujusmodi votum, illicitum, redderet matrimonium: quod si defacto contraheretur, non solum post matrimonium consummatum possent, qui talia vota emisserunt reddere, & petere, ut contra *Cajet. Navar. & alios* tenent *D. Antonin. p.* 2. *tit.* 1. *cap.* 2. §. 1. *& alii*, sed etiam possent matrimonium licitè consummare: quia objectum principale horum votorum est non contrahere matrimonium, vel Sacrum Ordinem suscipere, qui matrimonium excluait, quod quidem jam per ipsum factum contrahendi est factum impossibile, ac proindè, & ipsa obligatio continentiæ, ut accessoria. *L.* 129. *ff. de Reg. jur. cap.* 42. *eod. in* 6. *Sanch. de Matr. l.* 9. *D.* 33. *n.* 22. *Et D.* 34. *n.* 3. *In nostra Hispania* crimen commissum à Clerico in sacris constituto, vel Religioso professo (idem est de Religioso Societatis post vota bienii) matrimonium contrahendo, sivè palam, sivè clam, reservatur S. Inquisitionis Tribunali, ut constat ex *Edicto Generali Inquis. Num.* 8. *O que si alguno, siendo Clerigo de Orden Sacro, ó Frayle professo, haya casado.* Tales enim suspecti sunt de hæresi, & quidem in Italia de vehementi, in Hispania de levi, & sic abjurant. Et præterea regularitèr mittuntur ad triremes per quinquennium, vel etiam pro ratione delicti pœna augeri solet. *Cæsar. Carena de Offic. Inquisit. p.* 2. *tit.* 17. §. 3. *Diana in Summ.* V. *Inquisitores, n.* 167.

TIT. VII.

De eo, qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium.

86 AGitur hic de impedimento criminis, quod dirimit matrimonium contrahendum inter duos fideles; vel saltem si unus sit fidelis: secus si contrahendum sit inter duos infideles: nam cum sit impedimentum Ecclesiastico jure indictum, non potest infideles ligare, *cap.* 8. *de Divort.* sed unus saltem debet esse fidelis. Et tunc indirectè comprehendit infidelium: *arg. cap.* 1. *de Convers. Infidel. Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 79. *n.* 42. Nam irrito matrimonio ex parte fidelis, nequit ex parte infidelis consistere. Inductum ergo est hoc impedimentum, ut ablata adulteris omni spe contrahendi matrimonium promissum, vel firmandi matrimonium attentatum incolumitati, & fidei matrimoniorum consuleretur: siquidem, nec soluto vinculo matrimonii per mortem alterutrius adulteri conjugis, possent adulteri contrahere: & sic tollitur occasio captandæ mortis conjugis. In hoc quidem Titulo plures casus, quam in Rubrica continentur, comprehenduntur, adeò ut latiùs pateat *Nigrum*, quam *Rubrum.* 1. ergo contrahitur hoc impedimentum, si Cajus

v. g.

v. g. committat adulterium cum Titia, cum promissione contrahendi matrimonium cum ea mortuo ejus marito, *cap. 6. cap. 7. cap. fin. h. t.* 2. Si Cajus contrahat matrimonium cum Titia, invalidè tamen, quia vivit ejus maritus, cum qua adulterium committit: & tàm adulterium, quàm matrimonium sit vivente ejus marito, *cap.* 5. *h. t.* Ad hoc tamen impedimentum contrahendum non requiritur, quod matrimonium coram Parocho, & testibus celebretur. *Sanch. de Matr. L.* 7. *D.* 79. *n.*8. Hoc impedimentum non constituit, nec sola promissio matrimonii, nec matrimonium cum uxore alterius, *cap. fin. h. t.* Nec solùm adulterium cum alterius conjuge, *cap. 6. h. t.* sed requiritur utrumque simul, scilicèt adulterium cum matrimonio, vel saltem cum promissione matrimonii, superstite altero conjuge. Nil tamen interest, an adulterium præcesserit, an subsequatur. *Sanch. de Matr. L.* 7. *D.* 79. *ex n.* 2. Nec aliud probant Canones *in Caus.*31. *q.*1. *Et cap.*1. *h. t.* ubi videtur, adulterium solùm constituere hoc impedimentum. Nam in prædictis Textibus non prohibetur præcisè, ne adulter cum adultera contrahat mortuo ejus marito, sed ne contrahat ante peractam pœnitentiam ob commissum adulterium, *cap.* 3. §. *Hìc sub audiendum, cap.* 5. 31. *q.* 1. Et cum constitutio inducens impedimentum sit odiosa, non debet extendi ad casum non expressum; *arg. cap.* 15. *de Reg. jur. in 6.*

87 Ut impedimentum contrahatur, debet adulterium esse perfectum in sua linea; nec sufficit conatus, vel copula attentata, sed debet esse perfecta cum seminis immissione in vas fœminæ, quia Leges pœnales strictè sunt accipiendæ. Sic contra *Hostiens. in cap. fin. h. t.* tenent *Glos. ibid.* V. *Cognovit. Sanch. de Matrim. L.* 7. *D.* 79. *n.* 2. Item requiritur, quod adulterium sit formale, hoc est, quod uterque adulter sciat, alterum esse conjugatum; *arg. cap.* 1. *h. t. Sanch. de Matr. L.* 7. *D.* 79. *n.* 31. *Gonz. in cap. fin. h. t. n.* 4. *& alii*: excusatque ab eo contrahendo ignorantia saltem probabilis, quæ scilicèt excusat ab adulterii culpa; non verò crassa, & supina. *Navar. Man. cap.* 22. *n.* 46. *Valent. Palac. & alii*: cum hoc impedimentum, non ut pœna, sed potiùs ut remedium tollendi occasionem alterius vitæ insidiandi, sit constitutum. Excusare tamen crasam, & supinam ignorantiam tenent *Sanch. de Matr. L.* 7. *D.* 79. *n.* 38. *Gutier. cap.* 105. *arg. L.* 43. *ff. ad Leg. Jul. de Adulter.* quia hæc ignorantia non juris, sed facti est, & quælibet ignorantia in facto consistens excusat, *capit.* 13. *de Reg. jur. in 6.* Ut hoc impedimentum inducatur, promissio matrimonii debet esse pura, non conditionalis, vel saltem conditio debet adimpleri ante conjugis mortem, debetque esse aliquo signo expressa ab una parte, & expressè acceptata ab altera, nec sufficit taciturnitas, siquidem ob consensum præsumptum non est imponenda pœna, qualis est hoc impedimentum; *arg. L.* 51. *ff. Pro Socio, cap.*14. *de Pœnit. D.* 1. *Gutier. cap.*105. *n.* 28. *Sanch. de Matr. L.* 7. *D.* 79. *n.* 7. 22. *&* 25. *Castropal. tr.* 28. *D.* 4. *p.* 12. *ex n.* 8. *& alii.* Non tamen requiriur repromissio, *cap.*1. *& fin. h. t. Sanch. L.*7. *D.*79. *n.* 24. contra *Bellarm. & alios.* Nec requiritur, quod promissio sit jurata, sufficit enim simplex: nam in ea verificatur ratio timoris alienæ mortis, nec jus exigit juramentum. *Barbos. in cap.* 1. *h. t. n.* 4. *Gonz. in cap. fin. eod. n.* 4. Tam adulterium, quàm promissio matrimonii, vel matrimonium, debent esse vivente conjuge adulteri, *cap.* 1. *cap. fin. h. t.* Quod si utrumque non concurrat eo vivente non datur impedimentum, nec quidem quando sub diversis conjugis fiunt matrimonium, & adulterium. V. g. Titius conjugatus cum Seja promisit Mæviæ matrimonium, & Seja mortua, contraxit cum Bertha; & tunc cum Mævia copulam habuit: non contraxit impedimentum cum Mævia. *Abb. Sot. Sanch. de Matr. L.* 7. *D.*79. *n.*6. *Gonz. in cap. fin. h. t. n.*4. Et matrimonium, quod adulterio violatur, debet esse validum, etiamsi tantùm ratum sit, *cap.*2. *h. t.* Et etiamsi per divortium sit separatus adulter à sua conjuge, *cap.*4. *h. t.* Si verò matrimonium quod violatur invalidum sit, non verè committitur adulterium, nec præstaret impedimentum, cum de jure non sortiatur effectum, *cap.* 12. *de Reg. jur. in 6. D. Thom. in* 4. *D.* 35. *q. un. Barb. in cap.* 2. *h. t. n.* 1. *Sanch. L.*7. *D.*79. *n.*30. *Gonz. in cap. fin. h. t. n.*4.

88 Qui cum aliqua contraxit matrimonium cum hoc impedimento, ab ea, etiamsi filios habeat, separandus est: quia matrimonium est nullum: nec multiplicitas prolis, nec diuturnitas temporis peccatum minuit, sed augmentat, *cap.* 5. *h. t. Barb. & Gonz. ibid.* Si tamen contraxit matrimonium, ignorante muliere, ejus primam uxorem vivere, post mortem primæ licitè manet cum secunda, *cap.*7. *h. t.* siquidem ea ob ignorantiam non contraxit im-

impedimentum : nec ab ea est separandus, quippè indignum est, ut prædictus vir, qui scientèr contra Canones venerat, lucrum de suo dolo reportet, *cap.* 1. *h. t.* & cogendus est renovare consensum ; siquidem matrimonium antecedens nullum fuit. *Barb. in cap.* 7. *h. t. num.* 7. uxor verò cum sit decepta, & ignorasset, illum, qui cum ea contraxit, habere uxorem, potest ab eo discedere. *Barbos. in cap.* 1. *h. t. n.* 1. Promissio sola matrimonii, vivente conjuge, licèt non irritet matrimonium post illius mortem contractum, est gravitèr illicita, *cap. fin. h. t.* Imò invalida : nec aliquam inducit obligationem, quia est inductiva occasionis captandæ mortis conjugis, sicut est nulla promissio Præbendæ non vacantis, *cap.* 2. *de Conces. præbend.* Et pactum hæreditatis viventis. *L. fin. C. de Pact. Sanch. de Matrim. L.* 7. *D.* 79. *n.* 40. *& alii.* In summa, hoc impedimentum nascitur ex adulterio, perfecto quidem, & consummato conjuncto cum matrimonio, vel promissione matrimonii contrahendi post mortem legitimi conjugis, ex suppositione, quod sit acceptata ab altera parte, quamvis esset ficta ; & quod tàm matrimonii promissio, quàm ipsum adulterium sint facta vivente conjuge adulteri ; & quod matrimonium prius initum validum sit ; & deniquè, quod uterque adulter sciat, alterum esse conjugatum. *Sanch. de Matrimonium. L.* 7. *D.* 79. In hoc impedimento ex adulterio proveniente, si publicum est, dispensat Papa : si occultum ad pœnitentiariam recurritur, & ipsa committit confessario eligendo per Oratores, ut injuncta salutari pœnitentia dispenset.

89 3. Oritur impedimentum criminis, quando alter conjugum, sivè vir, sivè fœmina occidit conjugem proprium, vel conjugem complicis, ita ut conjugicidium cum adulterio jungatur : tunc enim sive adulter, sivè adultera, sivè vir ipse uxoris mortem machinetur, nequit matrimonium consistere inter adulterantem, & conjugem superstitem, *cap.* 5. 31. *q.* 1. *c.* 6. *qui filii sint legit*, *cap.* 1. *cap.* 3. *cap.* 6. *h. t. L. fin. t.* 2. *p.* 4. *Sanch. de Matr. L.* 7. *D.* 78. *num.* 2. 4. Quando intervenit homicidium ab ipsis factum, vel eorum jussu, aut consilio, sed sine adulterio, eo tamen animo, ut possint matrimonium contrahere, mortuo conjuge, *cap.* 1. *de Convers. Infidel.* Et hoc impedimentum, cum tantùm jure Ecclesiastico sit inductum, non comprehendit infideles. Sed etiam si unus sit infidelis, & homicidium sit factum à fideli, vel saltem hic est particeps talis homicidii ab infideli commissi : quamvis à fideli sit commissum, ut infidelis per matrimonium cum fideli ad fidem convertatur, contrahitur impedimentum : eo quod tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non velit, *cap.* 1. *de Convers. infidel.* Et cum nequeat dirimi matrimonium ex parte fidelis, quin etiam ex parte infidelis dirimatur, hinc tale impedimentum indirectè comprehendit infidelem. *Gutier. de Matr. cap.* 105. *num.* 6. *Sanch. de Matr. L.* 7. *D.* 78. *num.* 3. *& alii.* Si tamen infidelis committat homicidium, quin fidelis sit particeps, cum tunc nulla infideli imponatur pœna, à neutro incurritur hoc impedimentum. Insuper, ut hoc impedimentum incurratur requiritur, quod tàm adulterium, quàm homicidium sit consummatum, & perfectum, & non solùm attentatum, *cap.* 5. 31. *q.* 1. Et licèt aliquando dicatur homicidium machinatum, debet accipi cum effectu ; *arg. cap.* 4. *de Cleric. non resid. D. Thom. in* 4. *D.* 35. *q. un. Gloss. in cap.* 3. *h. t. & ibid. Barb.* Nec sufficit mandatum conjugem occidendi, si mors non sequatur : imò nec ipsa mors, si non sequatur ex mandato : & homicidium debet fieri ex animo matrimonium contrahendi cum complice adulterii : nam si ex libidine, vel alia causa mors inferatur ab adultero non incurritur hoc impedimentum, quod est stabilitum, ne quis facile conjugem occidat adulteræ spe cum ea contrahendi. *D. Thom. in* 4. *D.* 37. *q.* 2. *art.* 2. *Sanch. de Matr. L.* 7. *D.* 78. *num.* 13. *Barb. Gonz. in cap. fin. h. t. n.* 4. Deinde adulterium debet esse non tantùm materiale, sed & formale : hoc est, quod adulter occidens sciat, conjugem complicem esse conjugatum. Nec sufficit, si uterque complex si conjugatus, & talem se esse noverit, si alterum esse conjugatum ignoret. *Sanch. de Matrim. lib.* 5. *Gutierr. Perez, & alii.* Item adulterium debet esse ante conjugis homicidium : nam post ejus mortem copula jam non esset adulterium ex parte ejus, cujus conjux occisus erat.

90 Profectò : ut contrahatur hoc impedimentum ex sola machinatione sine adulterio debet intervenire mors : si enim solum affectus, vel conatus, non verò mors effectivè secuta sit, non datur impedimentum. Et quidem mors debet esse orta ex tali machinatione : non secuta ex culpa, vel negligentia ipsius occisi, vel Medici, vel aliundè, *cap.* 5. 31. *q.* 1. Non ta-

tamen requiritur, quod physicè propriis manibus mortem causent delinquentes, & machinantes; sed sufficit cooperatio moralis per mandatum, vel consilium. Item debet uterque machinari, nec sufficit, si unus tantùm in mortem conjugis machinetur, *cap.* 1. *de Convers. Infidel.* Nec sufficit ratihabitio necis factæ nomine unius conjugis. *Sanch. de Matrim. L.* 7. *D.* 78. *n.* 6. *Gonz. in cap. fin. h. t. n.* 4. Et talis machinatio debet fieri animo contrahendi cum complice, non tamen est necesse, quod ambo contrahere matrimonium intendant, sat est unum hoc intendere: & hoc animo præsumitur in foro externo facta talis machinatio, seu mors, etiam quando aliquo signo externo non exprimatur. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 78. *n.* 19. Omnes casus hujus tituli optimè à N. R. Alfonso explanantur *in L. fin. tit.* 2. *p.* 4. ibi: *La primera es, si qualquiera de ellos matasse, ó ficiesse matar, ó fuesse en consejo de la muerte del otro marido, ó de la muger, con entencion que casasen despues en uno. La segunda, si aquel que yace con ella le jurasse, ó le prometiesse que casaría con ella, despues que fuere muerto su marido. La tercera, si alguno yoguiesse con muger agena, é se casasse con ella, seyendo vivo el marido de ella, non valdria el casamiento, que antes oviesse fecho. Esso mismo seria de la muger, que ficiese adulterio con ome casado, en alguna de estas tres maneras sobredichas:: fueras ende si alguno de ellos non supiesse, que era casado el otro, quando se casó con él.* Latè *Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 78. *&* 79.

91 In hoc impedimento, quando provenit ex homicidio, si publicum est, nec Papa dispensare solet; ut sic tollatur occasio captandæ mortis alienæ. Et ideò *Clem. VIII.* noluit in eo dispensare. Si occultum est, Sacra Pœnitentiaria ex gravissimis causis dispensat, commissa facultate confessario ab Oratore eligendo; qui debet imponere delinquenti, gravem, & diuturnam pœnitentiam scilicèt, jejunium, Missas, orationem, eleemosynam, & alia hujusmodi pro anima defuncti. Et vix conceditur dispensatio, si veneno interveniente secuta est mors; quia plus est hominem veneno, quam gladio occidere. *L.* 1. *C. de Malef. & Mathem.* Hoc impedimentum criminis, licèt aliquando in pœnam delinquentium sit inductum, non habet tantùm rationem pœnæ, sed & inhabilitatis, sicut affinitas, etiam ex copula illicita proveniens. Et hinc etiamsi hoc delictum committentes ignorent, ipsi esse annexum hoc impedimentum, ab ipsis incurritur; quia in matrimoniis præcipuè inspicitur, quid deceat, vel honestum sit. *L.* 14. §. 2. *ff. de Ritu nuptiar. L.* 197. *de Reg. jur.* Et semper decet, inter tales personas non contrahi matrimonium, & sic servatur in praxi. Excommunicatio verò, vel aliæ Censuræ Ecclesiasticæ, cum non incurrantur sine contemptu, & contumacia, & hæc in ignorante deficiat. *L.* 50. *ff. Locat.* non incurruntur ab ignorante, *cap.* 2. *de Constitut. in* 6. quod aliter se habet in impedimento criminis: quamvis *Major. Palud. & alii*, tenent hoc impedimentum non incurri ab ignorante.

TIT. VIII.

De Conjugio leprosorum.

92 CUM in præsenti de Conjugio Leprosorum agatur, oportet aliquid de Leprosis, & de Lepra dicere. Leprosi semper fuerunt exclusi, & separati à cæterorum communicatione. Hinc cum Job esset Lepra percussus fuit extra Civitatem ejectus, & in sterquilinio permansit. Nam hæc infirmitas est contagiosa non solùm per contactum, sed & ad distans, quia fomitem relinquit. Lepra sic communitèr definitur: *Est asperitas cutis cum pruritu, & corporis colliquatione ex humore melancholico orta depascens profundas cutis partes instar squamarum piscium ex se mittens.* Et est triplex. 1. dicitur *simplex*, scilicet, quando est cum pruritu, & asperitate, & squamis. 2. dicitur *media*, quando, scilicèt, est cum majori pruritu, & squamis durioribus profundiora ulcera causans. 3. *fœdissima* dicitur, quando, scilicèt, humor, ita acer est, ut corrodat, cartilagines, & ossa, decidunt capilli, anhelitus fœtet, labia fiunt crassiora, vox rauca cum difficultate respirationis reperitur, frons intumescit cum quibusdam emminentiis tuberosis. Et hæc dicitur *Elephantiasis*, seu *lepra Leonina*, quia leprosi cutis aliqualem similitudinem, quoad asperitatem gerit cum pelle Elephantis, vel Leonis palpebris. Matrimonium quidem consummatum, nec per lepram, nec per alium quemcumque morbum dissolvi potest, quoad vinculum. Siquidem indissolubile est Jure Divino. *Matth.* 19. *v.* 9. *cap.* 25. 32. *q.* 7. *cap.* 1.

h.

h. t. L. 7. tit. 2. p. 4. ibi: *Nin aunque se ficiesse gafo*, id est, *leprosus.* Imò nec matrimonium ratum; nam hoc solùm per Religiosam Professionem, *cap. 2. cap. 7. de Convers. conjugat.* vel dispensationem Pontificiam valet dissolvi; & certè lepra potest esse justa causa talis dispensationis. *Sanch. de Matr. L. 2. D. 16. n. 5.* Et sic intelligitur *Text. in cap. 18. 32. q. 7.* ibi: *Quod proposuisti, si mulier infirmitate correpta non valuit debitum viro reddere, quid ejus faciat conjugalis: bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret, sed quia hoc magnorum est: ille qui se non poterit continere, nubat magis.* Vel potiùs debet intelligi, non de infirmitate à lepra, vel alio morbu proveniente, sed ab arctitudine, ob quam fœmina non potuit à viro cognosci; ac proindè cum matrimonium ob impedimentum impotentiæ non fuisset validum, ideò marito permittitur, secundas nuptias contrahere, reddendo prius dotem mulieri, vel alia subsidia ex charitate ministrando. *Bellarmin. de Matrim. L. 1. cap. 11. Gonzal. in cap. fin. h. t. n. 9.* Nec magis obstat *Textus in cap. fin. h. t.* ubi *Pontifex* rogatus, an si unus sponsorum lepræ morbum incurrat, alter ad consummandam maritalem copulam compelli debeat, respondit, illum ad eam accipiendam cogi non debere, cum nondum matrimonium inter eos fuerit cunsummatum; nam clare patet ex ipso Textu, agi, non de consummatione matrimonii per copulam, sed de perfectione matrimonii de præsenti per consensum, prout matrimonium à sponsalibus differt. *Gonz. in cap. fin. h. t. n. 8.*

93 Si lepra maligna sit, & contagiosa, ita ut ex cohabitatione, & redditione debiti infectionis periculum timeatur, cum pro eo casu non se intendissent conjuges ad cohabitandum obligare, sic dictante charitate, potest sanus à leproso divertere, quoad cohabitationem, & torum. *L. 7. tit. 2. p. 4.* Nec tenetur debitum reddere. Et cum juxta Medicos majus periculum immineat viro, quando mulier est leprosa, quam mulieri, quando vir leprosus est, hinc, quando mulier est in ultima specie lepræ, quæ dicitur Leonina, vir non tenetur reddere: si vir patiatur hecticam, vel aliam gravem infirmitatem, ita ut sine periculo vitæ non possit reddere debitum, ad hoc non tenetur, cum charitas benè ordinata incipiat à semetipso. *Gregor. Lop. in L. 7. tit. 2. p. 4.* Potest tamen sanus leproso debitum reddere, etiamsi timeat infici, quia huic periculo præponderat amor conjugalis, & vitatio incontinentiæ. *Sanch. de Matrim. lib. 9. D. 14. num. 23.* si lepra, vel morbus sit talis, ut ex eo nullum, vel saltem leve contagionis periculum conjugi immineat, tunc enim nequit sanus à leproso separari, *cap. 1. cap. 2. h. t. L. 7. tit. 2. p. 4. Nav. Man. cap. 16. n. 25. Sanch. de Matr. lib. 9. D. 24. 17. Barbos. in cap. 2. h. t. n. 2. Gonz. in cap. fin. eod. n. 8.* Conjux sanus potest, & tenetur leproso debitum reddere, quando ipsi nullum infectionis imminet periculum. *L. 7. tit. 2. p. 4.* Licèt hoc immineat proli, siquidem ipsi nulla fit injuria imò favorem ex concubitu consequitur, scilicèt, vitam, & melius est vitam cum lepra habere, quam carere vita. *D. Thom. in 4. D. 32. q. un. art. 1. ad 4. D. Bonav. Scot. Sanch. de Matr. lib. 9. D. 24. n. 25. & alii* contra *Medin. Palacios, & alios.* Etiam quando nulla timetur infectio ex redditione debiti, si ob magnum horrorem, attentis circunstantiis tùm gravitatis, & fœtoris lepræ, tùm complexionis conjugis sit sano valdè difficile reddere debitum; cum ad opus adeò difficilè non teneatur, cum moralitèr impossibile reputetur; *argum. L. 185. ff. de Regul. jur. cap. 6. eod. in 6.* excusatur ab ejus redditione. *Sanchez, de Matr. L. 9. D. 24. n. 21. L. 7. tit. 2. p. 4.* Juncta *Gloss. ibid. Gregorii Lopez* contra *Sot. in 4. D. 32. q. un. art. 1. ad 2.* sed non facilè est excusandus à cohabitatione, & aliis conjugalibus obsequiis, nam in eis non adeò, ut in concubitu imminet infectionis periculum. *L. 7. tit. 2. p. 4.* ibi: *Mas debel servir en las otras cosas.* Si conjux sanus ante matrimonium scivit conjugis lepram, cum credatur juri suo renuntiasse, non potest posteà excusari à cohabitatione, vel redditione debiti, *arg. cap. 2. h. t. ibid. Barbos. n. 4. Sanch. de Matr. L. 9. D. 24. n. 22.*

94 Quando lepra præcessit sponsalia, & conjux sanus non ignoravit leprosi infirmitatem, non potest à sponsalibus resilire; quippè qui suo juri renuntiasse censetur; nec scienti, & consentienti fit injuria, *cap. 27. de Regul. jur. in 6.* Si ignoravit conjugis lepram, vel si hæc post sponsalia supervenit, sponsalia solvuntur ex parte sani, *cap. fin. h. t.* etsi jurata sint. Nam juramentum sequitur naturam contractus, cui accedit, *cap. 25. de Jur. jur.* quia quando supervenit lepra, magna fit mutatio ex parte leprosi, qua prævisa alter non contraheret; & idem est, quando ig-

ignoratur; nam paria sunt injuria non esse, & non apparere. *L. 77. ff. de Contrab. Emption. & ibid. Gothofr.* Si tamen sanus stare sponsalibus velit, non potest leprosus resilire, ne retorqueatur in sani detrimentum, quod in ejus favorem introductum est, *cap. 61. de Regul. jur. in 6. Barbos. & Gonz. in cap. fin. h. t.* Idem, quod hucusque de lepra diximus, intelligendum est de quocumque morbo contagioso, ut est lues venerea, seu morbus gallicus. *Hispanè : Buas.* Tabes seu pthisis, id est ulcus pulmonis, ex quo hectica, seu febris consumptiva generatur; *arg. cap. 2. h. t. L. 7. tit. 2. p. 4. Barbos. in cap. fin. h. t. n. fin.* Qui hoc etiam extendit ad gravem infirmitatem incurabilem, ut Epilepsiæ supervenientem.

TIT. IX.

De Conjugio Servorum.

95 UNum sanè ex impedimentis dirimentibus matrimonii est servitus, quæ nomine conditionis significari solet, si enim liber contrahat cum ancilla ignorans ejus conditionem, seu servitutem, nullum est matrimonium, *cap. 4. cap. 5. 29. q. 2. cap. 2. cap. fin. h. t. L. 1. L. 3. tit. 5. p. 4.* sit statuente Ecclesia ob magnam contractus inæqualitatem; & quia conditio servilis aliquomodo repugnat bonis Sacramenti. *D. Thom. in 4. D. 36. q. un. art. 1. ad 1. D. Bonav. ibid. Barbos. in cap. 2. h. t. Sanch. de Matr. L. 7. D. 19. n. 2.* Nam servus in domo Domini debet habitare, & mitti potest ad terras remotas, ut ibi vendatur: nec debitum potest reddere omninò liberè, sed quatenùs Domini obsequia permittunt, nec benè potest prolem alere. Nam quidquid adquirit, Domino adquirit, nec benè eam educare: nam proles in Domini potestate, cujus est ancilla, non in potestate patris est. Si tamen conjux, posteà cognita conditione servile consortis, matrimonium ratum habeat, & quidem coram Parocho, & testibus, ubi est admissum Tridentinum, quando impedimentum est publicum: secus si occultum: reconvalescit matrimonium; dùm tamen renovetur consensus. *L. 1. L. fin. tit. 5. p. 4.* Nec sufficit ut olim, *cap. 2. cap. fin. h. t.* Copula conjugalis, quæ ad peccatum excludendum præsumebatur matrimonii ratihabitio. Potest ergo per novum consensum ratum habere, sicut à principio potuit valere inter liberum, & servam, si conditio non ignoretur, *cap. 4. cap. 5. 20. quæst. 2. cap. 2. cap. fin. h. t.* Nam licèt Jure Civili hoc matrimonium reprobetur. *L. 3. C. de Incest. & inutil. nupt.* Jure tamen Canonico sustinetur, quando servitus non ignoratur: quippè matrimonium non obligat ad debitum semper, & ubique reddendum; sed tantùm, quando non excusat legitimum impedimentum. *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 19. n. 13.* Liber tamen cum ancilla contrahens, cum fiat vilis, irregularitatem incurrit, *cap. 15. D. 34.* Ignorantia, etiam culpabilis, & crasissima servitutis reddit nullum matrimonium: nam quicumque error facit involuntarium, vel saltem facit actum non voluntarium. Et hinc non valet matrimonium cum ad illud requiratur actus positivus directè voluntarius, *Sanch. de Matr. L. 7. D. 19. n. 20.* contra *Sotum, Lopez, & alios.* Qui ignorantèr contrahit cum statu libera, cui scilicèt ex certo tempore danda est libertas, si hæc brevi spatio, scilicèt minori sex mensibus, danda sit, matrimonium valet; ut contra *Angelum, & Sylvest. V. Matrimonium, 8. q. 2. dist. 3.* tenent *Sanch. de Matr. L. 7. D. 19. n. 4.* Secus si est dubium, an concedenda sit libertas, vel non: quia v. g. pendet à conditione, vel si longiori spatio, quam sex mensium danda sit: quippè ipsa absolutè est ancilla. *L. 9. ff. de Statu liber.* Si brevi tempore erit libera, non magnum sequitur præjudicium, nec æstimandum est dedecus, quod ex tali contractu cum serva sequeretur: nam etiam valet matrimonium cum liberta, seu cum ea, quæ fuit ancilla, & posteà manumittitur, etiamsi à contrahente ignoretur esse libertam: quippè ipsa absolutè est libera. *Sanch. de Matr. L. 7. D. 19. n. 4. & 10. Barbos. in cap. 2. h. t. n. 3.* Hinc matrimonium contractum à libera cum servo adscriptitio, qui culturæ fundi perpetuo est addictus: vel originario, qui ex adscriptitio ortus est, cum verè liberi sint, etiamsi libera ignoret illorum conditionem validum est. *Barb. in cap. 2. h. t. n. 3. Sanch. de Matrim. L. 7. D. 19. n. 9.*

96 Si servus contrahat cum ancilla, quam credit liberam, vel cum libera, quam credit ancillam, vel è contra: ancilla contrahat cum servo, quem liberum credit, vel cum libero, quem credit servum, ex hoc errore non vitiatur matrimonium; quippè etiamsi contrahens scisset veram conditionem alterius com-

compartis, adhuc consentiret in matrimonium: siquidem melior, vel saltem non deterior fit ejus conditio, in casu quo errat. *L. 3. tit. 5. p. 4. D. Thom. Div. Bonavent. Scot. Hostiens. Joan. Anar. Abb. Navarr. Man. cap. 22. num. 33. Sanch. de Matrim. L. 7. D. 19. n. 23.* Quando liber inscius servitutis contrahit cum ancilla: vel libera contrahit cum servo, cujus Dominus servitutem taceat, vel occultet ex dolo, & studio (secus si ex simplicitate quantumcumque culpa lata interveniat) ratione doli, & gravis injuriæ, quam proculdubio Dominus servi sua malitiosa taciturnitate infert contrahenti, amittit illius dominium, & talis servus favore matrimonii libertatem adquirit. *Auth. Ad hoc. C. de Latin. libert. toll. L. 1. tit. 5. p. 4.* ubi videtur, quod quæcumque taciturnitas, etiam non malitiosa sufficit, ut servus libertatem adquirat. Et tunc valere matrimonium, etiam contractum ab inscio conditionis servilis tenent. *Joan. And. Sot. Henriq. Palacios, & Sanch. de Matrim. L. 7. D. 20. n. 14.* Nam cum per ipsum matrimonium adquirat servus libertatem, idem moraliter est ac si liber cum libera contraheret: ac proinde debet valere matrimonium. Sed contrarium tenendum est cum *Covarr. de Sponsal. p. 1. cap. 3. §. 7. n. 1. & aliis*, quod expressè habetur *in L. 1. tit. 5. p. 4.* ibi: *E maguer, que dice de suso, que el siervo se torna libre, porque ve, ó sabe su Señor, que se casa, é lo encubre; con todo esto non vale el casamiento, porque ella non sabia que era siervo, quando casó con él.* Si verò contrahens cum ancilla ejus conditionem sciat, quamvis Dominus in matrimonium consentiat, non censetur ei libertatem dare: nam cum ancilla contrahere voluisse creditur eum, qui ejus non ignorabat conditionem, nisi Dominus instrumentum dotis ancillæ confecisset: nam tunc ipsa libertatem adquirit. *L. un. §. 9. C. de Latin. libert. tollend. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 39. §. Septimus est. Gutierr. cap. 91. & 5. n. 4. Sanch. de Matr. L. 7. D. 20. ex n. 3. & 9.* qui negat hanc dispositionem extendi ad donationem propter nuptias, quam Dominus servo constituit; contra *Abb. & alios, n. 3.* In *nostra Hispania* Dominus cum sua ancilla matrimonium contrahens hoc ipso ex dispositione juris illi dat libertatem. *L. 1. t. 13. p. 4. Cà tan gran fuerza ha el matrimonio, que luego que es fecho es la maare, por ende libre los fijos legitimos. Et ibid. Gregor. Lop. Gloss. fin. Sanch. de Matrim. L. 7. D. 20. n. 12.* Hoc impedimentum est Jure Ecclesiastico inductum: talis namque error non absolutè adversatur bonis matrimonii: nec servus absolutè impeditur ab usu libero matrimonii, siquidem debitum reddere potest, & debet, quando legitimum impedimentum non obstat. Nec alia corporum traditio in matrimonio exigitur: nec talis error circa personæ conditionem tollit absolutè consensum; sed tantùm secundum quid: adeò, ut non sit omninò involuntarium tale matrimonium. *D. Thom. in 4. D. 36. q. un. art. 1. ad 3. D. Bonav. D. Anton. Gutierr. Sanch. de Matr. L. 7. D. 19. n. 16. Gonz. in cap. fin. h. t. n. 6.* contra *Magist. in 4. D. 30. cap. 1. Palacios, Sylv. V. Matrimonium, 6. q. 1. Et 8. q. 2. & alios*, qui tenent, matrimonium tali errore contractum esse irritum Jure Naturali ex eo, quod deficiat consensus ad matrimonium necessarius.

97 Quando ergo in matrimonio talis error intervenit: non possunt conjuges sine novo consensu, qui matrimonium faciat commisceri. Quod si matrimonium sit occultum, quod nec ex Parochi, vel testium, qui contractui interfuerunt, ob eorum obitum, nec ex Libro Parochiali probari possit, tunc conjux deceptus potest à tali matrimonio authoritate privata recedere. Si publicum est matrimonium, non aliter quam authoritate Ecclesiæ ab eo recedere licet; *arg. cap. 2. cap. fin. h. t. cap. 3. de Divort.* Et tunc debent duo probari, 1. servitus compartis: & hæc ab ipso allegante probanda est. *L. 1. ff. de Probat. 2.* ignorantia talis servitutis; & hæc regulariter præsumitur, *cap. 47. de Reg. jur. in 6.* ac proinde à servo debet probari, cum eo contrahentem habuisse scientiam ejus servitutis; nisi ejus servitus esse communiter nota in loco, & tempore matrimonii initi: nam tunc ignorantiam allegans, eam probare tenetur, quippè non præsumitur ipsum ignorare, quæ aliis sunt communiter nota, *cap. 1. de Postul. Prælat. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 19. n. 8.*

98 Servus validè, & licitè potest matrimonium cum persona servili contrahere. Nam licèt in his, quæ Juris Civilis sunt, servi nec velle, nec nolle habere credantur, in his tamen, quæ Juris Naturalis sunt, ut matrimonium, plenam habent libertatem, suique juris sunt. *L. 32. ff. de Reg. jur. D. Thom. in 3. p. Suppl. q. 51. art. 2.* Nec attenditur personarum conditio, siquidem matrimonium Jure Na-

Naturali Divino ad propagationem, & conservationem generis humani, & in remedium concupiscentiæ institutum est. Et sicut servus potest comedere, & dormire, & alia hujusmodi facere in quibus, nec Domino subditur, nec tenetur obedire: ita etiam potest suum corpus conjugi tradere, quantum sufficit ad usum matrimonii, in quo à Domino impediri nequit: licèt non possit illud tradere plenariè, & pro omni tempore. *L. 2. tit. 5. p. 4.* Et licèt Jure Civili tale matrimonium non connubium, sed contubernium appelletur. *L. 3. C. de Instit. nupt.* Jure tamen Canonico matrimonium legitimum est, *cap. 1. h. t.* quia juxta *Apost.* in Christo Jesu, neque liber, neque servus est à Sacramentis removendus. *L. 1. tit. 5. p. 4. D. Thom. in 3. p. Sup. q. 52. art. 1. ad 1.* ibi: *Dicendum, quod servitus contrariatur matrimonio, quantum ad actum, ad quem quis per matrimonium alteri obligatur, quem non potest liberè exequi, & quantum ad bonum prolis, quæ pejoris conditionis efficitur ex servitute parentis; sed quia quilibet potest in eo, quod sibi debetur sponte detrimentum aliquod subire, ideò si alter conjugum sciat alterius servitutem: nihilominùs tenet matrimonium: similitèr etiam, quia in matrimonio est æqualis obligatio ex utraque parte ad debitum reddendum, non potest aliquis requirere majorem obligationem ex parte alterius, quam ipse possit facere, & propter hoc etiam servus, si contrahat cum ancilla, quam credit liberam, non propter hoc impeditur matrimonium. Et sic patet, quod servitus, non impedit matrimonium, nisi quando est ignorata ab alio conjuge, etsi ille sit liberæ conditionis. Et ideò nihil prohibet inter servos esse conjugia, vel etiam inter liberum, & ancillam.* Expedit tamen, servos sic contrahentes consensum dominorum requirere ob reverentiam ipsis debitam, si non timeant, eos injustè impedituros: non tamen est necessarius dominorum consensus, *cap. 1. h. t.* cum servi, quoad matrimonium sui juris sint, & etiam Domino repugnante, ipsi contrahere possint, *cap. 1. h. t. L. 1. t. 5. p. 4. D. Thom. 4. D. 36. q. un. art. 2. Barbos. & Gonz. in cap. fin. h. t. ex n. 2. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 21. n. 3.* Et licèt Dominus, non teneatur in servi matrimonium consentire, sed possit reniti, peccat gravitèr contra justitiam si positivè impediat matrimonium contrahere, vel post contractum matrimonium durius servum tractet. *Sanch. de Matrimon. L. 7. D. 21. num. 5. & 6.* Nec potest Dominus post sponsalia à servo contracta in remotas terras vendendum mittere: nam sic impediret jus quæsitum sponsæ. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 21. num. 9. qui D. 22. n. 12. tenet*, non posse Dominum servum jam conjugatum alio mittere, si uxor nequeat eum commodè sequi: quod alii negant. Nam tunc solùm usus impeditur: nec debet Dominus privari jure servum vendendi. De *Jure* tamen *Hispano* non possunt Domini servos conjugatos ita vendere, ut debeant vivere à suis conjugibus separati. *L. 1. t. 5. p. 4.*

TIT. X.

De Natis ex libero ventre.

99 *OMnes homines*, ait Imperator Justinianus, *aut liberi sunt, aut servi.* Libertas enim, ex qua liberi appellantur, *est naturalis facultas ejus quod cuique facere libet, nisi si quid vi, aut jure prohibeatur. Servitus autem est constitutio Juris Gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur.* Servi alii sunt ex Juri Civili, cum scilicèt, liber homo major viginti annis ad pretium participandum sese venundari passus est: aut Jure Gentium, id est, ex captivitate, & appellati sunt *servi*, eo quod Imperatores captos in vello justo, vel saltem publicè indicto vendere, ac per hoc *servare*, nec occidere, jubebant; qui etiam *mancipia* dicuntur, eo quod ab Hostibus *manu capiantur.* Capti in bello, quod inter Christianos geritur ex consuetudine generali, non fiunt servi ob christianam charitatem, & honorem, ac memoriam libertatis, qua Christus nos à servitute Dæmonis liberavit. At verò Christiani capti à Mauris, vel Turcis habentur ab ipsis tamquam servi, non tamen ut tales à Christianis habentur. Similitèr Christiani habent, ut servos Mauros, vel Turcas in bello justo captos: item etiam Æthiopes, vel Nigros, quos ex variis Africæ Regionibus emunt. *Barbos. in cap. un. h. t. n. fin.* Ubi notat quod tales Æthiopes, si sint majores 20. annis, possunt se ipsos vendere ex consuetudine illarum Provinciarum, vel possunt illos vendere eorum parentes egestate oppressi, si tamen fraude, vel dolo capiantur, vel abducantur vi, vel allecti, & seducti quibusdam jocalibus, & munusculis ad Naves ducantur: tunc, nec illi, qui eos capiunt, nec qui-

qui illos emunt, nec qui modo eos possident tuti sunt in conscientia: sed tenentur eos manumittere, & suæ libertati restituere: etsi nequeant pretium recuperare. Mercatores, qui ex ora Malabarica, quotannis in hanc Civitatem navigant, afferunt plures servos ex variis Provinciis vendendos hic, quos *Vichos*, & *Cafres* appellant, & cum quondam Judex servitutum, & libertatum hic constitutus, qui est unus ex Senatoribus Regiæ Cancellariæ dubitaret de justificatione hujus servitutis de hac re fui consultus, & cum vidissem ipsos Mercatores Titulum afferre, quo Episcopus Meliapurensis in judicio contradictorio cum Promotore Fiscali harum causarum habito, declarat talem Æthiopem, vel Malabarem esse servum ex justo titulo judicato, ut tali in Anglorum Tribunali Madrastensi, statim respondi, tales etiam hic, ut servos censendos esse: ac proindè, quod Mercatoribus permitteretur, quod eos venderent. Et ita olim responderat D. Antonius de Morga Senator Manilensis, & posteà Præses Quitensis. Et sic tenent *D. Joannes de Solorzano de Jur. Indiar. tom.* 1. *L.* 3. *cap.* 7. *n.* 115. *f.* 743. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. 2. *D.* 36. *n.* 1. *D. Carrasco del Saz ad Leg. Recop. cap.* 3. §. 2. *de Servis*, *num.* 17. *Et P. Joannes de Rivera*, qui per plures annos in hac nostra Provincia casibus resolvendis fuit præpositus ait: *Será conveniente notificarle, que no traigan á vender Esclavos, porque en ninguna manera se los han de comprar, si ya no vienen con Testimonio del Ordinario de Malaca, ó de Goa, ó de otro Juez competente, que en tal caso podrá el de Manila pasar, como se hace, comprobando los Testimonios: y en esto parece que no hay que poner escrúpulo, porque en la India tienen cuidado los Obispos de examinar las Esclavonias, y sobre esta materia huvo Concilio Provincial, donde se ventiló de qué Nacion, y por qué causas se habian de dar por Esclavos; y así, quando viene examinado por Juez competente, standum est pro illo, y descansar el de Manila, que reconociendo los Testimonios, mas comprueba, que aprueba.* Facit *text. in cap.* 7. *de Probat. Et ibid. Gonz.* At verò in nostris Indiis minimè licèt, ut servos habere Gentiles, etiam in bello captos. *L.* 1. *tit.* 2. *lib.* 6. *R. Indiar. Solorz. Politic. L.* 2. *cap.* 1. *f.* 65. In his tamen Insulis fiunt servi Christianorum Mauri Mindanaenses, & Joloenses, qui in bello justo capiuntur. *L.* 12. *tit.* 2. *lib.* 6. *R. Ind.*

100 Deniquè alii sunt servi ex nativitate, de quibus hic. Licèt enim filii quoad nobilitatem, familiam, & honorem patrem sequantur. *L.* 19. *ff. de Statu homin. cap.* 3. *de Conjug. Servorum*: quoad conditionem libertatis, vel servitutis sequuntur matrem, nisi alia sit consuetudo: nam communitèr *partus ventrem sequitur*; sivè in matrimonium, sivè extra, sivè ex propria, sivè ex aliena ancilla, *cap. un. h. t. L.* 7. *C. de Rei vindic. L.* 2. *tit.* 21. *p.* 4. *D. Thom. in* 4. *D.* 36. *q. un. art.* 4. *Sanch. de Matrim. L.* 7. *D.* 24. *num.* 1. & 5. Ac proindè natus ex matre ancilla, quamvis pater sit liber, erit servus. *L.* 2. *tit.* 21. *p.* 4. Inter homines liberos alii dicuntur *libertini*, illi scilicèt, qui ex justa servitute manumissi sunt, hoc est, quibus est data libertas. Alii sunt *ingenui*, scilicèt, qui statim, ac nati sunt liberi sunt, sivè ex duobus ingenuis matrimonio editi sint, sivè ex libertinis duobus, sivè ex altero ingenuo, & altero libertino: imò etiam ex patre servo, si ex libera matre nascantur ingenui sunt, sicut qui ex matre libera, & incerto Patre natus est, qui vulgo conceptus nuncupatur. Sufficit tamen, liberam fuisse matrem eo tempore, quo nascitur, licèt ancilla conceperit, & è contra, si libera conceperit, deindè ancilla facta pariat, ille qui nascitur, liber nascitur, quia non debet calamitas matris ei nocere, qui in ventre est. Deindè si ancilla prægnans manumissa est, & libera, licèt unico momento sit, & tandem rursus ancilla facta pariat, filius ejus adhuc erit liber; sufficit enim ei, qui in utero est, liberam matrem, vel medio tempore habuisse, ut liber nascatur. *Text. in princ. Inst. de Ingenuis. L.* 5. *ff. de Statu homin. L.* 2. *tit.* 21. *p.* 4. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 24. *n.* 10. & *com. DD.* Audiamus *D. Thom. in* 3. *p. Sup. q.* 52. *art.* 2. *in corp.* ibi: *Respondeo dicendum, quod secundum Leges Civiles partus sequitur ventrem, & hoc rationabilitèr, quia proles habet à patre complementum formale, à matre substantiam corporis; servitus autem corporalis conditio est, cum servus sit, quasi instrumentum Domini in operando, & ideò prolis in libertate sequitur mætrem. Sed in his, quæ pertinent ad dignitatem, secundum quod est ex forma rei sequitur patrem, sicut in honoribus, & Municipiis, & hæreditate, & aliis hujusmodi. Et huic etiam concordant Canones, & Lex Moysi, ut patet Exod.* 21.

TIT. XI.

De Cognatione Spirituali.

101 INter impedimenta dirimentia matrimonium invenitur *cognatio*; quæ triplex est. Alia *carnalis*, alia *legalis*, *spiritualis* alia: de hac in præsenti, de aliis posteà agemus. Hoc ergo impedimentum inductum est, non Jure Divino, quia neque ex sacris litteris, neque ex traditione, vel definitione Ecclesiæ constat hoc impedimentum à Christo D. annexum esse alicui Sacramento: neque provenit à Jure Naturali, à quo Sacramenta non dependent in esse, sed solùm ex Christi institutione: inductum est ergo ab Ecclesia, *cap. 2. cap. 5. 30. q. 1. cap. 1. h. t.* Et quidem solùm est hoc impedimentum annexum baptismo, & confirmationi, non verò aliis Sacramentis, *cap. fin. h. t. in 6. L. 2. tit. 7. p. 4.* Hoc ergo impedimentum invenitur tantùm inter baptizantem, & baptizatum, confirmantem, & confirmatum, horumque Patrinos tamquam parentes spirituales. Baptizans, vel confirmans se habet ut Pater: Patrinus, & Matrina nomine Ecclesiæ se habent ut Mater ad similitudinem cognationis carnalis. *D. Thom. in 3. p. Suppl. q. 56. art. 1. in corp.* ibi: *Respondeo dicendum, quod sicut per carnis propagationem homo accipit esse naturæ, ita per Sacramenta accipit esse spirituale gratiæ: Undè sicut vinculum, quod ex carnis propagatione contrahitur est hoc naturale, in quantum est res quædam naturæ, ita vinculum, quod contrahitur ex Sacramentorum susceptione est aliquomodo naturale alicui in quantum est membrum Ecclesiæ: & ideò sicut carnis cognatio impedit matrimonium, ita spiritualis ex Ecclesiæ statuto. Et in art. 2. ad 1.* ait: *Ad primum ergo dicendum, quod duplex est carnalis nativitas, prima in utero, in quo adhuc id, quod natum est, est adeò debile, quod non possit extra exponi sine periculo: & huic nativitati assimilatur regeneratio per baptismum, in quo regeneratur aliquis adhuc quasi fovendus intra uterum Ecclesiæ. Secunda est nativitas ex utero, quando jam quod natum erat in utero tantùm, roboratum est, quod potest sine periculo exponi exterioribus, quæ nata sunt corrumpere; & huic asimilatur confirmatio, per quam homo roboratus exponitur in publicum ad confessionem nominis Christi, & ideò congruè per utrumque istorum Sacramentorum contrahitur spiritualis cognatio.* Et licèt Sacramentum pœnitentiæ tollat peccatum actuale: sicut baptismus tollit originale: item licèt confessarius respectu sui pœnitentis dicatur Pater spiritualis, *cap. 8. cap. 9. 30. q. 1.* hoc non obstante, Sacramentum pœnitentiæ non inducit hoc impedimentum, ut habet *D. Thom. in 3. p. Suppl. q. 56. art. 2. ad 8.* ubi addit: *Nec obstat, quod per pœnitentiam tollitur peccatum actuale, quia hoc non est per modum generationis, sed magis per modum sanationis: sed tamen per pœnitentiam contrahitur quoddam fœdus inter mulierem confitentem, & Sacerdotem spirituali cognationi simile: ut tantùm peccet eam carnalitèr cognoscens, ac si esset, sua spiritualis filia: & hoc ideò, quia maxima familiaritas est inter Sacerdotem, & confitentem, & ob hoc ista prohibitio est inducta, ut tollatur peccandi occasio.* Et ideò hanc circunstantiam exprimendam esse in confessione tenent. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 55. n. 4. & alii.* Et posteà *D. Th. ad 9.* ait; *Quod Pater spiritualis dicitur ad similitudinem patris carnalis: Pater, autem carnalis, ut Philosophus dicit, in 8. Et hic: tria dat filio: esse, nutrimentum, & instructionem. Et ideò spiritualis Pater aliquis alicujus dicitur ratione alicujus horum trium: tamen ex hoc, quod est spiritualis Pater non habet spiritualem cognationem, nisi conveniat cum Patre, quantum ad generationem, per quam est esse.* Ad hanc cognationem contrahendum non est necesse, quod baptismus fiat à Sacerdote, & solemnitèr, ut regularitèr fit, *cap. fin. h. t.* Nam Laicus in necessitate baptizans privatim filium alienum contrahit cognationem spiritualem: siquidem in jure non distinguitur, quomodo, vel à quo fiat baptismus: quod expressè habetur *in L. 2. tit. 7. p. 4.* ibi; *Quier sea el que baptiza Obispo, ó Clerigo, ó Lego, ó Varon, ó Muger. Abb. Navar. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 62. num. 10. Gutier. Ponc. Laym. & alii*, contra *Paludan. in 4. D. 42. q. 1. art. 1. conclus. 4. & alios.* Et hac ratione, qui in baptismo privato tenet baptizatum animo obeundi munus patrini, & susceptoris contrahit cognationem spiritualem. *Navar. Man. cap. 22. n. 4. Suar. 3. p. q. 67. n. 8. Laym. Ponc. de Matrim. lib. 7. cap. 40. n. 5. & alii*, contra *Sotum, Gutier. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 62. n. 14. Barbos. in cap. fin. h. t.* Nisi fortè, ut plerumque fit urgente necessitate, tantùm materialitèr baptizatum teneat,

neat, non animo subeundi Patrini munus: quippe tunc non contrahit cognationem spiritualem. Et licèt in baptismo solemni ex antiquisimo usu Ecclesiæ necessariò Patrinus sit adhibendus. *c.*100. *de Consecra. D.* 4. in privato tamen potest adesse, sed non necessariò adest.

102 Olim triplex erat spiritualis cognatio. 1. inter baptizantem, & baptizatum, confirmantem, & confirmatum, necnon inter Patrinum baptizati, vel confirmati, & ipsum baptizatum, vel confirmatum. Nam baptizans, & confirmans, & Patrini se habebant, ut spirituales parentes baptizati, vel confirmati; & hæc cognatio, dicebatur *Paternitas directa. c.* 5. 30. *q.* 1. *L.* 1. *tit.* 7. *p.* 4. ibi: *Aquel que le baptiza, è todos los otros que le sacan de pila, quier sean varones, ò mugeres, todos son Padres espirituales de aquel niño. Paternitas indirecta* erat inter uxorem baptizantis, & Patrini, & quidem carnalitèr cognitam, quia facta fuit una caro cum baptizante, vel Patrino; & baptizatum. *c.* 1. *h. t. in 6.* 2. Inter baptizantem, & confirmantem, & Patrinos ex una parte, & ex altera inter parentes baptizati, vel confirmati. *c.* 3. 30. *q.* 4. *c.* 4. *c. 6. h. t.* Et dicebatur *compaternitas directa.* Siquidem sunt compatres parentes carnales, & spirituales. *Compaternitas indirecta* erat inter uxorem baptizati, & Patrini carnalitèr cognitam ex una parte, & inter parentes baptizati, vel confirmati ex altera. *c.* 1. *c.* 3. 30. *q.* 4. 3. Inter filios carnales baptizantis, vel confirmantis, aut Patrinorum ex una parte, & ipsum baptizatum, vel confirmatum ex altera, & dicebatur *fraternitas*: nam cum baptizans, & confirmans, & Patrini sint compatres baptizati, & confirmati, eorum filii sunt quasi fratres baptizati, & confirmati. *c.* 2. *c.* 3. 30. *q.* 3. *c.* 7. *h. t. c.* 1 *eod. in 6.* Quæ omnia habentur *in L.* 1. *tit.* 7. *p.* 4. *Gonz. in c. fin. h. t. n.* 10. *& alii.*

103 Hodie per *Trid. sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 2. magna ex parte temperatum est hoc impedimentum: quippè solùm contrahitur hæc cognatio in baptismo inter baptizantem, & baptizatum; inter Patrinum, & baptizatum: quæ cognatio *paternitas* dicitur: & inter baptizantem, & patrinum ex una parte, & ex altera inter patrem, & matrem baptizati, quæ *compaternitas* dicitur. Similitèr in confirmatione datur solùm cognatio inter confirmantem, vel Patrinum ex una parte, & inter confirmatum, ejusque patrem, & matrem ex altera. Hinc nullum est impedimentum. 1. inter baptizatum, vel ipsius patrem, & uxorem baptizantis, vel Patrini. 2. inter baptizatum, vel confirmatum, & filiam baptizantis, confirmantis, vel Patrini. 3. Inter ipsos Patrinos; v. g. si vir, & fœmina sint Patrini in aliquo baptismo: ac proindè si vir, & uxor sint Patrini non contrahaunt impedimentum ad debitum petendum. 4. Inter baptizantem, vel confirmantem, & Patrinum. *Nav. Man. cap.* 22. *n.* 39. *Suar.* 3. *p. q.* 67. *art.* 8. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 54. *ex n.* 10. *Gonz. in c. fin. h. t.*

104 Licèt olim prohibitum esset, ut in baptismo, vel confirmatione adhiberentur plures Patrini. *c.* 101. *de Consecr. D.* 4. si tamen defacto plures adhiberentur, omnes contrahebant cognationem. *c. fin. h. t. in 6.* sed hodie ex *Trid. sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 2. Unus tantùm Patrinus, vel ad summum unus, & una à parentibus electi sunt adhibendi in baptismo. In confirmatione tamen unus, vel una tantùm potest adhiberi. *c. fin. h. t. in 6. Suar. Gonz. in c. fin. h. t. n.* 7. *& alii.* Quod si præter unum, vel unam assignatos alii baptizatum tetigerint non contrahunt cognationem. Si pater baptizandi assignet duos mares, vel duas fœminas: & non repellantur à Parocho, sed simul teneant baptizatum, licèt pater in assignando, & Parochus in admittendo contra *Trid.* peccent, omnes tamen, qui tangunt, contrahunt cognationem spiritualem: quia in ipsis omnes conditiones ad eam contrahendam inveniuntur. Si verò Parochus aliquem ex assignatis eligat, cæteros excludit: ac proindè ille tantùm contrahit cognationem. Si ex negligentia parentum, & Parochi nullus sit assignatus, & plures teneant baptizatum, omnes cognationem contrahere, tenent *Hnriq. Navar. Man. cap.* 22. *n.* 39. *& alii.* sed cum intentum Trid. sit, hanc cognationem restringere, & in nullo ex tangentibus inveniatur conditio à Concilio requisita, scilicèt, parentum, & Parochi assignatio, dicendum est, nullum contrahere cognationem. *Suar. in* 3. *p. q.* 67. *art.* 8. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 57. *num.* 12. *Gonz. in c. fin. h. t. n.* 7. ut ergo hæc cognatio contrahatur 1. debet validè conferri baptismus, vel confirmatio; si enim hæc Sacramenta nulla sunt ex aliquo defectu corruit accessorium, quale est cognatio. *c.* 42. *de Reg. jur. in 6.* Quod enim

enim nullum est, nullum producit effectum *c.* 52. *de Reg. jur. in 6.* Et sic in reiteratione horum Sacramentorum, cum hæc non valeant secundo conferri, non contrahitur talis cognatio. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 62. *n.* 5. 2. requiritur, quod Patrinus sit fidelis, seu baptizatus: & ut sit Patrinus in confirmatione debet esset confirmatus, ut contra alios tenent *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 60. *n.* 20. *ex c.* 102. *de Cons. D.* 4. ibi: *In baptismate, & in Chrismate* (hoc est in confirmatione) *non potest alium suscipere in filiolum, qui non est baptizatus, vel confirmatus.* Quod si defacto baptizet, aut levet infidelis, etiamsi sit catechumenos, baptizatum, vel confirmatum, non contrahit cognationem spiritualem, etiam si talis infidelis posteà baptizetur; sicut nequit cognationem carnalem contrahere, qui non est carnaliter natus, ut contra *Archid. Sot. Enriq. & alios* tenent *D. Thom. in* 4. *D.* 42. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 1. *ad* 3. *Navar. Palacios, Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 60. *ex fin.* 7. *Gonz. in c. n. h. t. n.* 9. Nec infidelis, cum Ecclesiæ Legibus non subjiciatur potest cognationem spiritualem à Lege Ecclesiastica manantem, contrahere; *arg. c.* 8. *de Divort.* Et hac ratione, cum cognatio spiritualis non minùs, ac carnalis debeat esse mutua, & reciproca, si fidelis baptizet, vel teneat in baptismo filium infidelis, licèt cum baptizato contrahat cognationem spiritualem, quia illius est capax, eam non contrahit cum parenti infideli, quia incapax illius est. Sic contra *Enriq. & alios* tenent *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 60. *n.* 14. *Palacios, & alii.* At verò si hæreticus baptizet, vel etiam teneat in baptismo filium catolici, licèt malè faciat: vel si catholicus baptizet, vel teneat in baptismo filium hæretici, contrahitur inter ipsos cognatio spiritualis. Nam cum hæreticus sit baptizatus subditur Legibus Ecclesiæ. *Sanhc. de Matrim. lib.* 7. *D.* 60. *n.* 2. 3. Patrinus debet habere intentionem obeundi patrini munus: quod si hanc habeat intentionem, licèt protestetur, nolle cognationem contrahere ipsam, ut annexam ex dispositione Ecclesiæ muneri paterni, contrahit *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 58. *n.* 4. Nec protestatio, utpotè facto contraria, obstat. Hinc, qui credens, levare filium Sempronii, teneat filium Caji, nec cum filio Sempronii, quem non levavit, nec cum filio Caii, ex defectu animi, & intentionis contrahit cognationem, nisi intentio feratur in præsentem, quicumque sit. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 58. *n.* 7. *Joan. Andr.* sicut in illum, qui baptizatur fertur à baptizante. 4. Patrinus debet tenere in actu baptismi, vel confirmationis baptizatum, vel confirmatum juxta morem loci, etiamsi infans sit vestibus contectus, vel in disco, aut linteo teneatur. Hinc, quando puer domi baptizatur Patrinus erit, qui domui tenuit eum, non qui tenet in Ecclesia, quando solemnitates supplentur. Quando in dubio iteratur baptismus sub conditione, si posteà constet, primum baptismum; v. g. fuisse validum, qui tunc tenuit tantùm contrahit cognationem: dùm non constat, Ecclesia cognationem præsumit in secundo, *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 62. *n.* 6. Nec sufficit sola assistentia, vel responsio ad interrogata baptizantis, sed est necessarium baptizandum, etiam adultum tangere; *arg. c.* 5. 30. *q.* 3. *c.* 3. 30. *q.* 4. *c.* 1. *h. t. in 6. Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 56. *n.* 5. non tamen requiritur ad cognationem contrahendam, quod Patrinus respondeat: quippè in jure solùm susceptionis, non autem responsionis fit mentio. *c.* 1. *h. t. in 6. Sylv. Covarr. Sanch. de matrim. lib.* 7. *D.* 56. *num.* 10. contra *aliquos.*

105 Hæc cognatio, cum sit impedimentum dirimens, si superveniat sponsalibus ante matrimonium, sponsos ad ipsum reddit incapaces, sicut affinitas, & cognatio naturalis. Nec finitur morte personæ, qua mediante, est contracta hæc cognatio: si vèro superveniat matrimonio contracto, cum non possit jam illud dissolvere; solùm potest privare petitione debiti sic impeditum. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 54. *n.* 4. & 5. Pater (idem de matre dicendum est) suum filium in necesitate baptizans, non contrahit cognationem spiritualem cum suo conjuge, ita ut privetur jure petendi debitum, vel liberetur ab obligatione reddendi. *c.* 7. 30. *q.* 1. *L.* 6. *tit.* 7. *p.* 4. Idem est, si suum filium tantùm materialitèr teneat in baptismo, non animo exercendi munus susceptoris, sed ut commodius baptizetur, vel etiamsi sit Patrinus in baptismo, vel confirmatione, si alius non potest haberi: nec etiam quando extra casum necesitatis filium proprium baptizat, vel levat ex ignorantia probabili juris, vel facti: & juxta aliquos, etiam ex ignorantia crassa, dùm non sit affectata: vel non sit ita crassa, ut ignorare sit ingens temeritas: quia

hæc

hæc privatio, quando jam est jus quæsitum est pœna: ac proindè non incurritur, quando necessitas, vel ignorantia excusat, consequentèrque ille non est privandus jure petendi. *Barbos. in cap. 2. h. t. Laym. L. 5. tr. 10. p. 4. cap. 8. n. 7. Sanch. de Matr. lib. 9. D. 26. & D. 32.*

106 Quod si parenti non sit quæsitum jus per matrimonium; v. g. si filium proprium ex concubina susceptum baptizet, vel levet, etiam in necessitate, cognationem spiritualem, & impedimentum dirimens contrahit cum matre. *Sanch. de Matr. L. 7. D. 62. n. 12. Fagnan. in cap. 2. h. t. & alii*, similiter si sponsus etiam in necessitate baptizet, saltem scienter filium suæ sponsæ, cum nondum sit illi jus quæsitum per matrimonium, tale impedimentum, etiam sine culpa contrahitur: non quidem ut pœna; sed ut inhabilitas Canonica ad matrimonium contrahendum. *Navarr. Man. cap. 16. num. 34. Laym. L. 5. tr. 10. p. 4. cap. 8. ex n. 6.* Pater, qui filium ex legitima uxore natum extra necessitatem scienter, vel etiam ex malitia, ut alterum usu matrimonii privet, baptizat, vel tenet in baptismo, vel confirmatione, privatur potestate debitum petendi: at verò illud reddere tenetur. Nam in *cap. 2. h. t.* ait Pontifex: *Quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur: si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari, vel dolus.* Et cum tantùm patrocinaretur doloso sua fraus, si à debito reddendo eximeretur: nam interdicta ipsi petitione debiti potius ipsi obest sua fraus, & dolus: indè est, quod solùm potest reddere, non verò petere. *D. Thom. in 4. D. 42. q. 1. art. 1. in corp. D. Bonavent. ibid. P. Antonin. Sylv. Navarr. Palac. & plur. cum Sanch. de Matrim. L. 7. D. 22. ex n. 6.* contra *Gloss. in cap. 2. h. t. V. Institutum. Et alios*, inter quos *Suar. in 3. p. q. 67. art. 8. §. Quo circa*, quæ sententia valdè probabilis est, etiamsi unicus *Suarez* ipsi patrocinaretur, à quo dolens, & invitus recedo. Tandem in cognatione spirituali, cum à Jure Communi proveniat, solus Papa dispensat. Et quidem in compaternitate facile dispensatur, si justa causa adsit, in paternitate verò ob indecentiam contrahendi cum filia spirituali, vel nunquam, vel difficillimè dispensatur. Et ideò, qui dispensationem impetrat, & hoc debet exprimere. *Sanch. de Matrim. L. 8. D. 19. num. 7. & D. 24. num. 15.*

TIT. XII.

De Cognatione Legali.

107 INter alias species cognationis, quoad matrimonia dirimenda, invenitur *cognatio Legalis*: cognatio Legalis dicitur, quia à Legibus est orta. *L. 14. L. 17. L. 55. ff. de Ritu nuptiar.* est tamen Jure Canonico approbata, & admissa, *cap. 1. cap. 5. 30. q. 3. cap. un. h. t. Hæc enim est propinquitas, seu proximitas personarum ex adoptione proveniens. L. 7. tit. 7. p. 4.* ibi: *Por fixamiento es una manera de parentesco, que estableció el fuero de los Legos, porque se embargan los casamientos.* Adoptio enim, quam Cajus naturæ similitudinem definivit, ut aliquis filium habere possit, quem non generavit, *est assumptio personæ extraneæ* (id est, quæ in adoptantis potestate non sit, licèt aliundè sit consanguinea) *in filium, nepotem, pronepotem, &c. L. 1. L. 11. ff. de Adoption. D. Thom. in 4. D. 42. art. 1. Sanch. de Matr. L. 7. D. 63. n. 1.* Hinc est, quod justi per gratiam habitualem filii adoptivi Dei constituuntur, qui cum sint extranei à Deo habentur tamquam filii quodammodo speciali: & non solùm ea generalitate, qua omnes homines, etiam peccatores sunt filii Dei, eumque Patrem inclamant, dum dicunt: *Pater noster, qui es in Cœlis.* Hæc enim specialis filiatio habetur per gratiam justificantem per quam juxta *D. Petrum, Ep. 2. cap. 10. efficimur Divinæ consortes naturæ.* Præterea justi ordinantur ad hæreditatem gloriæ æternæ per munus gratiæ acceptum. At verò in Christo Domino, licèt gratia habitualis inveniatur, non producit hunc effectum formalem, eum constituendo filium Dei adoptivum ex defectu extraneitatis. Siquidem est filius Dei naturalis. Ac proindè dicendum est, quod ad adoptionem duo requiruntur. 1. ut adoptatus in filium assumatur. 2. ut ipse sit persona extranea respectu adoptantis. *D. Thom. in 3. p. q. 3. art. 5. ad 2.* Et ut nullum maneat æquivocationi offendiculum, quintuplex filiorum differentia distingui oportet, secundum quintuplicem similitudinem: *Secunda enim Persona S. Trinitatis est Filius Dei naturalis; quia Patris, & Filii una est natura, & gloria. Etiam Deus dicitur Pater creaturarum irrationalium, secundum illud Job 38. Quis est pluviæ Pa-*

ter, aut quis genuit stillas roris? Sed secundum similitudinem vestigii tantùm. Etiam dicitur Pater creaturarum rationalium secundum similitudinem imaginis, secundum illud. Deuter. 32. *Nonnè ipse est Pater tuus, qui possedit, & fecit, & creavit te? Aliquorum est Pater secundum similitudinem gratiæ, qui dicuntur filii adoptivi, quia ordinantur ad hæreditatem gloriæ per gratiam juxta illud ad Rom.* 8. *ipse spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus Filii Dei: si autem filii, & hæredes Aliquorum deniquè est Pater secundum similitudinem gloriæ, prout jam gloriæ hæreditatem possident: juxta illud ad Rom.* 5. *gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Sic Angelicus D. qui nihil non Angelicè tractat. 1. *p. q.* 33. *art.* 3. *in corp.*

108 Adoptio est duplex; alia fit Principis authoritate, quando, scilicèt, Paterfamilias, seu ille, qui sui juris est adoptatur, & dicitur *Arrogatio*, & non solùm ipse transit in adrogantis potestatem, fitque hæres necessarius, tàm ab intestato, quàm ex testamento; sed etiam liberi, si quos habet, in potestatem adrogantis, tamquam nepotes transeunt. Alia fit Imperio Magistratus habentis Legis actionem. *L.* 4. *ff. de Adopt.* id est, merum, & mixtum imperium: & dicitur *Adoptio specifica*, quando scilicèt, filius familias in alterius familiam transit. Et quidem ex constitutione Justiniani solùm filius familias in adoptantis potestatem transit, quando adoptatur ab avo materno (vel etiam paterno, quando Patet est emancipatus) quippè tunc in una persona concurrunt jura naturalia, scilicèt, sanguinis, & civilia, scilicèt, adoptionis. *L. pen. C. de Adopt. L.* 7. *tit.* 7. *p.* 4. Sanè fœmina non potest aliquem adoptare, quia filium non habet in potestate, nisi ex privilegio Principis. Nec minor natu valet adoptare majorem: sed adoptans debet præcedere adoptatum plena pubertate, hoc est, decem, & octo annis. Adoptio namque naturam imitatur, & pro monstro haberetur, quod major esset filius, quam Pater. Et hac item ratione, qui generare non potest, ut castratus nequit adoptare, nisi hoc impedimentum per accidens sit, ut in spadonibus, & Sacerdotibus: qui proindè adoptare possunt. Hoc ergo cognationis impedimentum est annexum jure Ecclesiastico adoptioni: ne facile in libidinem, & incontinentiam inciderent conjuncti cognatione Legali, in quam facile specialis amor, familiaritas, & conjunctio inclinarent, si spes matrimonii hoc impedimento non tolleretur. Et etiam, quia honestas non patitur eos matrimonio jungi, qui parentum, filiorum, aut fratrum loco censentur. *Barbos. in Rubr. h. t. n. fin.* Cum ergo Jure Communi hoc impedimentum sit inductum, solus Papa in eo dispensat. Et quidem difficillimè in linea recta. Hoc igitur impedimentum oritur, non solùm ex adoptione, per quam quis in potestatem adoptantis transit, sed etiam ex adoptione, per quam quis extraneo adoptatur, & in cujus potestatem non transit. Nam cum *text. in cap. un. h. t. cap.* 1. *cap.* 6. 30. *q.* 3. *L.* 14. *ff. de Ritu nupt.* generalitèr loquantur, generalitèr intelligi oportet: & præcipuè constat *ex L.* 7. *tit.* 7. *p.* 4. *Et ibid. notat Gregor. Lop.* V. *Que porfijaron.* ibi: *Ex ista littera sic generali videtur, quod ista Lex voluit, quod non solùm arrogatione durante: sed etiam adoptione: nam de utraque præmittit ista Lex, non possint filii adoptivi contrahere cum naturalibus filiis adoptantis.* Et hanc opinionem tenent *Gloss. in cap. un. h. t. D. Antonin. Scot. Covarr. Toled. Barbos. in Rubr. h. t. n. fin. Gonz. in cap. un. h. t. n.* 9. *in fin.* contra *Innoc. Sylv. Sanch. de Matr. L.* 7. *D.* 63. *n.* 9.

107 Hujus quidem cognationis tres sunt species. 1. in linea rectâ, & dicitur *Paternitas*, estque inter adoptantem, & adoptatum, ejusque descendentes in ejus potestate existentes. *L.* 55. *ff. de Rit. nupt. cap.* 1. 30. *q.* 3. 2. est in linea transversali inter filios naturales adoptantis in ejus potestate existentes, & filium adoptatum, diciturque *fraternitas. L.* 17. *ff. de Ritu nupt. cap. un. h. t.* 3. est *affinitas* inter adoptantem, & adoptati uxorem, & inter adoptatum, & adoptantis uxorem. *L.* 14. *ff. de Ritu nupt.* Et sanè cum nostri Tituli Rubrica generalis sit, has tres species continens, & ex hoc approbatæ Jure Canonico credantur, & in omnibus eadem ratio vigeant: dicendum est, omnes inducere impedimentum dirimens matrimonium. Quod expresse habetur in *L. fin. tit.* 7. *p.* 4. ibi: *Este parentesco, ó cuñadez, que se face, segun mandan las Leyes, non embarga tan solamente el casamiento, mas desfacelo si fuere fecho. Et ibid. Greg. Lop. Sanch. de Matr. L.* 7. *D.* 63. *n.* 12. Profectò sivè hæc cognatio præcedat, sivè superveniat sponsalibus, ea dissolvit: siquidem sponsos reddit inhabiles ad matrimonium, cum sit impedimentum dirimens. Si verò matrimonio jam contracto superveniat, nec

ip-

ipsum dissolvit, quia indissolubile est, nec sic conjunctos privat petitione debiti, quia ad ipsum habent jus ex matrimonio adquisitum, & aliundè nullo Textu prohibetur. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 63. n. 19. Gonz. in cap. un. h. t. n. 10.* 1. species cognationis dirimit perpetuo matrimonium. Nam etiam ablata per emancipationem adoptione, adhuc nequit pater ob honestatem, & decentiam cum sua filia, vel nepte adoptiva contrahere. *L. 55. ff. de Rit. nupt. cap. 1. 30. q. 3. L. 7. tit. 7. p. 4.* Et hoc impedimentum inter adoptantem, & adoptatum, ejusque descendentes, vel protrahitur in infinitum juxta. *D. Thom. in 4. D. 42. q. 2. art. 3. in corp. D. Antonin. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 63. n. 34.* vel usque ad 4. gradum juxta *Navar. Sot. Toled. Valent. & alios.* 3. species, etiam soluta per emancipationem adoptione, obstat ad matrimonium contrahendum propter reverentiam, quam tales conjuncti, sibi invicem habere debent, scilicèt, tamquam Nurus socero, & privignus novercæ. *L. 14. ff. de Ritu nuptiar. L. fin. tit. 7. p. 4. 2.* verò tantùm durat, quantum durat adoptio, ac proindè hac per emancipationem soluta, potest filius naturalis adoptantis cum sua sorore adoptiva contrahere; nam tunc jam sunt inter se extranei, & est finita cognatio, *cap. 6. 30. q. 3. cap. un. h. t. L. 17. ff. de Ritu nuptiar. L. 7. tit. 7. p. 4. Sanch. de Matr. L. 7. D. 63. ex n. 24. Barbos. & Gonz. in cap. un. h. t. n. 3. & 10.*

110 Non prohibetur matrimonium contrahi etiam adoptione stante. 1. inter adoptantem, & matrem adoptati. *D. Thom. in 4. D. 42. q. 1. art. 3. ad 1. 2.* inter adoptantem, & filiam illegitimam adoptati; quia hæc non est in adoptantis potestate. Nec inter filium illegitimum adoptati, & filiam adoptivam, nec vicissim. 3. inter adoptantem, & filiam adoptatæ: nam hæc non transit in potestatem adoptantis: siquidem non est in matris adoptatæ potestate. 4. inter filium, & filiam duorum fratrum adoptivorum, quia isti nulla ligantur cognatione. 5. inter duos filios ab eodem adoptante adoptatos: nam *in cap. un. h. t.* agitur de filia naturali adoptantis, quæ fit per adoptionem soror filii adoptivi, & impedimentum, utpotè odiosum, non est extendendum; *arg. cap. 15. de Reg. jur. in 6.* & expressè habetur *in L. 7. tit. 7. p. 4. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 63. ex n. 26.* ubi plures Authores refert, qui prædictos casus comprobant, & etiam, qui contrarium sentiunt. *Lacroix L. 6. p. 3. ex n. 587.* ubi has lineas, & gradus specificè affert, sed cum jam nullus, vel ferè nullus hujus adoptionis usus sit, præcipuè in nostra Hispania, vix hoc impedimentum invenitur.

TIT. XIII.

De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suæ, vel sponsæ.

111 IN hoc titulo, & sequenti agitur *de cognatione naturali, vel carnali*, quæ est vera, & propria cognatio, & est duplex: *consanguinitas*, scilicèt, *& affinitas.* Affinitas siquidem potest, vel à copula licita, vel ab illicita provenire: nam quamquam Jure Civili cognatio, vel affinitas solùm ex justis nuptiis oriretur. *L. 4. §. 8. de Grad. & affin. b.* secus est de Jure Canonico. Et de hac agitur in præsenti titulo, cujus Rubrica, & alii Textus, licèt loquantur de viro cognoscente suæ uxoris, vel sponsæ consanguineam, etiam intelligi debent de fœmina, quæ copulam habuit cum sui mariti, vel sponsi consanguineis. Quippè vir, & uxor, sponsus, & sponsa sunt correlativa, & in eis eadem ratio militat: imò & de ipsis fœminis expressè loquuntur. *Text. cap. 20. 32. q. 7. cap. 9. 34. q. 2. L. 13. tit. 2. p. 4. D. Anton. Sylv. Gutierr. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 15. n. 2. Barbos. in cap. 4. h. t. n. 6. & alii.* Affinitas, etiam ex copulla illicita olim ad quartum gradum extendebatur; *arg. cap. 8. de Consanguin. & affinit.* Sed *ex Trid. sess. 24. de Reform. Matr. cap. 4.* non excedit secundum gradum: ac proindè maritus non privatur jure petendi debitum, nisi cum consanguinea suæ uxoris in primo, vel secundo gradu copulam habeat. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 15. n. 4. Et L. 9. D. 27. n. 14. Barb. & Gonz. in cap. fin. h. t. n. 5.* Et declaratum est à *Sacr. Congreg. Concil.* si sponsus cognoscat suæ sponsæ consanguineam, incurrit impedimentum dirimens ex tali affinitate ortum ad contrahendum matrimonium cum sua sponsa, & ejus consanguineis in primo, & secundo gradu conjunctis. Et similiter sponsa incurrit impedimentum dirimens ad contrahendum matrimonium cum sponso, & ejus consanguineis in 1. & 2. gra-

gradu; ac proindè hæc affinitas sponsalia dissolvit, *cap.* 2. *cap.* 8. *cap.* 9. *h. t. Gonz. in cap. fin. h. t. n.* 2. *&* 6.

112 Ut hæc affinitas, & impedimentum contrahatur. 1. debet copula sivè legitima, sivè fornicaria esse perfecta, quæ scilicèt ex se apta sit ad generationem prolis: per quam vir, & fœmina una caro fiant, & utriusque semen, & sanguis commisceatur per utriusque seminationem, vel saltem viri intra vas fœmineum, *cap.* 18. 27. *q.* 2. *Paul. Zachias in QQ. Medic. Legal. L.* 7. *t.* 3. *q.* 1. *ex n.* 16. procedit etiam hæc affinitas ex copula à senibus, vel sterilibus habita, quippè ex se apta est ad generandum, licèt per accidens actualis generatio non sequatur. Nec interest, an copula sit publica, vel occulta, ut contra aliquos tenent. *Gutier. QQ. Canon. L.* 1. *cap.* 23. *n.* 8. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 15. *n.* 13. spontanea, vel vi exorta, vel habita cum fœmina ebria dormiente, non advertente, amente, vel insana; quia hæc est apta ex se ad generationem. Hinc, non oritur hæc affinitas ex tactibus impudicis, neque ex seminis effusione extra vas naturale mulieris, neque ex copula sodomitica in vase præpostero mulieris habita; neque ex copula, per quam vas penetretur, etiamsi tollatur virginitas, si non immittatur, vel non recipiatur semen virile in utero fœminæ. Nec ex copula cum impubere attentata, licèt sufficeret ad impedimentum publicæ honestatis, *cap.* 3. *de Spons.* Neque ex copula spadonis, vel castrati utroque testiculo carentis, nec ex copula habita cum mortua: quia non est apta ad generationem prolis. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 15. 2. copula debet haberi cum consanguinea vera uxoris, vel sponsæ. Nam si cum cognata spirituali, vel legali sponsæ, vel uxoris committatur, cum non sit vere incestus, cui Canones impedimentum adjungunt, nullum oritur impedimentum. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 15. *n.* 8. Aliqui requirunt ad hæc incurrenda impedimenta notitiam, & scientiam juris ea statuentis; sed verius est, quod etiam ab ignorante incurruntur: talia namque impedimenta non solùm, rationem pœnæ, sed rationem inhabilitatis habent, inductæ ob reverentiam propinquitatis. *Dicastil. de Matrim. tr.* 10. *D.* 9. *n.* 108. Si maritus post matrimonium contractum suæ uxoris consanguineam cognoscat, sivè publicum, sivè occultum sit delictum, licèt matrimonium nequeat dissolvi, privatur tamen jure petendi debitum à propria uxore, *cap.* 1. *h. t. L.* 13. *tit.* 2. *p.* 4. Sed ne delictum mariti in uxoris innocentis damnum redundet, tenetur maritus uxori petenti debitum conjugale reddere, *cap.* 4. *h. t. cap.* 13. *tit.* 2. *p.* 4. *Sylv. Covar. de Sponsal. p.* 2. *cap.* 7. §. 2. *n.* 6. *Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 15. *ex n.* 1. *Barbos. in cap.* 1. *h. t. n.* 3. *& Gonz. in cap.* 1. *h. t. n. fin.* ut tamen hoc impedimentum incurratur, debet scienter, & liberè committi incestus. Nam cum talis privatio sit pœna, non debet sine culpa incurri; ac proindè maritus cum consanguinea suæ uxoris peccans ex ignorantia excusatur à pœna impedimenti ad petendum debitum, *cap.* 1. *h. t.* similiter, si uxor vi opprimatur à consanguineo mariti, ipsa ob violentiam, & vim præcisam excusatur à pœna impedimenti petendi debitum; *arg. cap.* 6. *h. t. Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 15. *n.* 9. *&* 10. si verò tantùm metu, etiam gravi, fœmina sit compulsa, cum metus non tollat, quamvis minuat, voluntarium, *cap.* 5. *de His, quæ vi metusvè*, talis copula voluntaria est ac proindè culpabilis, & per ipsam hoc utique incurritur impedimentum. *Sanch. de Matr. L.* 9. *D.* 31. *num.* 4. contra *aliquos*, aliter sentientes.

113 Aliud etiam impedimentum, impediens tantùm, resultabat jure antiquo ex tali fornicatione à marito commissa cum consanguineis uxoris, etiam jam defunctæ, ut non posset contrahere, mortua uxore, non solùm cum complice; quia inter eos dabatur impedimentum affinitatis dirimens; sed etiam cum quacumque alia, ob irreverentiam Sacramento, & injuriam uxori per talem incestum factam, *cap.* 23. 32. *q.* 7. *c.* 1. *c.* 2. *h. t. L.* 13. *tit.* 2. *p.* 4. ibi: *E aun despues que ella muriesse non debe casar, si non fuere tan mancebo, que non pueda guardar castidad; pero si casare, valdrá el casamiento. Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 15. *ex n.* 3. *Gonz. in cap.* 1. *h. t. n. fin.* Nec consanguinea, quæ incestum commisit, potest cum alio contrahere, sed cum hoc impedimentum esset tantùm impediens, si defacto contraxissent, vel maritus, vel complex, erat validum matrimonium, quamquam illicitum. *D. Thom. in* 4. *D.* 34. *q. un. art.* 5. *Covar. de Spons. p.* 2. *cap.* 7. §. 2. *n.* 6. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 15. *ex n.* 1. Idem erat de sponso copulam habente cum consanguinea suæ sponsæ in 1. vel 2. gradu. Nam, nec ipse, nec complex poterat licitè cum alia quacum-

cumque persona matrimonium contrahere. Hoc tamen impedimentum hodie non usu, & desuetudine sublatum censetur. *Navar. Man. cap.* 22. *num.* 75. Ex incestu commisso cum consanguinea propria, licèt graviori, quam commissum cum consanguinea uxoris, non resultare impedimentum impediens ad contrahendum cum alia, sicut oritur ex incestu commisso cum uxoris, vel sponsæ consanguinea, quia non est adeo injuriosum Sacramento, uxori, & sponsæ, ut aliud, tenent *D. Thom. in* 4. *D.* 34. *q. un. art.* 5. *D. Antonin. Turrecr. Covar. Sanchez de Matrim. lib.* 7. *D.* 15. *n.* 16. *& alii.* Sed tale impedimentum resultare, satis deducitur ex *C. de incestis*, 8. 35. *q.* 3. *& præcipuè quia sic habetur expressè in L.* 13. *tit.* 2. *p.* 4. ibi: *Con su parienta, ò con parienta de su muger.* Et juxta hanc intelligentiam debent accipi cæteri Textus, ut notat *Greg. Lop. ibid.* V. *Con su parienta*. Et ita tenent *Navar. Man. cap.* 22. *n.* 74. *Ponz. Sot. & alii.*

114 Hoc impedimentum, quando matrimonium nondum est contractum, probatur sufficienter per assertionem ipsius sponsi deponentis de copula cum consanguinea, quia cum agatur de peccato vitando, quod per tale matrimonium cum impedimento dirimente fieret, uni testi, & quidem etiam alleganti propriam turpitudinem creditur. *c.* 12. *de Spons. Barbos. & Gonz. ibid.* si verò de matrimonio jam contracto dissolvendo agatur, non creditur conjugibus, qui impedimentum, dirimens subesse, asserunt; ne contra matrimonium inter se colludant, & quod legitimè contractum est, & nequit dissolvi, dissolvatur. Quippè quos Deus conjunxit, homo separare non potest. *c.* 18. 33. *q.* 2. Est ergo necessarium, quod tale impedimentum per idoneos testes probetur, vel quod sit notorium; non quidem rumore viciniæ, qui notorium non facit sed fama publica; quando scilicèt, non aliqua pars, ut in rumore, sed vel tota Civitas, vel vicinia, vel major ejus pars hoc testetur. *c.* 3. *c.* 5. *h. t.* E contra verò, si conjuges pro matrimonio conservando deponant, eis creditur. Tunc enim depositio est valdè favorabilis, & matrimonio, & confitentibus, & toti Reipublicæ, cujus interest, matrimonii valorem defendere pro liberorum legitimitate, & multiplicatione. *L.* 1. *ff. Solut. Matrim. Barbos. in c.* 5. *h. t.*

TIT. XIV.

De Consanguinitate, & affinitate.

115 IN præsenti agitur de cognatione naturali, tùm quatenus est *affinitas*, de qua postea: tùm quatenus est *consanguinitas*, quæ sic dicitur, quasi *sanguinis unitas*, quia consanguinei ab eodem communi sanguine descendunt, & inter se conexi sunt. *L.* 1. §. 10. *ff. de Suis, & legit.* ibi: *Consanguineos Cassius definit, eos qui sanguine inter se connexi sunt. L.* 1. *tit.* 6. *p.* 4. consanguinei itidem *propinqui* dicuntur, quia proximè se invicem sanguine contingunt, Et generaliter *cognati* dicuntur, quasi una, communiterve nati, vel ab eodem orti, progenitivè sint. *L.* 3. §. 1. *ff. de Gradib.* Et licèt aliquando dicatur unus consanguineus esse caro alterius; proprius tamen dicitur, quod sit de sanguine alterius; quia illud, quod immediatè in semen convertitur sanguis fit; & ideò hæc cognatio; non carnalitas, sed consanguinitas dicitur. *D. Thom. in* 3. *p. Suppl. q.* 44. *art.* 1. *ad* 4. *consanguinitas*, sic communiter definitur, *est vinculum ab eodem stipite propinquo descendentium carnali propagatione contractum.* Quam definitionem sic explicat *D. Thom. in* 3. *p. Suppl. q.* 54. *art.* 1. *Respondeo dicendum, quod secundum Philosophum in* 8. *Ethic. omnis amicitia in aliqua communicatione consistit, & quia amicitia ligatio, sivè unio quædam est: ideò communicatio, quæ est amicitiæ causa vinculum dicitur: & ideò secundum, quamlibet communicationem denominantur aliqui quasi colligati ad invicem: sicut dicuntur Concives, qui habent Politicam communicationem ad invicem: Commilitones, qui conveniunt in Militari negotio: & eodem modo illi, qui conveniunt in naturali communicatione dicuntur consanguinei, & ideò in prædicta definitione ponitur quasi consanguinitatis genus vinculum; quasi subjectum, personæ descendentes ab uno stipite, quarum est hujusmodi vinculum, quasi principium carnalis propagatio.* Et licèt omnes homines ab eodem stipite remoto, scilicèt, ab Adam descendant, non sunt consanguinei, quippè non sunt ab eodem stipite proximo descendentes. Et licèt in animalibus inveniatur carnalis propagatio, non invenitur consanguinitas.

tas, quia animalia non conjunguntur ad amicitiæ unitatem propter propagationem multorum ex uno parente proximo, sicut est de hominibus. Nec sufficit ab eodem principio procedere; alias Angeli, & homines ab eodem principio procedentes essemus consanguinei: requiritur ergo, quod per carnalem propagationem descendant; & ideò Christus D. & B. V. consanguinei sunt: quippè ex *B. Virgine Maria* per propagationem, licèt mirabilem, utpotè sinè viri concursu factam, Christus D. natus est. Non tamen fuerunt consanguinei Adam, & Heva, quia hæc, licèt de costa Adami processerit, non tamen processit per carnalem propagationem. Et licèt Abel, & Adam non processissent ab eodem stipite fuerunt tamen consanguinei; siquidem Abel ab Adamo per propagationem carnalem genitus fuit.

116 Consanguinitas dividitur. 1. *in agnationem, & cognationem. Agnatio est propinquitas inter personas conjunctas per lineam masculinam, sivè descendentes ex eodem viro. Cognatio est propinquitas inter personas per lineam fœmineam, seu ex eadem fœmina descendentes.* 2. dividitur in *naturalem tantùm, & in naturalem, & civilem simul. Naturalis tantùm est, quam sola natura, non Lex probat: vel quæ ex sola fœmina æstimatur*: ut cognatio servilis, vel concubinaria. *Naturalis, & Civilis est, quam etiam Lex approbat.* Ut quæ inter homines liberos ex justis nuptiis oritur. Sed ad impedimentum matrimonii nihil interest, an consanguinitas sit cognatio, vel agnatio. *c.* 7. *c.* 8. *h. t.* An civilis, an naturalis. Tota equidem series consanguineorum *Arbor* indigitatur. *L.* 2. *tit.* 6. *p.* 4. & sicut ab eodem trunco, seu stipite varii nascuntur rami, sic ab eodem stipite, seu progenitore diversi procedunt consanguinei in diversis lineis, & gradibus. *Linea est ordinata series, vel collectio personarum procedentium ab eodem stipite per varias generationes, diversos continens gradus. L.* 2. *tit.* 6. *p.* 4. *Triplex* linea communitèr distinguitur. *Alia recta ascendentium: Alia recta descendentium: alia collateralis, seu transversa.* Rationem dat *D. Thom. in* 3. *p. Suppl. q.* 54. *art.* 2. *in corp.* ibi: *Respondeo dicendum quod consanguinitas est quædam propinquitas in naturali communicatione fundata, secundum actum generationis, qua natura propagatur. Undè secundum Philosophum in* 8. *Ethic. ista communicatio est triplex: una secundum habitudinem principii ad principatum: & hæc est consanguinitas Patris ad Filium Undè, dicit, quod parentes diligunt filios, ut sui ipsorum aliquid existentes. Alia est secundum habitudinem principiati ad principium: & hæc est filii ad patrem. Undè dicit, quod filii diligunt parentes, ut ab illis existentes. Tertia est secundum habitudinem eorum, quæ sunt ab uno principio ad invicem, sicut fratres dicuntur ex eisdem nasci, ut ipse ibidem dicit. Et quia punctus motus lineam facit, & per propagationem quodammodo pater descendit in filium, ideò secundum tres dictas habitudines, tres lineæ consanguinitatis sumuntur: scilicèt linea descendentium secundum primam habitudinem, linea ascendentium secundum secundam, linea transversalis secundum tertiam.*

117 *Gradus, nihil aliud est, quam distantia, qua unus consanguineus distat ab alio in aliqua linea*: sicut gradus scalæ. *L. fin.* §. 10. *ff. de Gradibus, & affinib. L.* 3. *tit.* 6. *p.* 4. Et quidem Jure Civili, tàm in linea recta, quàm transversa, tot gradus, quot generationes dantur: & consanguinei inter se distant tot gradibus, quot sunt personæ, dempto stipite. Sic pater est in primo gradu recto cum suo filio, in secundo cum nepote, & sic de aliis: quia tot sunt generationes. *c.* 2. *c.* 6. 35. *q.* 5. *L.* 10. *ff. de Gradib. L.* 3. *tit.* 6. *p.* 4. In linea collaterali æquali duo fratres sunt in secundo gradu, nepotes, & neptes in quarto: pronepotes, & proneptes in 6. Et sic de aliis *c.* 2. *c.* 6. 35. *q.* 5. *L.* 10. *ff. de Gradib. L.* 3. *tit.* 6. *p.* 4. In collaterali inæquali frater, & nepos ex ejus fratre distant tribus gradibus: filius unius fratris, & nepos alterius fratris quinque gradibus distant; & sic de aliis: quia in his tot sunt generationes. Jure Canonico pro linea recta servatur idem, ac Jure Civili, scilicèt: tot gradus inter ascendentes, & descendentes, quot generationes intercedunt, nec in hac linea discordant Jus Canonicum, & Civile. *L.* 10. *ff. de Gradib. c.* 2. *c.* 6. 35. *q.* 5. *L.* 3. *tit.* 6. *p.* 4. *D. Thom. in* 3. *p. Suppl. q.* 54. *art.* 2. *Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 50. *n.* 4. *Gonz. in c.* 3. *h. t. n.* 3. & *c.* 5. *h. t. n.* 5. In linea transversali æquali tot gradibus collaterales inter se distant, quot gradibus uterque distat à communi stipite. *c.* 2. *c.* 4. 35. *q.* 5. *L.* 3. *tit.* 6. *p.* 4. cum enim tales consanguinei inter se conjungantur ratione stipitis, à quo sanguinem communem acceperunt, nequeunt inter se magis conjungi, vel dis-

distare, quam distent, vel conjungantur cum communi stipite. *Sanch. de Matrim. L. 7. D. 50. n. 5. Gonz. in c. 5. h. t. n. 8.* In linea transversali inæquali tot gradibus consanguinei inter se distant, quot remotior à communi stipite distat. *c. fin. h. t.* Nequit enim unus aleri conjunctior esse, quidem communi stipiti, à quo conjunctionem omnes accipiunt, quia propter quod unumquodque tale, & illud magis. Hinc computatio debet fieri à remotiori, alias unus alteri esset conjunctior, quam communi stipiti. *Sanch. de Matrim. L. 7. D. 50. n. 6. Gonz. in c. 5. h. t. n. 8.* Et quidem in hæreditatibus, tutelis, & similibus in foro Sæculari, quin & in Ecclesiastico computatio civilis est sequenda; in matrimoniis verò computatio Canonica, *c. 2. 35. q. 5.* quia hæreditates non possunt deferri nisi de una ad alteram personam: idcircò curavit Sæcularis Imperator in singulis personis præfigere singulos gradus: quia verò nuptiæ sine duabus non valent fieri personis, idcircò Sacri Canones duas in uno gradu constituere personas. *L. 3. tit. 6. part. 4.*

118 Conjugium inter consanguineos primi gradus in linea recta illicitum, & invalidum est Jure Naturali: cum nunquam tale conjugium, vel à Deo permissum, vel ab Ecclesia toleratum fuisse sciamus: imò hæc connubia vocantur ferina juxta illud *Ovid. in Metam. Dextera Syllene est, in qua cum Matre Menophron Concubiturus erat, sævarum more ferarum.* Et alibi loquendo de amore Myrrhæ in Cynitam patrem suum ait: *At ou dum corpore non es passa nefas, animo ne concipe: nevè parentis concubitu vetito naturæ pollue fœdus.* Imò in aliquibus brutis talis conjunctio odibilis, & detestabilis habetur teste *Aristot. L. 9. Hist. anim. c. 47. Plin. Hist. Nat. L. 8. cap. 42.* Hinc, non est credendum, Deum Authorem naturæ, & matrimonii institutorem, modo alibi explicato dedisse hominibus potestatem ad tale matrimonium, præcipuè cum sit contra pudorem, filiam ducere uxorem. *L. 14. §. 2. ff. de Rit. nuptiar.* Est enim talis copula sua natura turpis, & non tantùm per accidens, sicut esset in ligatis voto castitatis. Filii enim, ipsa natura dictante, reverentiam debent suis parentibus, & cum in matrimonio debeat interesse amor, familiaritas, & æqualitas, ipsa natura repugnat hæc extrema conjungi, juxta illud *Ovidii. Non benè conveniunt, nec in una Sede morantur— Majestas, & amor. D. Thom. in 3. p. Suppl. q. 54. art. 3. in corp.* ibi: *Inordinatum enim est, quod filia patri per matrimonium jungatur in sociam, causa generandæ prolis, & educandæ, quam oportet per omnia patri esse subjectam, velut ex eo procedentem, & ideò de Lege naturali est, ut pater, & mater à matrimonio repellantur, & magis etiam mater, quam pater: quia magis reverentiæ, quæ debetur parentibus derogatur, si filius matrem, quam si pater filiam ducat in uxorem, cum uxor viro aliqualitèr debeat esse subjecta. Et 2. 2. q. 154. art. 9. ad 3. Sanch. de Matr. L. 7. D. 51. n. 7. Gonz. in c. 5. h. t. n. 9.* Et cum hæc reverentia, à quocumque descendente usque in infinitum ascendentibus debeatur: quin & major, quo ascendens remotior est. Nam præter reverentiam sanguinis, & subjectionis, etiam debetur: ratione majoris ætatis juxta illud *Levit. 19. v. 32. Coram cano capite consurge, & honera personam senis*: dicendum est, in quocumque gradu tale matrimonium esse prorsus invalidum: ac proindè, quod si Adam hodie viveret cum nulla ex suis descendentibus posset contrahere. Et confirmatur. Nam Jure Civili tales nuptiæ inter ascendentes, & descendentes usque in infinitum irritantur. *L. 53. ff. de Rit. nuptiar. L. 4. tit. 6. p. 4. Scot. Abulens. Bellarm. Vazq. Gregor. Lop. & plures alii apud Sanch. de Matr. L. 7. D. 51. n. 12. qui n. 13. cum aliis* dicit, in aliquo gradu terminari hoc impedimentum quamvis in jure, & gradu in quo matrimonium irritetur variè sentiunt *DD.* sententiæ contrariæ.

119 Conjugium patris, & filiæ, vel filii, & matris non est adeò turpe, & intrinsecè malum, sicut perjurium, vel mendacium, sed potest in aliqua extrema necesitate cohonestari: ac proindè, si nulli alii homines præter patrem, & filiam mundo superessent, licitè, ipsa necessitate dispensante, contrahere matrimonium valerent: propagatio enim generis humani est superioris ordini, quam reverentia à liberis debita parentibus, ac propterea ei prævalere debet. Et hac ratione *S. Chrysost. hom. 44. in Genes. & S. Ambros. L. 1. de Abrah. c. 6.* excusant concubitum filiarum Lot cum suo parente. *Genes. 19. ex v. 31. Gutier. de Matr. c. 98. n. 14. & 15. Soto, Henr. Valent. Sanch. de Matr. L. 7. D. 51. n. 10. Ponz.* & *alii* contra *Cajet. Ledesm. Hurtad. Perez, & alios*: qui nunquam tale conjugium licere putant. Quod & Ovidii testi-

monio comprobatur, qui ait: *Gentes tamen esse feruntur, in quibus, & nato genitrix, & nata parenti jungitur, & pietas geminata crescit amore.* Sanè Ecclesiam posse dispensare in aliquibus gradibus consanguinitatis, & affinitatis in *Levit. c.* 18. contentis sub anathemate est tenendum. *Trid. sess.* 24. *de Matr. Can.* 3. Et defacto in aliquibus dispensavit *Innoc. III.* cum infidelibus ad fidem conversis: quamvis sæpè nequeat ex defectum causæ justæ dispensare. Et sic intelligitur. *c.* 13. *de Restit. spoliator.* Et consequenter dicendum est, non omnia matrimonia in eis contracta esse Jure Naturali irrita, licèt aliqua sint: alias namque Ecclesia non posset dispensare. *Scot. in* 4. *D.* 40. *q. un. art.* 2. *Cajet. Soto, Nav. Palacios, Covar. Sanch. de Matr. L.* 7. *D.* 52. *n.* 6. *& alii.*

120 In linea transversa matrimonium inter consanguineos in primo gradu, scilicèt, inter fratrem, & sororem est Jure Naturali invalidum. Nam Pontifex in *c.* 8. *de Divort.* decernit, infideles ad fidem conversos conjugatos in secundo, & ulteriori gradu non esse separandos: innuit ergo à contrario, separandos, si in primo gradu sint copulati, natura huic conjugio reluctante, ob pudorem, & reverentiam, quæ inter fratrem, & sororem conjugalis exercitii, & usus horret licentiam. Et sic à politioribus Nationibus, natura duce, fuit observatum. *Aristotel.* 2. *Polit.* Et contrarium practicantes, ut Barbaræ habitæ fuerunt juxta *August. contr. Faust. L.* 22. *cap.* 35. Et ideo Abraham Saram suam uxorem, apud Ægyptios vocavit sororem, ut sic matrimonii initi suspitionem vitaret. Nec enim erat vera soror; sed consanguinea, scilicèt, filia Aram fratris sui, & sic inteligunt. *Genes. c.* 20. *v.* 12. plures apud *Cornel. in d. cap. Genes.* & probat. *Bellarm. de Matrim. L.* 1. *cap.* 28. & hac ratione conjugium fratris cum sorore morte punitur. Assimilaturque bestialitati, sodomiæ, & adulterio. *Levit. c.* 20. Nec in hoc impedimento unquam dispensavit Eclesia. *Lug. Respons. Moral. lib.* 1. *dub.* 40. Et solùm in Mundi initio conjugia inter fratres, & sorores celebrabantur licitè, & validè *Augustin. de Civit. Dei, lib.* 15. *cap.* 16. *Et contra Faustum, L.* 22. *cap.* 35. dispensante non solùm in licitudine, ut etiam adversarii debent fateri, sed etiam in valore, necessitate propagationis generis humani, quæ impedimento inter ipsos præponderat, sicut diximus, etiam de impedimento in lineæ rectæ primo gradu, quod certè fortius est, quam impedimentum lineæ transversæ Et hanc sententiam tenent *Soto, Toled. l.* 7. *Sum. cap.* 7. *n.* 2. *Valent. in* 4. *p. D.* 10. *q.* 5. *punct.* 3. *Enriq. de matrim. L.* 12. *cap.* 9. *n.* 4. *Sanch. de Matrim. L.* 7. *D.* 52. *n.* 11. *& alii* contra *D. Thom.* 2. 2. *q.* 154. *art.* 9. *ad* 3. *S. Bonav. Scot. Cajet. Nav. Gonz. de Matrim. lib.* 7. *cap.* 32. *Palac. Ponz. in c.* 5. *h. t. n.* 11. *&.* 12. Nec obstat paritas affinitatis in primo gradu lineæ transversalis, nam 1. consanguinitas, est proculdubio vinculum fortius, & artius affinitate; deinde quia in affinitate dispensat Ecclesia, secus in consanguinitate in primo gradu: indè colligimus fortiori jure obstare consanguinitatem.

121 In cæteris gradibus extra primum lineæ transversalis solùm dirimitur matrimonium jure Ecclesiastico. Et quidem olim in omnibus, quorum erat memoria. *c.* 17. *c.* 18. 35. *q.* 3. Sed posteà usque ad septimum gradum fuit restricta prohibitio. *c.* 7. *c.* 19. *q.* 3. Et denique (omissis aliis variationibus) *Innoc. III. in Concil. Gener. Lateran. in c.* 8. *h. t.* ait: *Non debet reprehensibile judicari, si secundùm varietatem temporum, statuta quandoque varientur humana: præsertim cum urgens necessitas, vel evidens utilitas id exposcit: quoniam ipse Deus ex his, quæ in veteri Testamento statuerat, nonnulla mutavit in Novo:::: Prohibitio quoque copulæ conjugalis quartum consanguinitatis gradum de cætero non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus jam, non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generalitèr observari. Quaternarius verò numerus benè congruit prohibitioni conjugii corporalis, de quo dicit Apostolus: Quod vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier; neque mulier habet potestatem sui corporis, sed vir: quia quatuor sunt humores in corpore, qui constant ex quatuor elementis. L.* 4. *tit.* 6. *p.* 4. Hæc enim ratio, quam enixè impetunt hæretici, non est principalis ratio decissionis, sed quædam congruentia. Nam cum consanguinitas ex mixtione, & conjunctione sanguinis oriatur, & post quatuor generationes adeò alteretur, ut jam permanere non credatur, sicut etiam accidit in aliis conversionibus elementorum; ideò hanc adjunxit Pontifex congruentiam, ut notant *Sanch. de Matrim. L.* 7. *D.* 53. *n.* 6. *Gonz. in c.* 8. *h. t. n.* 3. *& alii com.* Quia in permixtione sanguinis à patre acepti cum alio extraneo, quæ fit in generatione vis ignea, quæ subtilissima est.

1. con-

1. confunditur, & petit. 2. vis aerea. 3. vis aquea. 4. terrestris, quare ultra tertiam generationem extincta tota illa vis sanguinis videtur. *D. Thom. in* 3. *Suppl. q.* 54. *art.* 1. *Ubi reddit rationem: quia virtus activa non recipitur secundum eamdem perfectionem in instrumento secundum quam est in principale agente:::: nec tamen individualis virtus patris ita perfectè in filio est sicut erat in patre, & adhuc in nepotè minùs: & sic deinceps debilitatur: & indè est, quod virtus illa, quandoque deficit, ut ultra procedere non possit, cap. un.* 35. *q.* 4. Ad quartum ergo gradum se extendit hoc impedimentum, non solùm quando consanguinitas oritur ex copula legitima, sed etiam quando ex illegitima copula nascitur. Nam cum in consanguinitate non distinguat Trid. sicut quando de affinitate loquitur: de omni consanguinitate generalitèr est intelligendum, ne sine fundamento jurium correctio admittatur; *arg. cap.* 29. *de Elect. in* 6. *L.* 32. §. *fin. C. de Appellat.* Et licèt in Lege Veteri in *cap.* 18. *Levitici*, solùm prohiberetur Hebræis matrimonium cum consanguineis in secundo gradu collateralis lineæ non æqualis, non verò in ulteriori, quia hoc expediebat, quippè Hebræi erant pauci, & proni ad repudium: tamen potuit Ecclesia utens potestate sibi à Christo D. concessa circa matrimonium, ut ad Sacramenti esse elevatum, plures gradus inter Christianos prohibere, ut contra *Vvitclef. Lutherum, & alios hæreticos* tenent Catholici *ex Trid. sess.* 24. *de Matr. Can.* 3.

122 Ratio prohibendi conjugium inter personas conjunctas, & consanguineas assignatur à *D. Thom. in* 3. *p. Suppl. q.* 54. *art.* 3. *in corp.* ibi: *Finis matrimonii secundarius per se est concupiscentiæ repressio: qui alias deperiret, si quælibet consanguinea posset in matrimonium duci, qui magnus concupiscentiæ aditus præberetur, nisi inter illas personas, quas oportet in eodem domo conversari esset carnalis copula interdicta:::: sed per accidens finis matrimonii est confœderatio hominum, & amicitiæ multiplicatio, dùm homo ad consanguineos uxoris, sicut ad suos se habet: & ideò huic multiplicationi, & amicitiæ præjudicium fieret, si aliquis sanguine conjunctam uxorem duceret, quia ex hoc nova amicitia per matrimonium nulla accresceret.* Si consanguinei ultra quartum gradum distent, non est necessaria dispensatio ad contrahendum: siquidem extra illum gradum non extenditur impedimentum: quoniam extra quartum gradum, non extenditur consanguinitatis amicitia; nam tepescente charitate jam vix est, qui se agnoscat alterius consanguineum: & cum non propinquior sed remotior consanguineus attendatur, quoad hanc computationem, *cap. fin. h. t.* si unus sit in quinto, licèt alter sit in secundo vel etiam in primo gradu, possunt contrahere; quia non datur impedimentum. Nec de hoc casu loquitur *S. Pius V.* qui jussit in dispensatione exprimi gradum propinquiorem: Hoc namque intelligitur, quando datur impedimentum, non verò, quando jam cessat, ut in nostro casu, & sic est declaratum, *Sanchez de Matrim. L.* 7. *D.* 53. *n.* 5. Indi Novi Orbis possunt ex concessione *Paul. III.* matrimonia contrahere intra 3. & 4. consanguinitatis, vel affinitatis gradum, quin ad usum hujus gratiæ sit necessarium recurrere ad Ordinarium. *Alloz in Sum.* V. *Indi*, *sed* 2. *num.* 2.

123 In 2. parte Rubricæ agitur de affinitate, quæ etiam est impedimentum dirimens matrimonia inter affines: *Affines* ergo sic dicuntur, quia consanguinei uxoris *quasi accedunt ad fines* mariti, cum quo affinitatem contrahunt: quin hæc affinitas communicetur consanguineis mariti: & è contra consanguinei mariti accedunt ad fines uxoris, cum qua contrahunt affinitatem, quin eam contrahant cum uxoris consanguineis. *L.* 4. §. 3. *ff. de Gradib. & affinib. L.* 5. *tit.* 6. *p.* 4. Et Hispanè dicitur: *Cuñadéz, ó alleganza.* Et quidem in eodem gradu, in quo sunt consanguinei marito sunt affines uxori, & è contra, in quo gradu consanguinei sunt uxoris, sunt marito affines. Affinitas sanè non parit affinitatem: ac proindè possunt contrahere matrimonium duo fratres cum duabus sororibus: pater, & filius cum matre, & filia: conjuges superstites fratris, & sororis defunctorum inter se possunt contrahere matrimonium. Etiam possunt conjungi filius mariti, & filia uxoris progeniti ex matrimonio cum alia, vel alio inito: privignus, cum matrè, filia, aut sorore novercæ; & privigna cum patre, filio, aut fratre vitrici contrahere possunt. Et potest quis successivè matrimonium contrahere, cum duabus viduis, quarum defuncti mariti erant germani fratres; *arg. cap.* 5. *h. t. L.* 5. *tit.* 6. *p.* 4. Ratio affinitatis contrahendæ est, nam cum vir, & fœmina per copulam consummatam, & perfectam in vase debito per im-

immissionem veri seminis ex parte utriusque, vel saltem ex parte viri, & receptionem illius intra uterum fœmineum, fiant ambo una caro; sivè copula licita sit. *Matth.* 19. *v.* 5. *c.* 1. 35. *q.* 10. sivè illicita. 1. *Corint.* 6. *v.* 16. *cap.* 6. *de eo, qui cognovit. Trid. sess.* 24. *de Ref. Matrim. cap.* 4. *L.* 5. *tit.* 6. *p.* 4. ibi: *Esta cuñadéz nasce quier sean casados, ó non.* Item, sivè publica sit, sivè occulta, sivè fiat cum fœmina ignorante, dormiente, ebria, invita, amente, sivè insana. Hinc est, quod consanguinei fœminæ affines viri, & consanguinei viri affines fœminæ fiant, *cap.* 1. 35. *q.* 10. ibi: *Si una caro fiunt, quomodo potest aliquis eorum propinquus pertinere uni, nisi pertineat alteri?* Sed licèt hoc ita sit, tamen vir, & uxor non sunt propriè affines, sed principium, & veluti stipes affinitatis. Nam hæc contrahitur inter consanguineos utriusque partis, mediante conjugum persona per veram utriusque seminis mixtionem. *Affinitas ergo est propinquitas personarum ex carnali copula perfecta, & consummata proveniens omni carens parentela. L.* 5. *tit.* 6. *p.* 4. *D. Thom. in* 3. *p. Sup. q.* 55. *art.* 1. *Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 64. *Gonz. in cap.* 1. *h. t. n.* 5. Non tamen nascitur affinitas ex sponsalibus, neque ex matrimonio rato, neque ex aliis commixtionibus, sed solùm ex copula consummata, & perfecta modo dicto. *L.* 5. *tit.* 6. *p.* 4.

124 Affinitas olim in triplici erat differentia; & in quocumque genere dirimebat matrimonium, *cap.* 3. *c. fin.* 35. *q.* 3. prima erat, quæ una persona mediante resultabat. Sic meus frater Cajus, cum Seja habuit copulam, vel conjugalem, vel fornicariam, ipsa Seja est affinis mihi, & meis consanguineis; & similitèr mei consanguinei erant ipsi affines. 2. duabus personis mediantibus contrahitur. Sic, si mortuo fratre meo Cajo, Seja matrimonium contrahat cum Sempronio, Sempronius, ut maritus Sejæ, quæ erat affinis mihi, & meis consanguineis, similitèr erat affinis mihi, & consanguineis meis. 3. Ex tribus personis oriebatur: sic, si mortua Seja Sempronius ejus maritus copulatur Berthæ, ipsa Bertha, ut uxor Sempronii, qui fuit maritus Sejæ, quæ fuit uxor Caji fratris mei, erit affinis mihi, & meis consanguineis. Hodie solùm affinitas in primo genere, non verò in secundo, nec tertio dirimit matrimonium, *cap.* 8. *h. t. L.* 5. *tit.* 6. *p.* 4. ibi: *Affinitas, en latin, tanto quiere decir en romance, como cuñadéz. E cuñadéz, es alleganza de personas, que viene del ayuntamiento del varon, é de la muger, é non nasce de ella otro parentesco ninguno: E esta cuñadéz nasce del ayuntamiento del varon, é de la muger tan solamente, quier sean casados, ó non. Cá maguer algunos fuessen desposados, ó casados, non nasceria cuñadéz de ellos á menos de se ayuntar. E antiguamente fueron tres maneras de cuñadéz, é guardaronlas en algun tiempo: mas agora non manda Santa Iglesia guardar mas de la primera: é por tal alleganza como esta, todos los parientes de ella se facen cuñados del varon, é otrosi los parientes de él se facem cuñados de la muger, cada uno de ellos en aquel grado en que son parientes. E por razon de tal cuñadia como esta, si acaesciere que muera alguno de aquellos, por cuyo ayuntamiento se hizo, nasce ende embargo, que el otro que fincare vivo, non puede casar con ninguno de los parientes del muerto, fasta el quarto grado passado, bien assi como en el parentesco. Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 67.

125 In nullo gradu, etiam in primo lineæ transversalis, affinitatis, est irritum matrimonium Jure Naturæ, ac proindè R. Pontifex potest dispensare, ut aliquis tontrahat cum uxore vidua sui fratris, & defacto Julius II. dispensavit cum Henrico VIII. Angliæ Rege ad contrahendum matrimonium cum Catharina uxore Arcturi sui fratris defuncti. Et hanc quidem dispensationem approbarunt plures universitates catholicæ teste. *Gonz. in cap. fin. de Divort. n.* 7. quamvis Hæretici, & aliqui Catholici docebant, hoc impedimentum à Jure Naturæ provenire. Et posteà *Clem. VII.* edita Bulla speciali declaravit, illam dispensationem validam fuisse. Et deinceps aliis dispensationibus id ipsum corroboratum est. Et in nostris temporibus Domina Dorothea Sophia de Noburg. Ducissa Parmensis primis nuptiis copulata fuit Principi Eduardo Farnesio, ex quo felici conjugio in lucem prodiit nostra Augustissima Regina Domina Elisabet Farnesio (quam Deus incolumen servet) & post Eduardi mortem ex Pontificia dispensatione nupsit ejus fratri Francisco Farnesio, Duci itidem Parmensi. Et quidem hoc etiam in Lege Naturæ fuit servatum. Nam Patriarcha Jacob duas sorores filias Labam, Liam, scilicèt, & Rachelem, duxit uxores. *Gens.* 29. *vers.* 23. & 28. Et Onam filius Judæ duxit relictam fratri sui. *Genes.* 38. *v.* 8. Et in Lege Mosaica. *Deut.* 25. *v.* 5. præcipitur, ut fra-

frater ducat uxorem sui fratris defuncti, si hic sine liberis decessit, ad suscitandum semen suum: secus si libero reliquit. *Lev.* 18. *v.* 16. Et ideò non licuit Herodi, qui cum cæteris Idumeis sequebatur Legem Judaicam ducere uxorem Philippi fratris sui. 1. quia hic reliquit filiam, scilicèt, saltatricem. 2. quia juxta. *D. Hieronym. D. Thom. & alios apud Card. Bellarm. de Matrim. lib.* 1. *cap.* 28. adhuc vivebat Philippus ejus vir, & ideò Herodes fuit reprehensus à S. Joanne Baptista. *Matth.* 14. *v.* 4. Et in *cap. fin. de Divort. Innoc. III.* statuit infideles Livonienses ad fidem conversos, qui cum uxore sui fratris defuncti contraxerant juxta ritum veteris Legis esse permittendos in conjugio: quod sanè non posset fieri, si Jure Naturæ hoc matrimonium esset nullum. *Covar. de Spons. p.* 2. *cap.* 6. §. 10. *ex n.* 7. *Valent.* 4. *p. D.* 10. *q.* 5. *p.* 3. *Bellarm. lib.* 1. *de Matrim. cap.* 28. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 66. *n.* 11. *Gonz. in c. fin. de Divort.*

126 In linea verò recta affinitatis Jure Naturæ prohibetur conjugium inter socerum, & nurum; generum, & socrum: vitricum, & privignam: privignum, & novercam. Nam ut dicitur in *cap.* 15. 35. *q.* 2. *&* 3. *Si vir, & uxor non jam duo, sed una caro sunt, non alitèr est nurus deputanda, quam filia.* Cum ergo inter patrem, & filiam Jure Naturæ sit nullum matrimonium, idem est dicendum de matrimonio inter socerum, & nurum, &c. Et ratio est naturalis reverentîa, quæ his ascendentibus debetur; quippè se habent, sicut parentes, & filii. §. 6. §. 7. *Inst. de Nuptiis*, sicut de consanguineis diximus. Et ideò in Lege veteri tales nuptiæ, ut grande nefas puniebantur. *Lev.* 20. *ex v.* 11. *Et D. Paul.* 1. *Corinth.* 5. *v.* 1. ait: *Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes, ut uxorem patris sui aliquis habeat.* Nec loqui de uxore patris adhuc viventis notant DD. Et Gentes Politiores tale conjugium sunt detestatæ. *L.* 4. *C. de Nuptiis.* Hujusmodi ergo matrimonium Jure Naturali, & Civili prohibetur, & sic tenent, etiam testante praxi Ecclesiæ, quæ numquam in hoc impedimento dispensavit. *D. Thom. in* 1. *Corint.* 5. *D. Antonin.* 3. *p. tit.* 1. *cap.* 11. §. 1. *Sylv. Covar. de Spons. p.* 2. *cap.* 6. §. 10. *n.* 6. *Nav. Bellarm. de Matrim. lib.* 2. *cap.* 28. *not.* 2. *Valent. Vazq. Laym. & alii* contra *Abul.* 1. *Reg.* 8. *q.* 149. *&* 151. *&* 152. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 66. *n.* 7. *Ponc. Gonz. in cap.* 1. *h. t. n.* 9. qui etiam pro se citant. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 154. *art.* 9. *ad* 3.

127 Affinitatem in linea recta ex copula illicita ortam Jure Divino dirimere matrimonium tenent *D. Anton.* 3. *p. tit.* 1. *cap.* 11. §. 1. *& alii.* Sed alii dicunt, Jure Naturæ dirimere. Sed cum hæc affinitas non sit ita perfecta, sicut ex matrimonio orta, dicendum est, solùm Jure Ecclesiastico dirimere. *Navar. Ledesm. Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 66. *n.* 3. *Laym. & alii.* Et sic Pontifex non raro dispensat in hoc impedimento. Affinitas in linea recta, sicut de consanguinitate diximus, dirimit in infinitum saltem Jure Positivo. *L.* 4. §. 7. *ff. de Gradib. & Affin. Hostiens. Rebel.* In linea verò transversali jure antiquo impedimentum ex affinitate, sivè ex copula licita, sivè illicita extendebatur usque ad 7. gradum, sicut consanguinitas, *cap.* 1. *cap.* 7. *cap.* 13. 35. *q.* 3. posteà fuit restrictum ad 4. gradum, *cap.* 8. *h. t. L.* 4. *tit.* 6. *p.* 4. Et hodie ex *Trid. sess.* 24. *de Ref. Matrim. cap.* 4. magnum fit discrimen inter affinitatem ortam ex copula conjugali, & ortam ex copula illicita: nam circa ortam ex copula conjugali, nihil est innovatum: ac proindè ad 4. gradum extenditur; at verò affinitas orta ex copula illicita, quæcumque sit, sivè adulterium, incestus, sacrilegium, vel simplex fornicatio, quippe in quacumque viget ratio Concilii, & ipsum loquitur generalitèr: restricta est ad secundum gradum: quia sæpissimè occultè contrahitur; & accidit ob ignorantiam impedimenti, ut non sine magno scandalo matrimonium dirimatur, vel in eo, magno cum peccato, perseveretur: ac proindè hodie inter affines ex copula illicita in 3. vel quarto gradu, non solùm validè, sed & licitè contrahitur matrimonium. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 67. *ex n.* 3. Affines contrahentes scientèr matrimonium verè tale (nec sufficit contrahere sponsalia) præterquamquod nullatenùs matrimonium contrahunt, sed incestum committunt, incurrunt ipso facto excommunicationem. Quod habet locum, etiamsi matrimonium non sit consummatum. Eamdem pœnam incurrunt contrahentes matrimonium in gradu consanguinitatis prohibito, vel cum Moniali. Et idem est, si professus, vel professa, vel constituti in sacris contrahant matrimonium. *C. un. h. t.* ab hac tamen censura excusat, non solùm ignorantia probabilis, & facti, sed etiam juris, & crassa; dum non sit affectata: & etiam


gra-

gravis metus, quo quis fuit inductus ad matrimonium. Qui verò nomine alieno contrahit: v. g. Procurator, vel qui non contrahit, sed mandat, vel adjuvat, vel qui bona side contraxit, & posteà scientèr in matrimonio, & ejus usu perseverat, non incurrunt hanc excommunicationem. *Sanch. de Matrim. L. 7. D. 48.*


128 Nunc Arborem consanguinitatis, & affinitatis ob oculos apponere decrevi, ut sic facilius lineæ, & gradus percipiantur; nam ut alter Poeta ajebat *segnius irritant animos demissa per aures, quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.* In cellula vacua collocatur ille, de cujus consanguinitate, vel affinitate inquiritur. Et ab aliquibus *homo hypotheticus* apellatur, eo quod pro exemplo ponatur; ab aliquibus *Protheus*, dicitur, quia diversas personas maris, scilicèt, & fœminæ, patris, & filiorum, & aliorum gerat. A nobis verò nomine *Petrucii* cum Joanne Andrea vocandus est. In ea ergo cellula collocatur, vir, vel fœmina, de cujus consanguinitate, vel affinitate agitur. V. g. si de Petro dubitetur, an possit contrahere cum Maria: & in aliis suo ordine, patrem, matrem, avum, aviam, fratrem, sororem ipsius Petri collocare debes. Et ipsa cellula, ubi Maria inveniatur, tibi quasi digito monstrabit gradum, & lineam consanguinitatis, & affinitatis utriusque. Si verò in nulla ex prædictis cellulis reperiatur Maria, certè possunt liberè contrahere, quia non inveniuntur in gradu prohibito, quippè non habent communem stipitem in Arbore, ac proindè extra quartum gradum sunt. Communis stipes est illa persona, in qua sponsi proximè conveniunt: v. g. Si sunt patrueles filii ex duobus fratribus, avus erit communis utriusque stipes, quia, ex avo, quasi ex trunco, vel radice duo fratres, quasi duo rami oriuntur, & ex fratribus nascuntur nepotes, qui inter se patrueles sunt: Proavus etiam erit communis stipes, non tamen proximus, sed remotus, cum prius, quam in proavo in avo illi duo rami jungantur. In qualibet cellula est numerus graduum. Et quidem numerus, qui est in parte superiore gradum Canonicum: numerus, qui est in parte inferiori cellulæ gradum Civilem significat. Et ut nihil desit, quod tuæ possit commoditati deservire, etiam nomina consanguineorum, & affinium cujuslibet gradus, Latinè, & Hispanè adjungam.

AR-


Ascendentes.



Nomina consanguineorum sunt sequentia : in linea recta ascendente sunt in primo gradu. Pater, Padre—Mater, Madre. 2. Avus, Abuelo. Avia Abuela.—3. Proavus, Bisabuelo.—Proavia, Bisabuela. 4. Abavus, Tatarabuelo. Abavia, Tatarabuela. Descendentes in linea recta sunt sequentes in 1. gradu : Filius, Hijo. Filia, Hija. 2. Nepos, Nieto. Neptis, Nieta. 3. Pronepos, Biznieto. Proneptis, Biznieta. 4. Abnepos, Tataranieto. Abneptis, Tataranieta. Consanguinei in linea transversali sunt sequentes. 1. Frater, Hermano. Soror, Hermana, sivè sint Germani, sivè consanguinei, sivè uterini. 2. Patruus, Frater, Patris.—Tio—Amita, Soror Patris—Tia—Avunculus, Fratrer, Matris—Tio—Matertera, Soror Matris—Tia.—3. Magnus patruus, Fratrer Avi—Tio segundo—Magna Amita—Soror Avi—Tia segunda.—4. Propatruus, Frater proavi—Tio tercero—Magna proamita, Soror aviæ maternæ—Tia tercera—Proavunculus, Frater proavi materni—Tio tercero—Magna promatertera, Soror proaviæ maternæ—Tia tercera. Consanguinei tamen, qua parte descendunt sic enumerantur. In 1. gradu sunt Fratres Germani, & consanguinei, & uterini—Item Sorores Germanæ, & consanguineæ, & uterinæ.—2. Patrueles, seu Fratrum liberi—Consobrini, seu Sororum liberi—Amitini, seu Fratris, & Sororis liberi.—3. Patruelium liberi—Consobrinorum liberi—Amitinorum liberi.—4. Patruelium, Nepotes, & Neptes—Consobrinorum Nepotes, & Neptes—Amitinorum Nepotes, & Neptes. Quæ omnia latè habentur in *c. 2. c. 6. 35. q. 5. L. 3. tit. 6. p. 4.* & latissimè *in L. 10. ff. de Gradibus.*




ARBOR AFFINITATIS.



129 Affines in primo gradu sunt sequentes, in linea recta ascendente socer: uxoris, vel Mariti pater, Suegro = Socrus: uxoris, vel Mariti Mater = Suegra = Vitricus: vir Matris, Padrastro = Noverca: uxor patris Madrastra. = In linea recta descendente. *Gener*: Maritus filiæ: Yerno. = Nurus: uxor filii: Nuera = Privignus: filius ex alio conjuge: Hijastro. = Privigna: filia ex alio conjuge: Hijastra. = Privignus: etiam is dicitur, qui vulgo conceptus ex ea natus est, quæ posteà alii nupsit. *Hispanè*: *Entenado* = In linea obliqua sunt Levit: mariti, frater, *Cuñado* = *Gloss.* Mariti Soror: Cuñada. = Uxorius: uxoris frater, Cuñado = Fratria: Fratris uxor, Cuñada. = Sororius: Sororis Maritus, Cuñado. Congeneri: duarum uxorum mariti, Concuños. = Janitrices: duorum fratrum uxores Concuños.

Et licèt quando distantia est inæqualis sola remotior gradum consanguinitatis constituat, tamen, quia in dispensationibus ex dispositione S. Pii V. Explicari debet gradus stipiti proximior ex sequenti schemate hoc facile percipies.



In hoc ergo schemate, Joannes, & Maria sunt in primo gradu, ut ibidem assignatur. At verò Joannes, cum Magdalena, quæ est remotior à Petro stipite, est in primo secundo; quippè Magdalena duobus gradibus à Petro stipite distat, eodem stipite dempto. Joannes ipse cum Rosa est primo gradu in tertio conjunctus: cum Margarita, primo in quarto. Cum Lucia, primo in quinto; ac proindè impedimento Ecclesiastico caret, consequentèrque, nec primus gradus debet exprimi, nex est necesaria dispensatio: quia cognatio extra quartum gradum non consideratur ab Ecclesia. Similiter Philippus est secundo gradu in tertio conjunctus cum Rosa; secundo in quarto cum Margarita; secundo in quinto cum Lucia, ac proindè sine impedimento. Antonius est tertio in quartu gradu conjunctus cum Margarita. Tertio in quinto, ac proindè in nullo conjunctus cum Lucia. Bernardus est quarto in quinto gradu, ac proindè in nullo conjunctus cum Lucia. Josephus cum filia Luciæ in nullo gradu, qui in matrimonium impediat est conjunctus, siquidem, nec cum Lucia est conjunctus in gradu, qui de Jure Ecclesiastico impediat matrimonium. Idem quod dictum est de viris eos ad fœminas comparando, de fœminis relatè ad viros dicendum est.

TIT. XV.

De Frigidis, & maleficiatis, & impotentia coeundi.

130 HÆC materia ob ejus lubricitatem cautè est tractanda, & *tantum ne noceat, dum vis prodesse, videto.* Duplex potest considerari impotentia alia generandi ex vitio accidentali, vel naturali proveniens, ita ut etiam supposita copula perfecta per veram seminationem viri intra vas fœminæ, non sequatur generatio: sic steriles, & senes perfectè possunt coire, & seminare, ac proindè fient una caro, licèt non possint generare, ex defectu seminis natura sua prolifici, aut fœcundi. Et quidem præsens Rubrica non loquitur de hac impotentia; steriles enim cum sint copulæ conjugalis capaces, etiam matrimonium contrahere possunt, cum in ipso obtineatur finis secundarius matrimonii, qui est remedium concupiscentiæ, licèt non obtineatur primarius in prolis generatione consistens. *D. Thom. in* 3. *p. Suppl. q.* 58. *art.* 1. *ad* 3. Sic validum fuit matrimonium inter Zachariam, & Elisabeth, licèt steriles essent. *Luc.* 1. *v.* 6. Nec Ecclesia ullum matrimonium ob sterilitatem dissolvit. *D. Thom in* 4. *D.* 34. *q. un. art.* 2. *ad* 3. *Sanch. de matrim. lib.* 7. *D.* 92. *n.* 26. Similiter senes, si verum possint emittere semen, possunt contrahere; quia licet tale semen sit regulariter infœcundum, hoc per accidens est ex defectu caloris, qui arte Medica potest juvari. Nam Uladislaus Rex Poloniæ, cum nonagenarius esset, habuit filios Uladislaum, & Casimirum. Adeòque Jure Canonico, & Civili sunt correctæ Leges Julia, & Papia, quæ viros sexagenarios, & fœminas quinquagenarias à matrimonio excludebant. *c.* 14. 27. *q.* 1. *L.* 27. *C. de Nuptiis.* Si verò, ita exhausti sint, ut copulam nequeant habere, nec ad eam nulla arte juvari, invalidum erit eorum matrimonium. Cum non possunt ad copulam, ut potè ipsis impossibilem obligari. *Barbos. in c.* 2. *h. t. n.* 6. *Sanch. de Matrim. L.* 7. *D.* 92. *n.* 24. Etiam in articulo mortis constitutus potest matrimonium contrahere, sic testante praxi Ecclesiæ, tùm ut filii habiti ex concubina legitimentur; tùm ad consulendum infirmi saluti spirituali. In ipso namque vera est potentia, licet per accidens sit impedita *Sach. de Matri. L.* 7. *D.* 105. *n.* 3. Nec est impotens, qui partem seminis, licèt non totum potest in vas feminæ fundere. Nam hoc sufficit, ut fiant una caro, & valeat matrimonium. Similiter mulier, quæ semen intra vas potest recipere, licet non possit retinere, validè contrahit: sterilis censetur, non tamen impotens. Si mulier nequeat parere sine vitæ periculo, vel non nisi fœtum mortuum, cum apta sit ad copulam, validè contrahit: Imo, & licitè, si alias adesset periculum succubendi tentationibus carnis. Si verò non adesset, illicitè faceret talis mulier se mortis periculo exponendo. *Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 92. *n.* 28.

131 Impedimentum ergo dirimens, & de quo præsens Rubrica inteligitur tantùm est impotentia coeundi, quæ ex vitio naturali, vel accidentali impedit carnalem comixtionem maris, ac fœminæ, quæ fit per vasis fœminei penetrationem, & seminis in illud effusionem. Nec sufficit, ut detur potentia coeundi, quod erigatur membrum virile, & quod poscit claustra virginea aperire, ut patet in Eunuchis, qui licèt posint cum fœminis carnaliter commisceri, non habent potentiam coeundi, cum non possint seminare: quamvis emittant humorem aqueum à ratione seminis omninò diversum. Nec sufficit, quod vir possit semen ex languido membro effundere, si non erigatur, ita ut possit cum fœmina commisceri, ita ut fiant duo in carne una. *Ponz. de Matr. lib.* 7. *cap.* 60. *n.* 3. Impotentia alia est *naturalis*, alia *accidentalis. Naturalis* est, quæ ab ipsa natura procedit, & est, quasi congenita homini. v. g. si membris ad copulam necessariis careat, vel ea habeat improportionata: & hæc regulariter est perpetua. *Accidentalis* est, quæ ex aliquo accidenti provenit. V. g. ex castratione, vel ex intemperantia humorum per excessum frigoris, sicitatis, caloris, vel humiditatis, vel etiam ex morbo maleficio dœmonis, vel arte hominum. Deindè impotentia alia est *absoluta*, quæ scilicèt, cum omnibus personis alterius sexus impedit commixtionem carnalem: quæ provenit ex defectu partium genitalium maris, quia caret testibus, vel semine, vel si ipsis non careat, habeat tamen testes, & semen ineptum: vel quia ob malam conformationem partium non potest penetrare vas femineum: vel provenit ex temperamento nimis frigido, ita ut ex

defectu spirituum ad copulam, & seminationem excitantium non possit coire, vel ex temperamento nimis calido, ita ut semen effundat nimis propere, ante quam vas penetret. *D. Thom. in* 4. *D.* 34. Vel etiam provenit ex fœminæ arctitudine, si ita arcta est, ut semen recipere nequeat intra vas: vel etiamsi ex nimia fœminæ latitudine nequeat cognosci, ut defacto accidisse testatur *Joan Andr. apud Greg. Lop. in l.* 2. *tit.* 8. *p.* 4. V. *Tan estrecha.* Vel ex maleficio dœmonis, vel ex intemperie aëris, morbo, & aliis causis extrinsecis. *L.* 1. *& seqq. tit.* 8. *p.* 4. *& ibid. Greg. Lop. Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 92. *& seqq.* Latè *Paulus Zachias in QQ. Medico Legal.* Impotentia tamen aliquando est tantum *respectiva*, quæ scilicèt, respectu alicujus, vel aliquarum, non verò respectu omnium personarum diversi sexus commixtionem carnalem impedit. Et hæc provenit ex maleficio, ut certæ personæ non possint commisceri. *L. fin. tit.* 8. *p.* 4. Vel ex improportione partium genitalium utriusque, vel ex dispositione corporum, & humorum, ex passione animi, ex odio; v. g. Imò, & amore nimio. Alia est *temporalis*, quæ scilicèt, auferri potest per media naturalia, & licita, sine miraculo. *c.* 6. *h. t.* Et hæc provenit ex defectu, vel excessu ætatis, quia persona, vel nondum est apta; ut in impuberibus accidit: vel jam non est apta ad copulam, ut in decrepitis contingit. *L.* 2. *tit.* 8. *p.* 4. Alia est *perpetua*, quæ scilicèt, non potest tolli per media naturalia, & licita, sed solùm per miraculum, vel artem Magicam, aut cum periculo, & damno vitæ. *c.* 6. *h. t.* ibi: *Nos attendentes, quod impedimentum illud, non erat perpetuum, quod præter divinum miraculum per opus humanum, absque corporali periculo potuit removeri.* V. g. si vir esset frigidæ naturæ, vel fœmina sit adeò arcta, ut non possint commisceri. *L.* 2. *tit.* 8. *p.* 4. non tamen censetur perpetua, quæ solùm tolli potest per morbum gravem, & molestum, dùm tamen sit sine vitæ periculo, *c.* 6. *h. t.* ut contra *Sylvest. & alios* tenent *Sanch. L.* 7. *D.* 93. *n.* 18. *Et alii apud ipsum Barbos. in c.* 6. *h. t. n.* 13. Qui caret testibus, vel à natura, vel ex accidenti, ut Eunuchi, castrati utroque teste carentes sunt impotentes. Nam licèt possint vas fœmineum penetrare, & aliqualem humorem fundere, non habent verùm semen generationi aptum, ac proindè nequeunt matrimonium contrahere, cum finem primarium matrimonii nequeant obtinere, quin nec secundarium, qui est concupiscentiæ remedium: nam hic finis, non per quacumque commixtionem, sed per copulam ex se ad generationem aptam debet haberi. Et sic contra plures antiquos tenent, tale matrimonium esse invalidum. *D. Thom. Joann. Andr. Toled. Sanhc. de Matrim. lib.* 7. *D.* 92. *Gonz. in c.* 5. *h. t.* & habetur expresse *in L.* 6. *tit.* 2. *L.* 4. *tit.* 8. *p.* 4. *& ibid. Greg. Lop.* Et hoc denique declaravit *Sixt. V. ann.* 1587. *in Constit. Cum frequenter.* Spadones, qui uno tantum testiculo carent, sunt potentes; siquidem in eo testiculo remanet unita virtus duorum ad generandum. Tlibii, seu Thialii, quibus testiculi sunt attriti, possunt aliquando verum semen emittere: ac proinde contrahere. Curatus ab hernia perfectionem, ita ut uterque testiculus sit reconditus in inguine, & cum visceribus insutus potest contrahere. Eunuchi, de quibus legitur, contraxisse matrimonium, non erant castrati: sed per Eunuchos in scriptura intelliguntur quidam Ministri Regii. *Lacr. lib.* 6. *p.* 3. *n.* 789. *& alii.* Sanè: non solum impotentia absoluta, sed etiam respectiva potest esse perpetua, quando inter tales personas non potest tolli impedimentum aliquo medio naturali, & licito; v. g. si fœmina sit arcta, & vir sit valdè pinguis; ita ut illa posset alii viro minùs pingui, & ille alii fœminæ magis latæ conjungi, & commisceri. Et videtur haberi in *c.* 6. *h. t.* Et clarius in *L.* 3. *tit.* 8. *p.* 4. ibi. *Porque paresce manifiestamente, que el embargo, que era entre ella, è el primer marido, duraba por siempre. Scot. Henriq. Valent. Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 93. *n.* 5. *Ponce, lib.* 7. *cap.* 61. *n.* 2. contra *D. Thom. in* 4. *D.* 34. *q. un. art.* 2. *ad* 5. *Et ibid. D. Bonav. Innoc. Sylv. Sot. & alios.* Si vir vas fœmineum penetrare non potens, in introitu illius semen effundat, cujus pars aliquando per accidens attrahatur à matrice, & intromittatur, cum talis seminatio per se non sufficiat, ut tales conjuges modo naturali una caro fieri censeantur, adhuc impotens credendus est. *Lacroix, lib.* 6. *p.* 3. *n.* 793. Ego tamen non auderem, tales separare, nec matrimonium declarare nullum, cum possit uterque finis ipsius per talem copulam obtineri.

132 Aliquando impotentia antecedit matrimonium, aliquando subsequitur: in dubio tamen præsumitur præcessisse; *arg. c. fin. h. t.* Nam ex præsenti præ-

præsumitur præteritum ; *arg. c. 3. c. 6. c. 9. de Præsumpt.* Nec talis præsumptio nocet favori matrimonii : siquidem tunc ex eo nequit sequi ejus finis, scilicèt bonum prolis, nec concupiscentiæ remedium. Sic. *Hostiens. Abb. Joann. Andr. Sylv. Henriq. Laym. L. 5. tr. 10. p. 4. cap. 11. n. 3. Gaeta, & Greg. Lop. in L. 5. tit. 8. p. 4.* V. *De tal embargo* ubi ex *L. 4.* antecedenti probat, quod impedimentum in dubio præsumitur præcesisse contra *Castropal. tr. 28. D. 4. p. 14. §. 7. num. 5. Sanch. de Matr. L. 7. D. 103. Butrio, & alios variè sentientes.* Impotentia superveniens non solùm matrimonio consummato, sed etiam tantùm rato, ipsum non dirimit. *c. 18. 32. q. 5. c. 25. 32. q. 7.* quia indissolubile est, & matrimonium ratum solvitur quoad vinculum, solùm per professionem Religiosam, & dispensationem Pontificis, ut expressè habetur *in L. 4. tit. 8. p. 4. & D. Bonav. in 4. D. 34. art. 2. q. 2. & Scot. ibid. Sanchez de Matrim. lib. 7. D. 102. n. 3. Castropal. & alii. Et text. in c. 3. h. t. & in c. 18. 32. q. 7.* In quibus matrimonium contractum ob impotentiam dissolvitur, inteliguntur de impotentia ante matrimonium. Nam licèt matrimonium nequeat cum tali impotentia contrahi, potest cum ea perseverare : facilius enim jura conservantur, quam adquiruntur ; *arg. L. 8. ff. de His, qui sui. c. 25. 32. q. 7.* Et quidem si impotentia tantum sit ad generationem, cum obtineatur finis matrimonii secundarius, scilicèt, remedium concupiscentiæ : conjungibus licet usus matrimonii perindè, ac si nullam haberent impotentiam, adeò ut mulier, quæ fœtum semper mortuum, & cum vitæ periculo ederet, potest reddere, & petere debitum. *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 102. ex n. 72.* Imò & tenetur marito petenti reddere ex obligatione ipsius contractus, aliàs gravissimè maritum deciperet, invitum obligando ad reddendum sine jure petendi : nisi bona fide contraxisset, & velit á marito, quoad torum separari. Si impotentia coeundi certa sit, conjugibus licent tactus non impudici ; oscula, amplexus, &c. in amoris signum, etiamsi per accidens sequatur pollutio, quæ non imputatur jure suo utenti, dùm absit consensus in illam. Si hæc impotentia proveniat ex testium, vel seminis defectu, licet conjugibus petere, & reddere ; quia per accidens est non posse verum semen effundere, & obtinetur finis secundarius matrimonii, qui est sedare concupiscentiam. *Sanch. de Matim. lib. 7. D. 102. ex n. 6.* Si tamen cum potentia seminandi conjugatur impotentia fundendi, vel recipiendi semen in utero fœmineo, vel quia fœminea valdè arcta sit; vel quia vir sit truncatus membro virili, vel quia hoc habeat foramen, quo semen effundatur, vel alia simili causa : tunc non licet coitus, quippè cum extra vas semen effundatur esset pollutio, quæ nullo modo cohonestari valet. *Sanch. de Matr. lib. 9. D. 17. ex n. 18.* Si impotentia est dubia, quandiu est spes posse perficere, licet copulam procurare, quamvis per accidens, & præter intentionem sequatur seminatio extra vas, quæ conjugibus non imputatur ad culpam, quia suo jure utuntur. *Sanch. de Matrim. lib. 9. D. 17. n. 20.*

133 Impotentia coeundi, sivè accidentalis, sivè naturalis, vel absoluta, vel respectiva, si sit perpetua dirimit matrimonium. *c. 1. & seqq. h. t. c. fin. 33. q. 1. Sum. Pontifex. Sixt. V. in motu proprio. Cum frequenter. 27. Jun. 1587. L. 2. tit. 8. p. 4.* Quippè de essentia matrimonii est tradere jus saltem remotum ad copulam conjugalem, per quam fiant conjuges una caro. *Gen. 2. v. 24. Et 1. Cor. 7. v. 3. Uxori vir debitum reddat : similiter autem, & uxor viro : mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir.* Et cum hoc impotenti, semper, & ubique, saltem respectu illius conjugis, impossibile sit, non potest se ad hoc obligare : nam impossibilium nulla est obligatio. *L. 85. ff. de Reg. jur. c. 6. eod. in 6.* Et hæc ratio probat, Jure Naturali esse nullum tale matrimonium, ut tenent *D. Thom. in. 4. D. 34. q. un. art. 2. ad 1. D. Bonavent. & Scot. ibid. Abulens. Sylv. Palacios, Barbos. in c. 2. h. t. n. 2. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 98. n. 27. Ponc. L. 7. cap. 60. n. 1. & alii* contra *D. Antonin. 3. p. tit. 1. cap. 15. §. 3. Plaud. Major. & Armil.* qui defendunt, jure tantùm Ecclesiastico impotentiam dirimere matrimonium. Quod si mulier, quæ contraxit cum impotentia perpetua per miraculum sanetur, adhuc est nullum matrimonium, nisi novo consensu renovetur. Nam quod ab initio vitiosum est tractatu temporis non convalescit. *L. 29. ff. de Regul. jur. c. 18. eod. in 6.* similitèr si arctitudo fœminæ sanari possit perfectionem cum periculo vitæ, & ipsa sit parata sectionem pati, adhuc est nullum matrimonium ex impotentia. *c. 6. h. t. L. 2. tit. 8. p. 4.* Nec maritus eam sectionem expectare tenetur, sed potest separationem petere : ac deindè

aliud

aliud conjungium inire. *Sanch. de Matr. L. 7. D. 93. n. 20.* si mulier, quæ videbatur arcta fiat Religiosa, & ejus conjux contrahat aliud matrimonium, etiamsi posteà appareat mulier potens, sustinetur secundum matrimonium, quia primum, utpotè ratum tantùm per professionem dissolutum est. *c. 2. c. 7. de Convers. conjugat.*

134 Impotentia temporalis, undecumque proveniat, non dirimit matrimonium. *c. 6. h. t.* Nam ea non reddit conjuges incapaces absolutè ad copulam conjugalem, ad quam se obligant, sed tantum ad tempus, sicut potest se obligare ad solvendum, qui de præsenti non est solvendo, si spes sit, posse in futurum solvere. Et etiamsi talis impotentia ignoretur ab altero contrahent: posset tamen talitèr impotentes peccare, eam impotentiam, si diu esset duratura, non detegendo comparti: secus si aliundè jam contrahens sciret: quia qui certus est non indiget certiorari. *c. 31. de Reg. jur. in 6. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 92. ex n. 2.* Hinc, si maleficium non potest tolli, nisi per miraculum vel aliud maleficium, quia tunc impedimentum censetur Perpetuum, dirimit matrimonium. *c. fin. 33. q. 1. L. fin. tit. 8. p. 4.* si tamen potest tolli per exorcismos Ecclesiæ, vel alio modo licito, est temporale, & non dirimit. In dubio censetur perpetuum, si post experientiam triennalem non potuerunt conjuges copulam habere. *c. fin. h. t. D. Thom. in 4. D. 34. q. un. art. 3. ad 3. & D. Bonav. ibid. D. Anton. Abul. Palac. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 94. ex n. 8.* Si arctitudo fœminæ absque periculo vitæ, & mediis licitis potest tolli, cum hæc impotentia ex se temporalis sit, subsistit matrimonium, quamvis fœmina curationem renuat. Si Medici dubitant, an sit periculum vitæ, subesse tale periculum censendum est. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 93. n. 15.*

135 Qui cum impotente contraxit; sivè ingrato, sivè cognito ab altero, vel utroque conjuge impedimento, non tenetur in matrimonio permanere, adhuc in vita sociali. Nam cum contrahentium mens esset se ad matrimonium obligare, non tamen ad vitam socialem: non debet extendi obligatio ultra eorum intentionem; *arg. L. 19. ff. de Reb. Credit.* Nec enim præsumitur, eos voluisse facere talem conventionem, qua valeret ad vitam socialem ea obligatio, si ad matrimonium valere non potuit: cum hæc præsumptio obligationem valdè onerosam, & periculosam induceret *Sanchez de Matrim. lib. 7. D. 97. n. 10. & 12.* Possunt tamen, si communi consensu velint, habitare in matrimonio, non ut conjuges, sed ut fratres. *c. 4. c. 6. h. t.* dùm absit periculum incontinentiæ. Nam cum conjuges non sint, eis non licet id, quod aliis solutis non liceret. Quod si hoc periculum subsit, ut regularitèr est in juvenibus, authoritate Ecclesiæ sunt separandi. Et ita decrevit *Sixtus V.* motu proprio circa matrimonia Eunuchorum edito. *L. 1. tit. 9. p. 4. & ibid. Gregor. Lopez, Sanch. de Matr. L. 7. D. 97. n. 4.* Quando à principio cognita impotentia in socialem vitam conveniunt, ad mutua obsequia tenentur, secluso tamen semper incontinentiæ periculo: quin etiam verum iniri matrimonium asserunt. *D. Antonin. Magist. Sent. in 4. D. 34. cap. 1. Medin.* quibus favet *D. Thom. in 4. D. 34. q. un. art. 2. ad 4. & clariùs in 3. p. q. 29. art. 2.* & latè propugnat *Ponce de Matr. L. 7. ex cap. 56.* matrimonium tamen non esse constat ex *c. 4. h. t.* ubi dicitur, viros, qui cum arctis, & impotentibus contraxerunt, non posse eas, ut uxores habere. Et motus proprius *Sixti V.* circa Eunuchos plurimum huic sententiæ favet. Et habetur in *L. 1. tit. 9. p. 4. Pero si quisieren callar su embargo, è vivir en uno, non como marido, è muger para ayuntarse carnalmente, mas como hermanos puedenlo facer, Et ibid. Gregor. Lop.* Nam matrimonium natura sua ordinatur ad propagationem generis humani. *Gen. 2. v. 24. c. 12. 31. q. 1. c. 11. Præsumpt. D. Thom. in 3. p. q. 29. art. 2.* & debet dari mutua traditio inter conjuges incorpora ipsorum ad actus conjugales: quæ traditio est imposibilis eis, qui physica impotentia laborant. *Ita Abul. in 3. Reg. c. 2. q. 26. Soto, Valent. Toled. L. 7. Sum. cap. 12. n. fin. Sylv. Navarr. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 97. n. 2.* Et sanè B. Virgo saltem virtualitèr consensit in obligationem suum corpus tradendi ad actus conjugales, si exigerentur; sed quia ex Divina revelatione erat certa, non esse exigendos, erat absque omni periculo violandi votum. *c. 3. 27. q. 2.* Et hac ratione verum fuit ejus matrimonium cum B. Josepho, ut ait *D. Thom. in 3. p. q. 29. art. 2.* Qui dubitat, an potens sit, nequit licitè contrahere matrimonium, antequam deponat dubium, quoniam injuriam infert Sacramento, illud periculo nullitatis exponendo; & etiam con-

conjugi, cui se obligat ad actus, de quibus rationabiliter dubitat, an fornicarii, an conjugales sint. *Sanch. de Matr. L. 7. D. 103. n. 10.* contra *Palacios.* Si tamen hoc dubium stante defacto contraxerunt: etiam cum mala fide ex utraque parte, cum discuti necesse sit, an valeat, vel non tale matrimonium, & non possit alio modo exquiri, quam habita copula; siquidem nondum constat de impotentia, licèt sic contrahentibus copulam habere, tàm reddendo, quàm petendo. *Sanch. de Matrim. L. 7. D. 103. n. 10.*

136 Quando ex maleficio procedit impotentia, nullomodo potest alio maleficio tolli: quia maleficium est intrinsecè malum, *cap. 7. 26. q. 2.* & non sunt facienda mala, ut eveniant bona, juxta *Apost. ad Rom. 3. v. 8. cap. 2. de Sortilegiis. D. Thom. in 4. D. 34. q. unic. art. 3. ad 3.* & quamvis *in L. 4. C. de Malef.* & in *L. 3. tit. 23. p. 7.* permittantur uti arte Magica ad tollenda maleficia impotentiam inducentia, intelligitur tantum in foro externo, & civili, quatenus tale delictum non punitur. *Greg. Lop. ibid.* ac proindè, non licet à maleficio maleficii destructionem petere, quamvis ipse paratus aliundè esset ad solvendum maleficium maleficio. Nam esset ejus peccato cooperari, ut contra *Aurel. & Angel.* docent *Albert. Magn. Sylv. Soto, Palac. Delrio, lib. 6. Disquis. Magic. cap. 2. sect. 1. Navarr. Covarr. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 95. n. 7. & comm. DD.* sed debet recurri ad remedia spiritualia, & supernaturalia, scilicèt, orationem, Dei invocationem, exorscismos, & alia hujusmodi, *cap. fin. 33. q. 1.* Aliquando tamen accidit, quod sine novo maleficio, sed precisè destruendo, vel removendo signum, cui alligata est impotentia ex Dæmonis maleficio, possit restitui potentia: & tunc licitum est tale signum tollere, vel petere à maleficio ejus destructionem, cum hanc, sine novo peccato, & maleficio possit præstare. Nec remotio est ex se mala, nec ex fine, quia non fit animo communicandi cum Dæmone, vel eum invocandi, sed præcisè removendi impedimentum. Et sic potest intelligi. *L. 3. tit. 23. p. 7.* Imò Judex, & Confessor ad talem remotionem deberent in utroque foro maleficum obligare. *Scot. in 4. D. 34. q. un. Cajet. Sylv. Navar. Sanc. de Matrim. lib. 7. D. 96. num. 3. Gonz. in cap. 5. h. t. n. fin. & alii.* Non tamen licet hoc maleficium tollere per remotionem signi, in qua nempè novum pactum esset inclusum ad restituendam potentiam. Nam tunc remotio signi esset secundi pacti approbatio, & usus. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 69. n. 1. Gonz. in cap. 5. h. t. num. fin.* Quando maleficus potest uti mediis licitis ad removendum maleficium, potest impotens petere ab eo maleficii destructionem, quamvis petenti constet, eum medio illicito usurum. Hæc namque culpa ipsi malefico est imputanda, non tamen petenti: sicut licet ab infideli juramentum, ab usurario mutuum petere, licèt petenti constet, infidelem juraturum esse per falsos Deos, & usurarium sub usuris mutuaturum; *arg. cap. 6. de Jur. jurand.* ita contra *Cajet. & Delrio*, tenent *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 95. n. 12. & alii.* Quando verò dubitatur, an maleficus possit tollere malleficium aliquo modo licito, cum præsumptio sit contra eum, non licet ab eo petere maleficii destructionem, nisi petens certus sit, illum aliquod medium licitum habere. *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 95. n. 13.*

137 Si impotentia proveniat ex arctitudinæ fœminæ, & hæc arctitudo per incisionem sine periculo mortis tolli possit; vel saltem sine periculo gravissimæ infirmitatis tenetur mulier talem incisionem pati, etiamsi gravis molestia, vel dolor sequi debeat: quia fortè aliquo cauterio sit utendum, obligatione resultante ex matrimonio, quod validum est: siquidem impotentia non est perpetua, & mulier tenetur se reddere aptam ad usum conjugalem, ut non privet maritum jure suo. Sic contra *Durand. Palac. Ponc. de Matr. L. 7. cap. 62.* tenent *Soto, Henriq. Rodrig. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 93. n. 32. secuti D. Thom. in 4. D. 34. q. 1. art. 2. ad 5.* ibi: *Si non possit implere carnalem actum cum Virgine, & possit cum corrupta, tunc medicinaliter aliquo instrumento posset claustra pudoris frangere, & ei conjungi: nec esset hoc contra matrimonium, quia non fieret ad delectationem, sed ad medicamentum.* Si non possit talis arctitudo sine periculo mortis, vel gravissimæ infimitatis tolli, non tenetur mulier incisionem pati, nec cum tali periculo censetur ad debitum conjugale teneri. Nec hanc incisionem tenetur pati cum periculo mortis, vel gravissimi morbi, ut oblato virgineo signaculo apta reddatur virili congressui. Tenetur tamen eam pati, si mortis periculum, vel gravissimi morbi non timeatur, licèt cum magno dolore, & molestia debeat fieri, etiamsi ex parte viri hic defectus con-

consurgat, quia est sine ejus culpa, & naturali ejus imbecillitati nequit mediri, nisi reddendo fœminam ipsi aptam. Ita contra aliquos tenent *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 93. n. 34. & alii.* Et probatur *ex L. 2. tit. 8. p. 4.* ibi: *Las mugeres, que son tan estrechas, que por maestrias que les fagan sin peligro grande de ella, &c. & ibid. notat. Greg. Lop.* Si divortio facto ob arctitudinem fœminæ, hæc contrahat cum alio, & ab ipso carnalitèr cognoscatur, debet restitui primo, quippè creditur, non fuisse impotentem talem fœminam; nisi ex inspectione membri utriusque viri constet, primum numquam, se solo potuisse illam cognoscere, quia tunc respectu primi viri fuit nullum matrimonium: quoniam laborabat impotentia perpetua. *L. 3. tit. 8. p. 4.* Deindè. Hermaphroditus, qui utroque sexu præditus est, potest matrimonium contrahere secundum sexum, in quo potens est ad copulam: quod si secundum utrumque potens absolutè sit, licèt in aliquo sit debilior ejus potentia, in electione ejus erit secundum masculinum cum fœmina, vel secundum fœmineum cum mare contrahere. Profecto ut *Ovidius* ait de Salmace, & Hermaphrodito: *Nec duo sunt, sed forma duplex: nec fœmina dici, nec puer, ut possit, neutrumque, & utrumque videtur.* Sed uno electo, altero nequit uti: imò debet sub juramento alteri renuntiare; *arg. cap. 5. de Cleric. conjugat.* Nam valdè indecens esset, ut nunc uno, nunc altero sexu uteretur. Si dubium est, qualis prævaleat, à Medicis, & peritis ex inspectione judicandum erit: vel potius ejus dicto standum est. *L. 10. ff. de Statu homin. Barbos. in cap. 2. h. t. num. 5. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 106. n. 1. & 6.* Quod si Hermaphroditus contraxit, ut fœmina, quia prævalebat in sexu fœmineo, posteà autem prævaleat sexus virilis, ita ut non possit coire, ut mulier; sed tantùm ut vir, finitur matrimonium, quamvis consummatum: sicut per mortem finiretur, siquidem inter duos viros nequit matrimonium consistere: ac proindè uterque posset tamquam vir cum alia contrahere. *Lacr. lib. 6. p. 3. num. 801. Aversa, & alii.* Quod à fortiori dicendum est, si vir mutetur in fœminam, vel fœmina in virum convertatur, ut aliquoties accidisse dicitur, & de quo latè agi *Verricell.* Sanè Poetæ bis sexum mutasse Tiresiam decantant: *Venus huic erat utraque nota: deque viro factus (mirabile) fœmina septem egerat autumnos:::: percussis anguibus iisdem, forma prior rediit, genitivaque venit imago.*

138 Matrimonium, quod impotentia obstante contractum est, cum nullum sit, dissolvi debet: non tamen authoritate propria conjugum ob arduitatem materiæ: & ne detur occasio collusioni, & dissolutioni matrimoniorum, sed authoritate Ecclesiæ; *arg. cap. 3. de Divort.* interim tamen si impotentia certa est, debent ab attentatione copulæ: imò, & à tactibus abstinere. Sanè potest adversus matrimonium reclamare, non solùm vir, etiamsi ipse sit impotens, sed etiam fœmina impotens, ut contra aliquos tenent *D. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 12. §. 1. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 114. in fin.* Et habetur in *L. 6. tit. 8. p. 4.* quia ipsius interest separari à viro non suo, nec ipsi subjici, & dotem recuperare. Et regulariter, quocumque tempore audiuntur; præcipuè, quando uterque impedimentum fatetur, & quando signa impotentiæ manifiesta sunt, *cap. 6. cap. fin. h. t.* Quod si forte post aliquos annos; imò, & post duos menses mulier reclamet, marito impedimentum negante: tunc ipsa non auditur, sed potius viro, quia est caput familiæ sub juramento creditur, *cap. 1. h. t. l. 6. tit. 8. p. 4.* At verò concedendum erit triennium ad experientiam impotentiæ. Et sic concordantur *textus in cap. 1. cap. 6. cap. fin. h. t.* qui prima facie oppositi apparent. *Barb. in cap. 1. h. t. n. 8. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 109. n. 11. & 14. Ponce, & alii.* Et quamvis *in L. 6. tit. 8. p. 4.* dicatur, quod mulieri non est concedendum triennium, nec audiendam, notat *Gregor. Lop. V. Ni debe ser oida*, quod hoc intelligitur, nisi ipsa, per certa signa ostendat frigiditatem viri: nam cum hæc Lex fundetur in præsumptione propter taciturnitatem ista præsumptio per aliam fortiorem præsumptionem elidetur.

139 Ut Judex possit matrimonium nullum declarare ob impotentiam, debet hæc plenè probari. Et quidem regulariter ad hanc probationem debet fieri corporum inspectio per Medicos, & obstetrices, *cap. 4. cap. 5. 27. q. 1. cap. 6. cap. fin. h. t. cap. 4. cap. 14. de Probat. L. 3. tit. 8. part. 4.* Sanè Medici inspectionem viti facient, obstetrices inspectionem fœminæ ob naturalem decentiam, *cap. 6. cap. fin. h. t. cap. 4. cap. 14. de Probat.* Nisi punctum controversiæ earum scientiam superet; v. g. si agatur, an fœmina per incisionem possit reddi apta ad copulam, & an incisio sine periculo vitæ possit fieri; nam tunc

Me-

Medici, & Chirurgi sunt adhibendi, qui sub juramento deponent, *cap.* 3. *h. t. Sanch. de Matr. L.* 7. *D.* 113. *num.* 21. vel etiam, præter obstetrices, ad fœminæ inspectionem possunt adhiberi aliæ fœminæ, dùm tamen sint honestæ, ne facile falsum deponant, *cap.* 14. *de Probat. c.* 6. *c. fin. h. t.* peritæ in arte, nec nimis juvenes ob defectum experientiæ, nec nimis senes ob defectum visus: debentque à judice eligi, & deponere sub juramento, licèt non de omnimoda certitudine, saltem de verisimilitudine. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 113. *Joann. Andr. & alii.* Et duæ sufficiunt; *arg. cap.* 23. *de Testib.* Nam licèt in *cap.* 4. *de Probation.* septem fuissent adhibitæ, non tamen omnes erant necessariæ. *Sanch. de Matr. L.* 7. *D.* 109. *num.* 6. Eligere has matronas pertinet ad Judicem, & etiam à partibus possunt eligi; & possunt à partibus recusari, *cap.* 14. *de Probation.* earum depositio magis est judicium, quam testificatio. Et cum in hac re difficillima, & ardua omnem diligentiam adhiberi oporteat, ut tales matronæ de virginitate deponant, non sufficit, si oculis videant mulieris verenda, sed est necessarium, quod perspiciant, atque sufficientèr, & sagacitèr manibus tangant, ut deducitur ex *cap.* 14. *de Prob.* ibi: *Quia sæpè manus fallitur, & oculus obstetricum.* Et quia in matrimonii valore investigando, probationes potius debent esse superfluæ, quam diminutæ, Judex faciet, quod mulier, de cujus virginitate inquiritur in balneo aquæ competentèr calidæ tanto tempore nuda perseveret, quantùm sit necessarium, ut si fortè glutino, vel alio medicamento apposito verenda illius compressa sint, atque coarctata, ut virgo appareat, id possit liquefieri. Sic *Hostiens. Joann. Andr. Gregor. Lop. in L.* 5. *tit.* 8. *part.* 4. V. *Mugeres. Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 113. *num.* 11. & quamvis *Ponc. de Matrim. lib.* 7. *cap.* 63. Intendat hoc inspectionis medium repellere, cum hoc clarè sit approbatum à Jure Canonico, & Regio, solùm probat, quod majori decentia possibili hoc fiat.

140 Facta ergo inspectione, si ex ea certo physicè constet impotentia, quia mas careat virilibus, vel testibus: vel fœmina ad omnem coitum sit arcta, statim matrimonium dissolvitur: quippè nullum est, *cap.* 5. *h. t.* & nullo modo potest talis copula inter non conjuges permitti. *Sanch. de Matr. L.* 7. *D.* 107. *n.* 3. *Barbos. & Gonz. in cap.* 5. *h. t. Greg. Lop. in L.* 6. *tit.* 8. *p.* 4. Si tamen signa non sint certa physicè, sed moralitèr certa, seu verisimilia, debent conjuges jurare, se coire posse, vel non posse. Et septem consanguinei conjugum, vel vicini jurabunt, se credere, dictos conjuges veritatem dicere. Et hoc dicitur: *Cum septima manu propinquorum jurare.* Quod si horum depositio conformis sit Medicorum, & peritorum depositioni, cum jam censeatur completa probatio, statim dissolvitur matrimonium, *cap.* 6. *c. fin. h. t.* Si depositio conjugum à peritorum depositione discordet; vel quando signa etiam ex depositione peritorum sunt dubia, triennium conceditur conjugibus ad experiendum, an possint matrimonium consummare, *cap.* 5. *h. t. L.* 6. *tit.* 8. *p.* 4. *Barbos. in cap.* 5. *h. t. n.* 2. Et tunc jurabunt, quod operam commixtioni dabunt, quin fraus, vel impedimentum ex altera parte interveniant. *L.* 5. *tit.* 8. *p.* 4. *ibid. Gregor. Lop.* Hoc triennium debet esse continuum, *c. fin. h. t.* saltem moralitèr: nec obstabit aliqua brevis absentia: & tempus interpolatum erit supplendum, quando arbitrio Judicis sit notabile. *Sanch. de Matr. L.* 7. *D.* 111. *n.* 2. *& 6. Barbos. & Gonz. in c.* 5. *h. t. n.* 8. Et non solet numerari, quosque à conjugibus sit adimpleta pubertas plena, quæ 18. annis in mare, & 14. in fœmina completur. Nam usque ad eam ætatem magis ex debilitate ætatis, & complexionis quam ex impotentia videtur nasci defectus coeundi. *Sanch. de Matrim. L.* 7. *D.* 104. *num.* 18. *Barbos. & Gonz. in cap.* 5. *h. t. n.* 8. Et licèt de rigore juris triennium ab ipsa attentatione copulæ jam pubertate completa, esset numerandum, *cap.* 5. *cap. fin. h. t. Sanchez de Matr. lib.* 7. *D.* 110. *n.* 4. ex praxi Curiæ Romanæ à Decreto Judicis computatur. Et ita sæpè à Rota decisum testatur. *Gonz. in cap.* 5. *h. t. n.* 8. Triennio quidem elapso, si uterque affirmet, alterum esse impotentem adhuc ipsis defertur juramentum cum *septima manu* propinquorum, aut vicinorum, vel aliorum bonæ famæ, ut sic suspicio collusionis tollatur; & cautius in re tam ardua procedatur. Et tunc declaratur matrimonium nullum, & potenti conceditur licentia ad aliud matrimonium contrahendum, *cap.* 5. *c. fin. h. t. L.* 5. *tit.* 8. *p.* 4. Et quidem septem testes ex qualibet parte debent adhiberi: ita ut ex utraque quatuordecim sint. Quod si tot, & tales haberi non possint minor numerus sufficiet arbitrio Judicis. *Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 108. Si vir, vel mu-

mulier asserat, matrimonium esse consummatum, altera parte negante asserenti creditur, & pro matrimonio, in cujus possessione sunt, pronuntiatur; *arg. c. 65. de Regul. jur. in 6. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 109. n. 2. & 9.*

141 Impotentia coeundi cognoscitur, ex eo, quod vir habeat membrum flaccidum, vel valdè diminutum, & exile; vel etiam valdè magnum, vel ob tortum, vel rugosum; vel testes, aut nullos, aut valdè exiguos, vel quod mulier sit valdè arcta, & obstructa; vel alitèr sint impotentes ob diversos morbos, quos refert *Gonz. in cap. 3. h. t. n. 7.* Quod si nullum vitium apparens habeat, cognoscetur frigiditas ab effectu; si nunquam membrum erigatur. Etiam magnum signum frigiditatis est, si vir non appetit venerea, nec sentit stimulos carnis, cum hoc adeò naturale sit, ut vix ullus ab eis eximatur. Non tamen censetur frigidus, qui in vigilia, vel in somnis aliquando polluitur: vel si aliquando ejus membrum erigatur. Quod si vir appetat coitum, & virgam erigit; sed quando ad actum venereum appropinquat subito relaxantur, & concidunt organa, nec potest complere, & posteà iterum rigent, etsi iterum copulari nitatur, denuo laxantur, cum id nequeat provenire ex frigiditate viri, nec possit naturalitèr accidere, est signum, talem impotentiam ex maleficio oriri, quod magis constabit, si ad aliam fœminam possit accedere. Sic *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 94. n. 5. & 6. plures citans.* Qui probata impotentia absoluta, est separatus à sua uxore Ecclesiæ authoritate, cum nulla alia potest contrahere, quod si contrahat, ex *Text. in cap. 5. h. t.* erit reus perjurii. Et tale matrimonium est dissolvendum, vel quia verè impotens est: vel si non est impotens, quia obstat prius matrimonium, *cap. 5. cap. fin. h. t.* Et etiam si prior uxor objisset, debet separari, donec ipse probet, malè fuisse judicatum, cùm ipse potens sit. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 99. num. 6.* si ob impotentiam respectivam dissolutum est, etiamsi impotens per miraculum potens reddatur, non potest cogi ad antecedens matrimonium, quippè nullum est, multoque minùs, si jam aliud matrimonium est contractum.

142 Potest tamen accidere, quod dissoluto matrimonio ob impotentiam absolutam, postea appareat potens, qui impotens credebatur: & tunc quocumque tempore hoc appareat restaurandum est priùs matrimonium, etiamsi novum contractum sit, *cap. 6. h. t. L. fin. tit. 8. p. 4.* Quia Ecclesia fuit decepta, & ex errore protulit sententiam, quæ contra matrimonium numquam transit in rem judicatam: etiamsi ab ea non appelletur, *cap. 7. de Sentent. & Re judicat.* potest tamen, potens respuere cohabitationem cum altero tanquam adultero, si illicitam copulam habuit, *cap. 6. h. t. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 101. n. 3. Abb. Laym. & alii.* Si impotentia, quæ verè erat perpetua, per miraculum, vel Artem Magicam cesset, non restauratur prius matrimonium: siquidem verè nullum fuit, *cap. 6. h. t.* secus si tollatur per exorcismos, vel orationes, *cap. fin. 33. q. 1. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 94. n. 10.* Deniquè ferè totam materiam brevitèr comprehendit. *D. Th. in 3. p. Supp. q. 58. art. 1.* ibi: *Respondeò dicendum, quod in matrimonio est contractus quidam, quo unus alteri obligatur ad debitum carnale solvendum; undè sicut in aliis contractibus, non est conveniens obligatio, si aliquis se obliget ad hoc, quod non potest dare, vel facere; ita non est conveniens matrimonio contractus, si fiat ab aliquo, qui debitum carnale solvere non possit. Et hoc impedimentum vocatur impotentia coeundi, nomine generali, quæ quidem potest esse, vel ex causa intrinseca, & naturali, vel ex causa extrinseca, & accidentali, sicut per maleficium, de qua post dicetur. Si autem sit ex causa naturali, hoc potest esse dupliciter, quia vel est temporalis, cui potest subveniri remedio medicinæ, vel processu ætatis: & tunc non solvit matrimonium: vel est perpetua, & tunc solvit matrimonium: ita quod ille ex parte cujus allegatur impedimentum perpetuo maneat absque spè conjugii: alius nubat, cui vult in Domino. Ad hoc autem cognoscendum, utrum sit impedimentum perpetuum, vel non perpetuum, Ecclesia tempus determinatum adhibuit, in quo hujus rei posset esse experimentum: scilicèt, triennium, ita quod, si post triennium, in quo fidelitèr ex utraque parte dederunt operam carnali copulæ implendæ, inveniatur matrimonium, non esse consummatum, judicio Ecclesiæ dissolvitur. Et tamen in hoc quandoque Ecclesia errat, quia per triennium, quandoque non sufficientèr experiri potest perpetuitas impotentiæ. Undè Ecclesia si se deceptam inveniat, per hoc quod ille, in quo erat impedimentum invenitur carnalem copulam, cum alia, vel cum eadem perfecisse, reintegrat matrimonium præcedens, & dirimit secundum; quamvis*

de

de ejus licentia sit factum. Et in art. 2. ait: *Ideò distinguendum est, quia impotentia coeundi ex maleficio, aut est perpetua, & tunc matrimonium dirimit, aut non est perpetua, & tunc non dirimit: & ad hoc experiendum eodem modo Ecclesia tempus triennii præfixit: tamen hæc differentia est inter maleficium, & frigiditatem: quia qui ex frigiditate, est impotens, sicut est impotens ad unam, ita ad aliam, & ideò, quando matrimonium dirimitur, non datur licentia ei, ut conjugatur alteri, sed ex maleficio homo potest esse impotens ad unam, & non ad aliam, & ideò, quando judicio Ecclesiæ matrimonium dirimitur, utrique datur licentia, ut alteram copulam quærat.*

TIT. XVI.

De Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.

143 UNum ex impedimentis impedientibus matrimonia est *interdictum*, seu *prohibitio* Ecclesiæ, qua jubet, matrimonium non contrahi, vel quia impedimentum latere suspicatur, vel quia sponsalia præcesserunt, vel quia rixæ, inimicitiæ, vel alia incommoda timentur. *c. fin. de Cland. Desponsat. c. 1. c. 2. h. t.* Tunc enim Parochus potest, & debet matrimonium extrajudicialitèr interdicere: præsertim si matrimonio impedimentum opponatur, donec causa judicialitèr discutiatur à Judice Ecclesiastico. *c. fin. h. t. L. 18. tit. 2. p. 4. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 6. num. 6. Gonz. in c. fin. h. t. n. 2.* Episcopus, Capitulum Sedevacante, & utriusque Vicarius, & quicumque Prælatus Ecclesiasticus habens jurisdictionem, quasi Episcopalem in populum, & Clerum certi territorii possunt interdicere judicialitèr matrimonium, quod si contra tale interdictum contrahatut, validum quidem erit. *c. 1. c. 2. h. t.* illicitum tamen, quippè est contra præceptum Ecclesiæ in re gravi; *arg. c. fin. h. t. Barbos. in c. 2. h. t. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 17. n. 1.* Quin, & matrimonium contractum contra interdictum S. Pontificis validum est. *c. 1. c. 2. h. t.* etiam post Trid. *Barbos. in c. 13. de Desponsat. Impub. n. 3. & 5.* Et quamvis in *c. 4. de Sponsa duor.* irritetur matrimonium contra interdictum celebratum, non irritatur præcisè, quia est contra interdictum; sed quia erat contra matrimonium antecedentèr contractum: irritaretur tamen, si Pontifex non solùm voluit illud simplicitèr prohibere, seu interdicere, sed etiam voluit illud irritare, clausula irritante speciali, vel generali adjecta. *c. 13. de Despons. impub. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 2. ex n. 3. Gonz. in c. fin. h. t. n. 2. & alii.*

144 Tempore feriato prohibentur nuptiæ, quia cum tempus sacratius sit, & jejuniis orationi, & pœnitentiæ ab Ecclesia destinatum, non decet homines nuptias solemnes celebrare: *nec est conveniens luctibus ille color.* Nam in toto Orbe mos invaluit, nuptias tripudiis, choreis, musicis, conviviis, aliisque lætitiæ signis celebrandi, ut optimè quidam depingit: *Tædas Hymenæus, amorque præcipiunt: larguis satiantur odoribus ignes, serasque dependent tectis, & ubique lyræque, tibiaque, & cantus animi felicia læti argumenta sonant: referatis aurea valuis, atria tota patent, pulchroque instructa paratu Cepheni proceres ineunt convivia Regis.* Et quidem jure antiquo tempus feriatum erat totum illud, quod est inter primam Dominicam Adventus, quæ incipit, vel à primis vesperis juxta *Sanchez de Matrim. lib. 7. D. 7. n. 2.* vel à media nocte Dominicæ juxta *Ponz. de Matrim. lib. 6. cap. 8. n. 5.* & Epiphaniam. Et inter Dominicam Septuagesimæ, & octavam Paschæ. Et inter feriam 2. Rogationum, & octavam Pentecostes. Et duæ, vel tres hebdomadæ ante festum S. Joannis Baptistæ. *c. 8. c. 9. 33. q. 4. c. 4. de Feriis, L. 18. tit. 2. p. 4.* Hodie est hoc tempus restrictum à *Trid. sess. 24. de Ref. Matr. cap. 10.* Et est ab Adventu, usque ad Epiphaniam. Et à feria 4. Cinerum, quæ à media nocte feriæ tertiæ computanda est, usque ad octavam Paschatis inclusivè. Non prohibet Ecclesia hoc tempore denuntiationes, quia ex nullo Textu constat prohibitio, nec matrimonium, si sine solemnitate, & pompa fiat, ut contra aliquos tenent *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 7. n. 12. & alii.* Et probatur *arg. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 10. Et Ritual. Rom. tit. de Sacramentis.* Et declaravit *S. Congreg. Trid.* Et expresse habetur *in L. 18. tit. 2. p. 4.* ibi: *Bien pueden facer desposajas, è matrimonio por palabras de presente.* Nec est prohibitum in illo tempore consummare matrimonium ut contra aliquos tenent *Nav. Man. cap. 22. n. 71. Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 7. n. 23. & alii.* Solùm ergo, prohibet Ecclesia,

& quidem sub gravi, benedictiones nuptiales. *Hispanè: Velaciones; arg. c.* 10. 33. *q.* 4. *L.* 18. *tit.* 2. *p.* 4. ibi: *Non deben velar los novios. Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 7. *n.* 3. Etiam prohibetur pompa nuptialis, quæ in conviviis, choris, aliisque hujusmodi consistit. Et multis in locis consuetudine est introductum, quod etiam sine solemnitate his temporibus, non celebretur matrimonium, nisi licentia obtenta ab Ordinario.

145 Huc pertinet valdè antiqua, & generalis prohibitio, qua ab antiquo in variis Provinciis, & præcipuè in nostra Hispania prohibitum, & interdictum est, ne Provinciarum Rectores, vel Magistratus durante officii tempore, inira fines Provinciæ, sibi commissæ, uxores ducant, vel filios, aut filias suas ducere patiantur. Tùm propter metum, & impressionem, quæ in ejusmodi matrimoniis intervenire solet: tùm maximè ob vitandas necessitudines, familiaritates, & amicitias, quæ ipsis matrimoniis mediantibus, generantur & liberam justitiæ administrationem impediunt, pluribusque recusationibus occasionem præbent. *L.* 38. *L.* 57. *L.* 63. *L.* 65. *ff. de Rit. nuptiar. L.* 2. *tit.* 14. *p.* 4. ibi: *Cátal ome como este non podria recibir muger legitima de nuevo en toda aquella tierra onde fuesse Adelantado, en quanto durasse el tiempo del Adelantamiento. L.* 25. *tit.* 4. *lib.* 2. *R. C. L.* 82. *L.* 84. *L.* 85. *L.* 86. *tit.* 16. *lib.* 2. *R. Ind.* Et quidem in Indiis magis stricta, & enixius concepta invenitur prohibitio, qua sub privatione officii, & stipendii nostri Potentissimi, Catholicique Principes prohibent Indiarum Ministris, ne talia matrimonia contrahant: vel expresse, aut tacitè, quobis colore quæsito liberis volentibus contrahere assensum præbeant. Et sanè tales Leges juxtæ sunt, & servandæ, non enim intendunt facere irrita, vel illicita matrimonia contra eas celebrata, cum hoc non possit fieri à Potestatibus Secularibus, sed solum ex juxtis causis, & consideratione boni publici pœnam statuunt in eos, qui tales Leges transgrediuntur: quin ex hoc tollant libertatem ad matrimonia; sed quasi sub conditione disponunt, quod non aliter, quis talibus officiis fungatur, nisi matrimonium non contrahat; relicta de cætero illis libertate ad matrimonium contrahendum. Imò, & in ipsis dignitatibus substinebuntur si à Rege licentiam ad matrimonium contrahendum obtineant, ut Plures faciunt. Latius *Solorz. de Jure Indiar. tom.* 2. *L.* 4. *cap.* 4. *ex numer.* 57.

146 In præsenti etiam agendum est de dispensatione in impedimentis matrimoniorum, tàm dirimentibus, quàm impedimentibus obtinenda: quippè ejusdem potestatis est, & velle impedimenta apponere, & nolle, ea subsistere, ea per dispensationem solvendo. *L.* 3. *ff. de Reg. Jur.* juxta illud. *Una vobis manus vulnus opemque feret.* Superiores enim, & Prælati & qui præficiuntur multitudini præditi debent esse in Legibus dispensandi facultate. Juxta illud *Apost.* 1. *ad Cor.* 9. *v.* 17. *dispensatio mihi credita est.* Et hinc tenendum cum *D. Thom.* 1. 2. *q.* 97. *art.* 4. *in corp.* ibi: *Respondeò, dicendum, quod dispensatio propriè importat commensurationem alicujus communis ad singula. Undè etiam gubernator familiæ dicitur dispensator, in quantum unicuique de familia cum pondere, & mensura distribuit, & operationes, & necessaria vitæ. Sic igitur, & in quacumque multitudine ex eo dicitur aliquis dispensare, quia ordinat qualitèr aliquod commune præceptum sit à singulis adimplendum. Contingit autem quandoque quod aliquod præceptum, quod est commodum multitudinis, ut in pluribus, non est conveniens huic personæ, vel in hoc casu: quia, vel per hoc impediretur aliquid melius, vel etiam induceretur aliquod malum: periculosum autem esset, ut hoc judicio cujuslibet committeretur: nisi fortè propter evidens, & subitum periculum. Et ideò ille qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in Lege humana, quæ suæ authoritati innititur; ut scilicèt in personis, vel in casibus, in quibus Lex deficit, licentiam tribuat, ut præceptum Legis non servetur. Si autem absque hac ratione pro sola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens: infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune. Imprudens autem, si rationem dispensandi ignoret: propter quod Dominus dicit. Luc.* 12. *Quis putas, est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* Et hac ratione possunt Prælati Ecclesiastici aliquando in matrimoniorum impedimentis dispensare pro impedimentorum qualitate. Impedimenta: etenim alia Jure Naturali, vel Divino Matrimonium dirimunt, uti sunt impotentia perpetua, error circa personam, consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ, ætas, impos rationis, & ligamen. Reliqua verò Jure Ecclesiastico dirimunt.

In

In dirimentibus Jure Naturali, vel Divino, nequit Pontifex dispensare. *c.* 4. *de Usuris*, quia hoc jus superius Pontifice est, & inferior Legem superioris tollere, vel relaxare non potest: nisi facultate à superiore accepta. *c.* 4. *D.* 21. *c.* 16. *de Majorit. & Obed. Cl.* 2. *de Election.* Et nunquam hæc facultas probatur concessa, nisi ad dispensandum in vinculo matrimonii rati. *Navar. Man. cap.* 22. *n.* 8. *Sanch. de Matrim. lib.* 8. *D.* 6. *n.* 10. *Gonz. in c.* 6. *de Consang. n.* 2. In aliis tamen impedimentis potest dispensare. *c.* 4. *de Conces. Præbend.* Sed in aliquibus non solet, nisi rarissimè dispensare, ut in voto solemni castitatis, in disparitate cultus, in 2. gradu consanguinitatis, in primo lineæ transversæ, in primo affinitatis lineæ rectæ, &c. Alia sunt impedimenta, quæ dispensatione nullatenus indigent, ut error, conditio, vis, metus, raptus, & clandestinatas. Tunc enim ipsi contrahentes possunt renovare, & revalidare matrimonium cum his impedimentis contractum. Sanè in omnibus impedimentis Juris Ecclesiastici potest Pontifex dispensare. Et quidem solus de Jure Communi, quippè solus ipse superior est Jure Ecclesiastico *c.* 4. *de Conces. Præbend.* Ita tamen, ut difficilius dispenset in consanguinitate, quam in affinitate ejusdem gradus: facilius in remotiori, quam in propinquiori ejusdem lineæ: difficillimè in paternitate, & maternitate spirituali facilius in compaternitate, & sic de aliis. *Sanch. de Matrim. l.* 8. *D.* 19. *n.* 7. In gradu secundo lineæ transversæ nunquam dispensatur, nisi inter magnos Principes, & ob necessitatem publicam, sic decernent *Trid. sess.* 24. *de Ref. Matrim. cap.* 5. Nisi Pontifex, qui superior Concilio est, aliud judicarit. In quo Decreto comprehenduntur etiam Magnates, & magni Domini titulares, vel magni Nobiles alicujus Regni, ut in nostra Hispania, quos dicimus: *Grandes de España. Sanch. de Matrim. lib.* 8. *D.* 19. *n.* 2. contra *Enriquez, qui L.* 12. *de Matrim. cap.* 3. *n.* 6. Per Princeps intelligit viros opulentos.

147 Nuntii Apostolici ex privilegio, aliqui Episcopi ex speciali delegatione habent facultatem dispensandi in aliquibus impedimentis, & ad usum talis privilegii ejus tenor attendendus est *arg. L.* 5. *ff. Mandat.* Nec tunc potest Capitulum, Sedevacante, dispensare, quia non succedit Episcopo in his, quæ jure speciali Episcopo competunt. Nec Vicarius Episcopi, sine Episcopi speciali mandato. *In titulo de Officio Ordinarii* retuli facultates, quæ Episcopis Indiarum solent concedi ad dispensandum in impedimentis matrimoniorum. Commissarius Bullæ Cruciatæ habet tantùm pro foro interno facultatem dispensandi in primo, & secundo gradu affinitatis, etiam lineæ rectæ ex copula illicita ortæ, & legitimandi prolem ex ea ortam, quando matrimonium jam est conctractum servata forma Tridentini; secus ad contrahendum. Et quidem requiritur, quod sit matrimonium conctractum bona fide, saltem ex una parte, & impedimentum debet esse occultum, & debet pars ignara certiorari de nullitate prioris consensus, licèt non de causa nullitatis. Et etiam potest dispensare in prædicto impedimento superveniente matrimonio ad petendum debitum. Et hæc facultas communicatur à Commissario Generali, Commisariis Subdelegatis, quos in his Indiarum partibus constituit, ut ex instructione expressè constat. Nostra societas ex concessione Romanorum Pontificum, quæ singulis vicenniis renovatur in celebri *Constitutione. Animorum saluti.* Inter alia privilegia, habet, & sequens: *Præterea ejusdem Societatis Jesu Provincialibus, vel ab eis deputatis Presbyteris, cum Neophytis Provinciarum utriusque Indiæ, aliarumque Maris Occeani Regionum, in quibus inter infideles fideles existunt, & non adsunt Ordinarii similem facultatem habentes, vel ultra duas dietas, juxta Constitutionem fel. rec. Pauli III. editam existunt, in quocumque, seu quibusvis, non tamen in primo consanguinitatis gradibus, vel alias conjunctis, seu se attinentibus: ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo, etiam scientèr contracto, remanere valeant, in foro conscientiæ tantùm, gratis tamen dispensandi; & insuper itidem locorum Ordinariis, ut de Presbyterorum eorumdem tanquam adjutorum, & Assessorum suorum in Locis præfatis, & ubi eorum commodè potuerit haberi copia, consilio, & cum illis etiam in judiciali foro, in reliquis autem Provinciis præfatis Ordinariorum præsentia destitutis, vel ab eis ultra duas dietas, præfatas, non minus ducentis millibus passuum remotis, Provincialibus, & deputatis Presbyteris prefatis, cum eisdem Neophytis, non tamen in primo gradu, in utroque foro, gratis dispensandi, & eos, qui in gradibus prohibitis hujusmodi, etiam scientèr contraxerint; ab excessibus, & excommunicationis, aliisque censuris, & pœnis*

nis Ecclesiasticis in utroque foro gratis pariter absolvendi, ac prolem indè susceptam legitimam decernendi. Quod privilegium in viridi est observantia, & sæpè sepius respondi tamquam Assessor in his causis matrimonialibus, quæ in hac Manilana, & etiam in Zebuana, & Camarinensi Diœcesibus obtigerunt.

148 Episcopus, de Jure Communi, potest in casu dubio dispensare ad cautelam, vel declarando non esse dispensationem necessariam, quia in dubio pro matrimonii contrahendi libertate standum est, donec contrarium constet. Quod si impedimentum dirimens appareat, ad Pontificem est recurrendum. Si verò in casu dubio præsumptio stet contra matrimonium; v. g. quia constat de copula viri cum sorore suæ sponsæ, & dubitatur, an semen effusum sit intra vas: cum hoc regularitèr accidat, nempè, semen in copula effundi; non Episcopus, sed solùm Papa potest dispensare, *Sanch. de Matr. L. 8. D. 6. n.* 18. Episcopus in nullo casu, etiam extraordinario, nisi habeat speciale privilegium, potest in impedimento dirimente dispensare pro foro externo, sed tantùm pro interno, & sic dispensant Pœnitentiarii: siquidem *Trid. sess. 24. de Reform. cap. 6.* tantum pro foro interno concedit Episcopis facultatem dispensandi in irregularitatibus. *Sanch. de Matrim. lib. 2. D.40. n.* 10. Pro foro ergo interno, potest, & solet dispensare in matrimonio jam contracto, quando aliqua necessitas instat, nam urgente necessitate licitum fit, quod alias illicitum solet esse. *c. 2. de Observat. jejunior. c. 4. de Reg. jur.* debentque sequentes conditiones concurrere, ut licitè fiat dispensatio. 1. si matrimonium est bona fide contractum; nam mala fides non est digna simili indulgentia. 2. si publicæ præcesserunt denuntiationes, nisi fortè in eis fuit dispensatum: qui enim culpabiliter eas omisserunt hoc beneficio privantur. 3. si impedimentum est tale, in quo valeat dispensatio concedi, & est occultum, scilicet, quod nequeat probari, vel etiamsi probari possit, non detur periculum, quod publicetur. 4. si sit difficilis recursus ad Pontificem, vel alium, qui dispensare possit: vel ob distantiam locorum, vel ob impediti paupertatem, vel periculum incontinentiæ, & aliunde detur periculum in mora, & conjuges nequeant sine scandalo separari: tunc enim præsumitur Pontificem facultatem dispensandi concedere, siquidem eam habet, non ad destruendum, sed ad ædificandum, ut Apostol. *ait 2. Cor. 10. v. 8. Trid. sess. 14. de Pœnitent. cap. 7.* ac proindè in bonum animarum, & ad vitanda gravia peccata concessa intelligitur, sic probante Ecclesiæ consuetudine, & praxi, quæ est optima Legum interpres. *c. 8. de Consuetudin. Sylv. V. Dispensatio, q. 9. n. 15. Navarr. Man. cap. 22. num. 85. Henriq. Garc. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 40. n. 3. Gutierr. Ponze, Gonz. in c. 6. de Consang. & affinit. n. 2. & alii* contra *Sot. Cordub. Medin. & alios.* Eadem ratione tenendum est, Episcopum posse pro foro interno dispensare ad contrahendum matrimonium, si dificilis sit recursus ad Pontificem, vel alium, qui possit dispensare, & periculum sit in mora, scandalum timeatur, & non sit alia via evadendi, & impedimentum sit occultum. Requiritur tamen quod necessitas sit maxima, & urgentissima. V. g. si esset quis proximus morti, & vellet contrahere ad legitimandam prolem. Vel si jam sint omnia parata ad nuptias, & fœmina mane fatetur impedimentum, ex quo timetur periculum vitæ, & honoris, quibus alia via non potest consuli. *Sanch. de Matr. lib. 2. D. 40. n. 7. Ponz. de Matr. lib. 8. cap. 13. n. 6. Gonz. in c. 6. de Consanguin. & affint. n. 2.*

149 Idem quod de Episcopo dicendum est de Capitulo, quando Sedes vacat: nam succedit in potestatem ordinariam Episcopi. *c. 11. c. 14. de Major. & obed.* Et de Vicario Capituli: ac proindè tàm Capitulum, quàm ejus Vicarius potest dispensare, quando Episcopus, si viveret posset dispensare. Tamen Vicarius Episcopi non potest ratione sui officii dispensare in his casibus extraordinariis, quia in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset in specie verisimilitèr concessurus *c. 81. de Reg. jur. in 6.* similitèr, qui habet privilegium dispensandi in casibus Episcopalibus, nequit in his casibus dispensare, siquidem potius quam Episcopales sunt Pontificii. *Sanch. de Matr. L. 2. D. 40. n. 9.* Prætereà, potest Episcopus hanc facultatem ad dispensandum in casu extraordinario delegare suo Vicario; *arg. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 6.* Imò & aliis Clericis idoneis, nam cum hæc jurisdictio competat perpetuo ratione dignitatis Episcopalis est instar ordinariæ, ac proindè sicut illa, etiam potest & hæc delegari; ut contra *Bald. Felin. & alios* tenent *Navar. Man. cap. 22. n. 45. Covarr. L. 3. Variar.*

c.

cap. 20. *ex n.* 6. *Sanch. de Matr. L.* 2. *D.* 40. *n.* 14. Hæc tamen potestas est concedenda expressè, vel saltem concessa alia, quæ speciali mandato indigeat, debet addi clausula: *Et omnia alia.* Nec est necesse, quod concedatur, quando casus hic, & nunc occurrit, sed potest generaliter delegari *pro quocumque casu occurrente. Sanch. de Matr. L.* 2. *D.* 40. *n.* 17. Mendicantes, vi suorum privilegiorum, non possunt in impedimento, etiam occulto, dispensare ad validandum matrimonium; sed tantùm ad petendum debitum possunt dispensare cum conjuge, qui cum consanguinea uxoris incestum commisit. *Rodrig. tom.* 3. *Regul. qq.* 2. *art.* 2. *Sanch. de Matr. L.* 8. *D.* 6. *num.* 28. *Ponze de Matr. L.* 8. *cap.* 13. *num.* 11.

150 Etiam in impedimentis jure Ecclesiastico impedientibus potest fortiori ratione Pontifex, ut Supremus Legislator, & jure ipso superior dispensare, *cap.* 4. *de Conces. præbend.* In impedimentis impedientibus Jure Naturali, & Divino, qualia sunt sponsalia, & votum simplex castitatis, vel Religionis etiam dispensare valet; sed tamen solùm ex justa causa. Nam sine ea, non solùm illicitè dispensabit, sed etiam invalidè: quamquam dispensatio sine justa causa in impedimento Ecclesiastico, valida sit, quamvis illicita. Nam si in matrimonio rato potest dispensare, benè poterit, etiam in sponsalibus. *Sanch. de Matr. L.* 1. *D.* 61. *n.* 2. Item in impedimento voti potest dispensare, sicut potest debitum per alia vota contractum, nomine Dei remittere. Tunc enim Pontifex concurrit ex parte Dei remittendo obligationem Deo factam; & declarando, sibi esse placitum, ut non servetur. Nec alio pacto posset talis obligatio auferri; ut explicat *Suar. de Relig. tom.* 2. *lib.* 6. *de Vot. cap.* 9. *n.* 15. In impedimentis Juris Naturalis, vel Divini: numquam Episcopus dispensat: in provenientibus tamen à Jure Ecclesiastico dispensat; *arg. cap.* 2. *de Eo, qui cognovit,* sic testante omnium ferè Ecclesiarum consuetudine. *Sylv. Navar. Henriquez, Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 17. *n.* 15. *Ponz. de Matr. L.* 8. *cap.* 13. *n. fin.*

151 Cum dispensatio debeat ex justa causa oriri, nunc referam causas, quæ justæ ad dispensandum pro varietate dispensationum censentur. Justæ ergo causæ ad dispensandum in voto castitatis, & Religionis sunt sequentes. 1. quia bono publico, quod particulari præferendum est, convenit talem voventem contrahere matrimonium. V. g. ad pacem publicam stabiliendam, vel conservandum; *arg. cap.* 2. *de Despons. impub. Sanchez de Matr. lib.* 8. *D.* 20. *num.* 24. 2. quando non aliter potest mederi nimiæ fragilitati carnis. Vel si vovens in periculo peccandi frequenter versetur. Vel si aliter non possunt sedari scrupuli, quibus vovens angitur, an satisfecerit. Vel quando actus venereus judicio Medicorum creditur necessarius ad subveniendum morbo continuo. Tunc potest in voto simplici castitatis, secus in solemni dispensari: sic enim præsumitur ex benignitate Dei. *Sanch. de Matr. L.* 7. *D.* 20. *n.* 23. *&* 26. 3. si votum sine matura deliberatione, ut solet à pueris sit emissum, *cap.* 2. *de Voto*, vel si metu, etiam levi, injusto tamen extortum sit; secus si justè sit metus incussus, etiam si gravis sit, ut metus mortis ex naufragio, vel morbo proveniens. *Sanch. de Matr. L.* 8. *D.* 20. *num.* 12. 4. quando cessat causa vovendi impulsiva. V. g. si quis sperans Religionem ingredi vovit castitatem, quam alias non voveret: si jam non sit admittendus potest dispensari. Si cesset omninò causa finalis, non est necessaria dispensatio. *Sanch. de Matr. L.* 8. *D.* 20. *n.* 16. 5. si dubium sit, an votum sit ex mutatione materiæ impediturum majus bonum; vel si materia sit jam mala, vel inutilis. Quando tamen certò constat, non est necessaria dispensatio. *Sanch. de Matr. lib.* 8. *D.* 20. *n.* 10. 6. si quis vovit; sed dubitat de intentione, vel deliberatione vovendi, potest dispensari. Si dubitet, an vovisset, non requiritur dispensatio. Tunc namque præsumitur pro libertate, quæ in possessione est. *Sanch. de Matrim. L.* 8. *D.* 20. *n.* 11.

152 Causæ justæ ad dispensandum generaliter in impedimentis dirimentibus sunt. Prima. Scandali vitatio, scilicèt, quando matrimonio inito tollitur occasio peccati: v. g. Odii, inimicitiæ, homicidii, incontinentiæ, vel alterius gravis peccati. Similiter, quando pax stabilitur, & odia, & discordiæ extinguuntur, vel si aliqua etiam lis extinguenda sit, *cap.* 2. *de Desponsat. impub. Sanch. de Matr. L.* 8. *D.* 19. *num.* 8. *&* 9. Similiter, si ob nimiam familiaritatem contrahentium orta sit suspicio, licèt falsa, eos commercium carnale habuisse. Insuper si bona fide, saltem ex una parte, matrimonium sit contractum: etiamsi proles ex eo non sit suscepta solet dispensari, cum separatio non sine scanda-

dalo fiat; *arg. cap. 6. de Consanguinit.* Si tamen contractum sit matrimonium cum mala fide ex utraque parte, dispensationis fiunt indigni. *Trid. sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 5.* Similitèr, si quis, cum consanguinea, vel affine copulam habuit, quæ vel ex imprægnatione, vel aliundè est nota, solet Pontifex facilè dispensare, ut honori, & famæ mulieris consulatur, & ne hæc infamata, & innupta maneat, vel saltem virum æqualis conditionis non inveniat: modo non sit habita copula sub spe dispensationis consequendæ: & id in supplicatione exprimi debet. 2. est publica utilitas Reipublicæ. Sic Regibus, & Principibus, etiam in secundo gradu consanguinitatis, & affinitatis conceditur dispensatio, quin alia causa in specie allegetur. *Trid. sess. 24. de Ref. Matr. cap. 5. Sanch. de Matr. L. 8. D. 19. n. 5. 3.* conservatio alicujus illustris familiæ in eodem sanguine, similitèr conservatio illius in aliqua dignitate, patrimonio, opibus, splendore, &c. *Gonz. in cap. 6. de Consanguinit. n. 3.* Nam hoc aliquomodo ad bonum publicum pertinet; *arg. cap. 28. de Præbend. Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 19. n. 31. 4.* meritorum in Ecclesiam excellentia; v. g. ob bellum in Hæreticos, vel infideles factum, *cap. 17. 1. q. 7.* expedit enim, Ecclesiam in benemeritos se benignam ostendere, & liberalem, ut sic homines ad similia alliciantur. *Sanch. de Matr. L. 8. D. 19. n. 32. 5.* ætas puellæ, si hæc excedat 24. annum, & virum æqualis conditionis hactenus non invenerit. *6.* loci angustia, quando non facilè fœmina virum æqualis conditionis genere, divitiis, moribus, vel Religione inveniret, vel ob ejus cognationem valdè extensam, vel ob loci angustiam, vel quia locus ad litus maris situs est, & expositus hostium incursionibus, & non facilè inveniuntur extranei, qui ibi contrahere velint. *7.* defectus dotis competentis ad contrahendum cum conjuge æquali: ne alias fœmina, vel innupta remanere, vel cum viro inferioris conditionis contrahere cogatur. Denique Pontifex solet cum personis nobilibus, vel valdè honestis in gradibus remotioribus dispensare, nulla in specie expressa causa; sed sub hac generalitate: *ex certis, & rationabilibus causis.* De quibus latè *Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 19. Navar. Man. cap. 22. n. 87. Gonz. in cap. 6. de Consang. n. 3. Ponze de Matrim. L. 8. cap. 21. ex num. 21. Lacroix lib. 6. part. 3. ex num. 819.* Vincentius de Justis *de Dispens. Matrim. lib. 3. cap. 2. & seqq.*

153 Hæc sunt causæ, ex quibus Pontifex solet in impedimentis matrimoniorum dispensare. Et quidem, ut Pontifex possit in prædictis impedimentis dispensare omninò debet adesse aliqua ex prædictis causis, vel alia similis, si quæ est: & idem à fortiori de inferioribus Prælatis dicendum est. *Trid. sess. 24. de Ref. Matr. cap. 5. D. Thom. 12. q. 97. art. 4. Suar. de Legib. lib. 6. cap. 18. n. 4. Ponze de Matrim. L. 8. cap. 14. n. 3.* quia ut ait *Trident. sess. 25. de Ref. cap. 18. Sic frequentius Legem solvere, exemploque potius quam certò personarum, rerumque delectu patentibus indulgere, nihil aliud est, quam unicuique ad Leges transgrediendas aditum aperire.* Alias enim non esset prudens, & fidelis dispensator ille, qui dispensat. Et quidem si inferior Papa dispenset, absolutè requiritur causa ad valorem dispensationis: imò & in Papa ad dispensandum in impedimento Juris Divini, vel Naturalis, quando in eis dispensare potest, requiritur necessariò, causa ut dispensatio valida sit. *D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 12. ad 2.* ibi: *Quod quidam dixerunt, quod ideò Prælati possunt pro libito dispensare, quia in quolibet voto includitur conditionalitèr voluntas Prælati Superioris; & sic Subditus absque omni remorsu conscientiæ posset votum prætermittere, quandocumque sibi à Prælato diceretur. Sed prædicta positio falso innititur, quia cum potestas Prælati spiritualis, qui non est Dominus, sed dispensator in ædificationem sit data, & non in destructionem, ut patet. 2. ad Corint. 10. Sicut Prælatus non potest imperare ea, quæ secundum se Deo displicent, scilicèt, peccata ita non potest prohibere ea, quæ secundum se Deo placent, scilicèt, virtutis opera.* Quando enim aliquis, etiam Princeps Supremus, in sua Lege dispensat sine causa justa, illicitè facit; etiam quando secum ipso dispensat. Valida tamen erit talis dispensatio facta sine causa, ac proindè Papa validè dispensat, quamvis illicitè in impedimentis provenientibus præcisè ex jure Ecclesiastico; quia cum sit Dominus Legis, nula est ratio, nec jus, quo possit impediri ad Legem tollendam, quamvis peccet Legem auferendo, sicut Dominus prodigens rem propriam, dominium transfert, licèt prodigendo delinquat. *Suar. de Leg. L. 6. cap. 19. n. 6. Sanch. de Matr. L. 8. D. 17. n. 24. Ponze de Matrim. L. 8. cap. 14. n. 7.* Si plures causæ concurrant,

rant, licèt leves, facilius dispensatur, quia, quæ non possunt singula, cuncta juvant; *arg. L. 5. C. de Probat.* ut quidam Poeta dixit: *Forsitam hæc aliquis (nam sunt quoque) parva vocavit, sed quæ non prossunt singula, cuncta juvant.* Deindè quo majus est impedimentum major causa requiritur, quippè fortius vinculum, fortius ligat, & è contra, facilius in levioribus impedimentis dispensatur, & hac ratione in impedimento publicæ honestatis facilè Papa dispensat, & hæc facultas Legatis, & Episcopis longè distantibus solet committi. Similiter, in cognatione spirituali orta ex compaternitate facile dispensat: secus in paternitate. Nam in hac, vel nunquam, vel difficillimè dispensat. In impedimento criminis ex machinatione in mortem conjugis orto, si publicum sit, nunquam dispensat: ne detur aliis ansa machinandi in mortem. Si occultum dispensatur in Pœnitentiaria: sed difficillimè. Si tantùm ex adulterio nascatur, non difficilè Pontifex pro foro externo, & S. Penitentiaria pro interno dispensat. *Sanch. de Matr. lib. 8. D. 24.* Item cæteris paribus facilius cum Regibus & Principibus, quam cum aliis dispensatur: facilius cum nobilibus, quam cum divitibus, & aliis honestis personis: & facilius cum his, quam cum plebejis; *arg. Trid. sess. 24. de Refor. cap. 5. D. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. ad 1. Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 19. ex n. 5.*

154 Profectò, subsistit dispensatio, etiamsi causa allegata purè impulsiva sit falsa, quia cum hæc ad dispensandum non moveat, sed solùm juvet, ejus falsitas non vitiat dispensationem; imò, & si causa allegata finalis, & motiva sit falsa, non vitiatur dispensatio, si præter eam causam, alia æquè motiva, & sufficiens allegetur; quæ sit vera, nam tunc resolvitur illa copulativa in disjunctivam; *arg. cap. 18. de Præbend.* Et tunc sufficit, unam esse veram ad valorem rescripti, & dispensationis, *cap. 4. de Rescript. & ibid. Gonz.* Si verò unica causa motiva, seu finalis allegetur, & hæc sit falsa, vitiatur dispensatio, etiamsi falsitas proveniat ex ignorantia, vel simplicitate allegantis; & etiamsi in rescripto non apponatur clausula. *Si ita est, vel si preces veritate nitantur*, quia hæ clausulæ ex se rescriptis insunt, *cap. 2. de Rescriptis.* Quando unica causa allegatur, hæc præsumitur motiva. Si ex pluribus causis allegatis, una sit falsa, & dubitetur an sit motiva, habetur pro impulsiva; ne actus pereat, sed potius valeat. *L. 12. ff. de Rebus dubiis.* In causa quidem *Textus in cap. 6. de Consanguin. & affinit.* quamvis dispensatio ob falsam causam allegatam sit nulla, Pontifex dissimulare cum sic copulatis, ob scandalum permittit. *Covarr. de Sponsal. p. 2. cap. 6. §. 10. n. 15. Gutier. de Matrim. cap. 48. n. 1. Barb. & Gonz. ibid. num. 1.* Ut dispensatio valeat, non requiritur, quod veritas causæ subsistat tempore, quo impetrantes dispensationem scribunt, eam petendo, sed tunc quando dispensatio conceditur. Sivè hoc fiat tempore, quo litteræ Romanæ expediuntur juxta stylum antiquum, nam tunc Papa dispensabat, & litteræ continebant gratiam factam. *Sanch. de Matr. lib. 8. D. 30. num. 4.* vel tempore, quo delegatus actu dispensat, juxta stylum hodiernum, quia Papa non actu dispensat, quando expedit litteras, hoc est tempore datæ: tunc enim tantum solet dare mandatum, ut delegatus (sivè Episcopus, sivè confessarius sit) dispenset; ac proindè, tunc veritas causæ adesse debet, nam sic Pontificis conditio verificatur. *Suar. de Leg. lib. 6. cap. 20. num. 13. Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 30. n. 12. Ponc. de Matr. lib. 8. cap. 20.* Etiamsi tempore, quo Pontifex mandatum dispensandi dedit non subsisteret. *Garc. de Benef. p. 6. cap. 2. n. 283.* In utroque tamen tempore debere, ut valeat, subsistere, docet de Justis, *de Disp. Matrim. lib. 1. cap. 6. num. 299. & lib. 3. cap. 1. n. 81.* Facta dispensatione à delegato, absolutè aufertur impedimentum, estque adeò perfecta gratia dispensationis, ut etiam cessante posteà impedimento tempore, quo dispensatio est sortitura effectum, hoc est tempore, quo contrahitur matrimonium, adhuc habeat effectum dispensatio; *arg. cap. 9. de Filiis Presbyt.* Nam factum legitimè retractari non debet, licèt casus posteà eveniat, à quo non potuit incoari, *cap. 73. de Reg. jur. in 6. Suar. de Legib. lib. 8. cap. 20. n. 15. Ponc. de Matr. lib. 6. cap. 20. n. 4.* contra *Sanch. de Matr. lib. 8. D. 30. n. 14. & alios.* Quando fidelitèr allegata causa ad dispensandum, superior bona fide censet, esse justam, & dispensat valet dispensatio, etiamsi causa verè sit insufficiens: quippè hoc exigit recta, & prudens Ecclesiæ gubernatio, nam alias semper actus manerent obnoxii nullitati, cum magno incommodo, & perturbatione fidelium, & præjudicio publicæ tranquillitatis; *arg. L. 3. ff. de Offic. Prætor. Et contra Ponc. de Matrim. lib. 8. cap. 14. n. 8.*

Castropal. tr. 3. D. 6. p. 8. §. 2. num. 5. tenent *Sanch. de Matr. lib. 8. D. 17. num. 8. Azor, p. 1. lib. 7. cap. 29. q. 6. & alii.*

155 Pro diversitate impedimentorum, & circunstantiarum diversimodè etiam est petenda dispensatio. Quando enim impedimentum est publicum, dispensatio impetranda est in *Dataria*, ut etiam pro foro externo deserviat, & etiam ad contrahendum de novo matrimonium. Et ibidem etiam peti debet, quando petitur ad 1. gradum affinitatis, & ad 2. gradum consanguinitatis. Tuncque ad ipsum Papam dirigitur supplicatio, & debet fieri in scriptis: alias non conceditur dispensatio. Item debet concipi idiomate Latino, & quantum fieri potest, verbis propriis. In *Pœnitentiaria* petitur dispensatio, quando impedimentum est occultum, & hæc solùm pro foro interno deservit: & hoc habet locum, tàm in impedimentis impedientibus, quàm dirimentibus. Jure Ecclesiastico, & non solùm ad remanendum in matrimonio contracto, sed, & ad illud contrahendum, nisi adsit consanguinitatis impedimentum. Nam in eo non dispensat Pœnitentiaria ante matrimonium contractum. At verò post ipsum contractum, si impedimentum sit occultum, & sit in 3. vel 4. gradu utique dispensat: minimè verò, in primo, vel secundo gradu consanguinitatis, quamvis hæc sit occulta. Quando in Pœnitentiaria petitur dispensatio ad Cardinalem Pœnitentiarium majorem dirigitur supplicatio: quippè ejus nomine hujusmodi litteræ expediuntur. In supplicatione ad dispensationem non debet exprimi causa falsa, nam reddetur dispensatio obreptitia. Nec debet supprimi, vel reticeri, quod de jure, vel consuetudine, vel stylo Curiæ est exprimendum: alias, si taceatur, etiam per ignorantiam, subreptitia erit dispensatio; ac proindè invalida, etiamsi adhuc eo expresso Papa dispensasset. Nam talis expressio, tamquam forma, requiritur, quæ omninò servanda; *arg. cap. 23. de Præbend. in 6. L. 5. ff. de Mandat.*

156 Primo ergo exprimi debet in supplicatione, quæ fit in Dataria, nomen, & cognomen petentium dispensationem, non per abbreviaturas, sed per characteres claros. Error nominis, licèt de Jure Communi dispensationem non vitiet, tamen de stylo Curiæ ad occurrendum fraudibus, eam vitiat; nisi error esset verisimilis; v. g. in unius syllabæ mutatione: ut si Antonius pro Antonino, vel Bernardus pro Bernardino apponeretur. Si in Pœnitentiaria fiat supplicatio, non proprium nomen petentium, sed aliud fictum apponitur; v. g. Titius, & Seja. 2. Nomen Diœcesis originis, & quidem utriusque oratoris, debet exprimi. Si verò ipsi velint, quod litteræ ad Ordinarium domicilii dirigantur, id petere debent. Nomen enim loci, in quo sunt orti, non debet exprimi, nisi simul sit Diœcesis: vel si dispensatio ob angustiam loci, vel ob locum situm ad maris litus petatur. *Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 21. n. 39.* 3. Causa movens ad petendam dispensationem exprimenda est. Et quidem si copula, etiam ab uno alio inscio, sub spe dispensationem facilius consequendi, est habita, debet exprimi. Siquidem ex stylo Curiæ solet hæc apponi clausula: *Dummodo copula habita non sit spe dispensationis facilius obtinendæ*: ne alias ex proprio dolo commodum reportet. *Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 25. n. 38.* si tamen copula non sub hac spe, sed ardore libidinis est habita, non est necessario exprimenda: siquidem ea expressa, facilius concederetur dispensatio: ac proindè ejus non expressione non redditur dispensatio subreptitia; *arg. cap. 20. de Rescript.* Nec dispensatio irritatur, etiamsi hæc clausula adjiciatur: *Dummodo copula non est habita*: hæc namque clausula intelligenda est de copula habita sub spe facilius consequendi dispensationem. *Henriq. Ceval. Ponc. de Matrimon. lib. 8. cap. 17. n. 32. & 33. Gonz. in cap. 6. de Consang. n. fin.* contra *Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 25. & alios.*

157 4. Debet exprimi genus impedimenti ob majorem difficultatem, quæ in ejus dispensatione potest inveniri. Et hac ratione exprimendus est numerus impedimentorum: non solùm si hæc diversi generis sint, sed etiamsi sint ejusdem rationis; v. g. si sit duplex consanguinitas, vel cognatio spiritualis. Nec Papa censetur velle tollere impedimentum, quod ignorat; *arg. cap. 9. de Rescr. in 6. Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 24. num. 5. Gonz. in cap. 6. de Consang. n. 4.* Hinc debent omnia impedimenta eisdem litteris exponi, quia concursus plurium impedimentorum reddit dispensationem difficiliorem. *Covarr. Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 23. n. 2. Ponc. de Matr. lib. 8. cap. 17. n. 32. Gutierr. eod. tract. cap. 123. num. 22. Sylvest. Suar. de Leg. lib. 6. cap. 24. n. 3.* Ubi hanc sententiam, non solùm securiorem judicat in materia matrimonii, sed pro-

ba-

babiliorem, & practicè servandam esse dicit contra *Navar. Enriq. & Gonz. in cap. 6. de Consang. n. 4. & alios.* Etiam debent exprimi gradus consanguinitatis, an primus, vel secundus, an in linea recta, vel in transversa. Si exponatur gradus remotior pro propinquiori; v. g. quartus pro tertio, vel consanguinitas, pro affinitate, vel è contra: etiamsi hoc fiat inculpabilitèr, irrita est dispensatio ex defectu voluntatis Pontificis. Si tamen pro remotiori ponatur propinquior; v.g. Tertius pro quarto: quamvis data opera hoc fiat, valet dispensatio: quia si veritas exprimeretur, facilius dispensatio concederetur; *arg. cap. 20. de Rescript. Sanch. de Matr. lib. 8. D. 24. num. 16. & 17.* si in gradu inæquali conjuncti sint, sufficit ad valorem dispensationis gradum remotiorem exprimi, debet tamen exprimi propinquior, ut per speciale Breve declaretur, propinquiorem gradum non obstare. *S. Pius V. in Const. Sanctissimus, 26. August. 1566.* Executio dispensationis, non expectantis his litteris declaratoriis, illicita erit, valida tamen, ut tenent *Sanch. de Matr. lib. 8. D. 24. n. 29. Ponc. de Matrim. lib. 8. cap. 17. n. 26. & 27.* Si dispensatio petatur in affinitate, ultra dicta, requiritur, quod exprimatur, an sit ex copula licita, quando affinitas est in primo, vel 2. gradu, secus in ulterioribus; nam tunc continet impedimentum publicæ honestatis, quæ oritur ex sponsalibus matrimonium præcedentibus. Nec impedimentum affinitatis ex copula illicita potest. *Trid. sess. 24. de Ref. Matrim. cap. 4.* ultra secundum gradum extenditur. *Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 24. n. 40.* si ex copula illicita, debet exprimi, an sit habita cum pluribus sponsæ consanguineis: non tamen est necesse addere, si pluries cum eadem sit commissa. Nam pro numero personarum, non pro numero copularum crescunt impedimenta. *Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 24. n. 7. & 8.* In impedimento publicæ honestatis ex sponsalibus orto, cum hoc tantùm in primo gradu dirimat post *Trid. sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 3.* non est necesse, gradum exprimere: secus si ex matrimonio rato nascatur, quippè major difficultas in majori propinquitate invenitur. *Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 24. n. 16.* In cognatione spirituali debet exprimi, an sit compaternitas, vel paternitas. Nam in hac ob majorem indecentiam difficilius dispensatur. *Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 24. n. 15. Ponc. de Matrim. lib. 8. cap. 17. n. 28. Gonz. in cap. 6. de Consang. num. 4.* Item an cognatio sit duplex; v. g. si uterque vicissim prolem alterius levavit in baptismo. Vel si quis alterius prolem in baptismo levavit, & in confirmatione tenuit. Si verò plures ejusdem filios in baptismo, vel confirmatione tenuit, non multiplicatur cognatio. Deindè juxta aliquos debet exprimi, an cognatio ex confirmatione, vel baptismo orta sit: quia cognatio orta ex baptismo magis imitatur cognationem naturalem. Aliquando non est necesse, quod utrumque impedimentum eisdem litteris exprimatur. 1. Si unum sit occultum, ita ut sine infamia exprimi nequeat: nec creditur, Papam velle sibi tale impedimentum cum periculo infamiæ ostendi. Nam hoc tantùm exponi debet in Pœnitentiaria, facta tamen ibidem mentione de impedimento notorio. 2. Si alterum impedimentum alia via, quam dispensationis, tolli possit; v. g. si cum consanguinitate concurrat impedimentum sponsalium cum alia: nam si hæc sponsalibus renuntiet, jam est ablatum tale impedimentum. *Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 23. n. 6.* 5. Si matrimonium est contractum exprimi debet, an sit contractum bona, vel mala fide impedimenti: & si mala fide, an sub spe facilius dispensationem consequendi. Si bona fide: an denuntiationes præmissæ, vel omissæ fuerunt sine justa causa. Nam si sint culpabilitèr omissæ, rarò conceditur dispensatio. *Trid. sess. 24. de Ref. Matrim. cap. 5. Nec enim est dignus, qui Ecclesiæ benignitatem experiatur, cujus salubria præcepta temere contempsit.* In supplicatione pro secunda dispensatione, non debet fieri mentio primæ dispensationis: si utraque dispensatio ad diversum finem dirigitur: imò etiamsi ad eumdem tendat, nisi fortè dispensatio vergat in præjudicium tertii, vel hoc sit necessarium, ut Papa benè de impedimento certioretur; *arg. cap. fin. de Filiis Presbyt. in 6. Covar. de Sponsal. p. 2. cap. 8. §. 8. n. 5. Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 22. n. 6. Ponc. de Matrim. lib. 8. cap. 17. n. 7. & 8.* Si aliquando fuit petita dispensatio, & negata, si iterum petatur, vel coram ipso, vel etiam coram inferiore, jurisdictionem sufficientem habente, non est necessè negationem antecedentem exponi, cum id nullo jure requiratur. Nam possunt rationes efficaciores proponi, quæ superiorem valeant ad dispensandum movere. *Suar. de Leg. L. 6. cap. 22. n. 1. Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 22. n. 14.*

Ponc. de Matrim. L. 8. cap. 17. n. 3. Menoch. de Arbitr. cas. 203. n. 6.

258 Quando in Sacra Pœnitentiaria pro foro interno dispensatur, committitur executio alicui, in Sacra Theologia, vel Jure Canonico Doctori, vel privilegium ad hoc habenti, quale habet societas ex concessione Greg. XIII. Quilibet namque societatis Sacerdos, qui sit approbatus ab Ordinario antequam litteras aperiat, & deputatus à Superiore, potest hanc dispensationem exequi. *Sanch. de Matr. lib. 8. D. 34. num. 11.* Hi enim omnes, si approbati sint ab Ordinario pro confessionibus audiendis (& non aliter) possunt exequi talem commissionem, sanè: Orator debet executorem eligere, & adhuc uno electo variare valet, alium eligendo, non solùm postquam litteræ sint alicui confessario præsentatæ, sed etiam postquam ab eo est pronuntiatum, dispensationem esse subreptitiam, potest adhuc impetrans alium confessarium adire, qui fortè opinetur, illud rescriptum valere: quin, & ipse confessarius potest re melius perspecta, exequi illam dispensationem, mutata sententia. Quod si semel dispensavit, cum jam actus sit consummatus, & perfectus, non potest retractare sententiam. *Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 27. n. 40.* contra *Navarr.* Hæc dispensatio debet hodie fieri in Sacramentali confessione, & non alitèr. Sic enim ex tenore litterarum modernarum constat, ut contra *Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 34. num. 29.* tenent *Gobat, & alii.* Ibi enim examinare debet confessarius, an preces veritate nitantur. V. g. an separatio quoad domum nequeat sine scandalo fieri: si est periculum incontinentiæ si cohabitent. Et oratori, etiam sine juramento, Notario, vel Testibus fidem debet adhibere. Minimè tamen potest dispensare, si invenerit, preces esse falsas, vel si aliundè, extra confessionem, hoc sciat. Vel si veritatem necessariò exprimendam, esse tacitam cognoscat: quamvis pœnitens mentiendo firmitèr asserat, preces veras esse; *arg. L. 5. ff. Mand. Sanch. de Matr. lib. 8. D. 34. n. 21.* Deindè: antequam dispensetur ad permanendum in matrimonio debet tolli proxima occasio, & periculum peccandi: & dispensationi præmittitur absolutio à Censuris in forma consueta ab Ecclesia. Et quidem dispensatio solùm tollit impedimentum in litteris expressum, non verò aliud, etiam si illud bona fide, & ignorantia invincibili exprimere omisserit pœnitens; *arg. L. 5. ff. Mandat.* mulier cautè debet certiorari de nullitate prioris consensus, ita ut delictum oratoris non detegatur: & potest renovari sine Parocho, & Testibus. Si præcessit matrimonium in facie Ecclesiæ contractum, proles nata post talem dispensationem legitima erit in utroque foro etiamsi in litteris nulla legitimationis mentio fiat. Si proles ante matrimonium putativum sit suscepta, erit solùm in foro conscientiæ legitima: si post matrimonium contractum, etiam mala fide utriusque, etiam, & tantùm in foro conscientiæ legitima erit, itaque detecto impedimento, non haberetur proles, ut legitima. Si tandem sit suscepta post matrimonium contractum, saltem cum unius contrahentis bona fide, in utroque foro proles legitima erit. Si orator suum peccatum jam est confessus, non debet executor novam ei pœnitentiam imponere, præter confessionem mensalem per totam vitam: quam alterare non potest, utpotè in litteris præscriptam. Si tamen nondum est expiatum delictum, pœnitentiam debet injungere executor proportionatam peccato, & circunstantiis doloris pœnitentis, ejus fragilitati, &c. minui tamen potest, si dispensatio tempore Jubilæi fiat. Dispensatione facta, non sunt restituendæ litteræ oratori, nec est dandum dispensationis testimonium, sed tenetur executor sub excommunicatione litteras lacerare, ita ut nullum eorum exemplum extet, authenticum scilicèt, quod pro foro externo deserviat: potest tamen executor copiam simplicem pro sua, vel aliorum instructione retinere: imò, & ipsas litteras jam laceratas pro aliquo usu materiali. Sic dispensatus securus est tantùm in foro interno, & conscientiæ, ita ut si impedimentum posteà publicum fieret, deberent conjuges separari, quousque in Dataria pro foro externo, dispensatio obtineretur. Hunc ergo litterarum, quæ in Pœnitentiaria pro his dispensationibus conceduntur tenorem referam, ut eo accuratè inspecto, aliquæ difficultates, si occurrunt complanentur. Talis ergo est.

159 *Discreto viro Confessori (vel confessario) Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario, per latorem præsentium ad infrà scripta specialitèr eligendo. Ex parte latoris præsentium nobis oblata petitio continebat, quod &c. &c. Nos itaque, qui Pœnitentia-*

riæ

ria Domini Papæ Curam gerimus, hujusmodi supplicationibus inclinati, authoritate Apostolica specialitèr nobis concessa, discretioni tuæ committimus, quatenùs si est ita, dictum latorem audita prius ejus Sacramentali confessione, ac sublata occasione, si qua adhuc extat, amplius cum dicta sorore peccandi, à quibuscumvis sententiis, Censuris, & pœnis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit incestu, & excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiæ consueta, injuncta inde ei pro tam enormis libidinis excessu, gravi pœnitentia salutari, ac confessione Sacramentali peccatorum suorum, singulis, scilicèt mensibus, ut minimum semel, aut quoties tibi videbitur, & aliis, quæ de jure fuerint injungenda. Demum, dummodo impedimentum præfatum sit occultum, & separatio inter latorem, & præfatam mulierem fieri non possit absque scandalo, ex cohabitatione verò de incontinentia probabilitèr, timendum tibi visum fuerit, aliudque Canonicum non obstet, cum eodem latore, & dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita cautè, ut latoris delictum nusquam detegatur, matrimonium cum eadem, & uterque inter se de novo secretè ad vitanda scandala, præmissis non obstantibus contrahere, & in eo postmodum remanere licitè valeant, misericorditèr dispenses; prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam ex inde legitimam decernendo, in foro conscientiæ, & in ipso actu Sacramentali confessionis tantùm, & non alitèr, neque ullo alio modo. Ita quod hujusmodi absolutio, & dispensatio latori in foro judiciario nullatenùs suffragentur: nullis super his Testibus adhibitis, aut litteris datis, aut processibus confectis sed præsentibus laniatis, quas sub pœna excommunicationis latæ sententiæ laniare tenearis, ita ut nullum earum exemplum extet, neque eas latori restituas, quod si eas restitueris, nihil ei præsentes litteræ suffragentur. Datum Romæ apud S. Petrum sub sigilo Officii Pœnitentiariæ, &c.

160 Dispensatio pro foro externo solet committi, vel Ordinario, seu Episcopo oratorum, vel Officiali Episcopi: sic ejus Vicarius Generalis. *Hispanè: Provisor*, vocatur præcipuè ultra Montes. Citrà Montes verò Vicarius Generalis appellatur: verè tamen idem significat *Officialis*, ac *Vicarius*. Nomine tamen Vicarii, vel Officialis Episcopi non comprehenditur Vicarius Capituli, Sedevacante, ac proindè, hic non potest litteras exequi, etiamsi antecedentèr fuisset Episcopi Vicarius, & postea idem à Capitulo Electus, quod si eas exequatur, nulla est dispensatio, nullumque matrimonium, ut contra *Sanch. de Matr. lib. 8. D. 27. ex n. 32.* tenent *Covar. Garc. & alii cum Lacr. lib. 6. p. 3. n. 889.* multoque minus comprehenditur Capitulum nomine Episcopi. *Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 27. n. 3.* si verò dispensatio dirigatur, Vicario, vel Officiali: v. g. Manilensi tunc quia non exprimitur, quod sit Vicarius Episcopi, sed tantùm Diœcesis, venit Vicarius Capituli: siquidem vere est Vicarius Manilensis. Dispensatio commissa Episcopo, nequit ab ejus Vicario fieri; nec è contra dispensatio Vicario commissa potest ab Episcopo exequi. Si Episcopus ante executionem litterarum moriatur, debent oratores expectare successorem, qui potest eas exequi, vel novam petere commissionem, quæ de stylo Curiæ dicitur *mutatio Judicis*. Si Vicarius Episcopi, cui est commissa dispensatio, non potuit exequi litteras ante mortem Episcopi, prosequi nequit, sed debet nova commissio peti. Si litteræ sint directæ Episcopo, vel Vicario, nulla facta mentione nominis sed tantùm officii, vel dignitatis, successor in dignitate, & officio potest eas exequi; secus verò, si nomen proprium Episcopi, vel Vicarii, exprimatur; quia tunc industria creditur electa, quæ personæ adhæret, & cum persona expirat. Quod si commissio fiat alicui Officiali; v. g. Granatensi, si posteà fiat Archiepiscopus Granatensis, vel alias desinat esse Vicarius, non potest dispensationem exequi, nec commissionem prosequi, quippè cum commissio sit realis, & quasi annexa officio, hoc deficiente, etiam commissio deficit, & transit ad successorem in Vicariatu. Si verò commissio sit personalis poterit de ea cognoscere, cessante Vicariatu, quia satis est fuisse Vicarium tempore, quo Pontifex ipsi dispensationem commissit: nisi fortè ob delictum officio privetur, vel jam habeat statum incompatibilem. *Sanchez de Matr. lib. 7. D. 27. n. 31.*

161 Executor nullam habet jurisdictionem, antequam litteræ originales eidem præsententur, etiamsi aliundè concessas esse sciat: nec matrimonium valet etiam de licentia executoris contractum; *arg. cap. 12. de Appellat. Trid. sess. 22. de Ref. cap. 5. Garc. de Benef. p. 6. cap. 2. n. 8. Sanch. de Matrim. lib. 8. D. 30. n. 12.* in litteris solent oratores absolvi à Censuris, ut sic gratiæ rescripti fiant capaces, *cap. 1.*

de

de Rescript. in 6. Debet ergo executor postquam litteræ ipsi sunt præsentate inquirere, an veræ sint preces, vel falsæ: sufficit tamen, quod hæc cognitio sit extrajudicialis, vel undecumque ipsi precum veritas innotescat, quia hoc arbitrio, & conscientiæ illius relinquitur, si hæc cognitio omittatur, est nulla dispensatio; etiamsi preces veræ sint: quippè non adimpletur conditio rescripti, contenta in illa clausula: *Te de præmissis diligentèr informes*: Et: *Si preces veritate niti repereris, tunc dispenses.* Aliud est quando adjicitur ea clausula: *Si preces veritate nitantur.* Nam tunc sufficit veritas precum, etiamsi nulla præcedat cognitio: siquidem hæc in clausula non præscribitur. *Garc. de Benef. p. 6. cap. 2. num.* 265. *Sanch. de Matr. lib.* 8. *D.* 35. *n.* 15. Debetque alias clausulas in litteris adjectas adimplere. Quod si inveniat clausulas insolitas, & non conformes stylo Curiæ supersedere debet in earum executione, cum ex hoc de dolo, & fraude suspectæ reddantur; *arg. cap. 6 de Crimine falsi.* Similitèr debet supersedere, si aliud impedimentum, præter expressum inter contrahentes inveniat. Si tamen preces veræ sint, nullumque aliud impedimentum obstet, sua sententia hoc declarabit, & juxta formam rescripti dispensabit, & sententiæ sub nomine subscriptæ tradet partibus transumptum authenticum, ut matrimonium contrahant juxta formam Concilii, quæ clausula solet in litteris adjici, sed non tollit, quod Episcopus possit in denuntiationibus dispensare. *Sanch. de Matrim. lib.* 8. *D.* 35. *n.* 19. Executor non potest alteri dispensationem subdelegare; *arg. cap. fin.* §. *Cæterum, de Offic. delegat.* informationem tamen potest alteri committere: nam ad informationem habet jurisdictionem: ad dispensationem tantùm habet nudum ministerium. Executor intuitu dispensationis, nihil potest, nec poculenta, vel esculenta accipere, etiamsi spontè offerantur, nisi fortè post dispensationem factam: vel si ratione stipendii pro labore informationem faciendi aliquid recipiat. *Sanch. de Matr. L.* 8. *D.* 35. *n.* 11. *&* 13. contra *Navarr.* Deindè solet sæpè in rescriptis personæ qualitas adjici, dicendo, vel referendo, esse honestas, nobiles, vel principales. Et quidem si non tantùm narrativè, vel in principio rescripti hæc opponatur qualitas, sed in medio, vel tamquam motivum dispensationis, quod indicatur in illis verbis, *ut asserunt, &c.* Tunc hæc qualitas coram executore est probanda; *arg. L.* 2. *C. de His, qui veniam ætat.* Et sanè *honestus* dicitur, qui honestè vivit, nullaque turpitudine ejus familia laborat. *Nobilis*, qui abstinet, ab his quæ populares exercent. *Procreatus de nobili genere*, qui habet majores, vel saltem parentes nobiles. *Principales loci*, qui excellunt potentia, authoritate, vel opibus. *Sanch. de Matr. lib.* 8. *D.* 19. *n.* 6. Videndus signanter Vincentius de Justis *de Disp. Matrim. lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 122. *& seqq. Pauperes* miserabiles personæ dicuntur, qui ex labore, & industria tantùm vivunt, & de præsenti nulla habent bona, etiamsi habeant spem certam, & jus in futurum ad legatum, vel hæreditatem consanguineorum, sed præcisè suo labore, & industria lucrantur honestam sustentationem, vel agricultura, vel opificio, vel arte non liberali, & debet uterque esse pauper, nec sat est, si unus pauper sit, dummodo alter sit dives; nam numerus pluralis requirit saltem duos. *L.* 12. *ff. de Testib.* Vincentius de Justis *de Disp. Matr. lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 2. atque omninò est videndus à *num.* 72. & vidisse non pœnitebit.

162 Matrimonium, quod ex aliquo impedimento est nullum, ratificari debet posito novo consensu, non merè interno, sed externo, verbis; vel signis constante, qualis requiritur ad actum humanum matrimonii: & quidem utriusque consensus debet intervenire, quippè antecedens fuit nullus, *cap.* 1. *de Spons. D. Thom. in* 4. *D.* 40. *q. un. art.* 4. *ad* 6. *Scot. Covarr. Sanch. de Matrim. lib.* 2. *D.* 32. *ex n.* 2. Debetque præcedere respectu utriusque conjugis notitia nullitatis antecedentis matrimonii; aliàs consensus dependens ab existimatione validitatis prioris matrimonii ex errore procederet: ac proindè ad matrimonium, quod de novo contrahendum est, non deserviret. *L.* 15. *ff. de Jurisdict.* Et hoc deducitur ex tenore litterarum, & Bullæ Cruciatæ, & ex quodam responso *Clem. VIII. Sanch. de Matr. L.* 2. *D.* 36. *n.* 4. *Ponz. de Matr. L.* 4. *cap.* 24. *& alii* contra *Cajet. Angel. Sot. Vera-Cruz, Henriq. de Matr. L.* 11. *cap.* 3. *n.* 6. Idem ob easdem ferè rationes tenendum est, etiamsi nullitas matrimonii proveniat ex defectu consensus præstiti fictè, vel per metum, vel terrorem; ita *Felin. Palacios in* 4. *D.* 27. *disp.* 1. *f.* 566. *Ponz. de Matr. L.* 4. *cap.* 25. ubi hoc ex quadam declaratione *Clem. VIII.* & alia clausula Bullæ Cruciatæ confirmat, contra *D. Thom.*

in

in 4. D. 9. 29. q. un. art. 3. q. 2. ad 2. Div. Bonaventur. Hostiens. Joan. Andr. Navarr. Man. cap. 22. n. 51. & 80. Sanch. de Matrim. lib. 2. D. 32. n. 9. qui probabilissimè tenent, sufficere novum consensum tantùm ex parte illius, qui fictè contraxerat; ac proindè non requiri notitiam nullitatis, nisi tantùm ex parte ejus, qui novum debet ponere consensum. Quæ sententia potest practicari, quando aliquod inveniatur inconveniens in eo, quod conjux de hac nullitate certioretur. Si nullum periculum, vel scandalum timeatur in manifestatione nullitatis clarè manifestari debet; si verò aliquod scandalum timeatur; v. g. periculum vitæ, vel infamiæ, vel desertio liberorum potest revalidari sine determinata notitia de nullitate. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 36. n. 5.* Si impedimentum est occultum, & matrimonium antecedentèr est in facie Ecclesiæ celebratum potest ratificari privatim. Si impedimentum est publicum debet de novo coram Parocho, & testibus celebrari; *arg. Trid. sess. 24. de Reform. matr. cap. 1.* Confessarius advertens impedimentum, quod conjuges ignorant, si nullum timeat inter ipsos scandalum, ipsis illud deteget; secus verò, si scandalum timeat: tunc enim eos in bona fide relinquere oportet.

TIT. XVII.

Qui filii sunt legitimi.

163 Filiorum nomine propriè veniunt solùm immediatè ex parentibus orti, sicut nomine liberorum ulteriores etiam decendentes intelliguntur; & etiam filiæ nominæ filiorum comprehenduntur. *L. 116. L. 201. ff. de V. S.* Fili ergo triplici modo sunt legitimi. 1. ex nativitate. 2. ex subsequente matrimonio: 3. ex rescripto Principis. Si filius 1. modo non sit legitimus, sequitur secundus, dùm filius sit naturalis, & per talem modum ferè in omnibus æquiparatur legitime natis: adeò, ut comprehendatur in statutis requirentibus, aliquem esse legitimè natum. Si secundus modus non habeat locum, sequitur tertius: qui quidem est extraordinarius, & regulariter non conceditur, si filius legitimus, vel saltem naturalis inveniatur, qui per subsequens matrimonium possit legitimari; nisi aliud vellit expressè Princeps legitimans. Alius modus erat olim legitimationis, scilicèt per oblationem curiæ, quando nempè pater liberos, vel eo mortuo ipsi liberi se offerebant curiæ, seu ordini Decurionum, §. *fin. Inst. de Nupt. L. 3. C. de Natur. Liber.* quin etiam, & alii modi legitimandi solent haberi. *D. Thom. in 3. p. Sup. q. 68. art. 3.* Et quidem filii, alii sunt *legitimi*, alii *illegitimi*, *legitimi* alii sunt *legitimi tantùm*, qui, scilicèt, tales sunt, non natura, sed beneficio Legis; quales sunt adoptivi. Alii sunt *legitimi*, & *naturales*, qui, scilicèt, ex justis nuptiis saltem putativis nati sunt, *cap. 2. h. t. pr. Inst. de Patr. potestat. L. 1. tit. 13. p. 4.* ibi: *Aquellos deben ser llamados legitimos, que nascen de padre, é de Madre, que son casados verdaderamente, segun manda Santa Eglesia. Illegitimi* sunt, qui extra matrimonium, saltem putativè tale procreati sunt: quod si inter parentes potuit matrimonium consistere, vel tempore conceptionis, vel nativitatis, vel medio, dicuntur *naturales.* Tales sunt, qui ex solutis nascuntur, etiamsi voto simplici castitatis parentes ligati sint: nam votum simplex castitatis (excepto societatis post biennium) quamvis matrimonium faciat illicitum, non tamen invalidum; *arg. cap. 6. h. t.* filius natus ex soluta, & Clerico in minoribus constituto, vel Novitio Religionis, vel ligato sponsalibus cum alia naturalis est. *Ponc. de Matrim. lib. 11. cap. 2.* quod si matrimonium inter parentes aliquo ex his temporibus non potuit consistere, filii dicuntur *spurii.* Quod si alter eorum erat conjugatus, dicuntur *adulterini*, *cap. 4. 32. q. 4.* si alter erat Religiosus, vel Monialis dicuntur *sacrilegi*: si parentes erant consanguinei, vel affines, dicuntur *incestuosi.* Si nascuntur ex concubitu ascendentium, dicuntar *nefari*, §. 1. *Inst. de Nuptiis.* Nati ex coitu, quem Leges puniunt, quale est adulterium, incestus, sacrilegium, &c. dicuntur nati ex damnato coitu. *Spurius* dicitur, teste *Nebrissensi*, vel quasi *sine patre filius*, vel ab eo, quod *Græcè Sophroni*, Latinè pudenda interpretantur. *Hispane: Bastardo*: dicitur. Naturales de Jure Civili dicuntur, qui nati sunt ex soluto, & concubina, quæ domi, tamquam uxor habita erat, & cum qua nullum erat dirimens impedimentum. *In nostra Hispania*, quinam, ut naturales sint habendi statuitur in *L. 11. Taur. L. 9. tit. 8. lib. 5. R. C. Mandamos, que entonces se digan ser hijos naturales, quando al tiempo que nacieren, ó*

fuer-

fuesen concebidos, sus padres podian casar con sus madres justamente sin dispensacion, con tanto, que el padre lo reconozca por su hijo, puesto que no haya tenido la muger de quien lo huvo en su casa, ni sea una sola. Spurii dicuntur in Jure Civili omnes illi, qui extra matrimonium nati sunt ex alia, quam concubina domi, loco uxoris habita, & etiam appellantur vulgò quæsiti. *L.* 23. *ff. de Statu homin.* Eodem ferè modo distingui. *D. Thom. in* 3. *p. Suppl. q.* 68. *art.* 1. *in corp. Quadruplex est status filiorum, quidam enim sunt naturales, & legitimi, sicut ille, qui nascuntur ex verò, & legitimo matrimonio; quidam naturales, & non legitimi, ut filii, qui nascuntur ex simplici fornicatione; quidam legitimi, & non naturales, sicut filii adoptivi: quidam, nec legitimi, nec naturales, sicut spurii nati de adulterio, vel de stupro.*

164 Legitimi ergo sunt, qui nascuntur ex legitimo, & valido matrimonio, etiam, si ex copula fornicaria ante matrimonium habita concepti sint, quippè non conceptionis, sed partus tempus inspicitur. *L.* 11. *C. de Natural. liber.* Etiamsi nati sunt ex matre adultera, dummodo ex marito potuissent nasci: nam in dubio legitimi censentur; *arg. cap.* 4. *h. t.* quamvis similiores sint adultero, quam marito. Nec filii tenentur credere parentibus, etiam cum juramento, & in articulo mortis asserentibus, eos ex adulterio esse natos, *cap.* 10. *de Probat.* Similiter legitimi sunt nati septimo mense. *L.* 12. *ff. de Statu homin.* vel decimo. *L.* 29. *ff. de Liber. & post.* vel undecimo post mortem mariti: imò, & ulterioribus arbitrio judicis. *Menach. de Arbitr. cas.* 89. *num.* 48. *Paul. Zachias, & alii.* Etiamsi parentes voto simplici castitatis sint ligati proles ex eis nata legitima est, capaxque successionis hæreditariæ, sacrorum ordinum, & beneficiorum Ecclesiasticorum. *Azor p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 6. *q.* 8. si post matrimonium consummatum unus, vel ambo parentes votum solemne castitatis mutuo consensu emiserunt, proles post votum nata legitima erit quoad Civilia, scilicèt hæreditatem, & alia: illegitima tamen quoad Canonica, scilicèt, beneficia, ordines, vel quid simile, *cap.* 14. *de Filiis Presbyter.* Etiam talis erit proles procreata ab eo, qui post matrimonium ratum, nondum consummatum Sacros Ornines suscepit. Si verò quis post matrimonium ratum ingressus est Religionem, & posteà filium ex sua uxore habuit, erit illegitimus, & spurius, siquidem per professionem fuit matrimonium solutum; ac proindè talis filius est natus extra matrimonium. Quando matrimonium est invalidum ob aliquod impedimentum occultum, si tamen in facie Ecclesiæ, & bona fide, saltem ex parte unius contrahentis est contractum, filii ex eo nati legitimi profectò sunt; *arg. cap. fin.* §. *Si quis, de Clandest. Despons.* v. g. si uxor ignoret impedimentum ligaminis, quo vir laborat, *cap.* 14. *h. t. L.* 1. *tit.* 13. *p.* 4. *Barbos. & Gonz. in cap.* 2. *h. t. num.* 4. *Sanch. de Matr. lib.* 8. *D.* 34. *n.* 46. Quod quidem locum habet, etiamsi parentes laborent errore juris, non solùm probabili, sed etiam injusto, & liquidi juris, *arg. cap.* 14. *h. t.* Et deducitur ex quodam responso *Greg. XIII.* ad quæstionem à Maronitis propositam. Nam etiam stante tali errore datur in parentibus bona fides, cum matrimonium in facie Ecclesiæ, & premissis denuntiationibus sit celebratum; *arg. L. fin. ff. de Rit. nuptiar.* nec error parentum nocere debet filiis, in quorum favorem cedit legitimitas: ipsis enim tantùm nocet ignorantia affectata parentum, *cap. fin.* §. *Si quis, de Cland. Despons.* Sic *Covar. de Spons. p.* 2. *cap.* 8. §. 1. *n.* 2. *Barbos. in cap.* 2. *h. t. n.* 3. *& ibid. Gonz. n.* 4.

165 Illegitimi sunt filii nati ex matrimonio invalidè contracto ob impedimentum occultum, si culpabiliter sint omissæ denuntiationes. Sic enim contrahentes scientiam impedimenti, vel saltem ignorantiam affectatam, quæ æquiparatur scientiæ, censentur habuisse: ac consequenter malam fidem, *cap. fin.* §. *Si quis, de Cland. Despons.* In foro tamen conscientiæ talis proles legitima censebitur, cum bona fides habeatur ob ignorantiam invincibilem. Sic *Suar. de Cens. D.* 50. *sect.* 11. *num.* 10. contra *Barbos. in cap.* 2. *h. t. n.* 22. Proles habita cum tali impedimento, quando uterque parens habet scientiam impedimenti ob malam fidem est illegitima, & spuria. *L.* 1. *tit.* 13. *p.* 4. Legitima tamen est, si habita sit, etiam post contestationem litis, sed ante divortium, *cap.* 2. *h. t. L.* 1. *tit.* 13. *p.* 4. quin & post sententiam divortii, si per appellationem est suspensa, vel nondum in rem judicatam transiit. Nam etiam litependente, conjugibus carnale commercium permittitur: ac proinde adhuc sunt in bona fide, *cap.* 2. *Ut litependent. Ponc. de Matrim. lib.* 11. *cap.* 8. *n.* 6. *Barbos. in cap.* 2. *h. t. n.* 13. *Gonz. ibid. n.* 8. Qui dubitant

de

de valore matrimonii ante ipsum, nec adhibita diligentia ad inquirendum impedimentum contrahunt, impedimento posteà detecto, proles illegitima est: quia parentes malam fidem, seu ignorantiam affectatam habuerunt. Si dubium matrimonio bona fide contracto superveniat, etiam posteà detecto impedimento, proles, etiam stante dubio, habita legitima est, quia parentes sunt in fidei bonæ possesione. *c.* 5. 34. *q.* 2. *Gonz. in c.* 2. *h. t. n.* 4. *Sanch. de Matr. L.* 2. *D.* 41.

166 Proles nata ex matrimonio infidelium, contracto cum impedimento Ecclesiastico, legitima est etiam post conversionem infidelium ad fidem. *c. fin. h. t.* Siquidem respectu illorum tale matrimonium est validum, cum jure Ecclesiastico non ligentur. *c.* 8. *de Divort.* nec matrimonium per eorum conversionem irritetur. *c.* 4. *de Consang. & affin.* si impedimentum sit Juris naturalis, & Divini, quo etiam infideles ligantur, matrimonium est invalidum, prolesque illegitima: nisi fortè ipsi bona fide tale matrimonium contraxerunt. *c. fin. h. t.* Sanè: legitimi, quoad dignitatem, gentem, & familiam sequuntur patris conditionem. *L.* 19. *ff. de Statu homin. L. fin. tit.* 13. *p.* 4. causa naturalium, seu legitimitatis, si in ea de jure, & valore matrimonii agatur, ut matrimonio annexa, censetur spiritualis: ac proindè sivè principaliter, sivè incidenter tractetur, debet coram Ecclesiastico agi. *c.* 5. *c.* 7. *h. t.* Adeò, ut sæcularis debeat supersedere in causa principali, donec natalium causa coram Ecclesiastico disquiratur. *c.* 3. *de Ordin. cognit.* si solùm circa factum inquiratur; v. g. an matrimonium sit defacto inter personas habiles contractum, potest Laicus de causa natalium incidenti cognoscere; *arg. c.* 5. *h. t. Barb. in c.* 7. *h. t. n.* 2. *Covarr. & alii.* Deindè filii naturales secus spurii, legitimantur per subsequens matrimonium corumdem parentum, quicumque hi sint: & etiamsi dispares sint in qualitate: & etiamsi fœmina sit meretrix publica: & etiamsi tantùm ratum sit matrimonium, vel à senibus, vel constitutis in articulo mortis contractum, dummodo in facie Ecclesiæ, hoc est, coram Parocho, & testibus, ubi Trid. est receptum contractum sit. Et etiamsi denuntiationes culpabilitèr sint omissæ, nam hæc omissio non redit matrimonium invalidum. Ubi Trid. non est receptum non requiritur illius solemnitas. Tale enim matrimonium fictione juris retrotrahitur ad tempus copulæ cum matre habitæ. *c.* 6. *h. t. L.* 10. *L.* 11. *c. de Natural. liber. L.* 1. *tit.* 13. *p.* 4. Sic exigente matrimonii, & liberorum favore, siquidem filii culpæ parentum pœnam evadunt, & parentes turpitèr conjuncti, filiorum amore, ad matrimonium alliciuntur. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 105. *Ponc. de Matr. lib.* 11. *cap.* 1. *ex num.* 1. *Barb. in c.* 6. *h. t. Gonz. in c.* 1. *h. t. n.* 11. Hinc si Titius, v. g. ex Seja habuit filium naturalem, & posteà contraxit cum Mevia, si hac mortua, cum Seja contrahat, legitimatur filius naturalis: quia matrimonium retrotrahitur ad tempus copulæ. *Ponc. de Matr. L.* 11. *cap.* 1. *n.* 15. *Barb. in c.* 6. *h. t. n.* 7. Hac eadem ratione, si Titius ex Seja habens Sempronium filium naturalem, & ex eo nepotes, si cum Seja contrahat, non solùm vivente, sed etiam mortuo Sempronio, legitimantur nepotes. Nam retrotracto matrimonio, & per illud legitimato Sempronio, consequenter legitimi sunt nepotes respectu Avi; *arg. L.* 5. *ff. de Gradib. & affinib.* ubi adoptatus in filium censetur frater filii naturalis præmortui. *Covar. de Spons. p.* 2. *cap.* 8. §. 2. *Ponce de Matr. lib.* 11. *cap.* 1. *n.* 23. *Barb. in c.* 6. *h. t. num.* 32. contra *Bald. Decium, & alios.* Non solum quando intercedit verum matrimonium legitimantur filii; sed etiam, quando hoc est invalidum ob aliquod occultum impedimentum dirimens, putativè tamen est justum, & validum: quia in facie Ecclesiæ, & ignorantèr est contractum. Si enim tale matrimonium prolem ex eo natam faceret legitimam. *c.* 2. *c.* 14. *h. t.* cur non legitimavit antecedentèr natam? *Suar. de Cens. D.* 50. *sect.* 1. *n.* 10. *Sanch. de Matr. L.* 3. *D.* 42. *n.* 2. *Ponc. de Matr. L.* 11. *c.* 1. *n.* 13. *Gonz. in c.* 2. *h. t. n.* 6. contra *Covarr. de Sponsal. p.* 2. *cap.* 8. §. 2. *n.* 20. *Sarmient. Mol. & alios.* Hac eadem ratione dicendum est, legitimari per matrimonium non solùm prolem verè naturalem, sed etiam eam, quæ cum verè sit spuria, putatur naturalis; v. g. si filius procreatur à consanguineo, vel conjugato, qui à comparte haberetur, ut solutus, & extraneus. Nam talis copula solùm materialitèr esset adulterina, vel incestuosa. *Sylv. Ponc. de Matr. lib.* 11. *cap.* 2. *n.* 8. contra *Covarr. Gutierr. Garc. de Benef. p.* 7. *cap.* 2. *n.* 33. *Molin. tr.* 2. *D.* 172. *n.* 11. *Barb. in c.* 6. *h. t. n.* 42.

167 Ut filii naturales dicantur, sufficit si aliquo ex tribus temporibus conceptionis, scilicèt, nativitatis, vel medio

habiles sint ad contrahendum licèt in aliis irretiti impedimento dirimente inveniantur. *L.* 11. *C. de Natural. liber.* Quod præcipuè in nostra Hispania de Jure Regio tenendum est. *L.* 11. *Taur. L. 9. tit.* 8. *L.* 5. *R. C.* Sicut quodlibet ex his temporibus sufficit ad ingenuitatem, *L.* 5. *L.* 7. *ff. de Stat. homin.* Ac proindè filius conceptus tempore, quo parentes erant inhabiles ad contrahendum ob impedimentum Ordinis Sacri, vel ligaminis, si nascatur tempore, quo tale impedimentum jam erat ablatum per dispensationem, vel alio modo, naturalis est: ac proindè per subsequens matrimonium legitimatur. Sic *Covarruh. de Sponsal. p.* 2. *c.* 8. §. 2. *Sanch. de Matr. lib.* 8. *D.* 7. *n.* 19. *Greg. Lop. in L.* 2. *tit.* 15. *p.* 2. *Ponc. de Matr. lib.* 11. *cap.* 3. *Molin. Barb. & alii.* Contrarium tamen tenent *alii cum Suar. de Cens. D.* 50. *sect.* 1. *n.* 3. In legitimatione præcipuè attenditur favor publicus matrimonii. *c. 6. h. t.* ac proindè, nec parentum, nec aliorum legitimorum filiorum consensus requiritur: imo nec ipsius legitimandi; *arg. L.* 38. *ff. de Pact. c.* 12. *de For. compet.* ut contra aliquos Civilistas tenent *Covarr. de Spons. p.* 2. *cap.* 8. §. 2. *n.* 16. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 172. *n.* 5. *Ponce de Matr. L.* 11. *cap.* 1. *n.* 22. Nec de Jure Canonico, nec Civili requiriuntur ad legitimationem instrumenta nuptialia, quibus dos, vel donatio propter nuptias constituatur, cum nec ad valorem matrimonii requirantur, ut contra aliquos tenent *Ponc. de Matr. L.* 11. *cap.* 1. *n.* 18. *& alii.* Filii naturales, secuto parentum matrimonio, non solùm legitimi censentur, sed verè legitimi sunt. *Barbos. & Gon. in c. 6. h. t. n.* 4. Ac per omnia aliis fratribus legitimè natis æquiparantur. Et eorum legitimatione revocatur donatio omnium bonorum; *arg. L.* 8. *C. de Revoc. donation.* Habentque querelam, retractum, &c. nobilitatem paternam consequuntur, armis, ac insignibus familiæ uti possunt. *Triaque de Nobil. cap.* 15. *n.* 21. *Gonz. in c.* 1. *h. t. n.* 9. Suntque capaces Sacrorum Ordinum, beneficiorum, & dignitatum, Cardinalatu excepto *ex Const. Sixt. V. Postquam* 1590. Possunt tamen in Episcopos eligi. *Barb. in c. 6. h. t. n.* 24. *&* 25. Succeduntque in hæreditatem legitimam parentum, & cognatorum, in feuda, emphitheusim Ecclesiasticam fideicommissa, in Regna, Principatus, & majoratus, & alia hujusmodi. Siquidem fictione juris creduntur nati ex legitimo matrimonio. Itaque sic legitimatus præfertur filius legitimè natis post ejus legitimationem: imò juxta plures, etiam natis ante ejus legitimationem, si nati sint post illius nativitatem: v. g. Titius habuit Sempronium ex Titia soluta *ann.* 1720. Posteà *ann.* 1724. contraxit cum Seja, ex qua habuit filios legitimè natos; posteà *ann.* 1730. mortua Seja contraxit cum Titia, Sempronius ergo Titiæ filius legitimatus jam per matrimonium præfertur in majoratu suis fratribus legitimè natis. Sic *Felin. Covar. de Spons. p.* 2. *cap.* 8. §. 2. *n.* 35. *Ponz. de Matr. L.* 11. *cap.* 11. *n.* 9. Dicendum tamen est, quod licèt hæc legitimatio prossit filiis naturalibus, quando nullum legitimi præjudicium sequitur; non tamen illis prodest, ut præferantur antea legitimè natis: quia jus prælationis quæ situm habent in majoratum, quod non potest tolli per privilegium legitimationis factæ per subsequens matrimonium, siquidem tale privilegium non debet esse legitimis damnosum. Deindè mater filii legitimè nati posset conqueri tanquam decepta, si suo filio naturalis præferretur: cum fortè si hoc sciisset, non consensisset in matrimonium. Et probatur *ab arg. L.* 12. *Taur. L.* 10. *tit.* 8. *lib.* 5. *R. C.* Sic *Molin. de Primogen. Azor, Greg. Lop. in L.* 2. *tit.* 15. *p.* 2. V. *Sino el fijo mayor. Gom. in L.* 12. *Taur. n.* 64. *Cifuentes Cevallos, & alii apùd, & cum Gonz. in c. 6. h. t. num.* 9. Et hanc sententiam vocant communiorem. *Barb. in c. 6. h. t. n.* 23. *Azev. in L.* 10. *tit.* 8. *lib.* 5. *R. C. n.* 15. Quando verò fundator majoratus excludit à successione legitimatum per subsequens matrimonium, cum hoc à voluntate dependeat fundatoris, non potest in majoratum succedere; si verò non excludatur modo dicto, sed vocetur ad majoratum filius legitimus ex legitimo matrimonio natus, potest succedere filius naturalis legitimatus, quia jam per subsequentem matrimonii retrotractionem intelligitur de legitimo matrimonio natus; *arg. c. 6. h. t. L.* 1. *tit.* 13. *part.* 4. Sic tenent *Ponc. de Matr. L.* 11. *c.* 11. *n.* 10. *Molin. de Primog. L.* 3. *c.* 1. *n.* 10. contra *Barb. in c. 6. h. t. n.* 22. *Gonz. in c. 6. h. t. n.* 10. *& alios.*

168 Ultra prædictos modos, quibus filii, vel nascuntur, vel fiunt legitimi, datur legitimatio per rescriptum Principis facta. Et quidem solus Supremus Princeps Superiorem non recognoscens potest legitimare, vel jus legitimandi com-

commitere. *c.* 13. *h. t. Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 173. *n.* 7. *Ponz. de Matr. L.* 11. *cap.* 5. *n.* 1. Sic Rex in suo Regno legitimare potest suos subditos, non alius, & quidem, quoad effectus tantum profanos, non verò quoad Ecclesiasticos; *arg. c.* 13. *h. t.* Nam legitimatio est actus jurisdictionis saltem voluntariæ, quæ in non subditum nequit exerceri. *Covar. de Spons. p.* 2. *cap.* 8. §. 8. *n.* 44. *Ponze de Matr. L.* 11. *c.* 6. *n.* 2. Nec potest extendi ad effectus extra legitimantis potestatem existentes. Similitèr Papa in territorio suo dominio temporali subjecto legitimare valet, etiam quoad effectus temporales. *c.* 13. *h. t.* quoad effectus tamen Ecclesiasticos potest in universali Ecclesia legitimare ex universali potestate, quam habet: secus quoad sæculares, nisi alicujus Regni, vel Provinciæ gravis necessitas spiritualis: v. g. fidei, seu Religionis id exposceret. *Covar. de Sponsal. p.* 2. *cap.* 8. §. 8. *n.* 18. *Sanch. de Matr. L.* 8. *D.* 7. *n.* 1. *Ponze de Matr. L.* 11. *cap.* 6. *n.* 6. Indirectè tamen potest ubique legitimare, vel declarando validum matrimonium, de cujus valore dubitatur, vel si certè nullum est ob aliquod impedimentum: & quidem tantùm Ecclesiasticum, dispensando in radice matrimonii, hoc est tollendo impedimentum, vel derogando Legem Ecclesiasticam, qua cessante, cum matrimonium validum sit, filii ex eo nati absolutè legitimi sunt, quoad omnes effectus, non tantùm Ecclesiasticos, scilicèt ad ordines, beneficia, & dignitates; sed etiam ad hæreditatem, feuda, majoratus, aliosque effectus sæculares: quin obstet, quod pater sit præmortuus, nec quod legitimatio, causa id exigente, aliquomodo in præjudicium cedat tertii. Sic contra *Nav. Molin. de Just. & Jur. tr.* 2. *D.* 624. *& alios*, tenent *Ponze de Matr. L.* 11. *cap.* 5. *n.* 9. *Sanch. de Matr. L.* 8. *D.* 7. *n.* 4. *ubi plures* refert, & concludit: & his diebus in hoc Prætorio Granatensi sententia pars hæc difinita est. *Gonz. in c.* 13. *h. t. num.* 22.

169 Ut rescriptum valeat debet in libello, in quo legitimatio impetratur, exprimi. 1. causa, quæ ad legitimationem debeat movere. 2. an extent liberi legitimi 3. an legitimandus sit spurius, vel naturalis. Si naturalis, an posset sine patris dedecore per matrimonium legitimari: si superius, an natus sit ex incestu cum matre, filia, vel sorore habito, vel an ex sacrilegio; & tunc an natus sit ex Sacerdote, Moniali, Religioso, vel utroque simul: vel an ex adulterio natus sit. *Ponz. de Matrim. lib.* 11. *cap.* 7. Per rescriptum enim Principis non solùm filii naturales, sicut per subsequens matrimonium: sed etiam spurii, & nati ex coitu damnatio legitimari possunt. Magnum tamen versatur discrimen inter hos legitimatos. Nam per subsequens matrimonium legitimatus omnia jura legitimatorum, præter posse ad Cardinalatum assumi, adquirit: legitimatus per rescriptum solum habilitatur quoad ea, quæ nullo modo in præjudicium legitimorum cedunt: nec ipse succedit in feudum, majoratum, & similia, nisi hoc in rescripto, saltem in genere exprimatur. Ac prohindè legitimatio à Principe concessa, natis filiis legitimis cessat, & revocatur quoad paternam succesionem; *arg. L.* 8. *C. de Revoc. donat.* Et quidem in nostra Hispania etiamsi à Principe, quis sit legitimatus expresse, ut succedat in hereditates ascendentium, natis legitimis, evanescit quidem talis legitimatio quoad hunc effectum; secus quoad alios: imò etiam cessat legitimatio per rescriptum, si post ipsam, filii naturales per subsequens matrimonium legitimentur. *L.* 12. *Taur. L.* 10. *tit.* 8. *lib.* 5. *R. C.* Et concludit: *Pero en todas las otras cosas, assi en suceder à los otros parientes, como en honras, y preheminencias, que han los hijos legitimos, mandamos, que en ninguna cosa defieran de los hijos nacidos de legitimo matrimonio.* Legitimatio per Principem non alitèr fit, quam patre consentiente: imò, & libello supplici legitimationem petente, ipsoque filio legitimando, saltem non contradicente, vel ratum habente, aliisque liberis legitimis, si extent, consentientibus: quia Princeps non censentur velle legitimare cum eorum præjudicio. Non verò requiritur, consensus cognatorum, alias ab intestato venientium: quippè adhuc non habent jus aliquod, sed tantùm spem ad bona. *Ponze de Matr. L.* 11. *cap.* 7. *Gonz. in c.* 13. *ex n.* 21. In nostra Hispania non prodest, hæc legitimatio ad nobilitatem obtinendam, & ad habendam exemptionem à tributis, hoc est: *No se estienden à hidalguia, ni exempcion de pechos, y tributos. L.* 12. *tit.* 2. *lib.* 6. *Recopil. Castellana.*

TIT. XVIII.

Qui matrimonium accusare possint, vel contra illud testificari.

170 NON agitur in præsenti de accusatione, seu denuntiatione impedimenti matrimonii, quando hoc adhuc non est contractum; siquidem tunc omnes de Populo possunt, quin & tenentur illud Parocho, vel Judici Ecclesiastico denuntiare, ut in *tit.* 3. *hujus Libri* dictum est. Nunc agitur, quando matrimonium jam est contractum, & potest acusari, seu impugnari, vel quoad separationem, quoad vinculum; vel quoad divortium, quoad cohabitationem tantùm: & tunc solus conjux inocens, in cujus favorem jus divertendi principalitèr est introductum, potest acusare matrimonium, si vult, & potest similitèr non accusare: siquidem huic juri renuntiare valet. *c.* 4. *de Adulter. L.* 2. *tit.* 9. *p.* 4. Hac eadem ratione soli conjuges admittuntur ad impugnandum matrimonium, ut tamquam invalidùm dissolvatur, quando ejus nullitas provenit ex impotentia, errore circa personam, aut conditionem, vel ex metu: quippè conjux potest impotenti, tamquam frater sorori cohabitare. *c.* 4. *de Frigid. & malefic.* Et errore, & metu cessantibus potest de novo in matrimonium conjux metum passus consentire. *c.* 2. *& fin. de Conjug. serv. c.* 4. *h. t. c.* 21. *de Spons. L.* 1. *tit.* 9. *p.* 4. Si verò ob consanguinitatem, affinitatem, vel publicam honestatem matrimonium dissolvi intendatur, admittuntur parentes, & consanguinei hisque deficientibus vicini: quia meliorem impedimenti notitiam possunt, & solent habere. *c.* 3. *h. t.* Quando ex alio impedimento impugnatur, non solùm conjuges, sed, & alii, qui non repelluntur præcipuè si illorum intersit admituntur. *arg. c.* 1. *de His quæ vi. L.* 3. *tit.* 9. *p.* 4.

171 Ab accusatione ergo repelluntur. 1. qui falso, & malitiose accusare præsumuntur. *c.* 14. 2. *q.* 1. 2. qui accusant, vel ab accusando desistunt pecunia accepta turpis quæstus causa. *cap.* 5. *h. t. L.* 4. *tit.* 9. *p.* 4. 3. qui non manifestarunt impedimentum, cum proclamationes sunt factæ: nisi jurent, vel proclamationes ignorasse, vel earum tempore notitiam impedimenti non habere. *L.* 5. *tit.* 9. *p.* 4. 4. Qui absentes accusant per litteras, non personalitèr; nisi alia suffragantur adminicula *c.* 2. *h. t.* 5. Mulier quæ invita ab initio, & metu coacta contraxit, sed copulam posteà admisit. *c.* 4. *h. t.* Quando impugnatur matrimonium contrahendum, sufficit semiplena probatio per famam communem, vel per unum testem, etiamsi sit denuntiator: quia tutior via in tali dubio sequenda est, cum agatur de peccato vitando. *c.* 12. *de Sponsal. c.* 2. *de Consanguinit. c.* 4. *de Testib. L.* 18. *tit.* 9. *p.* 4. si matrimonium jam est contractum, non aliter dissolvitur, quam si adsit plena probatio per duos testes juratos omni exceptione majores. *c.* 23. *de Testibus*, si hæc desit, vel aliud dubium juris insurgat pro matrimonio, non contra illud est pronuntiandum; quia præsumptio est pro matrimonio, in cujus, possesione sunt conjuges præcipuè, quia matrimonii causa favorabilis est *c. fin. de Sent. & Re judic.* Et ut occasio collusionis tollatur, non est credendum conjugibus, etiamsi ambo defectum, vel delictum, ex quo esset dissolvendum fateantur. *c.* 5. *de Eo, qui cognovit.* Si tamen non dissolutionem, sed dispensationem petant, quia cessat collusionis periculum, ipsis creditur. Ad probanda autem ea, quæ ab accusatore objiciuntur, debent in testes admitti illi, qui non sint suspectæ fidei, & meliorem notitiam controversiæ habere creduntur. *c.* 47. *de Testib.* etiam si pater sit, vel consanguinei, præcipuè, cum de consanguinitate, vel affinitate, vel publica honestate agitur. *c.* 3. *h. t. c.* 5. *de Testibus*, etiamsi pro matrimonio sustinendo contra accusatorem deponant. Repelluntur tamen à testimonio dicendo. 1. qui sunt suspectæ fidei; v. g. qui ad deponendum, vel non deponendum, pecuniam accipit. *c.* 1. *de Testib.* 2. Qui matrimonium accusat, ne idem accusator, & testis sit, nisi fortè sit denuntiator & Judex ex officio inquirat: tunc enim admittitur, *arg. c.* 4. *de Testib.* 3. Qui non viva voce, sed absentes per litteras testificantur. *c.* 2. *h. t.* nisi aliud suadeat consuetudo. De quibus agitur *in L.* 15. *L.* 16. *L.* 17. *tit.* 9. *p.* 4. Matrimonium semper impugnari potest, etiamsi pro ejus valore sententia lata sit: eam hæc numquam transit in rem judicatam. *c.* 7. *de Sent. & Re judic.* Ob vitandum periculum peccati, quod ex cohabitatione non conjugum resultaret. Sed cum hæc ratio, mortuis conjugi-

bus,

bus, cesset, si tunc filiis moveatur lis, qua earum legitimitas ob nullitatem matrimonii impugnetur: tunc sanè habet locum Jus Commune, quo actiones civiles quæcumque sint, 30. vel 40. criminales, seu accusationes, 20. annis præscribuntur, & extinguuntur.

172 Causa matrimonialis ad Judicem Ecclesiasticum pertinet. *c.* 3. *de Ordin. cognit. c.* 5. *c.* 7. *Qui filii legit. Trid. sess.* 24. *de Matr. Can. fin.* quia matrimonium est Sacramentum, ac proinde est res spiritualis, cujus cognitio ad Ecclesiasticum spectat. *c.* 2. *c.* 3. *de Judic.* Etiam si incidat in causam secularem, quæ apud Laicum agitur; quia hic adeò incapax ejus cognitionis est, ut neque sumariè de ea cognoscere valeat; nisi de mero facto agatur: quippè tunc potest cognoscere, ut sæpè diximus. Nomine matrimonii veniunt, quæ cum ipso sunt connexa, ut sponsalia, impedimenta matrimonii, & eorum dispensationes, jura, & obligationes conjugum, & sponsorum, prolium legitimitas, & benedictio nuptialis. Nam accesorium sequitur principalis naturam *c.* 42. *de Regul. jur. in 6.* Causa dotis, donationis propter nuptias, hæreditatis, alimentorum, & aliæ hujusmodi ad forum Sæculare spectant, nisi in causam matrimonialem incidant. Tunc namque de eis Ecclesiasticus cognoscit, cujus jurisdictio ad has causas prorogatur: nam licèt sit incompetens respectu illarum, non tamen incapax. *c.* 3. *c.* 6. *c.* 7. *de Donat. inter virum, & uxor.* Judex causarum matrimonialium est 1. Episcopus, non Prælatus inferior. *c.* 12. *de Exces. Prælat. Trid. sess.* 24. *de Ref. Matr. cap.* 20. 2. Capitulum Sedevacante; *arg. c.* 11. *c.* 14. *de Major. & Obedient.* 3. Vicarius generalis Episcopi, vel capituli, etiam sine speciali mandato. *c. fin. de Cognat. spirit. c.* 1. *de Frigid. & malef. L.* 2. *tit.* 9. *p.* 4. ibi: *E tal acusacion debe ser fecha ante el Obispo, ò ante su Oficial.* 4. Prælati exempti habentes jurisdictionem quasi Episcopalem in certo territorio, & in ejus populum. 5. Habentes privilegium Pontificis. 6. Delegati ad has causas à Papa, vel Episcopo: delegati tamen non possunt has causas suddelegare; *arg. c. fin. de Offic. deleg.* Qui sunt muniti præscriptione, non quadragenaria, ut olim, sed immemoriali prout à Sacra Congregat. declaratum testatur. *Gonz. in Reg.* 8. *Cancel. Gloss.* 33. *n.* 5. *Sanch. de Matr. lib.* 3. *D.* 29. *& aliis.* ☞ Benedictus XIV. novissimè providit pro gravitate causarum matrimonialium, quod quando ageretur de matrimonii dissolutione, vel nullitate, defensor matrimoniorum asignetur, qui in omnibus instantiis debeat citari, & audiri in favorem matrimonii, & à sententia nullitatis appellare. Præterea quod numquam dissolvatur matrimonium, nisi interveniant pro nullitate duæ sententiæ penitùs similes, & conformes, à quibus neque pars, neque defensor matrimonii crediderint appellandum: sic in Constit. *Dei miseratione.* Ann. 1741. *

TIT. XIX.

De Divortiis.

173 *Divortium*, sic dictum est, vel à *diversitate mentium*, vel quia in *diversas partes* eunt, qui distrahunt matrimonium. *L.* 2. *ff. h. t.* Sanè *inter divortium, & repudium hoc interest, quod repudiari, etiam futurum matrimonium potest, non rectè autem sponsa divortisse dicitur. L.* 191. *ff. de V. S.* Divortium ergo est viri ab uxore, vel è contra legitima separatio. *c.* 18. 33. *q.* 2. *L.* 191. *ff. de V. S. L.* 1. *tit.* 10. *p.* 4. ibi: *Divortium en Latin, tanto quiere decir en Romance: como departamiento; è cosa, que departe la muger del marido, è el marido de la muger, por embargo que hà entre ellos, quando es probado en juicio derechamente.* Si latè sumatur, comprehendit etiam dissolutionem matrimonii, quoad vinculum, vel quia nullitèr erat contractum, & declaratur invalidum; vel quia matrimonium nondum consummatum, licèt validè contractum, dissolvitur per professionem Religiosam. Sed strictè, & propriè significat separationem, sivè perpetuam, sivè temporalem, quoad thorum, & cohabitationem tantum, vinculo matrimonii permanente. Matrimonium validum inter christianos contractum postquam semel consummatum est, nunquam dissolvitur; nisi alterius conjugis morte, ut constat ex illo *Christi D. apud Matth.* 19. *v.* 6. *quod Deus conjunxit, homo non separet.* Et ut *Apost.* ait. 1. *ad Cor.* 7. *v.* 39. *Mulier alligata est Legi, quanto tempore vir ejus vivit. D. Thom. in* 3. *p. Sup. q.* 67. *art.* 4. *in corp.* Qui & alii Textus de matrimonio consummato debent intelligi, sic Ecclesia declarante. *c.* 2. *c.* 7. *de Convers. conjugat. L.* 4. *tit.* 10. *p.* 4. ibi: *E por ende ha departamiento entre los casamientos, que facen los Christianos, è los de las otras leyes: Ca segun Santa Eglesia manda, nunca el casamiento se destruye, pues que es fecho dere-*

derechamente, maguer venga, y divorcio, mas siempre tiene en vida daquellos, que el ficieron, è nunca puede casar ninguno de ellos, mientras que viviere el otro. Matrimonium enim consummatum significat conjuntionem Christi cum Ecclesia per assumptionem naturæ humanæ. *c.* 5. *de Bigamis*, quæ conjunctio cum perpetua, & indissolubilis sit, similitèr perpetuum, & indisolubile debet esse matrimonii vinculum. Matrimonium etiam Hereticorum consummatum non alitèr dissolvitur, quam morte alterutrius, etiamsi errore privato contrahentes credant, matrimonium esse solubile. Nam si saltem in genere intendant contrahere matrimonium, ut est institutum, & necessarium ad procreationem prolis. (Et in dubio hanc intentionem habere censentur favore matrimonii; *arg. c. fin. de Sent. & Re judic.*) Tunc hæc intentio generalis prævalet errori privato: ac proindè verum, & indisolubile matrimonium contrahunt: secus est, quando consensum tali errori alligant contrahentes. Siquidem matrimonii substantiæ repugnat. Et tunc, nec valet, nec sufficit talis consensus ad verum matrimonium. *c. fin. de Condit. apposit.*

174 Fide Divina est certum, matrimonium fidelium consummatum, non dissolvi quoad vinculum adulterio alterutrius. *Conc. Florent. in Decret. de Union.* §. *Septimum*, *Trid. sess.* 24. *de Sacr. Matr. Can.* 7. quod docetur juxta Evangelicam, & Apostolicam Doctrinam. *Luc.* 16. *v.* 18. *Marc.* 10. *v.* 11. *Apost.* 1. *Cor.* 7. *c.* 47. *Apostol.* Opponunt tamen contra hanc veritatem aliqui Hæretic. 1. Illud Christi Domini apud *Matth.* 5. *v.* 31. & 32. *Omnis, qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mæchari, & qui dimissam duxerit adulterat.* Et alibi apud ipsum *Matth.* 19. *v.* 9. *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur.* Cum ergo, & exceptio firmet regulam in contrarium; *arg. c.* 4. *de Reg. jur. in* 6. *L.* 4. *C. de Transact.* & solùm causa fornicationis sit excepta, sequitur non mæchari eum, qui ob fornicationem dimittit uxorem, & aliam ducit. Nec hic Text. potest intelligi de dimisione quoad thorum, sed de dissolutione vinculi matrimonii alias Christus D. non respondisset quæstioni Phariseorum, nam hi de dissolutione matrimonii rogabant, non de divortio quoad thorum. Nec solùm causa fornicationis exciperetur à Christo, nam ex aliis itidem causis potest, quoad thorum, & cohabitationem, dimitti uxor. Dicendum est tamen, quod Christus D. fuit interrogatus à Pharisæis, quando viro liceret uxorem dimittere, quæ dimissio duo continet, vel separationem, quoad vinculum, vel quod thorum tantùm, primam fieri negavit, hanc ex causa fornicationis, non ex quacumque, ut Judæi credebant, posse fieri respondit. Nec divortium novæ Legis subrogatum est in omnibus repudio veteris. Nam repudium significat dissolutionem, quoad vinculum: divortium, quoad cohabitationem tantùm. *Abulens. in Matth.* 19. *q.* 76. *ad* 5. sensus ergo istius Textus est, quicumque dimisserit uxorem suam extra causam fornicationis mæchatur, aut facit eam mæchari, quia eam sine causa justa dimittens, præbet ei occasionem mæchandi, & ipsi fornicatio imputatur. Hoc suadent alii Text. scilicèt *Marc.* 10. *v.* 11. *Luc.* 16. *v.* 18. 1. *Cor.* 7. *v.* 10. Quibus generalitèr negatur dissolutio quoad vinculum, & Textus scripturæ debent inter se concordari; *arg. Text. in c.* 29. *de Elect. in* 6. Christus D. solùm fornicationem excepit, quia fornicatio est unica causa faciendi divortium perpetuum, & absolutum: licèt plures aliæ dentur ad divortium faciendum ad tempus certum, vel incertum. *Trid. sess.* 24. *de Sacram. Matrim. Can.* 8. 2. *Zachrias Papa in c.* 23. 32. *q.* 7. ait: *Concubuisti cum sorore uxoris tuæ? Si fecisti, neutram habeas, & si illa, quæ uxor tua fuerit conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino, cui velit.* Ergo quia dissolvitur matrimonium per adulterium. *Resp.* quod neutri, altero superstite, permittitur matrimonium. *c.* 22. 32. *q.* 7. altero verò mortuo, permittitur innocenti, secus adultero, cui in pœnam delicti matrimonium secundum prohibetur. Et olim erat unum ex impedimentis impedientibus. *Sic communitèr DD.* 3. *D. Ambros. in c.* 17. 32. *q.* 7. ait: *Uxor à viro non discedat, nisi causa fornicationis, quod si discesserit, aut maneat innupta, aut reconcilietur viro suo, & vir similitèr non dimittat uxorem*: & addit *D. Ambrosius*: *ideò non subdit de viro, quod de uxore præmisit, quia viro licet ducere aliam.* Ergo quia matrimonium dissolvitur adhuc uxore vivente; alias viro non liceret aliam ducere. *Resp.* quod iste Textus est suppositus, siquidem *D. Ambros. in c.* 4. 32. *q.* 4. & *c.* 2. 33. *q.* 2. credit, utriusque conjugis æquam esse conditionem. Si ergo D. Ambrosio hunc tribuimus Textum, dicendum

dum est, locutum fuisse secundum Legem Juliam, qua marito innocenti permittebatur matrimonium, secus uxori adulteræ. 4. *c.* 6. 31. *q.* 1. ex Concilio apud Vermerias, vel Vvormatiam ait: *Si quæ mulier in mortem mariti sui cum aliis consiliata sit, & ipse vir aliquem illorum se defendendo occiderit, si probare potest ille vir eam ream esse confilii, potest (ut nobis videtur) ipsam uxorem dimittere, & si voluerit, aliam ducere. B. quod hic testus est intelligendus juxta c.* 1. *h. t.* ubi dicitur: *Potest ipse post mortem uxoris, si volverit aliam ducere, ipsa autem insidiatrix pœnitiæ absque spe conjugi stet subjecta.* Quæ omnia clare explicantur *in L.* 2. *tit.* 10. *p.* 4. ibi: *Fueras ende en el departamiento, que fue fecho por razon de adulterio, cà podria casar el que fincasse vivo despues que muriesse el otro.*

175 In Lege Naturæ fuit matrimonium indissolubile ex *Matt.* 19. ubi Christus Pharisæis de repudio interrogantibus respondit: *Ab initio autem non fuit sic.* In Lege autem Moysis, seu scripta Judæis fuit permissum repudium. *Deutr.* 24. ibi: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo sua, vel certè mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem.* In qua Lege ait *D. Thom.* 3. *p. Sup. q.* 67. *art.* 5. *in corp.* duo erant permissa, scilicèt, dimitere uxorem, & uxorem dimissam alteri jungi: & duo præcepta, scilicèt, scriptura libelli repudii, & quod iterum, maritus repudians, eam accipere non possit. Permittebatur enim repudium ad vitandum uxoricidium, ad quod incitabat odium contra uxorem conceptum, vel ob uxoris fornicationem, vel ob lepram, vel aliam fœditatem corporis, vel animæ in quo variant DD. Hoc quidem repudium juxta aliquos licitum erat ex dispensatione Divina, quod videtur probari ex eo quod Prophetæ non reprehendisent repudium, & alias per ipsum dissolvebatur matrimonium. *Deut.* 24. *L.* 4. *tit.* 10. *p.* 4. & hanc partem tuentur *D. Chrisostom. Alb. Mag. Durand. Abul. Palac. Belarm. Sanchez de Matr. lib.* 10. *D.* 1. *n.* 7. *Ponc. de Matr. lib.* 7. *cap.* 50. *n.* 1. *Gonz. in c.* 1. *h. t. n.* 6. dicendum tamen est, quod tàm repudium, quam matrimoniumq uod cum alio contrahebat repudiata, solùm permittebantur, quatenus non puniebantur, ut sic majora vitarentur mala: ut satis clarè ex illis verbis Christi D. apud *Matth.* 19. *v.* 8. *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permissit vobis dimittere uxores vestras*: deducunt *D. Hieronym. L.* 1. *com. in Matt. c.* 5. *& L.* 3. *c.* 19. *D. Bonav. Covarr. de Spons. p.* 2. *c.* 7. §. 4. *n.* 4. *& alii*, & præcipue *Magist. Sent. in* 4. *D.* 33. *p.* 2. ibi: *Permisit Moyses aliam ducere, dato priori libello, quod propter duritiam cordis eorum permissum Christus dicit: non ut concederetur dissidium, sed ut tolleretur homicidium; permisit fieri mala, ne fierent pejora. Et ibid. D. Thom. art.* 2. *q.* 2. *in corp.* hanc sententiam communiorem dicit, quamvis ipse utramque probabilem judicet. Hanc permissionem Judæis factam fortè, ut exemplar sumpserunt Cretenses, Athenienses, Romanæ, & aliæ Gentes, apud quas repudium maximè viguit. *L.* 2. *ff. h. t.* & divortia frequentissima erant, ut testantur *Martial. l.* 6. *Epigr.* 7. *Aut minùs, aut certè, non plus tricesima lux est, & nubit decimo jam Thelesina viro.* Nam ex qualicumque, etiam levi causa, divortium fiebat, ut lepide depingit *Juvenalis*: *Si verum excutias facies, non uxor amatur: tres rugæ subeant, & secutis arida laxet, fiant obscuri dentes, oculique minores: collige sarcinulas, dicit libertus, & exi.* Hodie vero tàm Judæis, quàm aliis illicitum est repudium: siquidem à Christo D. fuit revocatum, & ad primevam indissolubilitatem redactum est matrimonium. *Matth.* 19. *v.* 6. *c.* 8. *h. t.* ibi: *Cum tale repudium veritas in Evangelio reprobaverit.* Et quidem attenta præcisè natura matrimonii aliqualem inseparabilitatem, & indissolubilitatem habet, quæ quidem etiam competit matrimonio rato de Jure Divino, & Naturali, ut probatur ex *c. un. de Voto in* 6. *Trid. sess.* 24. *de Matr. princ.* majorem tamen inseparabilitatem sibi ratione Sacramenti arrogavit. Sic *D. Th. in* 3. *p. Sup. q.* 67. *art.* 1. *in corp.* ibi: *Resp. dicendum, quod matrimonium ex intentione naturæ ordinatur ad educationem prolis, non solùm ad aliquod tempus, sed per totam vitam prolis. Undè de Lege naturæ est, quod parentes filiis thesaurizent, filii parentum hæredes sint, & ideò cum proles sit commune bonum viri, & uxoris, oportet eorum societatem perpetuo permanere indivisam secundum Legis naturæ dictamen, & sic inseparabilitas matrimonii est de Lege naturæ.* Et posteà *ad* 2. ait: *Quod inseparabi-*

li-

lites competit matrimonio, secundum quod est signum perpetuæ conjunctionis Christi; & Ecclesiæ, secundum quod est in officium naturæ ad bonum prolis ordinatum, sed quia separatio matrimonii magis directè repugnat significatione quam prolis bono, cui ex consequenti repugnat inseparabilitas matrimonii magis in bono Sacramenti intelligitur, quam in bono prolis, quamvis in utroque intelligi possit. Sic plures cum *Sanch. de Matr. lib. 2. D. 13.*

176 Matrimonium infidelium, etiam consummatum potest disolvi in favorem Religionis, & fidei ex Divina dispensatione, etiam quoad vinculum. 1. Si uno ad fidem converso alter cum eo renuit cohabitare, ex eo quod sit conversus ad fidem per susceptionem baptismi. Ita *Apost. 1. ad Cor. 7. ex. v. 13.* ibi: *Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum: sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi. c. 3. c. 4. c. 7. & seq. 28. q. 1. c. 7. c. 8. h. t. L. 3. tit. 10. p. 4.* Quando infidelis utique consentit cohabitare converso, non tamen aliter cohabitaret, quam cum creatoris contumelia, quatenus fidem, nomenque Dei, & Christi contemnat, domesticorum conversionem prohibeat, vel conjugem fidelem ad peccatum inducat, *c. 4. c. 5. c. 6. 28. q. 1. L. 3. tit. 10. p. 4. c. 7. h. t.* ibi: *Si enim alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, altero, vel nullo modo, vel non sine blasfemia Divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente: qui relinquitur ad secunda, si voluerit, vota transibit: & in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus, si infidelis discedit, discedat: frater enim, & soror non est servituti subjectus in hujusmodi. Et Canonem etiam, in quo dicitur: contumelia creatoris solvit jus matrimonii circa eum, qui relinquitur, si verò alter fidelium conjugum, vel labatur in hæresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus, quod in hoc casu is, qui relinquitur, vivente altero, posset ad secundas nuptias evolare; licèt in hoc casu major appareat contumelia creatoris: nam etsi matrimonium inter infideles existat, non tamen est ratum: inter fideles autem verum, & ratum existit: quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus, illo durante perduret.* In his tamen casibus, non statim matrimonium dissolvitur; sed tunc quando fideles aliud matrimonium contrahit; *arg. c. 8. h. t. c. 2. c. 28. q. 2.* Nam ibi dicitur absolute, quod per baptismum non solvuntur conjugia. *D. Thom. in 3. p. Sup. q. 59. art. 6. in corp.* ibi: *Respondeo dicendum, quod fornicatio corporalis, & infidelitas specialem habent contrarietatem ad bona matrimonii. Undè specialem habent vim separandi matrimonia: sed tamen intelligendum est: quod matrimonium dupliciter solvitur: uno modo quantùm ad vinculum, & sic non potest solvi postquam matrimonium est ratificatum, neque per infidelitatem, neque per adulterium, sed si non est ratificatum solvitur vinculum permanente infidelitate in altero conjugum: si alter conversus ad fidem, ad aliud conjugium transeat. Non autem solvitur vinculum prædictum per adulterium: aliàs infidelis liberè posset dare libellum repudii uxori adulteræ, & ea dimissa aliam ducere, quod falsum est. Alio modo solvitur matrimonium, quantum ad actum. Et sic solvi potest tàm per infidelitatem, quàm per fornicationem spirituale, sed propter alia peccata non potest solvi matrimonium, in quantum ad actum; nisi fortè ad tempus se velit vir subtrahere à consortio uxoris ad castigationem ejus substrahendo ei præsentiæ suæ solatium.* Consentiunt *D. Bonav. Navar. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 75. n. 4. Ponc. de Matrim. lib. 7. c. 48. n. 17. & alii* contra *Gloss. in c. 7. h. t. Abul. Abbat. & alios.* Hinc est, quod infidelis non potest matrimonium novum contrahere, antequam conversus ad fidem novum contrahat matrimonium: siquidem antea non est dissolutum antiquum: alio tamen jam contracto matrimonio à converso ad fidem, potest & ipse infidelis, non solùm valide, & facile ab omnibus conceditur: siquidem jam primum solutum est, sed etiam licitè novum contrahere matrimonium; quia nullum jus hoc prohibet, ut contra *D. Thom. in 4. D. 39. q. un. art. 5. ad 3.* & alios tenent *Gloss. in c. fin. 28. q. 2. Abul. Sanch. de Matrim. L. 7. D. 77. n. 6.*

177 Licèt sit certum, posse conversum stante infideli in sua obstinatione, ordines suscipere, vel Religionem ingredi: nec matrimonium instaurari altero conjuge posteà ad fidem converso: sicut quando divortio facto ob adulterium uxoris est vir ordinatus, vel Professus Religionem. *D. Thom. in 4. D. 39. q. un art. 5. Sanch. de Matr. L. 7. D. 76. n. 6.* non tamen

men est certum dissolvi matrimonium, si conversus Sacros Ordines suscipiat; ut tenent *S. Bonav. in* 4. *D.* 39. *art.* 2. *q.* 2. vel Religionem profiteatur, ut tenent *Sanch. de Matr. L.* 7. *D.* 76. *ex n.* 9. *Salmanticens. de Matr. tr.* 9. *cap.*4. *n.*52. Quia tale matrimonium solum dissolvitur ex Divina dispensatione, quæ nullibi concessa legitur ordinationi Sacri, nec professioni Religiosæ. *Abul. in* 1.*Reg.* 8. *q.*68. & 74. *Ponc. de Matr. L.* 9. *cap.* 4. *n.* 19. si infidelis cohabitare velit converso sine injuria creatoris, nec sit perversionis periculum, quale non est cum Indis, & aliis Gentilibus, non potest conversus ab infideli recedere, & aliud contrahere matrimonium: imò potest accidere, quod per conversum etiam infidelis convertatur, ut ait *Apost.* 1. *Cor.* 7. *ex v.* 12. *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, cap.*7. *cap.*8. *h. t. D. Thom. in* 4. *D.*36. *q.un. art.* 5. *in corp. D. Bonav. ibid. art.* 2. *q.* 1. *Nav. Man. cap.*22. *n.*49. *Valent. Toledo, & alii* contra *Soto*, *Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 74. *n.* 9. *Ponc. de Matr. L.* 7. *cap.*48. *n.*10. Qui negant posse conversum cum infideli cohabitare, sed eorum doctrina *ex cap.* 10. 28. *q.* 1. deducta est intelligenda cum imminet perversionis periculum. Si conjuges fideles à fide apostatarunt, & posteà altèr eorum resipiscat, fidemque rursus amplectatur, non potest novum matrimonium inire, etiamsi in apostasia perseverans, vel absolutè nolit cum eo cohabitare, vel non alitèr, quam cum injuria creatoris: quia cum sit matrimonium consummatum fidelium, numquam nisi morte dissolvitur; *arg. Trid. sess.* 24. *de Sacram. Matr. Can.6. Barb. in cap.*7. *h. t. n.*1. Potest tamen conversus, quoad thorum, & cohabitationem ab apostatata separari, *cap. fin. de Convers. conjugat. cap.* 6. *h. t.* Quando infidelis, qui in sua infidelitate plures habebat uxores convertitur: cum habere plures uxores sit contra Legem naturæ, qua etiam infideles sunt adstricti, ideò non est verum matrimonium infidelis, nisi cum illa cum qua primo contraxit: undè si ipse cum omnibus suis uxoribus convertatur potest cum prima commanere, & alias debet abjicere. Si autem prima converti noluerit, & aliqua aliarum convertatur, idem jus habet cum illa contrahendi de novo, quod cum alia haberet. Quod si primæ uxori dedit libellum repudii, aliamque duxit, & in illo matrimonio existens convertatur, cum infideli non liceat uxorem repudiare, quia repudium est contra Legem naturæ, tenetur repudiatam accipere, si voluerit converti: & aliam abjicere. *D. Thom. in* 3. *p. Sup. q.* 59. *art.* 3. *ad* 4. & 5.

178 Matrimonium fidelium nondum consummatum, sed ratum tantùm, adhuc dissolvi potest, etiam utroque conjuge vivente: nam licèt verè Sacramentum sit, neutiquam tamen significat unionem Christi cum Ecclesia, qualem significat matrimonium consummatum, & quæ est indissolubilis; sed unionem animæ cum Deo per gratiam, quæ solubilis est, *cap.* 5. *de Bigam.* Dissolvitur ergo 1. per professionem Religiosam, *cap.*2. *cap.*7. *de Convers. conjugat. Trid. sess.* 24. *de Sacram. Matrim. Can.* 6. *Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per Religionis professionem alterius conjugum non dirimi: Anathema sit.* Est ergo de fide, matrimonium ratum per professionem Religiosam dissolvi. *Sanch. de Matr. L.*2. *D.*18. *n.*3. 2. Pontifex ex universali potestate ad gubernandam Ecclesiam ipsi à Christo D. concessa. *Matth.*16. *v.*18. & 19. ibi: *Et tibi dabo claves Regni Cœlorum, &c.* potest quidem dispensare in matrimonio rato fidelium; non quidem potestate humana, sed potestate à Christo specialitèr accepta, ut optimè dicit *Suar. tom.* 3. *de Relig. L.* 6. *cap.* 17. *n.* 21. *arg. text. in cap.* 2. *de Translat.* sicut potest dispensare in professione Religiosa, per quam matrimonia dissolvitur: estque locus regulæ. *Si vinco vincentem te, à fortiori vincam te. Gloss. in L.* 14. *ff. de Divers. & tempor. præscript.* & sic fecerunt *Mart. V. Paul. IV. Pius IV. & alii.* Et de *Greg. XIII.* refert *Henriq. L.* 11. *de Matr. cap.*8. *n.*11. unica die cum undecim dispensasse. Et sic resolutum fuit à S. Congregat. speciali jussu *Clem. VIII.* habita die 16. *Julii* 1599. apud *Pignat. tom.* 1. *cons.* 148. *n.* 5. Et quidem in dubio pro Pontificis potestate stare debemus, & quantum liceat, ampliari debet. Et hanc sententiam tenent *Gloss. Innoc. Joan. Andr. & Abb. in cap.* 7. *de Convers. conjugat. Navar. Man. cap.* 22. *n.* 21. *Greg. Lop. in L.* 5. *tit.* 10. *p.*4. *Suar. tom.* 3. *de Relig. L.* 6. *cap.* 17. *n.* 21. *Barbos. L.* 2. *Jur. Eccl. cap.* 2. *n.* 121. *Sanch. de Matrim. L.* 2. *D.*14. *n.* 2. *Belarm. Laym. Less. & alii* contra *Scotum in* 4. *D.* 31. *q.* 1. *S. Bonav. in* 4. *D.* 27. *art.* 3. *q.* 2. *Cov. Sot. Gutierr. & alios*, apud & cum *Ponc. de Matr. lib.*9. *cap.*3. *ex n.*3. ☞ Quod dilucide confirmat Benedict. XIV. in Const. *ei miseratione.* ann. 1741. dum apponit formam procedendi in dispensatione matrimonii rati nondum consummati. * Principes

verò infideles cum hac potestate à Christo concessa careant nequeunt cum suis subditis dispensare in matrimonio rato; imò, & probabilius contra aliquos, nec Pontifex, quando non adest causa, & quidem gravis, & legitima; v. g. Vitatio discordiarum, & scandalorum: magna inter conjuges disparitas: impotentia, lepra, vel alia infirmitas matrimonio superveniens, quæ usum matrimonii impediret, & alia hujusmodi: quia indissolubilitas matrimonii etiam rati à Jure Divino provenit, & solùm Pontifex dispensat nomine Dei; ac proindè non pro libitu: cum non concedatur hæc facultas ad disipandum, & destruendum, sed ad ædificandum. Non tamen requiritur utriusque conjugis consensus, sed altero invito potest dispensare Pontifex. *Sanch. de Matr. L. 2. D. 15. & 16.* Si infideles post matrimonium consummatum convertantur ad fidem, & de novo non consummet illud post baptismum susceptum, posse in eo matrimonio Pontificem dispensare asserunt. *Navarr. Sanc. de Matr. lib. 2. D. 17. n. 2. & alii.* Sed cum tale matrimonium sit matrimonium fidelium ratum, & consummatum significat unionem Christi cum Ecclesia, *cap. 5. de Bigam.* ac per consequens non potest dissolvi. *Ponc. de Matr. lib. 9. cap. 2. n. 8. Vazq. & alii.*

179 Quando matrimonium est nullum, quia aliquo impedimento dirimente est contractum, debet nullum declarari, & conjuges ad invicem separari, *cap. 3. h. t.* ut vitetur peccatum. Quoniam non esset matrimonium talis conjunctio, sed fornicatio, quæ nullomodo potest permitti. Non tamen possunt se ad invicem propria authoritate separare: etiamsi impedimentum notorium sit, sed debet tale matrimonium judicio Ecclesiæ nullum declarari. Nec quidem ex eo solum, quod unus, vel etiam ambo conjuges, etiam rumore viciniæ accedente, impedimentum dirimens fateantur, separandi sunt, *cap. 5. de eo; qui cognovit*: ne locus collusioni detur; sed tunc quando plena, & perfecta probatio impedimenti detur, per duos testes omni exceptione majores; *arg. cap. 1. de Consang. cap. 22. de Test.* vel de impedimento notoriè constet. Et quidem tunc potest, & debet Judex ex officio, etiam nemine accusante, matrimonium dissolvere, *cap. 3. h. t.* si fama de impedimento existat, potest Judex ex officio inquirere super impedimento; *arg. cap. 1. de Offic. Ordinar.* Si non constet plenè de impedimento, sed solùm unius testis depositio, fama, vel dubium adsit, Judex pro valore matrimonii pronuntiabit; *arg. cap. 22. de Testib.* quia matrimonium est res favorabilis, *cap. fin. de Sent. & Re jud.* Et conjuges sunt in possessione matrimonii: & in dubio melior est conditio possidentis, *cap. 65. de Reg. jur. in 6.* Si unus conjux propria authoritate ab altero discedat, Judex eum ad conjugem redire compellet, etiam sub censura: nisi de impedimento dirimente notoriè constet, aut discedens habeat probationes incontinenti paratas, *cap. 13. de Restitution. spoliat.* Si conjuges, vel unus eorum sciat, impedimentum dirimens intervenire, licèt occultum ut, & non possit illud probare, etiamsi à Judice Ecclesiastico per censuras compellatur, debitum reddere, non potest hoc facere: quippè redderet non suæ, quod esset peccatum: ad quod nemo valet compelli, *cap. 44. de Sent. excommunic.* Debent tamen habitare, ut fratres, nisi periculum incontinentiæ adsit, & in fortè accidat, quod dicit *Ovidius. Dulcia fraterno sub nomine furta tegemus.* Nam tunc tenentur ad invicem dicedere, nec obedire censuræ Ecclesiæ tenetur, *cap. 13. de Restit. spoliator.* Nec enim potest ullum hominis præceptum contra Jus Naturale prævalere: ac proindè nullomodo vir tenetur obedire, etiam Pontifici præcipienti accedere ad eam, quam scit, suam non esse. Nam hoc est Jure Naturæ prohibitum. *D. Thom. in 3. p. Suppl. q. 65. art. 4. in corp.* Et rationem hujus intrinsecæ malitiæ, qua est infecta fornicatio affert S. Doctor in *art. 3. in corp.* ibi: *Illa actio dicitur esse contra Legem naturæ, quæ non est conveniens fini debito, quem natura intendit, sivè quia non ordinatur in ipsum per actionem agentis, sivè quia de se est improportionata illi fini, finis autem quem natura ex concubitu intendit est proles procreanda, & educanda. Et ut hoc bonum quæreretur, possuit delectationem in concubitu, ut Constantinus dicit. Quicumque ergo concubitu utitur propter delectationem, quæ in ipso est, non referendo in finem à natura intentum, contra naturam facit; & similiter etiam, nisi sit talis concubitus, qui ad illud finem convenientur ordinari possit. Et quia res à fine plurimum nominantur tamquam ab optimo, sicut conjunctio matrimonii à prolis bono nomen accepit, quod per matrimonium principalitèr quæritur; ita concubinæ nomen illam conjunctionem exprimit, qua solus concubitus propter se ipsum quæritur. Et-*

si etiam aliquis, quandoque ex tali concubitu prolem quærat, non tamen est conveniens ad prolis bonum, in quo non solùm intelligitur ipsius procreatio, per quam proles esse accipit; sed etiam educatio, & instructio per quam accipit nutrimentum, & disciplinam à parentibus, in quibus tribus parentes proli tenentur secundum Philosophos in 8. Ethic. Cum autem educatio, & instructio proli à parentibus debeantur per longum tempus, exigit Lex naturæ, ut pater, & mater in longum tempus commaneant ad subveniendum communitèr proli. Undè, & aves, quæ communitèr pullos nutriunt, non separantur à mutua societate, quæ incipit à concubitu, vel inconcubendo: hæc autem obligatio ad commanendum fœmina marito, matrimonium facit: & ideò patet, quod accedere ad mulierem, non conjunctam sibi matrimonio, quæ concubina vocatur est contra Legem naturæ. Quod etiam significat *Horat. lib. 1. Satyr. 3. quos venerem incertam rapientes more ferarum, viribus editior cædebat, ut in grege Taurus.*

180 Quando alter conjugum adulterium commissit, non tenetur innocens adulterum dimittere. Nam dimissio adulteræ innocenti permissa, non præcepta est à Christo D. *apud Matth. 19. v. 9.* ut notat *S. Augustin. D. Thom. in 3. p. Sup. q. 62. art. 2. in corp.* nisi aliundè scandalum sequeretur, aut illa nollet se emendare, *cap. 3. de Adulter. D. Thom. in 3. p. Sup. q. 62. art. 6. in corp. Sanch. de Matr. lib. 10. D. 13. ex n. 5. Ponc. de Matr. lib. 9. cap. 17. n. 2.* Sanè non solùm vir, ut frequentius accidit, *cap. fin. 32. q. 5.* & ideò de eo locutus fuit Christus D. *apud Matt. 5. & 19.* sed etiam uxor, si innocens est, potest ob conjugis adulterium divortium perpetuum facere. *Paul. 1. Cor. 7. c. 5. 28. q. 1. c. 19. 32. q. 5. c. 2. c. 4. c. 5. h. t.* licèt in Lege Veteri, solùm viro permitteretur repudiare uxorem, quia in ipsis majus erat periculum occidendi uxores: qua ratione introductum fuit repudium: aliud certè est in divortio. *D. Thom. in 3. p. Supp. q. 62. art. 4. in corp.* ibi: *Respond. dicendum, quod in causa divortii vir, & uxor ad paria judicantur, ut idem sit licitum, & illicitum uni, quod alteri; non tamen paritèr judicantur ad illa: quia causa divortii est major in uno, quam in alio, cum tamen in utroque sit sufficiens causa ad divortium. Divortium enim pœna est adulterii, in quantum est contra matrimonii bonum: in quantum autem ad bonum fidei, ad quam conjuges æqualitèr sibi invicem tenentur, tantum peccat contra matrimonium adulterium unius, sicut adulterium alterius, & hæc causa in utroque sufficit ad divortium. Sed quantum ad bonum prolis plus peccat adulterium uxoris, quam viri, & ideò major est causa divortii in uxore, quam in viro. Et sic ad æqualia, sed non ex æquali causa obligantur. Sanch. de Matr. lib. 10. D. 3. n. 6. Ponc. de Matrim. lib. 9. cap. 16. n. 4. & alii.* Ut divortium ob adulterium fiat, debet intervenire adulterium formale, & perfectum, scilicèt, actus carnalis consummatus cum alio, quam cum proprio conjuge, ita ut dividatur caro cum eo; quia cum matrimonium eo tendat, ut conjuges una caro efficiantur, indè est, quod quæcumque divisio perfectè violet matrimonii fidem, sivè copula cum uxore non propria habita, naturalis sit, sivè sodomitica, vel bestialis. *D. Thom. in 4. D. 35. q. un. art. D. Bonav. ibid. Sanch. de Matrim. lib. 10. D. 4. ex n. 3.* plures referens. Oscula, tactus, vel alii actus turpes cum pollutione proprii, vel alieni corporis, vel etiam copula attentata non dant causam divortio; quia caro cum alio non dividitur contra fidem matrimonii. *Sanchez de Matrim. lib. 10. D. 4. ex n. 9.* Imò nec adulterium, si tantùm materiale sit. V. g. si uxor aliquem admittat, credens, esse suum maritum. *cap. 6. 34. q. 1. & 2.* vel si judicans maritum esse mortuum, alteri nubat, vel etiam fornicetur, *cap. 1. 34. q. 1. & 2.* vel si ab ipsa per vim extorqueatur copula, *c. 3. c. 4. 32. q. 5.* & juxta aliquos idem est, si metu gravi adulterium sit commissum; quod negant. *D. Bonav. in 4. D. 35. in exposit. litteræ D. Anton. Sylv. Covar. Acev. Sanch. de Matrim. lib. 10. D. 5. n. 16.* Nec est locus divortio, si maritus fuit Author adulterii, vel in adulterium uxoris consensit, saltem illud non prohibendo, cum facilè posset: secus si difficilè, *cap. 6. de eo, qui cognovit, cap. 4. h. t. D. Thom. in 3. p. Supp. q. 62. art. 1. in corp. Sanch. de Matrim. lib. 10. D. 5. ex n. 4. Ponc. de Matrim. lib. 9. cap. 17. n. 7. & 8.* Qui adulterium commissit, non potest agere ad divortium ob alterius conjugis adulterium, etiamsi unum sit publicum, & multoties repetitum: aliud occultum, & tantùm semel commissum. Tunc enim unum cum altero compensatur, quia tantùm civilitèr ad utilitatem privatam agitur, *cap. fin. de Adulter. cap. 4. & 5. h. t. L. 6. tit. 10. p. 4.* Quod si jam divortium factum sit per sententiam

Judicis ob adulterium uxoris, si maritus adulterium committat, ad eam redire tenetur, & matrimonium redintegrare; ad quod habet mulier actionem, nam cum adhuc vinculum matrimonii duret, fidem matrimonii violavit, & uxori irrogavit injuriam. Sic contra *Soto*, *Sanch. de Matrim. lib.* 10. *D.* 9. *n.* 30. *& alios* tenendum est ex *cap.* 5. *h. t. & Gloss. Host. Joan. Andr. & Gonz. ibid.* Et expressè habetur *in L.* 6. *tit.* 10. *p.* 4. ibi: *E que dieren sentencia de divorcio contra ella, si despues de esto ficiesse fornicio el marido con otra muger, por tal razon como esta, puedelo demandar la muger, que torne à ella, è debe la Eglesia apremiar que lo faga, é non se puede escusar, que non torne á ella, maguer diga, que jueron departidos por juicio de Santa Eglesia.* Quippè tunc non ex sententia ageretur, sed ex nova causa superveniente. Nec omninò dissentit. *D. Thom. in* 3. *p. Supp. q.* 62. *art.* 6. *ad* 4.

181 Innocens non tenetur admittere conjugem adulterum, etiamsi resipiscat *D. Thom. in* 4. *D.* 35. *q. un. art.* 5. *ad* 2. *ibid. S. Bonav. Sot. Gutier. de Matrim. cap.* 129. *n.* 13. *Ponc. de Matrim. lib.* 9. *cap.* 19. *n.* 6. Quia licèt per pœnitentiam tollatur culpa apud Deum, non tamen injuria innocenti facta, per quam adulter omne jus conjugale amissit adeò, ut cum possit innocens in ordine ad divortium accusare, postquam multis annis jam de eo crimine pœnitentiam egisset. Potest tamen innocens in cujus favorem divortium est introductum, ei renuntiare, & injuriam adulteræ condonare, sivè expressè, sivè tacitè, matrimonio scilicèt, utendo, osculando, amplectando, ludendo, ridendo, vel alia signa affectus maritalis exhibendo: si hæc faciat scientèr, & spontè. *Gutier. Sanch. de Matrim. lib.* 10. *D.* 14. Et hæc condonatio aliquando conveniens, & expediens erit, *cap.* 3. *de Aulter.* Imò, & debitè si vir timeat periculum incontinentiæ uxoris, cui absque gravi incommodo potest subvenire, *cap.* 7. 34. *q.* 1. Adulter etiam facto divortio per sententiam Judicis tenetur ad innocentem redire, si hic velit reconciliari: ne alias divortium, quod in gratiam innocentis, est introductum in ejus damnum retorqueatur. Contra Text. in *cap.* 61. *Reg. jur. in* 6. & sententia prodesset reo, contra quem lata est. Contra *L.* 16. *ff. de Except. rei judic. D. Thom. in* 3. *p. Sup. q.* 63. *art.* 6. *ad* 3. *Sanch. de Matrim. lib.* 10. *D.* 10. *n.* 3. *Ponc. de Matrim. lib.* 9. *cap.* 19. *n.* 1. Hinc licet innocens statim facto divortio possit Sacros Ordines suscipere, vel Religionem profiteri, etiam invito adultero: adulter tamen non potest statum incompatibilem cum matrimonio suscipere, ut sunt Sacerdotium, & professio Religiosa; nisi alter consentiat expressè, vel tacitè suscipiendo Ordines Sacros, vel in Religione profitendo juxta capacitatem subjecti, vel si adulter emendatus reconciliationem sæpius petat, & alter neget: vel si innocens non repetat intra biennium adulteram à Judici Sæculari detrusam in Monasterio ob adulterium. *Auth. Sed hodie, C. ad Leg. Juliam de Adult. Sanch. de Matrim. lib.* 10. *D.* 10. *Ponc. de Matrim. lib.* 9. *cap.* 19. Quando adulterium unius conjugum publice notorium est, sivè notorietate facti, sivè juris potest innocens ab adultero discedere, non tantùm quoad cohabitationem, *cap.* 4. *h. t. c.* 9. *de Spons.* ibi: *Nemini licet uxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere. Sanch. de Matrim. lib.* 10. *D.* 12. *n.* 13. *&* 25. *Ponc. de Matrim. lib.* 9. *cap.* 18. *num.* 2. Et quamvis contrarium videatur decidi in *cap.* 3. *h. t.* ibi: *Porrò de comite Pontini, qui B. uxorem suam absque judicio Ecclesiæ dimissit, quia cognatam fuisse uxoris defuncti proponit, prudentia tua cognoscat, quod si etiam parentela esset publica, & notoria absque judicio Ecclesiæ ab ea separari non potuit.* Pro cujus Text. cum *c.* 4. *h. t.* concordia varias solutiones afferunt DD. sed tenendum est, quod *Text. in cap.* 3. *h. t.* loquitur de separatione matrimonii, quoad vinculum ob impedimentum dirimens. *Text. in cap.* 4. *h. t.* loquitur de separatione, quoad cohabitationem; & quia prima separatio est causa valdè ardua pertinens ad proprietatem matrimonii, ideò semper indiget, etiam in re notoria, judicio Ecclesiæ: secunda verò, quia non est adeò ardua, cum tantùm ad possessionem matrimonii spectet, & possit facilè reparari, cum non dissolvatur conjugium, potest fieri propria authoritate, quando causa est notoria. *Sanch. de Matr. lib.* 10. *D.* 12. *n.* 38. *Ponc. de Matr. lib.* 9. *cap.* 18. *n.* 3.

182 Si uni certò constet de adulterio conjugis per violentam præsumptionem fundantem moralem certitudinem adulterii: vel per ea indicia, quæ in foro externo ad divortium sufficerent, potest in foro conscientiæ propria authoritate ab adultero separari, quoad thorum, & redditionem debiti, & cohabitationem.

nem. Siquidem matrimonium non aliter obligat, quoad thorum, & debitum, quam sub conditione, si alter conjux fidem conjugalem servet, *cap.* 25. *de Jur. jur.* Nec tenetur obedire Judici Ecclesiastico præcipienti debiti redditionem, cum ejus sententia nitatur falsa præsumptione; separatio tamen, quoad habitationem vix fieri potest, nisi quando matrimonium esset occultum, nec scandalum generetur; imò in foro externo compelletur etiam innocens uxorem recipere, si non probetur legitimè adulterium, vel alias notorium sit: ut malitiis horum obvietur. *Sanch. de Matrim. lib.* 10. *D.* 12. *ex n.* 31. *plures referens.* Hinc est, quod cum B. Josepho esset manifestum, se non cognovisse *B. Virginem Mariam* suspicatus est, quod conceperat ex adulterio. Et hac causa voluit occultè dimittere eam, & cum hæc dimissio esset occulta, & sine scandalo certè excusavit Beatum Josephum à culpa. Aliqui intendunt excusare B. Josephum, dicendo, non ob suspicionem adulterii, sed ob reverentiam erga B. Virginem, cujus consortio se judicabat indignum, eam voluisse dimittere. Sic *Origin. D. Bernard. D. Thom. in* 4. *D.* 35. *q. un. art.* 3. *ad* 2. Hac quidem sententia uterer, si concionem in festo D. Josephi facerem ad Populum; sed cum nunc magis veritatem solidam, quam subtilitatem devotam quæram, dicendum censeo D. Josephum voluisse dimittere *Mariam* ob suspicionem adulterii. Sic *D. August. Epist.* 54. *& serm.* 16. *de Verbis Domini. D. Chrisost. Matth.* 1. *Abul. in Matth.* 19. *q.* 72. *ad* 2. *Suar. in* 3. *p. q.* 29. *à* 1. *D.* 7. *sect.* 2. *Sanch. de Matrim. lib.* 10. *D.* 12. *n.* 36. Nam si voluisset ob reverentiam dimittere Mariam, ut quid ponderatur, quod cum esset justus, nollet eam traducere, id est infamare, vel accusare, ut adulteram? Cum non esset ratio, ut etiamsi non esset Justus vellet traducere, quam adeò sanctam judicabat. Deindè: quia ejus timor cessavit, quando Angelus ei dixit, de Spiritu Sancto esse, quod in ea natum erat: siquidem tunc, crescente reverentia ob tantùm favorem, cresceret, & timor, & loco apponendi compedem, ut teneretur esset calcarei adjungere, ut citius fugeret. Quando tantùm est dubium, vel probabilis, non violenta suspicio de conjugis adulterio, non potest privari conjux possessione, *cap.* 4. *h. t. cap.* 9. *de Sponsalib. & Matrimon. D. Thom. in* 4. *D.* 35. *q. un. art.* 3. *ad* 4. *D. Bonav. D. Antonin.* quia melior est conditio possidentis, *cap.* 65. *de Reg. jur. in* 6. Judex potest sententiam divortii ob adulterium proferre per conjecturas, & præsumptiones violentas, cum delicta carnis sint difficilis probationis; nec requiruntur testes de visu, nec physica certitudo cum magnæ Vulcani industriæ tribuatur deprehensio Veneris cum Marte: sed sufficit certitudo moralis; v. g. si uxor suspecta inveniatur sola cum solo tempore, & loco ad peccandum apto. Etiam oscula, tactus, amplexus, xenia, litteræ amatoriæ cum aliis adminiculis (non sine illis) si plenè probentur: non quidem per dictum mariti, ne sit Judex in propria causa; sed per testes, vel confessionem uxoris, sufficiunt ad divortium faciendum, etiamsi non sufficiant ad criminalem condemnationem, ut magis arduam, *c.* 12. *de Præsumpt. & ibid. DD.* ita plures citans *Sanch. de Matrim. lib.* 10. *D.* 12. *ex n.* 43. ubi notat, quod quamvis marito suspicanti adulterium uxoris licitum sit eam cum testibus observare, ut possit illam de adulterio convincere, non tamen ei licet convenire cum conjuge, quod amasium eam solicitantem citet ad tempus, & locum certum, etiamsi non sit, ut adulterium perficiat, sed ut in crimine deprehendatur.

183 Licèt fornicatio sit unica causa per se ad faciendum divortium perpetuum, & absolutum. *Matth.* 5. *&* 19. *L.* 2. *tit.* 10. *p.* 4. plures aliæ sunt causæ ad divortium faciendum judicio Ecclesiæ ad certum, vel incertum tempus. *Trid. sess.* 24. *de Sacr. Matrim. Can.* 8. *Bellarm. lib.* 1. *de Matrim. cap.* 14. Hæ causæ in triplici differentia considerantur, & sunt sequens 1. fornicario spiritualis, seu hæresis, vel apostasia. 2. animæ periculum. 3. periculum corporis: ad quam reducitur molesta cohabitatio, & sævitia conjugis. Et quidem divortio facto, liberi educantur, & aluntur apud innocentem expensis illius, qui causam dedit divortio, nisi innocens sit infidelis; nam tunc favore fidei apud fidelem educantur, *c. fin. de Convers. infidel.* Si mater dedit causam divortio, & transiit ad secundas nuptias, neutiquam est ipsi relinquenda proles: si tamen ipsa sit dives, & pater pauper, vel non idoneus, apud matrem educabitur proles, quamvis ipsa divortio causam dedisset. Et idem de patre dicendum est. *Auth. Si pater. C. de Divort. fact. L.* 3. *tit.* 19. *p.* 4. *& ibid. Gregor. Lopez, Sanch. de Matrim. lib.* 10. *D.* 20.

Pri-

Prima ergo causa divortii est hæresis, seu apostasia, *cap. 2. h. t. L. 2. tit. 10. part. 4.* ac proindè si innocens grave periculum perversionis patiatur, tenetur hæreticum dimittere, nec indiget authoritate Judicis: nam cum hæc obligatio sit Juris Naturalis, potest propria authoritate hæreticum dimittere, si solùm ex cohabitatione periculum commune perversionis immineat, non tenetur innocens ab eo communi periculo fugere cum gravi suo detrimento: quod sanè pateretur in divortio, vivendo in cælibatu, seque obsequiis, & cohabitatione uxoris privando, *cap. 6. h. t. Sanch. de Matrim. L. 10. D. 15. ex n. 5.* cum hæresis ex se non sit causa perpetui divortii, innocens tenetur admittere conjugem resipiscentem post divortium, non solùm authoritate propria, sed etiam sententia Judicis factum, *cap. 7. h. t.* & deducitur *ex Leg. 2. tit. 10. p. 4.* ibi: *Esso mismo sería del que ficiesse fornicio espiritualmente, tornandose Herege, ó Moro, ó Judio, si non quisiesse facer enmienda de su maldad.* Nisi fortè innocens velit Religionem ingredi: nam favore Religionis non tenetur conjugem admittere, *c. fin. de Convers. conjugatur.* Et sic debet intelligi, *cap. 6. h. t.* quod videtur contrarium; *text. in cap. 7. h. t. sic Gloss. in cap. 6. h. t. Hostiens. Joan. Andr. Abulens. in c. 19. Matth. q. 76. Barb. in cap. 6. h. t. n. fin. Greg. Lop. in L. 2. tit. 10. p. 4. & alii* apud *Sanch. de Matr. L. 10. D. 15. n. 18.* contra *Sanch. n. 19. ubi plures citat. Gonz. in cap. 6. h. t. & alios.* Si uterque conjux ab Ecclesia est de hæresi damnatus, uterque potest ab altero, etiam invito divertere: quia per sententiam uterque est perpetuo privatus jure conjugali: nec in hoc datur compensatio. Si unus tantùm sit condemnatus innocens, potest ab eo divertere, nec eidem reconciliari tenetur. *Sanch. de Matr. L. 10. D. 16. n. 4.* Nec hæresis cum adulterio, quoad divortium compensatur, ac proindè adulter potest agere adversus hæreticum ad divortium: nec ejus intentio eliditur adulterii exceptione: quia licèt hæresis post sententiam sit causa perpetui divortii, sicut adulterium, ratio est diversa, & finis distinctus: quippè divortium ob adulterium est inductum ob utilitatem privatam conjugis, secus divortium ob hæresim; nam hoc est inductum ob injuriam, & violationem fidei, non conjugi, sed Deo datæ. *Sanch. de Matr. L. 10. D. 16. Ponze de Matrim. lib. 9. cap. 22. n. fin.* 2. causa divortii est periculum animæ, quod conjux timet ex cohabitatione cum alio; v. g. si incitet, vel impellat ad beneficium, furtum, maleficium, præposteram venerem, licèt innocenti divortium facere, *c. 5. 28. q. 1.* non tamen perpetuum, licèt hoc aliqui concedant: nam tenetur innocens conjugem emendatum admittere ad cohabitationem. Si delictum conjugis nec in periculum animæ, nec corporis alterius redundet, non licet ob illud divortium facere; *arg. cap. 2. h. t. & ibid. Alb. D. Thom. in 4. D. 39. q. un. art. 6. Sanch. de Matr. L. 10. D. 17. n. 5.*

184 3. Causa est periculum corporis, quod conjugi imminet ex cohabitatione alterius, & præbet causam divortio. Hinc sanus potest separare se à Leproso, vel alio morbo contagioso laborante. *Nav. Man. cap. 22. n. 22.* vel à latrone si timeat ob ejus consortium grave vitæ, vel honoris detrimentum. *Sanch. de Matrim. lib. 10. D. 18. n. 21.* Sævitia, non solùm viri, ut frequentius accidit, qua uxorem suam crudelitèr tractat, vel ejus vitæ ferro, vel veneno insidiatur: vel mortem, vel mutilationem seriò minatur, *cap. 8. cap. 13. de Restit. spoliator.* sed etiam si uxor mariti vitæ insidietur, & nequeat aliter maritus se ab ea tueri, divortium facere potest, *cap. 1. h. t. Covarr. de Spons. p. 2. cap. 7. §. 5. n. 2. Sanch. de Matrim. L. 10. D. 18. n. 2. & 8. Ponze de Matrim. L. 9. cap. 23. num. 8.* contra *aliquos.* Quia cum non solùm uxori, sed etiam, & marito hoc possit imminere periculum jus naturale dictat, quod possit illud faciendo divortium vitare, siquidem cum correlativa sint, quod de uno dicitur, de altero sua proportione intelligendum est, juxta illud; *sed quæcumque viris, vobis quoque dicta, puellæ, credite: diversis partibus arma damus.* Et licèt ad hoc divortium requiratur authoritas Judicis Ecclesiastici; *arg. c. 8. c. 13. de Restit. spoliat. c. 4. h. t.* potest uxor à sæviente discedere propria authoritate, si ut plerumque accidit, sit periculum in mora: nec restituitur, nisi sæviens præstet cautionem de non offendendo, vel per pignora, & fidejussores, vel his deficientibus per juramentum; *arg. Auth. Generalitèr, C. de Episc. & Cleric.* Quod si adhuc mulier non credatur secura, apud cognatos, vel alio loco securo donec causa disceptetur deponitur; *arg. cap. 14. de Spons. Sanch. de Matr. L. 10. D. 18. ex n. 40. Ponz. de Matr. L. 9. cap. 23. n. 6.* Quod si tanta fit conjugis sævitia, ut nulla spes emenda-

tio-

tionis appareat, & sententia divortii perpetui sit pronuntiata à Judice, potest innocens Sacros Ordines suscipere, vel in Religione profiteri, etiam altero invito, secus est, si divortium sit tantùm temporale. *Sanch. de Matr. L. 10. D. 18. n. 49.* si conjux in furorem incidat, ita tamen, ut sine periculo possit sanus ei cohabitare, separari non debent; *arg. cap. 18. 32. q. 5.* possunt tamen separari si in cohabitatione est periculum; imò si judicio Medicorum desperetur extinctio furoris potest fieri divortium perpetuum, & sanus poterit Sacros Ordines suscipere, vel Religionem profiteri. Quod si præter spem furiosus ad mentem redeat, suum conjugem revocabit ad cohabitationem. *Sanch. de Matr. lib. 10. D. 18. n. 48. junct. D. 9. n. 9.* Etiam molesta cohabitatio, quæ ex rixarum, & jurgiorum frequentia, quæ inter conjuges oriuntur, cum gravem metum incutiant, & corpus, & anima possint periclitari, dat causam divortio. *Sanch. de Matr. L. 10. D. 18. n. 11.*

TIT. XX.

De Donationibus inter virum, & uxorem, & de dote post divortium restituenda.

185 IN præsenti titulo agitur de donationibus, quæ inter virum, & uxorem solent fieri: & in secunda Rubricæ parte agitur de dote, quæ viro ab uxore traditur, & uxori à viro, dissoluto matrimonio, restitui debet: cum ergo de his suo ordine agendum sit: jam ad primæ partis explicationem deveniamus. *Donatio* merè liberalis, & gratuita quæ fit inter conjuges durante matrimonio, ita ut donans fiat pauperior, hoc est, quod ejus patrimonium actu habitum diminuatur, & donatarius fiat locupletior, hoc est, quod ejus patrimonium augeatur: est nullius momenti ex parte donantis: siquidem, nec civilem, nec naturalem ex ejus parte obligationem producit, jure resistente. Donatarius tamen potest rem donatam retinere, quousque revocetur à donatore, vel morte donatoris confirmetur, *cap. fin. h. & ibid. Barb. & Gonz. Sanch. de Matrim. L. 6. D. 1. & alii*: aliàs conjuges mutuo amore invicem spoliarentur, dum donationibus, non temperantes profusa erga se liberalitate uterentur. *L. 1. ff. h. t.* Et melior in paupertatem incideret, & deterior ditior fieret. *L. 3. ff. eod. L. 4. tit. 11. p. 4.* ibi: *Porque el que fuese escaso, seria de mejor condicion, que el que es franco en dar.* Etiam prohibentur donationes, quas sibi conjuges non immediatè, sed alia mediante persona faciunt. *L. 5. ff. h. t.* Item venditio, vel alius quicumque contractus, si in eis pretium remittatur. Vel alia quæcumque debiti remissio: nam tunc etiamsi alio nomine pallietur, erit vera donatio. Alii tamen contractus, in quibus donatio non intervenit valent inter conjuges. *L. 5. §. 5. ff. h. t.* Donatio sanè inter conjuges cùm non adversetur bonis moribus, nec vergat in dispendium salutis æternæ; sed solùm Legibus Civilibus opponatur, confirmatur per juramentum de ea non revocanda; *arg. cap. 28. de Jur. jur. cap. 2. de Pact. in 6. Covarr. 1. Var. cap. 7. n. 4. Gutier. de Jur. confirm. p. 1. cap. 3. num. 7. Gomez, Molin. Sanch. de Matr. L. 6. D. 11. n. 2.* contra *Barth. Bald. & alios.* At verò donatio causa mortis inter conjuges valet: quippè morte matrimonio soluto, cessat periculum, ne mutuo amore spolientur: imò; & donatio ab ipsis inter vivos facta, si non revocetur expressè, aut tacitè: morte donantis ante donatarium confirmatur, *capit. fin. h. t. L. 32. §. 1. ff. eodem, L. 4. tit. 11. p. 4. Sanch. de Matr. L. 6. D. 14.* præcipuè si præcessit traditio saltem ficta rei donatæ. Sed hodie non requiri, præcessisse traditionem tenent *Gonz. in cap. fin. h. t. n. 12. & alii.* Etiam in aliquibus casivus valet donatio inter vivos facta inter conjuges: 1. si donatio inter sponsos celebretur, quin suspendatur ejus effectus in tempus jam contracti matrimonii. *L. 27. ff. h. t.* quod si dominii translatio in tempus matrimonii conferatur, non valet. *L. 32. §. 22. ff. h. t.* Si verò matrimonium non sequatur, non tenet donatio: siquidem sub tali conditione intelligitur celebrata; nisi pactum de non revocando obstet: vel copula post sponsalia sequatur: vel culpa donantis non sit matrimonium secutum. *L. 15. C. de Donat. ante nupt.* 2. Donatio, quæ confertur post mortem donantis. *L. 11. ff. h. t.* talis enim creditur donatio causa mortis: quæ sanè inter conjuges valet. *L. 9. §. fin. ff. h. t.* sed non transfertur in donatarium dominium, donec mors donantis sit secuta, etiamsi res donatario tradita sit. *L. 11. ff. h. t. Barbos. & Gonz. in 6.*

cap. fin. h. t. Sanch. de Matrim. L. 6. D. 3. num. 8.

166 3. Maritus potest remittere uxori dotem promissam : nam tunc remittit, non quod suum est : sed quod erit ; *arg. L. 14. C. de Donation. ante nupt.* secus si dos jam est soluta. *Sanch. de Matr. L. 6. D. 3. n. 10.* Hinc maritus hæres institutus, vel legatarius factus, ante acceptationem hæreditatis, vel legati potest in favorem uxoris renuntiare : quippè tunc nihil de ejus patrimonio, quod actu habet diminuitur : ac proindè non fit pauperior. *L. 5. §. 13. ff. h.* Non tamen potest post acceptationem : quia tunc pauperior fieret cum esset donatio juris adquisiti. Nec potest maritus volenti donare ipsi jubere, ut uxori det : nam tunc censetur prius acceptare, & posteà donare : ac proindè patrimonium minuitur. *L. 3. §. fin. ff. h. t. Gomez 2. Var. cap. 4. n. 24. Sanch. de Matr. L. 6. D. 4. num. 2. Gonz. in cap. fin. h. t. n. 14.* Nec possunt conjuges, matrimonio durante, renuntiare lucris quæsitis tempore matrimonii: imò nec quærendis : quia sic renuntians fieret pauperior, & alter ditior : siquidem renuntiaret juri quæsito, quod habet, quoad lucra ; quod pretio æstimabile est. Nec paritas hæreditatis, & legati urget : nam eorum dominium adquritur dependentèr ab acceptatione hæreditatis, vel legati, secus in lucris in matrimonio quærendis, quod ab ipso jure conjugibus tribuitur. Ante matrimonium possunt utique hoc pactum ponere, scilicèt, quod lucra uni tantùm cedant : quia nec iniquum, nec contra substantiam matrimonii est tale pactum.

187 4. Rex exigui pretii possunt sibi conjuges donare, ut quæ die natalis, vel aliis solemnioribus solent conjuges sibi donare. *L. 31. §. 8. ff. h. t. 5.* Valet donatio, quæ fit ex quadam comiseratione, vel pietate ; v. g. ad sustentationem conjugis : ad valetudinem reparandam : ad ædium incendio combustarum refectionem, ad sepulturam, & similia. *6.* Si ædes conjugi ad habitationem permittantur, servi, vel animalia, vel vestimenta conceditur ad usum. *L. 18. ff. h. t.* vel si uxor aliquid donet marito ad dignitatem, gradum, vel officium obtinendum. *L. 40. ff. h. t. 7.* Si res donetur, ut in alium transferatur ; v. g. ad fundationem capellæ. *L. 5. §. 16. ff. h. t.* Denique quoties non concurrunt simul hæc duo : scilicèt, quod donans pauperior fiat, & donatarius ditior. *L. 4. t. 11. p. 4.* ac proindè quolibet ex his deficiente, donatio non prohibetur. *L. 5. §. 8. ff. h. t. L. 5. L. 6. tit. 11. p. 4.* Donatio remuneratoria, quam maritus facit uxori ob ejus merita, & obsequia, si hæc sint æqualia, vel æquipollentia donationi attenta qualitate personarum valet : siquidem tunc non est propriè donatio, ex mera liberalitate procedens, si excedat merita, quoad excessum non valebit. *cap. 12. de Testam. Sanch. de Matrim. L. 6. D. 6. ex n. 6. Gonz. in cap. fin. h. t. n. 7.* Donatio facta intet conjuges existimatos, quando scilicèt matrimonium est nullum ob aliquod dirimens impedimentum ; si uterque, vel saltem donans ignoret nullitatem matrimonii est invalida donatio, non ex resistentia juris, cum verè non sint conjuges, sed ex defectu intentionis : nam donans credit, & vult uxori, non extraneæ donare, & cum illa mulier verè non sit uxor, sed extranea, non censetur ei donare velle. *L. 32. §. 27. ff. h. t. Sanc. de Matr. L. 6. D. 2. n. fin. & alii* contra *Sylv. Tabien. & alios.* Si uterque sciat, nullum esse matrimonium donatio valet : quia cum personæ sint habiles, siquidem conjuges non sunt, & non desit animus donandi, donatio erit valida in foro conscientiæ. *Sanch. de Matrim. lib. 6. D. 2. n. 2.* In foro tamen externo sic donatum cedit fisco in pœnam reprobati matrimonii. *L. 32. §. fin. h. t. L. 51. tit. 14. p. 5.* si solus donans sciat matrimonii nullitatem valet in utroque foro. *Molin. de Just. tr. 2. D. 200. Sanchez, de Matr. lib. 6. D. 20. n. 4. & n. 5.* qui dicit, id tenendum esse de Jure Castellæ, *ex L. 50. tit. 14. p. 5.*

188 Ad secundam Rubricæ partem deveniendo, de bonis uxoris agendum nunc est. Bona ergo uxoris alia sunt *paraphrenalia*, alia *dotalia. Paraphrenalia* ex ipsa nominis Græci significatione, sunt ea, quæ extra dotem sunt. *L. 8. C. de Pact. convent. L. 17. tit. 11. p. 4.* Et hæc si marito tradantur, fit respectu eorum quasi procurator uxoris, & solùm ad communes usus suos, & uxoris ea expendere valet. Et matrimonio soluto fructus extantes, & quidquid invita uxore, & non ad communes usus est expensum, & quatenus maritus est factus lucupletior, uxori restituere tenetur. Et licèt communi jure attento aliqui teneant, mulierem non amittere hæc bona per adulterium : attamen de Jure Hispano ea amittere constat ex generalitate. *L. 1. tit. 20. lib. 8. R. C. Sean en poder del marido, y faga*

de

de ellos lo que quisiere, y de quanto han; pero si hijos derechos ovieren ambos, ò el uno de ellos, hereden sus bienes. Ita Acev. ibid. num. 18. *Sanchez de Matrim. lib.* 10. *D.* 8. *num.* 10. Alia bona sunt *dotalia*, illa scilicèt, quæ dotem constituunt. *Dos* ergo à *dando* vel *donando* dicitur: & hic sumitur, non formalitèr pro conventione, qua dos constituitur: nec effetivè, pro jure, quod maritus, vel uxor in dote habent, sed objectivè pro re in dotem data, & sic communitèr describitur. *Est illa species, vel quantitas, quæ ab uxore, vel ab alio ejus nomine marito datur ad sustinenda onera matrimonii, scilicèt, ad uxorem, liberos, & familiam alendam.* Sivè res sit corporalis, sivè incorporalis: sivè mobilis, sivè immobilis: sivè usufructus, sivè feudum, vel quid simile: dummodò res sit propria dotem constituentis. *L.* 1. *L.* 14. *tit.* 11. *p.* 4. Si pater dotem constituit, sufficit, quod indefinitè promittatur: nam tunc juxta facultates, & dignitatem est constituenda. Extraneus tamen non potest dotem indefinitè promittere; talis enim promissio esset illusoria, nisi arbitrio boni viri esset determinanda dotis quantitas. Dos quidem, alia est *profectitia*, ea scilicèt, quæ provenit à patre, vel avo paterno, vel à quocumque alio comtemplatione patris. *L.* 5. *ff. de Jur. dot. C.* 2. *tit.* 11. *p.* 4. Alia est *adventitia*, quæ scilicèt, non provenit à patre, nec ejus contemplatione, sed ab alio, vel extraneo, vel etiam consanguineo; etiam ab avo materno, vel fratre; *arg. L.* 35. *ff. de Jur. dot. L.* 2. *tit.* 11. *p.* 4. Si dos tantùm promissa sit, producit ex parte promittentis obligationem ad eam tradendam, & ex parte promissarii actionem ad petendam eam: etiamsi nudo pacto sit promissa, præcipuè de Jure Hispano. *L.* 2. *tit.* 16. *lib.* 5. *R. C.* Si verò dos sit constituta, vel tradita, etiamsi mulier habeat dominum naturale dotis, tamen maritus adquirit dominium civile. *L.* 7. *tit.* 11. *p.* 4. Nec pro ejus conservatione tenetur maritus cautionem præstare, si enim mulier suum corpus marito credere non veretur, quare dotem tradere timebit? *L.* 1. *L.* 2. *C. Nefidejussor. vel mandat.* Potestque rem dotalem vindicare, fructusque percipere prorata matrimonii ad ejus onera sustinenda, ita ut si in anni dimidio moriatur, dimidia pars fructuum ejus hæredibus restituitur. *L.* 7. *ff. de Jure dotium.* Si res immobiles inæstimatæ tradantur, vel etiam æstimatæ, sed tantùm causa taxationis, non potest eas maritus alienare, ne quidem cum consensu mulieris, *Princ. Inst. Quib. alien.* Res verò æstimatas æstimatione faciente venditionem potest maritus, quomodocumque velit, alienare, quia earum absolutum dominium adquirit: & matrimonio soluto solùm ad pretii restitutionem tenetur. *L.* 10. *ff. de Jur. dotium.* Idem dicendum est de rebus mobilibus, quæ pondere, numero, vel mensura constat: nam matrimonio soluto tantum tenetur maritus alias ejusdem generis restituere. *L.* 42. *ff. de jur. dot.* ac prohindè in his rebus periculum cedit marito. *L.* 18. *& seqq. tit.* 11. *p.* 4.

189 Pater tenetur dotare filiam in patria potestate existentem. *L.* 8. *tit.* 11. *p.* 4. Etiamsi filia inscio, vel invito patre matrimonium contraxisset; si hoc dignum, & decens sit. Deinde filiæ naturali. vel spuriæ, vel ex damnato coitu ortæ, si inops sit, modicam dotem per modum alimentorum pater constituere debet. Quod si filia Religionem ingredi velit, cum causa Religionis sit matrimonio carnali favorabilior, etiam tenetur pater eam dotare. *Sanch. de Matr. lib.* 4. *D.* 26. *n.* 7. Etiam stuprator, si stupratam non ducit in uxorem, eam dotare tenetur. *c.* 1. *c.* 2. *de Adulter.* Et quidam dos debet taxari secundum facultates patris, numerum liberorum, dignitatem mariti, & consuetudinem loci, & ad hoc possunt parentes Judicis officio compelli. Non tamen debet dos necessariò esse æqualis legitimæ, siquidem hæc adhuc non debetur, sed tantùm post patris mortem, *Sanch. de Matrim. lib.* 4. *D.* 26. *n.* 8. *Jure Hispano* dos non potest legitimam excedere, nec filia potest à patre meliorari in tertio, & quinto ratione dotis. *L.* 1. *tit.* 2. *lib.* 5. *R. C.* Uxoris doti correspondet ex parte mariti donatio propter nuptias, seu *contra dos*, seu *dotalium*, ut dicitur in *c.* 4. *h. t. & ibid. Gonz. in* 6. *Hispanè*: *Arras.* Hæc quidem à marito, vel alio ejus nomine uxori constituitur in dotis remunerationem, & securitatem. *L.* 1. *tit.* 11. *p.* 4. & Jure Communi eisdem pactis, & quantitate, ac dos constituitur. *L.* 9. *C. de Pactis convent.* & potest sicut dos, vel ante vel post matrimonium constitui, & augeri. Sed ejus administratio, & fructus pertinent ad maritum, & soluto matrimonio ad ipsum redit donatio. *L.* 20. *C. de Donat. ante nupt.* sicut redit dos ad uxorem, vel patrem dotantem. *L.* 2. *ff. Solut. Matr. Jur. tamen Hispano* hæc donatio nequit exce-

dere decimam partem bonorum mariti, nec potest renuntiari Legi hanc taxationem constituenti. *L.* 50. *Taur. L.* 2. *tit.* 2. *lib.* 5. *R. C.* Sponsalitia largitas *Hispanè*: *Donas*. Est donatio, quam sponsi mutuo sibi faciunt ante matrimonium, causa, & conditione tacita matrimonii; quo secuto adquiritur donatorio, nec posteà eo soluto restituere tenetur donati. *Sanch. de Matr. lib.* 6. *D.* 18. *n.* 2. Si donantis culpa non sequatur matrimonium amittit donatum, donatorioque adquiritur. Si culpa donatarii: ipse donatum restituere tenetur; si neutrius culpa intercedat, restituitur sponso donatio ab eo facta: si tamen osculatus fuit sponsam, vel cum ea copulam habuit adquirit sponsa meditatem donationis; sivè osculum præcedat, sivè sequatur jocalium donationem: quod saltem de *Jure Hispano* tenendum est, ob generalitatem. *L.* 54. *Taur. L.* 4. *tit.* 2. *lib.* 5. *R. C. Sanchez de Matrim. lib.* 6. *D.* 18. *n.* 5. Hæc donatio in *nostra Hispania* non potest excedere octavam partem dotis, quam maritus accipit ab uxore. *L.* 1. *tit.* 2. *lib.* 5. *R. C.* & mortuo marito post matrimonium consummatum hæc jocalia adquiruntur mulieri: & ejus hæredibus: ita tamen, ut si maritus simul illi, & arras, & jocalia donavit, non possit simul omnia capere, sed sit in mulieris, & ejus hæredum optione, vel arras jocalia accipere: & hæc optio debet fieri intra 20. dies postquam requiruntur ab hæredibus mariti. *L.* 4. *tit.* 2. *lib.* 5. *R. C. Acev. & Matienz. ibid. Sanch. de Matr. lib.* 6. *D.* 24.

190 Constante matrimonio non potest uxor repetere dotem à marito: siquidem hic debet habere tale juvamen ad onera matrimonii substinenda. Excipitur 1. si maritus sua culpa; v. g. dilapidatione ad inopiam vergat. *L.* 24. *ff. Solut. Matrim.* Tunc enim debet maritus dotem assecurare fidejussione, vel alia sufficienti cautione: & hanc mulier recipere tenetur, dote apud maritum manente, si hoc Judex decernat, vel hic jubebit dotem apud sequestrem deponi, vel alicui mercatori tradi, ut salva substantia dotis ejus fructus tradat marito, ut onera matrimonii sustineat. *c.* 7. *h. t.* si infortunio, seu casu fortuito maritus vergat ad inopiam non potest cogi ad dotis restitutionem. *L.* 29. *tit.* 11. *p.* 4. 2. potest dos repeti à marito, si ob aliquod crimen; v. g. læsæ Majestatis, hæresis, parricidii, beneficii, vis publicæ, vel quid simile mariti bona fisco addicantur *L.* 13. *ff. Solut. Matr.* 3. quando filii prioris matrimonii, parentes, fratres, aut sorores uxoris non habent, undè alantur, vel ut à captivitate redimantur. Soluto quidem matrimonio, vel quoad vinculum, vel quoad thorum tantùm, & cohabitationem; si perpetuo dissolvatur, etiam sine culpa conjugis; v. g. si alter de consensu alterius recipiat Sacros Ordines, vel Religionem profiteatur, dos uxori restituenda est, & donatio propter nuptias marito; quippè tunc maritus non tenetur onera matrimonii sustinere ob quæ datur dos *c.* 1 *h. t. L. fin. C. Solut. Matr. Gonz. in c.* 1. *h. t. n.* 10. Soluto ergo matrimonio res dotales immobiles sunt statim restituendæ: mobiles vero post annum, nisi pater, aut mater debeat restitutionem facere filiis minoribus, quia tunc potest dotem retinere usque ad legitimam filiorum ætatem, ut possit filios alere. *L.* 31. *tit.* 11. *p.* 4. Bona tamen lucrata non dividuntur, sed ad quemlibet illorum spectat id, quod ex cujusque patrimonio, vel industria respectivè adquisitum est. *L.* 12. *C. de Jur. dot. Covar. de Spons. p.* 2. *cap.* 7. §. 1. *n.* 5. *Gutier. Barb. Gonz. in c.* 2. *h. t.* in *nostra Hispania* per matrimonium contrahitur quædam Legalis societas inter virum, & uxorem, ita ut communicentur, & dividantur pro æqualibus portionibus, soluto matrimonio, inter conjugem superstitem, & hæredes defuncti omnia bona, quæ sunt adquisita, durante matrimonio: sivè ex negotiatione, sivè aliundè provenerint: & Hispanè dicuntur: *Bienes Gananciales*. Ab hac tamen dispositione, & communione extrahunt capitale, seu sors principalis utriusque conjugis, & bona Castrensia, officia, & donationes Regiæ; at verò fructus talium bonorum communicantur. Quod si mulier post mortem mariti luxuriosè vivat amittit hæc bona lucrata. *L.* 1. *L.* 2. *L.* 3. *L.* 4. *L.* 5. *tit.* 9. *lib.* 5. *R. C. vid. Acev.* Si matrimonium declaratur nullum ob impedimentum latens, quod à contrahentibus ignorabatur errore probabili, dos uxori, donatio propter nuptias marito restituitur. *c.* 1 *h. t.* si verò matrimonium cum tali impedimento scienter, vel cum ignorantia supina, & crassa contractum est, dos, & donatio propter nuptias adquiruntur fisco; nisi contrahentes sint Minores. *L.* 4. *C. de Incest. & inut. nupt.* Et quidem dos, soluto matrimonio, redit ad uxorem, non solùm, quando ipsa sibi dotem

cons-

construit. *L. 26. tit. 11. p. 4.* sed etiam quando ejus pater eam constituit, præcipuè in *nostra Hispania*, in qua per matrimonium filius exit à patria potestate, *L. 8. t. 1. lib. 5. R. C.* sed etiam quando dos est adventitia, & constituta ab extraneo; nisi hic stipuletur, sibi dotem mortuo marito esse restituendam. Mortua tamen uxore dos filiis suiis, aliisque hæredibus adquiritur. *L. 30. L. 31. tit. 11. part. 4.*

191 Denique maritus restituere debet quidquid dolo, culpa lata, vel levi in re dotali deliquit. *L. 17. ff. de Jur. dot.* Imò etiamsi absque ejus culpa res dotalis perierit, vel deterioretur, si consistebat in rebus fungibilibus, numero, pondere, vel mensura constantibus: vel si res fuit æstimata æstimatione venditionem constituente. Nam tunc maritus adquirit plenum dominium: ac proindè ad ipsum pertinet periculum, & tantumdem præstare tenetur. *L. 42. ff. de Jur. dot.* si non est æstimata res dotalis æstimatione venditionem faciente, nihil præstare maritus tenetur. Maritus quidem, & ejus liberi gaudent in restitutione dotis beneficio, quod dicunt *competentiæ*, ita ut non teneantur ultra quam quod facere possunt: ac proindè retinere valent, quod sit necessarium ad congruam sustentationem; etiamsi pactum contrarium adjiciatur: nam tale pactum contra bonos mores, & invalidum censetur. Nec enim æquitas patitur, inter tam conjunctas personas adeò severam exactionem, ut alter ad mendicitatem redigatur. *L. 12. ff. Solut. Matr.* Hoc tamen beneficio non gaudent maritus putativus, nec qui se dolo fecit impotentem ad dotem reddendam: nec alii hæredes mariti, nisi liberi. Præterea uxor pro dote repetenda gaudet hypotheca privilegiata, constituta quidem in omnibus mariti bonis, ut solutionem accipiat ante omnes alios creditores. *L. 30. C. de Jure dot. L. 12. §. 1. C. Qui potiores*, ibi: *Sancimus, ex stipulatu actionem, quam mulieribus jam pro dote instituenda dedimus, cuique etiam tacitam donavimus inesse hypothecam potiora jura contra omnes: habere mariti creditores, licèt anterioris sint temporis privilegio vallati.* At verò quoad paraphernalia habet uxor tacitam hypotecam, sed non privilegiatam, in bonis mariti, nec anterioribus creditoribus præfertur. *L. fin. C. de Pact. convent.* Si unus ex conjugibus adulterium committat, ac propterea divortium fiat, innocens; v. g. maritus recuperat donationen propter nuptias, & insuper dotem lucratur: quando hæc ad uxorem est reditura; secus si ad alium, cui adulterium uxoris nocere non debet. *L. 23. tit. 11. p. 4.* Similiter uxor innocens dotem recuperat, & donationem lucratur; ut sic aliqua fiat innocenti compensatio, quoad offensam ex adulterio insurgentem, *cap. 4. h. t. Sanchez, de Matr. lib. 10. D. 8. n. 11.* Quod locum habet, etiam in matrimonio putativo, etiam detecta nullitate occulta. *Leg. 81. Taur. L. 4. tit. 20. lib. 8. R. C.* Maritus ergo innocens dotem sibi traditam potest retinere, & adulteram post divortium repetere volentem dotem exceptione adulterii repellere potest; *arg. cap. 4. h. t.* Adultera verò non obligatur in conscientia donationem restituere, vel dotem tradere ante sententiam Judicis, quippè hæc amissio est pœna, ad quam solvendam ante sententiam Judicis obligatio non datur; *arg. cap. 19. de Hæret. in 6.* Sic *Host. Abb. Covarr. de Spons. p. 2. cap. 7. §. 6. n. 1. Barb. in cap. 4. h. t. n. 12. Sanch. de Matr. L. 10. D. 8. n. 13.* Quando uterque adulterii reus est, delictum compensatur, *cap. fin. de Adult. L. 39. L. 47. ff. Solut. Matr.* si adulter liberos habeat ex illo, vel ex alio matrimonio, innocens solum usumfructum dote, vel donatione, dum vivit, habet, proprietas tamen ad filios pertinet. *L. 23. tit. 11. p. 4. Sanch. de Matr. L. 10. D. 8. n. 12. Gonz. in cap. 4. h. t. n. 12.* Si maritus in adulterium uxoris consensit, vel eam prostituit, vel leno fuit, non lucratur dotem. *L. 47. ff. Solut. Matr.* Si post adulterium comissum conjuges reconcilientur expressè, vel tacitè cohabitando, etiamsi post judicium cœptum: imò, & sententiam latam, fiat reconciliatio, censetur actio, & injuria remissa ab innocente: ac proindè hic non lucratur, nec dotem, nec donationem adulteri, *cap. 4. h. t. Sanch. de Matr. L. 10. D. 8. ex n. 21. Barb. in cap. 4. h. t. n. 14.*

TIT. XXI.

De Secundis Nuptiis.

192 SEcundæ nuptiæ, quo nomine tertiæ, quartæ, & ulteriores comprehenduntur, licitæ sunt, Sacramentumque matrimonii constituunt; ut contra Tertullianum, Novatianos Hæreticos, & alios constat ex Apostol. 1.

Cor. 7. v. 39. ubi de muliere loquens ait: *Si dormierit vir ejus, id est, si moriatur, liberata est: cui vult nubat.* Et *1. Timot. 5. v. 14.* loquens de viduis, ait: *Volo juniores nubere, cap. 11. 31. q. 1.* ibi: *Non damnari in Ecclesia bigamiam, imò nec trigamiam, & ita licerè quinto, & sexto, & ultra, quomodo, & secundo marito nubere, cap. 4. cap. fin. h. t. L. 1. tit. 12. p. 4.* Et ex antiqua, & universali Ecclesiæ praxi constat secundarum, & ulteriorum nuptiarum usus. Et quidem tempore S. Damasi Pontificis, quædam mulier successivè nupsit viginti duobus viris, quorum ultimus viginti uxores sepelierat, testè D. Hieronym. Deindè secundum matrimonium esse Sacramentum probatur *à D. Thom. in 3. p. Suppl. q. 63. art. 2. in corp.* ibi: *Respondeo dicendum, quod ubicumque inveniuntur illa, quæ sunt de essentia Sacramenti, ibi est verum Sacramentum: undè cum in secundis nuptiis inveniantur omnia, quæ sunt de essentia Sacramenti matrimonio (quia debita materia, quam facit personarum legitimitas, & debita forma, scilicèt expressio consensus interioris per verba de præsenti) constat, quod etiam secundum matrimonium est Sacramentum, sicut primum.* Et licèt in secundis nuptiis desit aliquomodo significatio Sacramenti, quia non est una unius, nil ipsis deest de essentia Sacramenti: alias non valeret matrimonium contractum cum corrupta ab alio: & licèt antiquitus imponeretur pœnitentia secundo nubentibus, *cap. 8. 31. q. 1.* non ex hoc nuptiæ improbabantur; sed puniebatur concupiscentia, & inordinatus affectus secundo nubentium. *D. Thom. in 3. p. Suppl. q. 63. art. 1. ad 3. sanè in cap. 9. 31. q. 1.* reprehenditur abusus contrahendi cum secunda uxore secundum sensum Legis antiquæ, qua post libellum repudii nova conjugia permittebantur. Quæ Lex, cum sit à Christo D. correcta, certè secunda conjunctio, non matrimonium, sed fornicatio erat. Ut Poeta dixit: *Conjugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.* Laudabile tamen erit à secundis nuptiis abstinere amore continentiæ: ac proindè conjux potest legare aliquam quantitatem uxori sub conditione, quod non nubat. Nam hæc conditio honesta est, & cedit in honorem, & amorem prioris conjugis, nec absolutè impedit matrimonium: sed tantùm sub conditione, si tale lucrum percipere velit: ac proindè, si vidua velit legatum percipere, cautionem præstabit, de eo cum fructibus restituendo, casu, quo alteri nubat. Et post annum luctus sub hac cautione tradetur. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 87. n. 29.* Et *D. 91. n. 16. Gonz. in cap. fin. h. t. n. 9.* Quod si hæc conditio apponatur hæredi, vel legatario, qui numquam matrimonium contraxit, pro non adjecta habetur; siquidem favorabiliores sunt primæ nuptiæ, quam secundæ. *L. 22. L. 72. §. 5. ff. de Condit. & demonstr.* Profecto ut quis licitè possit ad secundas nuptias transire debet habere nuntium certum de prioris conjugis obitu, *cap. 19. de Sponsal.* ubi sumere debemus: *nuntium certum* in neutro genere, id est, relationem certam, vel si in masculino sumatur: nuntius certus est qui nuntium certum affert: ita ut moralis certitudo habeatur; *arg. cap. 2. h. t. Covarr. de Spons. p. 2. cap. 7. §. 3. n. 3. Sanch. de Matr. L. 2. D. 46. n. 6.* & de hac existimatione, & verisimilitudine intelliguntur, *cap. 1. 34. q. 1. cap. fin. §. Porrò, ut litè non contestat*; nec sufficit probabilitas de morte alterius, cum agatur de valore Sacramenti, & de magno tertii præjudicio, scilicèt, prioris conjugis, si fortè superstes sit, qui non debet in dubio spoliari jure suo. Nec sufficit præcisè absentia conjugis, quamtumvis diuturna sit; ut contra *L. 6. ff. de Divort. & L. 6. C. de Repud.* constat *ex cap. 19. de Sponsal. Sanch. de Matrim. lib. 10. D. 46. n. 1. Barbos. in cap. 1. h. t. n. 4.*

193 Habebitur certitudo moralis si de morte conjugis per scripturam deponant Magistratus Ecclesiasticus, vel Politicus, vel Militaris, vel Notarius publicus, vel alia persona publicam fidem habens, vel Parochus, quia est quasi Notarius publicus, vel duo testes etiam consanguinei asserentes, se interfuisse morti, sepulturæ, vel exequiis, vel vidisse sepulchrum conjugis; *arg. L. 12. ff. de Testib. cap. 23. eod.* unius tamen testimonium non est sufficiens. *Sanch. de Matr. lib. 2. D. 46. n. 12. cum aliis* contra *Hostiens. Abb. & alios*, nisi tale testimonium coadjuvetur aliis conjecturis, & adminiculis; v. g. si maritus erat senex, vel æger, vel interfuit prælio periculoso, vel morabatur in loco peste infecto, vel ingressus est navigationem periculosam. Vel si plures testes inveniantur, qui ejus obitum audierunt, vel quid simile. Nam his conjecturis concurrentibus sufficit unius fidedigni testimonium, si alia plenior probatio pro ratione locorum, nequeat haberi; *arg. L. 5. §. 6. ff. de Re milit.* Nec sola fama sufficit, nisi cum similibus con-

conjecturis concurrat. Et tunc debet plenè per duos testes fama ipsa probari: qui quidem se à majori parte populi, & quidem non à pueris, vel fœminis, sed à viris gravibus, & fidedignis audisse deponant. Et quod simul concurrat causa rationabilis, ex qua fama oritur; v. g. si conjux navigavit, & non compareat navis, vel si post prælium non inveniatur, &c. *Sanch. de Matrim. lib. 2. D. 46. n. 16.* Parochus, cui constat per certitudinem moralem de morte conjugis potest illum alteri copulare; *arg. cap. 31. de Reg. jur. in 6.* si dubitet, consulat Ordinarium, qui solet, quando probatio non est adeò perfecta, conjugi defferre juramentum, quod credat, suum conjugem mortuum. Sed extra hunc casum testimonium conjugis, ut in re propria deponentis non attenditur. *L. 10. ff. de Test.* Deniquè, cum regula generalis non possit dari, quæ certitudinem moralem præscribat, hoc relinquitur Judicis prudentis arbitrio. *Gregor. Lop. in L. 8. tit. 9. p. 4. V. Algunos. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 46. n. 7.* Si tempore matrimonii contracti, uterque conjux habuit dubium rationabile de conjugis morte, cum uterque sit in malæ fidei possessione, neuter petere, aut reddere debitum potest, donec dubium deponatur, & habeant judicium probabile de morte alterius, antequam secundum matrimonium contraheretur. Nec requiritur moralis certitudo, nec major probabilitas. *Sanch. de Matr. lib. 2. D. 42.* Si alter tantùm cum hoc dubio contraxit, eo stante, reddere debet, ne conjugem privet possessione conjugii initi bona fide ex sua parte: ipse tamen petere nequit, quia mala fide possidet, *cap. 44. de Sent. excommun. cap. 2. h. t. Sanch. de Matrim. lib. 2. D. 42. ex n. 2. Barb. in cap. 2. h. t. n. 1. & 3.* Quando matrimonium jam est contractum non obstat dubium leve, à personis levibus ortum, quibus conjux non tenetur credere, *cap. 44. de Sent. excommun. Sanch. de Matr. lib. 2. D. 41. n. 42.* Si dubium rationabile matrimonio superveniat, non potest dubitans, stante dubio, debitum petere, licet reddere valeat petenti bona fide: secus si mala fide petat: nam tunc non habet jus petendi, nec alter reddendi. Sic ergo dubitans inquirere diligenter veritatem tenetur. Quod si adhuc dubium, post talem diligentiam, perseveret, cum in dubio melior sit possidentis conditio, reddere, & petere liberè potest. Nec est necesse, ut in dubio practico tutiorem viam sequi, *cap. 3. de Sponsal. cap. 12. de Homicid.* quia tunc solùm dubitant an sit verum, & legitimum conjugium; non verò an liceat usus matrimonii. Siquidem hic à jure conceditur, *cap. 44. de Sent. excommun. Soto de Just. lib. 4. q. 5. art. ult. Sanch. de Matrim. lib. 2. D. 41. num. 47.* conjux, qui post contractum matrimonium scit certitudine morali, suum conjugem vivere, cum secundum matrimonium nullum sit ob impedimentum ligaminis, non potest, nec petere, nec reddere, quamvis censura compellatur, quippè talis conjunctio esset fornicariæ: est quam nullus mali metu potest compelli, *cap. 13. de Restit. spol. cap. 44. de Sent. excommun. cap. 2. h. t. Sanch. de Matrim. lib. 2. D. 39. ex num. 5. D. Thom. in 4. D. 27. q. 1. art. 2. q. 4. D. Bonav. D. Antonin.* sed tenetur primum matrimonium restaurare, & priori conjugi, relicta secunda cohabitare, *cap. 2. h. t.* si tamen conjux jam sit mortuus, licèt tempore contracti matrimonii esset vivus, hoc matrimonium potest novo consensu utriusque ratificari, & in eo validè, & licitè perseverare valent.

194 Duo genera pœnarum statuit Jus Civile adversus transeuntes ad secundas nuptias; quarum aliæ stabiliuntur in odium mulierum, quæ intra annum luctus, scilicèt, nondum elapso anno à morte mariti, contrahunt secundas nuptias. *L. 1. L. 2. cap. h. t. L. fin. tit. 12. p. 4.* ut hac prohibitione confusio, & perturbatio seminis, & sanguinis utriusque viri, & per consequens patris incertitudo vitetur: & etiam, ut marito defuncto, quem mulier lugere debet, reverentia debita servetur. Aliæ sunt in favorem liberorum prioris matrimonii statutæ, quæ quidem, nullis existentibus liberis, vel ante parentem binubum mortuis cessant. *L. 3. §. 1. cap. h. t.* Pœnæ contra viduam nubentem intra annum luctus in ejus odium inductæ, & quas nubendo ipsa incurrit, sunt quinque. Nam 1. ipsa fit infamis. Et hanc quidem infamiam participat vir eam ducens. 2. Fit in capax adquirendi ex hæreditate, legato, vel alia ultima voluntate, nisi quid ipsi à marito relinquatur. 3. Nequit secundo marito ultra tertiam partem suorum bonorum relinquere, etiamsi nulli liberi prioris matrimonii extent. 4. Non potest suis consanguineis ultra tertium gradum succedere. 5. Amittit omnia, quæ titulo hæreditatis, legati, vel donationis mortis causa, vel propter nuptias, ei reliquit pri-

primus maritus. Et quidem si intra annum luctus nubat, adquiritur consanguineis mariti ab intestato venientibus; si verò nubat post annum luctus usumfructum retinet. Hæ pœnæ, quæ expressè contra uxores sunt statutæ. *L.* 1. *cap. h. t.* ad viros non extenduntur. Siquidem, nec perturbatio, & confusio seminis, & sanguinis, nec item incertitudo prolis timetur, etiamsi viri intra annum luctus contrahat: nec ipsi lugere uxores tenentur. *L. 9. ff. de His, qui not. infam.* ac proindè cessante omninò ratione neutiquam extenduntur tales pœnæ ad viros, quantumvis uxorum sint correlativi. Jure tamen Canonico est sublata pœna infamiæ imposita Jure Civili secundo nubentibus, ut expressè cavetur in *cap.* 4. *cap. fin. h. t.* Et idem est de Jure Hispano. *L.* 3. *tit.* 1. *lib.* 5. *R. C.* Imò ob paritatem rationis, & reliquæ pœnæ supradictæ censentur ablatæ. Nam cum secundum matrimonium non solùm sit licitum, sed & aliquando maximè expediens, ut periculo animarum subveniatur, debet esse liberum, ac proindè non solùm pœna infamiæ, sed & reliquæ abesse debent, ne matrimonium libertas infringatur. Et quidem censentur tales pœnæ ablatæ, non solùm, quoad forum Ecclesiasticum, sed etiam quoad Sæculare: nam in materia matrimonii, utpotè Sacramenti non Jus Civile, sed Canonicum, ubique, & in omni Tribunali servandum est; *arg. cap.* 4. *cap. fin. h. t. cap. fin. de Præscript. Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 7. *num.* 23. plurimos citans.

195 In favorem liberorum prioris matrimonii sunt pœnæ sequentes statutæ: 1. est quod vidua secundo nubens amittat proprietatem omnium, quæ à priori marito adquisierat titulo lucrativo, scilicèt, donationis, vel ultimæ voluntatis: solùmque usumfructum retineat; proprietas tamen liberis prioris matrimonii servetur. *L.* 3. *C. h. t. Sanch. de Matrim. L.* 7. *D.* 88. *n.* 2. *Gonz. in cap. fin. h. t. n.* 5. 2. Mulier non potest ex bonis suis marito secundo plus relinquere, sivè inter vivos, sivè in ultima voluntate, quam uni ex liberis prioris matrimonii. Si verò ipsi ex inæqualibus partibus instituantur, non plus relinquere valet marito, quam cui minimam partem relinquit, si hæc legitimam attingat. *L. 6. L.* 10. *C. h. t.* ne liberos bonis privet, & ea in maritum insano amore capta effundat. Hæ duæ pœnæ non solùm mulierem, sed & maritum secundùm contrahentem comprehendunt. *L.* 5. *C. h. t.* siquidem in utroque militat eadem ratio. 3. Tutelam, & curatelam liberorum amittit. *Auth. Sacramentum, C. Quand. mulier tutel.* Sed debet Judicem adire, rationem tutelæ dare, debitum solvere, & novum Tutorem liberis petere. Nec tutelam semel amissam recuperat, etiam mortuo secundo marito. Non tamen amittit executionem testamenti à marito ipsi comissam, etiamsi secundo nubat. Ut contra alios tenent *Covarr. Greg. Lop. Matienz. Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 88. *n.* 14. *& alii.* 4. Amittit liberorum educationem: qui ab ea sunt separandi, & alibi educandi. *L.* 1. *C. Ubi pupilli educar.* Sed in hoc attendenda est cujuslibet loci consuetudo, cum arbitrarium sit attentis circunstantiis, an mater privanda sit, vel non educatione liberorum. Et ita decissum in Regio Granatensi Prætorio testatur. *Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 88. *n.* 17. contra *alios alitèr sentientes apud ipsum, n.* 16. Hæ duæ pœnæ patres secundo contrahentes non comprehendunt. Nam patre existente, liberis, si non sint emancipati, non datur Tutor; sed ipse pater est legitimus administrator, gaudetque usufructu bonorum maternorum, filiis proprietate reservata. *L. fin. C. de Bonis matern.* Nec pater aliquo jure educatione liberorum privatur. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 88. *n.* 12. *&* 20. 5. Mulier, nubens viro inferioris conditionis, quam erat prior maritus, amittit privilegium honoris prioris mariti: quo tempore viduitatis gaudebat, quia sub priori matrimonio considerabatur: ad secundas vero nuptias transiens, jam non sub illo censetur, ac per consequens ejus privilegio caret. *L.* 13. *C. de Dignit. lib.* 12. *L.* 7. *tit.* 2. *p.* 4. ibi: *E aun ha otra fuerza el casamiento, segun las leyes antiguas, que maguer la muger fuesse de vil linage, si casare con Rey, debenla llamar Reyna; é si con Conde, Condesa, é aun despues que fuere muerto su marido, la llamarán así, si non casare con otro de menor guisa. Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 88. *num.* 31. *Gonz. in cap. fin. h. t. n.* 5. Hæ tamen pœnæ, cum nullo Textu Canonico sint sublatæ, & ratione justissima fundentur, quatenùs indemnitati liberorum primi matrimonii consulunt, ne à Parentibus amore secundi conjugii, suis bonis spolientur, hodie, etiam de Jure Canonico vigent, & servari debet. Nec enim verè sunt pœnæ, sed dispositiones justæ, & laudabiles; *arg. L.* 4. *tit.* 1. *lib.* 5. *R. C. & ibid. Aceved. Greg. Lop. Molin. Sanch.*

de

de Matrim. lib. 7. D. 88. n. 39. Barbos. & Gonz. in c. fin. h. t. n. 9. si vidua intra annum luctus fornicetur, incurrit pœnas statutas adversus viduas transeuntes ad secundas nuptias intra annum luctus. *L. 3. tit. 12. p. 4.* nec enim Jus Canonicum patrocinans matrimonio debet fornicationem, & culpas fovere. *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 90. n. 1.* Non tamen obligant in conscientia ad restitutionem ante sententiam declaratoriam Judicis. *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 90. n. 11.* ubi accuratè examinatur; quas pœnas in specie incurrat. Et quamvis *Anton. Gom. in L. 14. Taur. n. 17. & alii ob L. 9. tit. 12. lib. 3.* fori dicant, quod vidua etiam post annum luctus fornicans, amittit legata à viro relicta: tamen cum ex *L. 3. tit. 12. p. 4.* hæc pœna ad fornicationem intra annum sit restricta, & aliunde Leges fori solùm obligent, quando usu admissæ sunt, & de talis Legis admissione non constet, dicendum est, quod non extenditur ultra annum luctus prædicta pœna, adhuc in nostra Hispania. Sic *Acosta, Tello, Matienzo, Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 90. n. 6.* at verò certum est, quod *in nostra Hispania* vidua in quocumque tempore luxuriosè vivat; non quatenus semel, aut iterum fornicetur, sed quatenùs fornicationis vitio assuefacta est, vel more meretricio vivit: amittit lucra constante matrimonio adquisita, & mariti hæredibus debent restitui. *L. 5. in fin. tit. 9. lib. 5. R. C.*

196 Nuptiæ primæ, non tantùm ex consilio sunt benedicendæ, sed ex præcepto. *c. 3. c. 5. 30. q. 5.* saltem sub veniali obligante. *Sanch. de Matr. lib. 7. D. 82. n. 6.* conjungium tamen, quod non est benedictum validum quidem est, non tamen legitimum. *c. 1. 30. q. 5.* hoc est, non est conforme Legibus Ecclesiasticis. Qui tamen ante benedictionem consummat matrimonium vix venialem culpam committet, imò, & nullam, quando periculum incontientiæ, vel alia justa causa adest. *Sanch. de Matr. lib. 3. D. 12. ex n. 7.* Hujusmodi benedictiones sunt quædam cæremoniæ, preceps, & oblationes sacræ, quæ in solemnitate nuptiarum adhibentur. *c. 1. 30. q. 5.* Et sanè ab Ecclesia sunt institutæ ad exemplum ipsius Dei, qui nostros protoparentes in Paradiso benedixit, & etiam ad honorem Sacramenti, & ad impartiendam conjugibus gratiam ad onera matrimonii, & prolis educationem. Ideò anathematizatur, qui tales cæremonias, & benedictiones damnat. *Trid. sess. 24. de Sacram. Mat. Can. 11.* Et hæc benedictiones, quæ *Hispanè: Velaciones* dicuntur sunt quæ prohibentur tempore Adventus, & Quadragesimæ. *Trid. sess. 24. de Ref. Matr. cap. 10.* Benedictio nuptiarum spectat ad Parochum utriusvis contrahentis: & ad nullum alium, sivè Sæcularem, sive Regularem, sine Parochi vel Ordinarii licentia. Quod si aliquis alterius Parochiæ sponsos, sine Parochi licentia matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus manet, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui matrimonio interesse debeat, seu à quo benedictio suscipienda erat absolvatur. *Trid. sess. 24. de Ref. Matr. cap. 1. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 82. n. 2.* Quando vel vir, vel mulier disjunctivè suscepit benedictiones, non sunt benedicendæ secundæ nuptiæ nec est necessarium, quod uterque simul benedictionem suscepisset. *c. 1. c. 3. h. t. Sanch. de Matr. lib. 7. D. 82. n. 15.* adeò ut si benedictio interfuit in matrimonio quod posteà irritum apparuit, non sit in secundo repetenda, siquidem benedictio non nuptiis, sed potius personis impenditur. *c. 3. h. t. Sanch. de Matr. L. 7. D. 82. n. 16.* licèt enim benedictio non sit Sacramentum, non est iteranda in eadem persona, sicut non repetuntur aliæ benedictiones solemnes rerum, vel personarum, ut pater in consecratione Ecclesiæ, altaris, & virginum, ne repetitione vilescat. *Sanch. de Matrim. L. 7. D. 82. n. 16.* Pœna suspensionis ab officio, & beneficio inflicta Sacerdoti benedicenti secundas nuptias, *in c. 1. h. t.* est casus specialis, nec constituit pœnam ordinariam huic delicto; quia esset nimis gravis. *Navar. Rodrig. Diaz Pract. Crimin. c. 74. n. 2. Sanch. de Matrim. L. 7. D. 82. n. 2.* si alicubi alia consuetudo, vel statutum particulare vigeat circa benedictionem secundarum nuptiarum, hoc debet attendi. In pluribus locis, præcipuè in his partibus Indiarum viget consuetudo, quod nuptiæ benedicantur, etiamsi secundæ sint quando alter eorum: sivè vir, sivè fœmina benedictionem non suscepit. Sic *Enriq. Perez, & alii cum Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 82. n. 23.* imò *in L. 2. tit. 12. p. 4.* habetur, quod etiam nuptiæ secundæ benedicantur, & Textus prohibentes benedictiones secundarum nuptiarum inteligit prædicta Lex de nuptiis contractis durante matrimonio primo: quæ sanæ illicitæ, & invalidæ sunt. Nec ex prohibitione be-

nedicendi secundas nuptias debet deduci, vel secundas nuptias non esse licitas, vel non constituere verum Sacramentum, sicut neutrum ex his infertur, licèt ab Ecclesia sit bigamis imposita irregularitas. Nam ad hæc respondetur cum *D. Thom. in* 3. *p. Suppl. q.* 63. *art.* 2. *ad* 2. *Dicendo, quod secundum matrimonium, quamvis in se consideratum sit perfectum Sacramentum, tamen consideratum in ordine ad primum, habet aliquid de defectu Sacramenti: quia non habet plenam significationem, cum non sit una unius, sicut est in matrimonio Christi, & Ecclesiæ. Et ratione hujus defectus benedictio à secundis nuptiis substrahitur, sed hoc est intelligendum, quando secundæ nuptiæ sunt secundæ, & ex parte viri, & ex parte mulieris, vel ex parte mulieris tantùm.* Et posteà: *Ad tertium dicendum, quod significatio perfecta, invenitur in secundo matrimonio, secundum se considerato, non autem si consideratur in ordine ad præcedens matrimonium, & sic habet defectum Sacramenti.*

LIBER V. DECRETALIUM.

TITULUS PRIMUS.

DE ACCUSATIONIBUS, INQUISITIONIBUS, & Denuntiationibus.

1 IN Libro II. Decretalium præscribitur modus procedendi civiliter: nunc agitur de modo procedendi criminaliter: & quia triplicitèr solent deduci in judicium delicta, scilicèt per accusationem, inquisitionem, & denuntiationem, de his nunc ordine in rubrica præscripto agendum est. In accusatione debet, præcedere accusantis inscriptio ad talionem, si non probaverit; in denuntiatione monitio charitativa; neutrum requiritur in inquisitione; sed sufficit, vel diffamatio, vel indicium, *cap. 24. h. t.* Accusatio, queremonia, seu actio criminalis est *delatio rei criminis apud competentem Judicem ad publicam vindictam solemnitèr facta.* Differt ab inquisitione, quia ad hanc non requiritur delatio, sed sufficiunt fama, & indicia; à denuntiatione, & actione: quia hæ non semper fiunt causa publicæ vindictæ, nisi tantùm mediatè. Actio enim utilitatem privatam agentis respicit: denuntiatio delinquentis correctionem: accusatio publicam vindictam, & utilitatem per delinquentium punitionem procurat: & ab utraque differt in solemnitate, qua debet fieri, accusatio, olim scilicèt in scriptione ad pœnam talionis, hodie cautione, de satisfactione præstanda.

2 Accusatio regularitèr debet proponi in scriptis, & in libello. *L. 3. ff. h. t. L. 14. t. 1. p. 7.* vel si viva voce proponatur, debet Notarius eam in actis scribere, nisi causa levis sit. In libello enim debet exprimi. 1. nomen Judicis, ut constet an sit competens, vel non; accusatio enim criminalis non potest coram arbitris tractari, *cap. 9. de Integr. restitut. L. 32. §. 6. ff. de Recep. qui arbitr.* Sed coram Judice, qui saltem mixtum imperium habeat, & cui accusatus sit subjectus, vel ratione domicilii, vel loci delicti, *cap. fin. de For. competent.* 2. Nomen, & cognomen accusantis, & accusati, ut appareat, an possit accusare, & accusari. 3. Crimen in specie, ut justè illud propria mensura Judex valet punire. 4. Locus criminis, & tempus, scilicèt annus, & mensis commissi delicti: dies non debet exprimi, quia cum facilè quis possit oblivisci diei, vel hebdomadæ nimis facultas accusationis, & probationis restringeretur, nisi ejus expressio sit necessaria ad rei defensionem, ut probet coarctatam, nam tunc, reo exigente, dies exprimi debet. 5. Inscriptio, vel subscriptio accusatoris ad pœnam talionis, ut sic accusantium temeritas coerceatur, *cap. 16. h. t.* Hodie pœna talionis non est in usu, ac proindè nec inscriptio ad ipsam, ne hujus metu homines ab accusando delicta, cum Reipublicæ damno deterreantur, sed ejus loco accusator cavet per idoneos Fidejussores, & pignora de accusatione prosequenda, usque ad finem Judicii, de injuria, & omni damno resarciendo, expensisque solvendis, si accusator succumbat. *L. 7. §. 1. ff. h. t. L. 3. C. de his, qui accus. non possunt.* Si non præstet cautionem jubetur arrestari ejus persona, & in carcere custodiri; *arg. L. fin. cap. h. t.*

3 In libelli conclusione non est necessè petere pœnam determinatam, sicut petitur determinata quantitas in libello civili, sed relatione facta de delicto, ipsa Lex pœnam concludit, quam moderari non est in arbitrio accusatoris: ideò probato delicto licèt dies, quo fuit commissum, vel qualitas in libello expressa non probetur, sequi debet rei condemnatio; quia Judex ex officio potest

test, supplere defectum libelli, ut judicium sustineatur: posita accusatione potest Judex accusatum, ut personaliter compareat citare; *arg. cap. 1. h. t. in 6.* non solùm verbaliter, sed etiam realiter, eum aprehendendo per milites, sictores, satellites, aut alios publicos Ministros, quibus credendum, & parendum est, licèt nihil de mandato Judicis doceant, si commissionem expressam, se habere asserant. Ut tamen incarcerari possit, debet constare per certa, & sufficientia indicia conjecturas, vel alias probationes de delicto commisso ab accusato. *L. fin. C. de Custud. reor.* Judex aliquem temerè incarcerans, vel innocentem diutius detinens, cum gravem ei injuriam, & irreparabile damnum inferat in Syndicatu tenetur, & actio injuriarum competit gravato adversus Judicem. *L. 32. ff. de Injur.* Et hinc licèt in gravioribus delictis non admittatur fidejussor, siquidem hic ad capitalem, vel corporalem pœnam gravem, nequit obligari; in levioribus tamen, quæ tantùm pecuniaria, vel levi pœna corporali poniuntur, debet Judex incarceratum cautione præstita, judicio sisti, & judicatum solvi dimittere, alias ei de injuria tenetur. *L. 1. ff. de Custod reor. Menoch. de Arbitr. cas. 303. num. 3.*

4 Accusator tenetur probare crimen, quod objicit accusato, *cap. 2. 2. q. 8.* quod si in probatione deficiat, ut temerarius litigator ad expensas tenetur, & Jure Canonico similis calumniator, præter pœnam talionis, vel aliam extraordinariam, debet agere *Carenam*, seu quadragenam, hoc est jejunium in pane, & aqua 40. diebus, & septem sequentibus annis pœnitentiam, sed si accusatus membro mutiletur, per tres quadragesimas, pœnitere debet, *cap. 8. h. t.* & quamvis de Jure Hispano sit admissa pœna talionis, in *L. 26. tit. 1. p. 7.* ibi: *E dar al acusador aquella mesma pena, que daría al acusado*: tamen per contrariam consuetudinem est talis pœna abrogata; ut notat *Gregorius Lopez in L. 13. tit. 9. p. 4. V. A pena de talion*: & semel inscriptione facta post libelli oblationem, vel litis contestationem non potest accusator ab accusatione desistere, nisi veniam Magistratus impetraverit, justa de causa; v. g. quia accusatio ex errore processit, quod si desistat ab accusatione criminis privati, sine Judicis, & partis consensu, pœna extraordinaria Judicis arbitrio est puniendus; si crimen publicum sit, infamiam incurrit, in expensas, & damna condemnatur, & in 5. libras auri fisco applicandas: publicè enim interest, accusationem prosequi; si enim vera est, accusatus puniatur, si falsa, ut coerceatur temeritas accusatoris. Hinc etiam mortuo accusatore Judex ex officio causam, prosequi tenetur. *Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 8. ex n. 11.* Accusator potest liberè, & impunè ab accusatione desistere ante libelli oblationem, & tunc ipsi perpetuum imponitur silentium, *c. 14. h. t.* post libelli oblationem potest; imò & debet desistere, si advertat, accusatum esse innocentem, vel saltem se non posse crimen objectum probare; quin & calumniatoris pœnam vitabit; si probet ex errore probabili processisse ad accusationem, vel copiam probationis ipsi esse subductam ob testium mortem, absentiam, vel malitiam. Accusatione pendente criminis gravis (secus si leve sit) accusatus ad vindictam (secus ad privatam utilitatem accusantis) non potest promoveri ad dignitatem Ecclesiasticam, vel Sæcularem, *cap. 4. h. t. L. 7. ff. de Muner.* nisi accusatio per calumniam, vel animo promotionem impediendi sit imposita: ut sic dolo, & fraudibus obvietur; *arg. L. 29. ff. de Liberal. caus.* non tamen prohibetur ei uti dignitatibus, & honoribus, quos jam obtinebat, nam facilius jura conservantur, quam adquiruntur; *arg. L. 8. ff. de His, qui sui.* Accusatione probata ad pœnam ordinariam, si jure statuta est, vel arbitrariam extraordinariam, si non est statuta, condemnat Judex accusatum, *cap. 12. h. t.*

5 Edictum de non accusando est prohibitorium, ac proindè accusare possunt omnes, quibus non prohibetur specialiter. *L. 8. L. 9. L. 10. ff. h. t. cap. 14. 2. q. 1.* Prohibentur furiosi, mente capti, impuberes: (majori verò 14. annis de consuetudine permittitur) mulier, servus: infamis, sivè infamia juris, sivè facti non potest accusare, Jure Canonico attento, *cap. 17. cap. q. 1.* licèt Jure Civili, solùm infamia Juris ab accusando excludat. *L. 4. ff. h. t.* Criminosus, & quidem de Jure Canonico, etiam non accusatus: de Jure tamen Civili non repellitur nisi ejus nomen inter reos receptum sit: qui pecunias ad accusandum receperunt; qui duo judicia habent adversus duos reos subscripta; qui sobornati falsum testimonium dixerunt: excommunicatus excommunicatione majori, secus si minori tantùm ligatus sit; *arg. c. 7. de Judic. c. 1. de*

Ex-

Exceptiun. in 6. Inimicus capitalis, vel alias valdè infestus. *c.* 13. *h. t.* cohabitantes cum inimicis. *c.* 7. *h. t.* Judæus, Paganus, & Hæreticus nequeunt accusare Catholicum. *c.* 15. 2. *q.* 7. *nec Laicus Clericum. c.* 10. *h. t.* Surdus, & mutus à nativitate (secus si ex accidenti, præcipuè si sciant scribere; *arg. L.* 43. *ff. de Procurat.*) descendentes, etiam naturales, & spuerii nequeunt ascendentes accusare; nec Discipulus Magistrum: nec libertus patronum, vel ejus hæredem: nec alumnus educatorem: nec vassallus Dominum: hoc enim est contra gratitudinem ipsis debitam, ipsa natura hoc dictante. *L.* 8. *ff. h. t. L.* 17. *C. de His, qui accusar.* Familiaris non potest eum, cujus est familiaris accusare. *L.* 20. *C. de His, qui accusar.* familiares Episcoporum, etiam Regularium, vel aliorum Prælatorum, ac proindè Monachi, & etiam fratres Laici vel conversi ad suorum Prælatorum accusationem admittuntur, si agatur de utilitate Ecclesiæ, vel Monasterii, & tàm accusanti, quàm accussato ministrandæ sunt expensæ ad litem, si proprio peculio careant. *c.* 3. *c.* 5. *h. t. Barbos. & Gonz. ibid. & alii com.* Milites, qui in expeditione, & castris sunt non possunt accusare, ne disciplinam militarem deserant: quæ ratio cum cesset in militibus ad custodiam Civitatum deputatis, accusare poterunt: si hoc Judici videatur. *Gonz. in c.* 1. *h. t. n.* 8. Magistratus accusare non valet, ne ejus potentia accusatus opprimatur; *arg. L.* 32. *ff. de Inj.* Clerici, & Religiosi non possunt Laicos ad vindictam accusare, etiamsi pœna sanguinis non timeatur. *c.* 6. 2. *q.* 7. accusatio enim illaudabilis intentionis genus est. *c.* 50. 2. *q.* 7. cui non decet Clericum, vel Religiosum immisceri, ad privatæ injuriæ satisfactionem: potest tamen Clericus, vel Religiosus accusare sine timore irregularitatis, etiamsi pœna sanguinis imponenda sit, dummodò protestetur, se non intendere pœnam sanguinis, vel aliam corporalem; alias Laici occasionem ex hoc vexandi Clericos impunè sumerent. In nostra Hispania non potest procedi in causa adulterii, nisi accuset maritus suam uxorem adulteram. *L.* 2. *tit.* 19. *lib.* 8. *R. C.* etiamsi adulterium sit mixtum cum incestu; nec maritus potest unum adulterum accusare, quin simul alterum accuset, etiamsi absens, dum in vivis sit: *L.* 2. *tit.* 20. *lib.* 8. *R. C. Hev. in Cur. Philip. p.* 3. §. 8. *n.* 2. omnes prædicti, exceptis furiosis, infantibus, & amentibus, ad accusandum admituntur in criminibus læsæ Majestatis, hæresis, falsæ monetæ, annonæ fraudatæ, simoniæ, &c. *L.* 7. & 8. *ff. ad Leg. Jul. Majest. c.* 10. *de Hæretic.* vel quando prosequuntur suam, vel suorum injuriam usque ad 6. vel quartum gradum, secundum Jus Canonicum *L.* 12. *C. de His, qui accusat. c.* 1. & 12. 15. *q.* 3. & quando agitur de publica utilitate; *arg. c.* 3. *c.* 5. *c.* 11. *h. t.*

6 Hodie tamen Judex, etiam nullo privato accusante, procedit in quocumque delicto, scilicèt ad instantiam procuratorum fiscalium, qui ex officio crimina tenentur deferre; multoque magis procedit Judex, quocumque licèt inhabili accusante, nam ejus querela viam aperit Judici ad inquisitionem delicti. Et cum accusatio propriè talis ferè abrogata sit per consuetudinem, in judicio Ecclesiastico Promotor Fiscalis tenetur ex officio crimina accusare: in Tribunalibus Regis Supremis etiam sunt Procuratores Fisci, qui *Hispanè: Fiscales* appellantur, *ex tot. tit.* 13. *lib.* 2. *R. C.* in aliis Tribunalibus inferioribus creantur hi Promotores Fiscales, prout necessitas exigit. *L.* 14. *tit.* 13. *lib.* 2. *R. C. Hev. in Cur. Philip. p.* 3. §. 8. *n.* 2. Qui crimen aliquod nequit probare non tenetur, imò nec potest illud accusare, quia se exponeret periculo pœnæ calumniatoribus impositæ, & famam proximi læderet, quin Reipublicæ consulere, si probare potest, & non aliter bono Reipublicæ, quam accusatione consuli valet, accusare tenetur, quia bonum commune debet privato præferri: ac proindè etiam cum aliquo damno proprio debet accusare; si verò denuntiatione æquè consulitur bono Reipublicæ, potest accusare, etiamsi reus nulla laboret infamia, sed non tenetur: imò omittere accusationem erit expediens, meliusque erit denuntiare *arg. L. unic. C. Ut nemo invit.*

7 Omnes regularitèr possunt accusari, nisi excepti: accusari autem nequeunt. 1. Infantes, furiosi, vel amentes, quia non sunt delicti capaces; etiamsi ante furorem, delictum capitale commisissent. Satis hi cum suo furore puniuntur. *L.* 14. *ff. de Offic. Præsid.* Ebrii possunt accusari, & puniri, etiam ob delictum in ebrietate commissum; sed pœna extraordinaria. Etiam qui dormiens aliquod delictum commissit, si ipsum prævideret, potest accusari, & puniri secus si non prævidit delictum, dum erat vigilans. *C.* 5. *tit.* 8. *p.* 7. *Hevia in Cur.*

Philip. p. 3. §. 9. *num.* 5. 2. Minores 25. annis non aliter accussantur, quam Curatore dato, etiamsi in patria existant potestate. *L.* 4. *C. de Authorit. præstand. Hevia in Cur. Philip. p.* 3. §. 9. *num.* 9. 3. Papa: qui solùm à Deo judicatur, nisi causa sit hæresis. *c.* 6. *D.* 40. ibi: *Hujus culpas redarguere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse judicaturus, à nemine est judicandus, nisi deprehendatur à fide devius.* Nec alii Principes Supremi. 4. Legati Principum, vel alii Magistratus, pendente eorum officio. *L.* 12. *ff. h. t.* 5. Mortui ante condemnationem, nam morte crimina extinguuntur. *L. fin. ff. ad Leg. Jul. Majest.* nec transit in hæredes pœna delicti; sed suos tantùm tenet Authores. *L.* 20. *& 26. ff. de Pœnis.* Quando quis ante suam mortem, litè cum eo contestata, & condemnatus ad pœnam pecuniariam, illius hæres ad eam tenetur. Crimina læsæ Majestatis, hæresis, repetundarum (scilicèt, si officio publico constitutus pecunias, vel munus accipit, ut suum officium impertiatur, vel ut faciat contra illud) & alia crimina similia etiam reis mortuis, cum quibus nihil actum est, exercentur, ut bona fisco applicentur. *L.* 20. *ff. h. t. L. fin. ff. ad Leg. Jul. Majest.* Et in nostra Hispania idem est quando quis se ipsum occidit. *L.* 8. *tit.* 23. *lib.* 8. *R. C.* imò etiam pœna corporali punitur. Similitèr pœna corporali ordinaria puniuntur, etiam post mortem, rei læsæ Majestatis Divinæ, vel Humanæ, & famosus latro; & sic his diebus vidimus in quodam famoso latrone, qui cum fuisset occisus à satelitibus missis ad ejus apprehensionem, posteà ejus cadaver fuit à carnifice in patibulo suspensum. 6. Post lapsum temporis, quo accusationi præscribitur, non potest quis accausari, nec Judex debet accusationem admittere, imò repellere, si fortè post lapsum temporis intendatur, etiamsi reus confiteatur delictum, vel alio modo fiat notorium. *Farinac. Prax. Crim. q.* 10. *n.* 14. hodie quoad vindictam publicam præscriptio non attenditur. De quo vid. *Hevia in Cur. Philip. part.* 3. §. 14. *in fin.* 7. Si absentes accusentur de crimine, quod mereatur pœnam corporalem, vel condemnationem in metallis vel aliam relegatione majorem, eorum bona, à Judice annotantur, hoc est obsignatur, seu arrestantur. *Hispanè: Embargo de bienes.* Si non compareat intra annum, bona fisco applicantur, & ei nulla alia pœna infertur. *L.* 5. *ff. de Requir. vel absent.* quia nullus debet inauditus condemnari.

8 Quando verò pœna infigenda est solùm pecuniaria, vel infamiæ, vel relegationis citatur à Judice ad comparendum; quod si legitimè citatus non compareat, & non possit realitèr citari, seu corporalitèr apprehendi, usque ad sententiam perducitur judicium in absentia, & contumacia, usque ad relegationem. Hodie in quocumque crimine non attento, nec expectato anno, proceditur contra absentem contumacem, quod si ante sententiam comparet, auditur, & acta præcedentia tantùm vim simplicis querelæ habent: si post sententiam apprehendatur, sententia executioni mandatur. In nostra Hispania varii termini ad procedendum tunc conceduntur. Si ad primum non compareat, imponitur pœna, quæ dicitur *del desprèz*, si ad secundum terminum compareat, debet audiri, sed prius solvere tenetur pœnam *del desprèz*, & expensas. Si non compareat, & delictum meretur pœnam capitalem imponitur ipsi pœna, quæ dicitur *del homecillo.* Si ad 3. terminum compareat auditur, sed prædictis pœnis, & expensis prius solutis. Si non compareat, texitur ordo judiciarius usque ad sententiam definitivam, quod si intra annum non compareat, imponitur pœna pecuniaria, quæ est applicanda fisco, vel parti, & in his posteà non auditur, semper tamen, quoad pœnam corporalem auditur. *L. fin. tit.* 10. *lib.* 4. *R. C.* 8. Qui de uno crimine accusatus ab eo est absolutus, vel condemnatus per sententiam definitivam, nequit de eodem crimine, etiam ab alio accusatore iterum accusari, quia obstat exceptio rei judicatæ, nec de eodem delicto debet sæpius inquiri, aliàs numquam reo esset sua innocentia secuta.

9 Tamen potest iterum accusari. 1. Qui absolutus est in foro conscientiæ tantum, etiam publica pœnitentia imposita: hic enim potest in foro externo accusari. 2. Qui tantùm absolutus est ab observatione Juidcii, potest ab alio, non verò à primo accusatore, saltem de Jure Canonico accusari. 3. Qui per transactionem vitavit accusationem, licèt non possit à primo accusatore, potest ab alio accusari. 4. Si secundus accusator suam, vel suorum injuriam prosequatur, & juret primam accusationem ignorasse. 5. Si prima accusatio per collusionem fuit facta, & hoc à secundo accusatore, saltem per indicia probetur. 6. Si crimen sit mixti fo-

fori. 7. Si accusatio civilitèr tantum ad interesse privatum est posita. 8. Si reus fuit absolutus, vel condemnatus opposita accusatione, non in vim accusationis, sed tantùm in vim exceptionis ad excludendum aliquem à testificando; v. g. & sub his limitationibus inteligitur illud: *Quod res inter alios acta aliis non præjudicat. c. 25. de Sent. & re judicata. L. 1. & 2. C. Quibus res judicata.* Quando non specialiter plurium interest, Judex omnibus accusatoribus unum eliget, dignitate, moribus, & ætate digniorem, ut accusationem prosequatur. *L. 16. ff. h. t.* Si plurium interesit delictum puniri, omnes possunt accusare, præfertur tamen in accusatione ille, qui in accusando prævenit, quod si simul concurrent, Judex unum eliget dignitate, moribus, & ætate digniorem, qui meliori intentione accusare credatur, ut accusationem possit prosequi. *L. 16. ff. h. t. L. 13. tit. 1. p. 7.* si inter accusatores inveniatur aliquis, qui suam, vel suorum injuriam prosequatur, hic præfertur cæteris ita ut solus hic admittatur, cæteris exclusis, non solùm ab accusando, sed etiam à testificando. Si concurrant plures consanguinei ad prosequendam suorum injuriam, propinquior præfertur, & quidem uxor defuncti omnibus, etiam filiis ipsius defuncti, præfertur ad accusandam mortem mariti: quod si electus ad accusandum remittat injuriam, ab omnibus remissa censetur. *Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 8. n. 8.* Accusatio quoad privatum interesse cessat præscriptione, & transactione; secus quoad vindictam publicam: attamen non imponitur pœna mortis, si à parte offensa remittatur injuria, vel pretio, vel gratis; nisi adeò grave sit delictum, quod non aliter possit Reipublicæ offensæ satisfieri, quam morte delinquentis. *L. 23. tit. 1. p. 7. & ibid. Greg. Lop. Anton. Gom. 3. Var. c. 3. ex n. 55. Hev. in Cur. Philip. p. 3. §. 9. n. 10.* mortuo accusato cessat accusatio, quoad pœnam corporis afflictivam. *L. 1. & seqq. C. Si reus, vel accusator*, quoad damnum parti illatum non cessat, sed transit ad hæredes; quoad pœnam pecuniariam, si sententia est lata, transit ad hæredes; secus si adhuc lata non est sententia, quamvis lis sit cum defuncto contestata. *L. 20. ff. h. t.* vel si à sententia fuit appellatum. *Hevia in Cur. Philip. p. 3. §. 9. n. 12.* In criminibus læsæ Majestatis, hæresis, &c. contra hæredes proceditur, ut bona fisco applicantur: quamvis lis non sit cum delinquente contestata. *L. fin. ff. ad Leg. Jul. Majest. Hev. in Cur. p. 3. §. 9. n. 13.*

10 Cum maximè Reipublicæ expediat, ne delicta maneant impunita, & sæpè desint, qui crimina accusent: idcircò stabilita est inquisitio, qua Judex ex officio procedit ad probationem, & punitionem delicti, quod fama, vel clamor ad aures Judicis detulit, & vicem accusatoris subeunt. *c. 24. h. t. L. 13. ff. de Offic. Præsid.* Est ergo inquisitio indagatio criminis, vel criminosi legitimè per Judicem facta. *L. 1. tit. 1. p. 3.* ibi: *Pesquisa en romance, tanto quiere decir en latin, como inquisitio, è por ella se sabe la verdad de las cosas mal fechas.* Inquisitio alia est simplicitèr *generalis*, seu *generalissima*, in qua scilicèt, nec persona aliqua, nec delicto expresis, solùm generalitèr ex mero officio inquiritur, an in illo loco, vel Diœcesi aliqua crimina comittantur, ut fit in visitationibus. *c. 1. de Offic. Ordin. cap. 25. h. t. in 6. L. 13. ff. de Offic. Præsid. Gonz. in cap. 21. h. t. n. 10.* & hæc præparat viam ad inquisitionem specialem; nam si ex ea indicia, & probationes emergant, quibus saltem præsumptivè appareant delictum, & ejus Author, loco diffamationis succedunt, ut inquisitio specialis instituatur. In nostra Hispania hæc inquisitio, quæ dicitur. *Hispanè: Visita*, non permittitur, nisi de mandato Regis fiat. *L. 2. tit. 17. p. 3. L. 3. L. 4. tit. 1. lib. 8. R. C.* alia inquisitio est *specialis*, quando scilicèt Judex de crimine certo, & certa persona inquirit: an ipsa illud crimen commiserit. *L. 7. C. h. tit. L. 1. tit. 17. p. 3. Alia est mixta, quando scilicèt nulla certa persona expressa, sed expresso certo crimine*; v. g. homicidio, vel furto, *inquiritur, quisnam sit illius author? vel quando nullo expresso crimine, expressa tamen persona inquiritur, an talis aliqua crimina commiserit?*

11 Judex potest inquisitionem specialem tribus modis instituere. 1. Ex mero officio, sine accusatione, querela, vel denuntiatione præcedente, & tunc non requiritur, quod Judex super fama recipiat probationem, cum de ea sibi constet, nec fit contestatio litis, & testes etiam post publicatas attestationes recipi possunt; nam tunc cessat subornationis timor cum semper Judici nota sint dicta testium. 2. Ad denuntiationem Fiscalis. 3. Ad cujusvis privati querelam, qui solùm eam Judici proponit, ut procedat ad in-

inquisitionem non tamen vult stare in judicio tanquam accusator, & tunc debet fama probari, & super ea probationes recipi, & sit litis contestatio cum denuntiante *c.* 15. *de Purgat. Canon.* nec recipi possunt testes post publicatas attestationes. De levioribus delictis, quorum pœna est pecuniaria, vel carceris, quæ ad bassam jurisdictionem dicuntur pertinere, non tenetur Judex inquirere, sed sæpius præstat dissimulare. Delicta verò magna, & scandalosa non sunt disimulanda, sed potius de eis inquirere debet Judex, nam per illa Reipublicæ turbatur pax, & tranquilitas: talia sunt, quæ sunt digna ultimo supplicio, vel mutilatione, vel fustigatione, & ad altam jurisditionem dicuntur pertinere; *arg. c.* 21. *h. t. L.* 6. *ff. eod.* Judex tantum, potext inquirere, quando habet jurisdictionem criminalem in delictum: & delinquens ipsi subjectus est ratione causæ, domicilii, vel loci delicti: hinc sæcularis in Ecclesiasticos nequit inquirere. Ad inquisitionem generalissimam non requiritur delicti fama. *L.* 1. *tit.* 17. *p.* 3. *L.* 3. *tit.* 1. *lib.* 8. *R. C.* & constat *ex Trident. sess.* 7. *cap.* 8. *& sess.* 21. *de Ref. cap.* 8. ubi Episcopi, quotannis Diœcesim visitare, & inquisitionem facere obligantur, quamvis nulla fama de delictis commissis, præcedente, & similitèr sit in Religionibus: quia cum de nullo in particulari fiat inquisitio, nulli sit injuria: & hac ratione nec prærequiritur infamia, cum fit inquisitio mixta, quando nulla persona expressa inquiritur, quis sit author delicti, sufficit enim verisimilis, seu rationabilis delictis suspicio, multoque minùs requiritur infamia alicujus personæ, nam sine ea generalitèr potest inquiri in autorem delicti: sed Judex non debet testes interrogare in inquisitione generali, an Titius; v. g. commisserit furtum? nam hoc magis suggerentis, quam inquirentis esse videtur. *L.* 1. §. 21. *ff. de Quæstion.* Quando infamia personæ, vel inditia sufficientia non dantur, non tenetur testis manifestare Judici, etiam sub juramento interroganti, authorem criminis occultum: quia non habet jus interrogandi de reis occultis, & à fortiori reus occultus à Judice interrogatus non tenetur se ipsum prodere. Si crimen adhuc esset patrandum, vel continuandum, vel in tertii grave damnum cederet, & aliter non posset declinari, deberet testis authorem manifestare. Quando legitima præcedunt indicia, non solùm testes, sed & ipse inquisitus debent veritatem Judici aperire.

12 Quando inquiritur de persona certa; v. g. an Titius sit reus, delicti perpetrati, debet præcedere infamia. *c.* 19. *c.* 21. *c.* 24. *h. t. c.* 2. *eod. in* 6. ita ut rumor de tali crimine, & ejus authore sit sparsus per majorem partem viciniæ loci, vel communitatis, ubi sit inquisitio, & non semel, sed sæpius ad aures Judicis pervenerit, præcipuè si debeat injustitia inquisitio contra Prælatum Ecclesiaticum, quia ejus dignitas, & status est sublimior, & quia Prælati, quasi signum sunt positi ad sagitam. *c.* 24. *h. t.* & quidem rumor originem trahere debet non à malevolis, vel maledicis, sed ab honestis, & fidedignis personis; nec sufficit, quod aliquis secreto juret, se vidisse talem hominem delictum commisisse, nam Judex non procedit ad criminis publicam inquisitionem, nisi ex publica scientia, & talis non est, quando infamia aliqua, & clamorosa insinuatio non præcedit. *Clar. Barb. Gonz. in c.* 21. *h. t.* & solùm potest Judex interrogare de delicto, de quo reus antecedens est infamatus, non verò de aliis delictis, de quibus reus non est diffamatus, nisi cùm delicto principali sint connexa; nec potest de socio occulto interrogare, nisi tale sit delictum, quod sine socio nequeat fieri; vel si cum sociis factum esse dicatur, vel quando est exceptum, vel in Reipublicæ damnum cedit: & processus sine infamia, vel aliis indiciis præcedentibus institutus nullus est. *c.* 21. *c.* 24. *h. t.* Nisi reus cum esset præsens non reclamasset: nam tunc processum approbare, & juri suo renutiare creditur. *c. fin. h. t. in* 6. *Clar.* §. *fin. q.* 6. *n.* 9. *Farin. q.* 9. *n.* 12. Non tamen requiritur diffamatio. 1. In criminibus læsæ Majestatis, hæresis, apostasiæ, & aliis in grave damnum Reipublicæ; imò, & privati tendentibus: nam in his sufficit suspicio non levis. *Barb. in c.* 24. *h. t.* 2. Si adversus delinquentem adsint indicia criminis valdè propinqua; v. g. si res furtiva apud ipsum inveniatur, multoque magis, quando crimen, de quo inquiritur, est connexum cum alio, de quo est convictus, vel diffamatus; v. g. si aliquis sit convictus de adulterio, potest inquiri, an ipse sit author homicidii mariti in lecto adulteræ occisi: secus si delicta non sunt connexa: nam etiam diffamatus de uno retinet jus ad famam respectu alterius. 3. Quando Judex ad inquisitionem procedit

ad

ad denuntiationem alterius, præsertim Officialis publici. *L.* 7. *C. h. t.* vel quando venit in notitiam alicujus rei per inquisitionem generalem: etiamsi testis malefecisset revelando delinquentem non diffamatum. *Barbos. in cap.* 24. *h. t.* 4. Quando inquisitus cum esset præsens non reclamavit, nec contradixit: nam tacendo creditur suo jure renuntiare, ac proindè processus contra ipsum formatus valet, *cap. fin. h. t. in* 6. vel si reus contumaciter absit, quia pro præsente habetur. 5. Quando inquisitio non ad punitionem tendit, sed solùm ut corrigatur delinquens, vel damnum vitetur; v. g. si inquiratur de vita, & moribus promovendi ad ordines, vel prælaturam, ne promoveatur indignus.

13 Ut Judex ad inquisitionem specialem, possit procedere necesse est, quod constet prius de corpore delicti, hoc est delictum verè esse commissum. *L.* 1. §. 24. *L.* 5. §. 2. *ff. ad S. C. Silanian.* nec enim sufficit ut quis condemnetur, quod ipse reus fateatur delictum, si hoc esse commissum non constet, nam nullus est Dominus vitæ suæ, & suorum membrorum. *L.* 13. *ff. ad Leg. Aquiliam.* Inter delicta, quædam sunt facti permanentis, quæ post se vestigia relinquunt, ut homicidium, falsatio monetæ, incendium, &c. & de his debet Judici constare per ocularem inspectionem cadaveris, monetæ falsæ, ædium combustarum, &c. nisi forte non sit manifestabili, quia cadaver in mare projectum esse dicatur. Si de corpore delicti constet: v. g. de morte alicujus, dubitetur tamen, an vulnere, vel veneno, vel fato proprio contigerit, debet cadaver per Judicem, Medicos, vel Chirurgos inspici, & etiamsi jam sit sepultum effoditur præcedente Ordinarii licentia. Alia sunt delicta facti transeuntis, quæ post se vestigia non relinquunt, ut blasphemia, &c. & in his sufficit si Judici per conjecturas, & præsumptiones de illis constet, cum corpus delicti nequeat certo investigari. *Farinac. q.* 2. *n.* 4. *&* 13. *Guac. de Defens. reor. & alii com.* Deinde inquisitio debet continere circunstantias delicti: præcipuè loci, ac temporis, anni scilicèt, & mensis; *arg. L.* 3. *ff. h. t.* nisi delictum habeat tractum successivum, vel tantùm tempus post ejus patrationem sit elapsum, ut non sit facile testes temporis recordari. Capitula, seu puncta inquisitionis, & nomina testium debent inquisito tradi, ut in ea opponendo suas legitimas exceptiones se possit defendere. *c.* 19. *c.* 21. *c.* 24. *h. t.* Si reus contra quem inquiritur sit jam de eo delicto absolutus, vel actio criminalis præscripta, non potest contra eum inquiri: debetque esse præsens, vel si absens sit debet esse citatus in contumacia, hoc tamen praxi curiarum non servatur. *Clar.* Si reus inquisitus sit legitimè convictus, vel confessus, poniendus est à Judice. Si nec convictus, nec confessus, defertur ipsi juramentum purgationis: quod si noluerit subire, pro confesso habetur. *L.* 2. §. 6. *&* 7. *C. de Jur. jur. propter calumn.* quod si præstiterit, etiam ab expensis absolvitur.

14 Est, & alia inquisitio, quæ dicitur *severa*, seu *durior*, scilicèt *tortura*: ad quam non est deveniendum, quoties reus per testes de visu, vel alias plenè est convictus, etiamsi renitens sit, & neget delictum: nam ad remedium extraordinarium, quale est tortura, non est deveniendum, nisi deficiente remedio ordinario probationis legitimæ. *L.* 8. *L.* 9. *ff. de Quæstion.* Quando verò deest probatio sufficiens, adsunt tamen indicia criminis urgentia certa, & concludentia, ita ut solùm rei confessiò deesse videatur, ad torturam procedendum est, & non alitèr. *L.* 1. §. 1. *L.* 18. §. 1. *ff. de Quæstion.* Hæc ergo juxta sexus, ætatis, virium, & indiciorum circunstantias ita temperanda est, ut reus, vel innocentiæ, vel supplicio salvus maneat. *L.* 7. *ff. de Quæst.* In ipsa tortura interrogandus est reus solùm de delicto, de quo est suspectus, non de alio etiam connexo, & à Tabellione debent notari instrumenta, gradus, diuturnitas torturæ, responsionis rei, gestus, lamentationes, & aliæ circunstantiæ. Si reus constantèr neget delictum in tortura, quin corpus, vel animum Magica, vel alia arte adversus tormenta prævenerit, absolvitur, & à carcere liberatur, cum per torturam purgasse censeatur indicia, quamtumvis urgentia, nec ad torturam revocatur, nisi nova indicia insurgant. *L.* 18. §. 1. *ff. de Quæstion.* Si verò delictum planè fateatur cum suis circunstantiis temporis, & loci, & extra locum torturæ alio die confessionem ratificaverit, condemnatur; si neget extra torturam, rursus torquetur, & si tunc neget absolvitur; si confiteatur & posteà extra torturam neget, tertio torquetur, si ibi fateatur, & posteà extra torturam neget, pœna extraordinaria punitur. De quibus satis clarè. *L.* 4.

tit.

tit. 30. *p.* 7. *& ibid. Gregor. Lop. Hev. in Cur. Philip. p.* 3. §. 16. A tortura eximuntur Magistratus Majores. *L.* 11. *C. de Quæstion. L.* 10. *C. de Dignit.* Nobiles; *arg. L. in C. de Quæstr. Dignit.* Milites. *L.* 8. *C. de Quæstion.* Doctores, quippè nobiles sunt; *arg. L.* 2. §. *fin. L.* 4. *ff. de Excusat.* & etiam privilegio militum gaudent; *arg. L.* 14. *C. de Advocat. divers. judiciorum.* In crimine tamen læsæ Majestatis, hæresis, proditionis, simoniæ, & aliis valdè enormibus neminem à tortura eximit conditio, vel status. Deindè, ob defectum animi, vel corporis non sunt torquendi furiosi. *L.* 3. §. 11. *ff. de S. C. Silanian.* Impuberes. *L.* 1. §. 33. *ff. eod.* Senes decrepiti. *L.* 3. §. 7. *ff. eod.* Valetudinarii, qui in periculo vitæ versantur; *arg. L.* 7. *ff. de Quæstion.* Mulieres prægnantes. *L.* 3. *ff. de Pœnis.* Surdi, & muti simul à natura, vel ex accidenti, si ignorent litteras. *L.* 3. §. 8. *&* 10. *ff. de S. C. Silan.* Delictum per viam inquisitionis probatum punitur pœna ordinaria, non solùm de Jure Civili. *L.* 8. *ff. de Publ. Judic.* Sed etiam de Jure Canonico, ut contra *Felin. & alios* tenent *Barbos. Gonz. in cap.* 21. *h. t. n.* 6. *& alii. Et cap.* 2. *de Confes. cap. fin. de Celebr. Missar.* præcipuè hoc consuetudine, quæ est optima legum interpres, probante. Aliquando permittitur, pœnam ordinariam moderari à Judice attentis personæ, & delicti qualitatibus, aliisque circunstantiis, ut in *cap.* 21. *h. t. & ibid. Gonz.*

15 Quando inquiritur in Prælatos, vel Subditos Regulares juris ordo non est observandus ad unguem, scilicèt, quoad subtilitatem, seu solemnitatem juris, sed solùm quoad veritatis probationem; *arg. Cl.* 2. *de V. S.* In nostra Hispania Proreges, Gubernatores, & alii Magistratus, finito eorum officio ad Syndicatum tenentur. *Hispanè: Residencia.* Ubi fit inquisitio, tàm generalis, quàm specialis, tàm publica, quàm secreta de modo procedendi ipsorum, & an servaverint Leges, vel aliquid in eas commiserint, & quilibet de populo potest petere, quidquid ad suum interesse spectare judicet. De quo. *Tot. tit.* 17. *p.* 3. *Hevia in Cur. Philip. p.* 4.

16 Denuntiatio in genere, est delatio, seu manifestatio criminis facta superiori sine solemnitate. *L.* 27. *tit.* 1. *p.* 7. Alia est *judicialis*, *extrajudicialis* alia: *Judicialis*, vel est *Civilis*, vel *Canonica*: *extrajudicialis*, etiam dicitur *Evangelica. Judicialis* ergo *est delicti manifestatio apud competentem Judicem, sine eo quod denuntians se ad probationem adstringat. L.* 27. *tit.* 1. *p.* 7. *cum concordantibus.* Si solùm delictum sine delinquente deferatur, denuntiatio generalis dicitur, si delinquens deferatur, dicitur denuntiatio specialis, si fiat Superiori Ecclesiastico, dicitur Canonica, si Judici Sæculari Civilis dicitur: Et cum hæc, sivè fiat à publicis Ministris, qui Fiscales dicuntur, sivè fiat ab aliis personis privatis, successerit loco accusationis, hinc est, quod debet fieri in scriptis, expressis nominibus denuntiantis, & denuntiati, & etiam delicto cum circunstantiis loci, & temporis. Quando crimen vergit in præjudicium communitatis, vel tertii, si alias non potest impediri, deferri debet Superiori à quocumque illud sciat extra confessionem: etiamsi nequeat probari, nam tunc denuntiatio non fit ad punitionem delinquentis, sed ad vitandum damnum Reipublicæ, vel tertii, quod præponderat bono particulari delinquentis, *cap.* 37. 7. *q.* 1. *arg. cap.* 12. *de Foro Compet. L.* 38. *ff. de Pactis. Sanch. de Matr. lib.* 3. *D.* 13. Si peccatum sit ita occultum, ut nequeat probari, nec vergat in damnum Reipublicæ, vel tertii non debet denuntiari, quia cum judicialis denuntiatio, tendat ad inferendam vindictam publicam, publico judicio, & hoc sine legitima probatione nequeat fieri, esset inutilis denuntiatio, & tantùm famam denuntiati læderet; & hinc tali casu nequit Judex denuntiationem recipere. *L.* 8. *& fin. C. de Calumniator.* possunt denuntiari crimina præterita, emendata, manifesta, & occulta, si possint probari, etiam, quando nulla delinquentis infamia præcessit, quia denuntians subit vices accusatoris ad processum instituendum; licèt non obligetur ad probandum, *cap.* 2. *&* 24. *h. t. L.* 27. *tit.* 1. *p.* 7. ibi: *Non son tenudos de probar aquello que dicen*, & præcipuè in crimine hæresis tenetur quis illud Inquisitoribus denuntiare, & quidem nulla facta monitione, nec re communicata superiori Ordinis, si reus sit Religiosus, & etiamsi delictum nequeat probari, ut constat ex *Constit. Alexand. VII. licèt alias, an.* 1660. qui posteà hanc propositionem, quæ est 5. damnavit: *Quamvis evidentèr tibi constet, Petrum esse hæreticum non teneris denuntiare, si probare non possis*, & ibidem notant Expositores, quod etiam si quis sciat, resipuisse, tenetur, illum denuntiare, & etiamsi tantùm evidentia morali hoc sciat, imò etiamsi

fun-

fundamenta non sint adeò gravia, tenetur quis denuntiare: nam S. Tribunal rectissimum, & secretissimum est, & quid faciendum sit, prudentèr arbitrabitur.

17 Etiam est obligatio gravis denuntiandi Inquisitoribus, vel Ordinariis, ubi non sunt Inquisitores, illum Sacerdotem, qui in confessione, vel immediatè ante, vel immediate post ipsam confessionem, vel occasione, vel quomodocumque prætextu confessionis, aut quamvis confessio secuta non sit, in confessionali, aliovè loco, ubi confessiones audiri solent, solicitat, sivè fœminam, sivè masculum, ad aliquod peccatum carnis secum, vel cum alio perpetrandum, aut si ibidem cum aliquo habuerit illicitos, & inhonestos sermones, sivè tractatus. Sic post alios Pontifices, severissimè, & sub excommunicatione latæ sententiæ statuit *Greg. XV. in Bull.* 34. *Universo Dominici gregis. Et Alex. VII. damnavit has propositiones. 6. Confessarius, qui in Sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam posteà legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur solicitasse in confessione, ac proindè non est denuntiandus. 7. Modus evadendi obligationem denuntiandæ solicitationis est, si solicitatus confiteatur cum solicitante, his potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.* Mulier solicitans confessarium non est denuntianda, nec Laici confessionem audientes comprehenduntur, nisi ratione simulati Sacerdotii, si absolutionem impenderent Episcopi electi nondum consecrati in hoc edicto comprehenduntur, secus si consecrati sint; possent tamen Inquisitores recipere testium depositiones remitendas Pontifici; imò, & Episcopum detinere, si timeretur fuga. Fœmina tenetur denuntiare, etiamsi ipsa in solicitationem consensisset; sed non tenetur suum consensum detegere, nec de hoc ab Inquisitoribus interrogatur, imò, & si detegat, non scribitur in processu, ita constat ex Decreto Inquisitoris Generalis Hispaniæ, ann. 1713. Qui audivit, aliquem confessarium solicitare, tenetur eum juxta notitiæ qualitatem Inquisitoribus denuntiare. Item denuntiandus est confessarius, si pœnitentem osculetur, turpitèr tangat, premat pedem, si vellicet fœminam, vel tangat mamillas, vel concubinam objurget. *Hispanè: Pida zelos.* Vel si immediatè post confessionem ducat puerum ad cubiculum, ut tradat ei Chyrographum confessionis, & ibi eum ad inhonesta provocet. In nostra Hispania hoc delictum debet denuntiari Inquisitoribus, ut constat ex *Edicto General. S. Inquisit. n.* 9. Deniquè confessarius debet pœnitentem admonere de obligatione denuntiandi, & quicumque, aliquid ex criminibus S. Inquisitionis Tribunali reservatis sciat, tenetur illud Inquisitoribus denuntiare, ut constat ex *Edicto General. Inquisit. n.* 21. *Ó que algunas personas, faltando á lo que son obligadas, han dexado de manifestar al Santo Oficio algunas de las cosas referidas, ó han persuadido á otras, que no lo manifiesten.*

18 Denuntiatio Evangelica, seu correctio fraterna, est illa, qua frater corrigitur, quando peccatum est occultum; sed ita ut saltem per duos testes valeat probari: per illam tamen non corrigitur quis ad pœnam, sed ut emendetur, & resipiscat, debetque fieri juxta modum in Evangelio à Christo D. traditum. *Matth.* 18. *v.* 15. ibi: *Si peccaverit in te* (id est contra te, ut privatum, vel coram te) *frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solùm: si te audierit* (id est si emendetur) *lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium, stet omne verbum: Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ;* (id est superiori, ut delinquentem tamquam pater corrigat) omnes possunt hoc modo denuntiare, etiam, qui fecit juramentum de non denuntiando, quia tale juramentum ut pernitiosum, non debet servari, *cap.* 25. *de Jur. jur.* Imò ad hanc denuntiationem obligantur præcipuè illi, ad quos ratione officii denuntiare spectat, *cap.* 35. 23. *q.* 4.

19 Debet tamen præcedere monitio privata; deindè coram uno, vel duobus testibus reus debet moneri; quod si non sufficiat ad emendationem, defferri debet ad superiorem, ut tamquam pater corrigat. Et quidem prædictus ordo non de consilio, ut docuit *Gloss. in cap.* 19. 2. *q.* 1. sed est de præcepto Divino, *cap.* 13. *de Judic. cap.* 31. *de Simon. cap.* 12. *de Hæretic.* & naturali: siquidem natura dictat, proximum esse corrigendum, quam minimo ipsius damno, & famæ præjudicio, fieri possit. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 33. *art.* 7. *Suar. de Relig. tom.* 4. *L.* 10. *cap.* 7. *Laym. L.* 3. *tr.* 3. *p.* 2. *cap.* 4. *n.* 3. *& alii Doctores communitèr.* Non debet talis ordo servari, sed immediatè potest crimen superiori defferri. 1. Quando delictum, etiam occultum, est valdè perniciosum, cedit-

que in grave Reipublicæ, vel tertii damnum, ut hæresis, conspiratio, proditio, &c. 2. Si publicum, & notorium est; nam *corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus, cap.* 19. 2. *q.* 1. 3. Si admonitio privata denuntianti gravosa, vel ipsi delinquenti non censeatur profutura; nam ad inutilia, vel damnosa non datur obligatio, *cap.* 4. *de Pœnit. D.* 7. *si scirem non tibi prodesse*, (*ait D. Aug.*) *non te admonerem, non te terrerem.* 4. Quando superior præcipit, sibi immediatè delictum deferri sine communicatione cum alio, ut solent Inquisitores facere. Si denuntians certo sciat, delictum comprehendi in præcepto, vel edicto, non potest illud alteri communicare; si tamen sciat delictum, esse commissum: ignoret tamen, an in edicto comprehendatur, non solum confessarium, sed & alium virum doctum, potest consulure. 5. Si quis in particulari, vel in communi, vel statuto Religionis renuntiavit huic ordini. Sic contra *Lorcam*, & alios tenent. *Suarez, de Relig. tom.* 4. *L.* 10. *cap.* 7. *n.* 28. *Sanch. in Decal. L.* 6. *cap.* 18. *n.* 43. nam quilibet est Dominus suæ famæ, & honoris *Div. Thom.* 2. 2. *q.* 64. *art.* 5. *ad* 3. ac proindè illi ex fine honesto renuntiare valet; *arg. cap.* 6. *de Privileg.* & sic ad majorem spiritualem profectum, ad humilitatem propriam, ad majorem securitatem à relapsu, in Societate, quilibet est contentus, ut sui defectus, etiam occulti immediatè superiori, tamquam patri deferantur à quocumque eos extra confessionem cognoscantur, cujus statutum à Sum. Pontificibus approbatum est. Quando delinquens certò est emendatus, non est necessaria, nec fieri potest superiori denuntiatio, cùm jam sit ejus finis obtentus. *Sanch. in Decal. lib.* 6. *cap.* 18. *cum aliis.* Si verò dubitetur de emendatione, vel timeatur relapsus, & delictum cedat in damnum Reipublicæ, vel tertii debet defferri superiori, nam jus Reipublicæ, vel tertii præponderat famæ privati delinquentis. Si verò in delinquentis tantùm detrimentum vergat, & ipse huic ordini, & suæ famæ renuntiavit, potest immediatè deferri superiori; secus si delinquens non renuntiavit: nam non debet privari jure certo, quod habet ad suam famam ob causam dubiam. *Sanch. in Decal. L.* 6. *cap.* 18. Superior, cui defertur delictum occultum sui subditi, & in nullius præjudicium cedens non potest judicialitèr contra eum procedere: potest tamen in occultò pœnitentiam ei injungere, à loco, vel occasione removere; sine ejus tamen infamia, nec publicatione delicti: licèt possit cum aliquibus de remedio adhibendo tractare, eosque consulere. Si tamen delictum est publicum, vel in præjudicium tertii cedat, licèt sit occultum, potest Judex, vel superior denuntianti præcipere, ut relicta fraterna denuntiatione intendat judicialem, cum bonum commune, & tertii innocentis præpenderet bono particulari delinquentis.

20 Alitèr, ac hucusque dictum est, proceditur in delictis notoriis, & quando reus inflagranti aprehenditur. Delictum notorium est, quod ita certum in jure, vel ex facto suo habetur, ut discusione amplius non indigeat, nec ulla tergiversatione celari valeat, *cap.* 17. 2. *q.* 1. *cap.* 3. *de Testibus cogend.* Aliud est notorium notorietate juris, cujus scilicèt notorietas oritur à jure, vel habetur in judicio, vel per judicialem confessionem spontaneam, non revocatam, *cap.* 7. *cap. fin. de Coh. bitat. Cleric. cap.* 24. *de V. S.* vel per sententiam criminis condemnatoriam, vel declaratoriam, quæ in rem judicatam transit, siquidem hæc pro veritate habetur. *L.* 207. *ff. de Reg. jur.* vel per probationes in judicio legitimè factas, sivè testium, sivè instrumentorum, secuta jam conclusione in illa causa. *L. fin. C. de Probation.* Aliud est notorium notorietate facti, quod ita scilicèt in conspectu populi, vel majoris ejus patris, vel multitudinis juxta arbitrium Judicis, factum est, ut nulla possit tergiversatione celari, vel negari valeat. *L. fin. C. de Prob. cap. fin. de Cohabitat. Cleric.* Aliquando publicum, & manifestum cum notorio confunduntur, *cap.* 24. *de V. S.* Sed publicum propriè est quasi genus ad notorium, manifestum, & famosum: habetque tres gradus, aliquando dicitur id, quod nullomodo potest celari, & sic cum notorio coincidit. Aliquando sumitur pro eo, de quo jam existit fama. Aliquando pro eo, quod in judicio per duos testes probari valet. Manifestum est illud, quod est publicè, & famosè notum ex certa scientia, & certis authoribus. Famosum, quod notum est ex fama, vel ex rumore; sed cum fama non certam scientiam, sed solam suspicionem requirat, & rumor non exigat certos authores, potest quod famosum est, simul, & falsum esse. Occultum dicitur, quod non ita certum est, vel quatenùs nullomodo probari potest, ut ac-

actus internus, & est simpliciter occultum, & solùm cum dificultate probari potest, ut adulterium, conspiratio, & alia delicta, quæ solent in occulto perpetrari, & dicitur quasi occultum.

21 Licèt in judicio civili notorietas, non excuset ab observatione ordinis judicialis, nam tunc Judex regulariter non supplet vices actoris. *L.* 4. §. 8. *ff. de Damn. infect.* In judicio tamen criminali non debet Judex observare talem ordinem, quando delictum est notorium. *c.* 15. *c.* 16. 2. *q.* 1. *c.* 21. *de Jur. jur.* Hinc in notoriis non est necesaria accusatio, vel denuntiatio, quia *evidentia patrati sceleris non indiget clamore accusatoris*, ait *D. August. in c.* 9. *h. t.* ipsaque delictum manifestat. *c. fin. de Cohabit. Cler.* Nec requiritur libellus, contestatio litis, juramentum calumniæ, nec aliæ solemnitates, quæ spectant ad ordinationem judicii, etiamsi contra absentem agatur. *Gom. lib.* 3. *Var. cap.* 1. *Gonz. in c.* 9. *h. t.* Citatio tamen, cum sit Juris Naturalis, ad rei defensionem pertinens, non est prætermittenda, semper ac aliqua reo potest competere, vel saltem est dubium, an possit competere exceptio, vel defensio: ad sententiam tamen semper citatur reus, etiam in notoriis. Si tamen certum, & notorium est delictum, & certum est, nullam reo defensionem competere, non est necesaria citatio, siquidem nullum produceret effectum, præcipuè quando periculum est in mora: conveniens tamen semper erit reum citare: nec in notoriis est necesaria solemnis sententia Judicis in scriptis prolata. *Gom. lib.* 3. *Var. cap.* 1. *n.* 45. sed consultius est judicem delictum esse notorium pronuntiare, facta probatione per tot testes quot tunc haberi possint, qui non solùm de delicto, sed de ejus notorietate deponant. *c.* 15. *de Purgat. Canonic.* cum multa dicantur notoria, quæ notoria non sunt. *c.* 14. *de Appellat. Gonz. in c.* 9. *h. t. n.* 5. Nec recusatio Judicis tanquam suspecti admittitur, quando pœna statuta est in jure, vel per consuetudinem *c.* 24. *de Appellat.* admittitur tamen, si arbitraria sit, nam in ejus taxatione potest Judex excedere. *Farin. n.* 130. *Gomez n.* 46. Nec appellatio admittitur, quando in delinquentem tanquam notorium criminis reum profertur sententia; sed ea non obstante, sententia executioni mandatur. *c.* 5. §. 1. *de Appellat.* si notorietas delicti non exprimitur, est locus appellationi: nam tunc potest reus appellare contra defectum probationis notorietatis: Judici enim non tantùm constare debet de notorietate delicti in ratione facti, sed etiam in ratione delicti, hoc est non tantùm debet esse Judici notorium homicidium; v. g. esse commissum, sed esse commissum dolo, vel culpa, alias tergiversationi locus datur, quatenùs, vel casu, vel ad defensionem factum esse, potest probari. *c.* 8. *de Cohabit. Cleric.* Et cum factum secundum suam naturam ponderetur. *L.* 1. *C. ad Leg. Cornel. de Sicar.* factum, quod natura sua maleficium arguit; v. g. homicidium, si notorium est in ratione facti, etiam est notorium in ratione delicti, si non opponatur exceptio, quæ ejus malitiam tollat. Factum verò, quod sua natura est bonum, vel indiferens non præsumitur delictum, nisi notoriæ circunstantiæ in factum ipsum malitiam inducant. *Clar.* §. *fin. q.* 9. *n.* 3.

22 Notorium est delictum, si Judex pro Tribunali sedens, vel alias actus jurisdictionem exercens videat aliquem delinquere, seu apprehendat infiagranti crimine, ut solet dici: nam Judicis aspectus ipsi inducit probationem evidentem, quoad causæ decisionem potestque procedere ad ejus punitionem ordine judicario non servato, sine processu, vel alia probatione. *L.* 32. *ff. de Minor.* Tutius tamen erit, si in actis fiat per testes constare, in sua præsentia commissum esse delictum. *Gom. lib.* 3. *Var. c.* 1. *n.* 48. Si reus inflagranti apprehendatur à Judicis Ministris, vel ab aliis, & ad judicem ducatur, hæc relatio debet à Tabellione in actis scribi, & recipiuntur testes super delictum, & apprehensione rei inflagranti: & tunc reus examinatur: quod si absolutè neget, & testibus convincatur, pœna debita punitur. Si non sit plenè convictus, torquetur, nec sunt necessaria alia indicia, quam ipsa apprehensio inflagranti. Si fateatur absolutè delictum, juxta illius qualitatem punitur: si delictum fateatur, sed aliqua exceptione adjecta; v. g. quod occiderit ad justam sui defensionem, ad ipsam exceptionem probandam terminus conceditur: & non aliter punitur, quam si nihil à delicto relevans probet. Pro quorum confirmatione audiamus *N. R. Alphonsum in L.* 28. *tit.* 1. *part.* 7. ibi: *De su oficio puede el Rey, ò los Judgadores, à las vegadas, estrañar los malos fechos, maguer non los aperciba ninguno, nin sea fecha acusacion sobre ellos:::: El ter-*

cero es quando algun mal fechor anda faciendo algun mal recaudo, furtando, ò faciendo otros yerros manifiestamente, de manera, que lo saben los homes de aquellos Lugares; è es cosa manifiesta el fecho de èl, es en guisa, que se non puede encubrir. De his, quæ ad accusationem, accusatorem, & accusatum pertinent agit latè pro praxi Hevia Bolaños in Curia Philip. p. 3. §. 8. 9. & 10.

TIT II.

De Calumniatoribus.

23 CAlumnia latè sumpta dicitur quælibet cavillatio, vel informatio fraudulenta, ex qua tertio aliquod detrimentum resultat. *Calumniator* in criminalibus est qui scientèr, & dolo malo falsum crimen contra aliquem proponit. *c.* 8. 2. *q.* 3. *L.* 1. §. 1. *L.* 6. §. *fin. ff. ad S. C. Turpil. L. pen. C. h. t.* Alius est calumniator verus, ille scilicèt, de quo, vel per propriam ejus confessionem judicialem, vel alias legitimas probationes constat, quod dolo verò, & scientèr falsum crimen in judicio objecit. Alius est præsumptus, ille scilicèt, qui in probatione criminis contra alterum delati defecit: nam cum paratas probationes habere, deberet calumniandi animo crimen, quod non probavit, præsumitur objecisse. *c.* 2. *c.* 3. 2. *q.* 3. Affines calumniatoribus sunt *prævericatores*, & *tergiversatores*. Sic J. C. *in L.* 1. *ff. ad S. C. Turpillian. Acusatoris temeritas tribus modis detegitur, & tribus pœnis subjicitur: aut enim calumniantur, aut prævaricantur, aut tergiversantur: calumniari, est falsa crimina intendere, prævaricari vera crimina abscondere tergiversari in universum ab accusatione desistere, quod transcriptum invenitur in c.* 8. 2. *q.* 3. *prævaricator* ergo propriè est ille, qui aliquem accusat, & cum eo colludit, falsas exceptiones admittendo, & veras probationes delicti reticendo, & dissimulando, ut reus absolvatur minus propriè prævaricator: dicitur Advocatus, vel procurator, qui adversam partem adjuvat prodendo sui clientis causam, tacendo, quæ debent aperiri, vel manifestando, quæ taceri oportet. *L.* 1. *ff. de Prævaricator*, ibi: *Prævaricator est quasi varicator, qui diversam partem adjuvat prodita causa sua*, quod quidem nomen *à varia certatione* deductum est nam, qui prævaricatur ex utraque parte consistit. Hujusmodi igitur prævaricatores postquam de hoc crimine sunt condemnati, infamiam juris incurrunt. *L.* 3. §. *fin. L.* 4. *ff. de Prævaricat.* fiunt irregulares. *c.* 87. *de Reg. jur. in* 6. & pœna arbitrio Judicis pro circunstanciis infligitur. *L.* 2. *ff. de Prævaric. Menoch. de Arbitr. cas.* 323. *ex n.* 3. *Tergiversator* dicitur ille, qui aliquem in judicio accusavit, & posteà *quasi tergum vertens* ab accusatione desistit, nisi accusatus à reorum numero auctoritate publica exemptus sit, accussationis memoria abolita. *L.* 1. & 12. *ff. ad S. C. Turpil.* olim infamiam, & irregularitatem, & pœnam pecuniariam incurrebat. Hodie hæ pœnæ sublatæ sunt, siquidem etiam accusatore desistente ab accusatione Judex ex officio procedere debet. *Jul. Clar.* §. *fin. q.* 58. *Molin. & alii.* Imponere alii falsum crimen, quocumque prætextu, peccatum grave est. Indè *Innoc. XI.* has propositiones damnavit: 43. *quid nisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere.* 44. *probabile est, non peccare mortalitèr, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, honorem defendat, & si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.* Pro quarum majori intelligentia vide earum Expositores.

24 Calumniator verus 1. incurrit infamiam juris *c.* 1. 2. *q.* 3. *L.* 1. *ff. de His, qui notant. infamia*, non tamen ipso jure, sed post sententiam, qua Judex eum calumniatorem pronuntiat. *L.* 4. §. 4. *ff. de His, qui notantur infamia.* Et tunc fit irregularis, nec potest ad ordines promoveri, neque in susceptis ministrare. *c. fin. D.* 51. & ad dignitates, & beneficia Ecclesiastica inhabilis redditur. *c.* 11. *de Excessib. Prælator. c.* 87. *de Reg. jur. in* 6. *Suar. de Censur. D.* 48. *sect.* 2. *n.* 1. 2. statuta est pœna talionis, seu similis illi, qua accusatus, probato crimine puniretur. *Deut.* 19. *v.* 18. *Cumque invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit. c.* 2. *c.* 3. 2. *q.* 3. & Lege Rhemnia fuit statutum, quod in fronte calumniatoris inscriberetur littera *R.* quæ est prima calumniatoris. *L.* 1. §. 2. *ff. ad S. C. Turpil. Et ibid. Gothof.* Et licèt Jure Hispano pœna talionis sit admissa in *L.* 26. *tit.* 1. *p.* 7. ex consuetudine generale non servatur, ut notat *Greg. Lop. in L.* 13. *tit.* 9. *part.* 4. V. *A pena de talion.* In jure tamen Canonico pœna talionis servari debet *ex Const.*

S.

S. Pii V. ut refert Gonzal. in c. 1. h. t. n. 10. & incipit. *Cum primum. 6. Kal. Apr.* 1566. 3. Debet condemnari in expensas litis, & damna, quæ ob ejus calumniam passus est accusatus. *Menoch. de Arbitr. cas.* 321. *n.* 34. imò debet accusator idoneam præparare cautionem, quod expensas, & damna refundet, & de injuria satisfaciet, si delictum non probet. 4. Clericus calumniosè accusans alium Clericum, si hoc probetur, officio, & beneficio Ecclesiastico privatur, in exilium mittitur, & verberibus castigatur. *c. 1. h. t.* tamen hæc pœna, quoad verbera, hodie generali consuetudine abolita est. *Clar. §. fin. q.* 70. *n.* 2. quoad alia etiam hodie potest à Judice infligi *Diaz Pract. Crim. Can. cap.* 37. *n.* 1. 5. Aliquando pœna falsi damnatur. *Menoch. de Arbitr. cas.* 322. *n.* 5. Hodie arbitrio Judicis relinquitur taxanda pœna contra calumniatores pro varietate circunstantiarum, habita ratione ad similes pœnas in jure stabilitas, nam Constitutio. S. Pii V. statuentis pœnam talionis in calumniatores veros, vel non admissa, vel est per contrariam consuetudinem abrogata, poteritque Judex condemnare ad publicam infamiam, deportationem, triremes; imò ad mortem: præcipuè si accusatus ob calumniam morte sit condemnatus. *Clar. §. fin. q.* 81. *n.* 3. pœna infligenda in calumniatores præsumptos, qui in criminis delati probatione defecerunt, ferè est eadem. *c. 1. c. 3. 2. q. 3. c. 2. h. t.* quod si probet, se dolo in accusatione caruisse, ab his pœnis liberatur; imò etiam à condemnatione expensarum, si probet culpa caruisse, & non ex temeritate accusasse. Licèt nihil calumniatorem verum, quando de ejus calumnia constat, excuset, calumnia tamen præsumpta non inducit præsumptionem juris, & de jure, ac proindè probationem in contrarium recipit, qua accusator dolum, & animum calumniandi excusare intendat. *c. fin. b. t.* quod ut plurimum Judicis arbitrio relinquitur; *arg. L. 1. §. 3. ff. ad S. C. Turpil.* Sicquè à calumnia præsumpta liberatur, qui ex necessitate officii accusat, ut Tutor: vel si hæres homicidium defuncti accusaret. *L. 21. tit. 1. p. 7.* Procurator fiscalis. *L. 2. C. de Delator* vel alia persona publica, dum verosimilitèr accuset: secus si leviter, & temere; nam tunc tenebitur, sicut quilibet privatus. Etiam ab hac præsumptione excusatur denuntians, si semiplenè probavit delictum, vel à testibus fuit deceptus, vel probationes fortè per mortem testium defecerunt, vel alio modo sunt malitiosè substractæ: si non ipsum delictum, sed circunstantias suspicionis, vel indicia sufficientia proposuit, vel à fidedignis audisse se ostendat, vel, si ex immanitate criminis, vel doloris accusavit; v. g. ex morte parentis, vel si ob fragilitatem accusavit, ut mulier. *L. 1. §. 10. ff. ad S. C. Turpil.* In aliis hujusmodi casibus excusatur etiam à pœna, quo in probatione defecit.

TIT. III.

De Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur, vel promittatur.

25 SImonia jam à primis sæculis invaluit: nam Giezi Elisæi famulus vendidit santitatem lepræ divinitus Naaman Syro datam. 4. *Reg.* 5. *c.* 11. 1. *q.* 1. *L.* 2. *tit.* 17. *p.* 1. Posteà Simon Magus (à quo nomen accepit simonia) ab Apostolis Spiritum Sanctum, id est, gratiam sanctificantem, emere voluit, ut illam posteà vendendo, lucrum caperet *Act. Apost.* 8. *ex v.* 18. *c.* 11. 1. *q.* 1. *c.* 8. 1. *q.* 3. *L.* 1. *tit.* 17. *p.* 1. ibi: *E simonia tomò este nome de Simon Mago, que fue un Encantador, que era en tiempo de los Apostoles.* Et hodie tàm ementes, quàm vendentes res spirituales simoniaci dicuntur, licèt propriè loquendo solùm deberent sic vocari ementes res spirituales, cum illas vendentes dicantur Giezitæ. *L. 2. tit.* 17. *p.* 1.

26 Simonia communitèr definitur, *studiosa voluntas emendi, aut vendendi, aliquid spirituale, vel spirituali annexum. L.* 1. *tit.* 17. *p.* 1. ibi: *Caen en pecado de simonia los omes, queriendo, è haviendo muy gran voluntad por sobejana cobdicia de comprar, è de vender cosa espiritual, ò otra cosa, que sea semejante de ella.* Dicitur 1. *studiosa voluntas*, id est actio voluntaria, deliberata, & cum advertentia ad malitiam. Sicque in præsenti voluntas sumitur pro effectu, seu actu voluntatis: Hinc qui fictè promissit, cum tali voluntate, & animo careat non incurrit simoniam, nec ejus pœnas in foro conscientiæ, licèt in hoc gravitèr peccet, alterum ad simoniam inducendo: in foro tamen externo ob talè pactum judicabitur si-

simoniacus, donec fictionem probet, & animo caruisse. *Suarez de Simon. L. 4. c. 4. in 5. 2. Emendi, vel vendendi*, quo nomine venit quicumque contractus onerosus, quo pro re spirituali datur, vel promititur aliquid temporale tamquam pretium, quod ad emptionem necessariò requiritur. Ideò aliqui ad faciliorem explicationem addunt hæc verba: *Emendi, vel vendendi pretio temporali. 3. Spirituale, vel spirituali annexum*: & sic materia simoniæ significatur, scilicèt merx, seu res, quæ emitur, vel venditur, atque adeò tria simoniam constituunt. 1. pactum onerosum. 2. merx, quæ est res spiritualis, vel spirituali annexa. 3. pretium, quod in re temporali consistit. De quibus sigillatim agemus.

27 Simonia alia est Juris Divini, vel Naturalis, altera Juris Positivi, & Ecclesiastici, ut dicunt communiter DD. Et licèt simonia Juris Positivi non sit propriè de simonia. *Sot. de Just. L. 9. q. 5. art. 2.* adhuc nomine simoniæ venit, licèt minus propriè. *Suar. de Simon. L. 4. c. 2. n. 1.* Omnis simonia, quæ intrinsecè mala est, est simonia Juris Naturalis, seu Divini, (quod nunc idem est ac Naturale) adeòque sunt duæ voces Synonymæ. Siquidem nullum Jus Divinum positivum extat, specialiter prohibens simoniam, & Christus, quando apud *Matt. 10. v. 8.* dixit; *Gratis accepistis, gratis date.* Nullum de novo præceptum imposuit, sed Jus Naturale explicavi. *Suar. de Simon. L. 4. c. 2. n. 11.*

28 Simonia Juris Naturalis, vel Divini committitur, quando pro re temporali datur res spiritualis, vel spirituali annexa; ut gratia sanctificans, Sacramenta, consecratio, benedictio Ecclesiastica, jurisdictio Ecclesiastica, officium spirituale, &c. Jure Naturali à Deo mentibus nostris insito repugnat, rem temporalem, æquiparare rei spirituali, & Donis Dei, cum teste. Apost. *ad Philip. 3. v. 8.* Res temporales in comparatione spiritualium æstimentur, ut stercora: maximè ergo injuriosum est Deo, & rei spirituali eam cum temporali velle commutare.

29 Simonia Juris Ecclesiastici est, quæ solo Jure Ecclesiastico est prohibita, committiturque, licèt non detur spirituale pro temporali; sed quando res spiritualis, vel spirituali annexa commutatur pro alia re spirituali, vel spirituali annexa, qualis committitur, si duo propria authoritate permutent beneficia Ecclesiastica, vel transigant super lite beneficiali. *c. 5. c. 7. de Rer. permutat. c. 4. de Transaction.* Similitèr, committitur etiam, quando res temporalis, pro re temporali, permutatur, prohibente hoc Ecclesia ex motivo Religionis, & reverentiæ rebus sacris debitæ, ut accidit, quando emuntur, vel venduntur officia ad administrationem, vel defensionem rerum temporalium Ecclesiæ ordinata, ut sunt officia Æconomi, Thesaurarii, Sacristæ & similia. *c. 38. h. t.* quod corroboratur ex propositione 22. damnata *ab Alex. VII.* ibi: *Non est contra justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens ea beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.* Ex hac divisione venit, quod simonia Ecclesiastica dispensari posit etiam, quoad culpam per R. Pontificem, & per consuetudinem, quæ non sit specialitèr reprobata. *c. 42. h. t.* nam ea dispensatione fit, quod illa pactio in illo casu non sit simonia. *Suar. L. 4. de Simon. cap. 61.* nulla tamen consuetudo, nec dispensatio Apostolica potest excusare peccatum, quod in simonia Juris naturalis, & Divini committitur in venditione rei intrinsecè spiritualis, nam inferior nequit in Lege superioris dispensare. *c. 16. de Major. & obed.* Quando res, quæ venditur est tantùm extrinsecè spiritualis in se tamen temporalis est, cum Pontifex posit disolvere illam conexionem, quam cum re spirituali habet, potest consequentèr in ea dispensare, secus consuetudo, quia de ea non constat, quod possit talem connexionem dissolvere; *arg. c. fin. de Consuetudine.*

30 Simonia alia est *mentalis*, alia *conventionalis*, alia *realis. Mentalis* non est illa, quæ præcisè in mente retinetur, nam talis potius interna, potest vocari; sed est illa, quæ aliquomodo in actum externum prodit, nullo pacto interposito. V. g. si res spiritualis in compensationem temporalis datur, vel hæc propter rem spiritualem acceptam, quasi ex debito, vel motivo conferendi detur prava intentione, animo retenta. Et probatur ex proposit. 45. inter damnatas ab *Innoc. XI. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sic, so-*

solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra. Suar. de Simon. lib. 4. cap. 41. Conventionalis autem est quando pactum expressum, vel tacitum de dando temporali pro spirituali, vel spirituali pro temporali intervenit: nec sufficit sola promissio, si non acceptetur, quia adhuc non datur pactum, quod est duorum, pluriumvè in idem placitum consensus. *L. 1. §. 2. ff. de Pact.* Si ex neutra parte sit sequuta traditio dicitur simonia conventionalis pura; si ex alterutra parte sequuta sit traditio, vel mercis, vel pretii, dicitur mixta: si merx, & pretium traditum sit ab utraque parte, vel pars pretii, dicitur *realis Suar. de Simon. lib. 4. cap. 41. n. 4. Gonzal. in cap. 12. h. t. n. 3.*

31 Simonia confidentialis à *Pio IV. in Const. Romanum 7. Kal. Nov. 1564. & S. Pio V. in Const. Intolerabilis, Kal. Jun. 1569.* prohibita, committitur, si quis sine expressa licentia Pontificis beneficium Ecclesiasticum alicui procuret, eligendo, instituendo, conferendo, resignando, & cum certa confidentia, ut ille cui procuratur, posteà illud resignet, vel ipsi conferenti, vel alteri, vel pensiones, aut fructus ex eo alteri præstet. Triplici modo hæc simonia comittitur 1. per accessum. V. g. si aliquis cupiens beneficium dari Titio nondum habenti ætatem legitimam, illud confert Cajo, cum pacto, ut eo fruatur, donec Titius habeat ætatem, sed cum eam habuerit, illi resignet, & ipse propria authoritate illud apprehendere valeat: 2. per ingressum. V. g. si Titius beneficium sibi collatum, nondum tamen possessum resignet Cajo, eo pacto, ut quandocumque illud, vel morte, vel dimissione vacet, ipse Titius, jus habeat illud ingrediendi: 3. per regressum. V. g. si Titius beneficium jam possessum Cajo resignet, sibi jus ad illud redeundi reservando, si Cajus præmortuus fuerit, vel alitèr illud dimittat. Ideò enim tales collationes, & resignationes prohibentur, quia præbent spem successionis hæreditariæ Sacris Canonibus odiosæ, quatenùs ansam mortis alienæ captandæ præbet. Si resignans, vel conferens tantùm speret sine animo obligandi, quod is, cui beneficium procuravit, illud resignavit sibi, vel amico, vel consanguineo, non comittitur simonia; quia non datur voluntas emendi, vel vendendi. *Suarez, de Simon. lib. 4. cap. 43.* Si resignans, vel conferens habuit intentionem obligandi alterum, & hæc aliquo signo externo fuit expressa, licèt alter nihil paciscatur, vel repromittat, erit simonia confidentialis. Si talis intentio nullo signo externo fuit expressa erit simonia mentalis, non confidentialis. *Suar. de Censur. D. 22. sect. 6. n. 15. & alii*, si his modis procuretur pensio, vel aliud jus, quod propriè non sit beneficium, non committitur simonia confidentialis: siquidem Constitutiones Pontificiæ solùm de beneficio loquuntur, & cum sint odiosæ non debent extendi; *arg. cap. 15. de Reg. jur. in 6.* Et eadem ratione, cum dictæ constitutiones tantùm de cessione, & resignatione beneficiorum loquantur, non sunt extendendæ ad ipsorum permutationem. *Suar. de Simon. lib. 4. cap. 43. n. 11.*

32 Simonia est peccatum grave oppositum virtuti Religionis, ac proindè sacrilegium: siquidem per eam indigne, & irreligiosè tractatur, & profanatur, res spiritualis, & sacra; cum pretio temporali æstimentur, quæ omne pretium superant. *Suarez, de Simon. lib. 4. cap. 3.* Hinc spirituale pro spirituali potest darí absque simonia; v. g. reliquiæ cum reliquis, vasa, vestes sacræ, & aliæ functiones spirituales, cum aliis similibus possunt commutari, ut contra *Ricard. & Paul.* tenent *Suar. lib. 4. de Simon. cap. 30.* Beneficia tamen Ecclesiastica ex dispositione juris nequeunt cum aliis commutari, nisi superioris authoritate interposita, *cap. 5. & 7. de Rer. permut.* Simoniæ peccatum, nec ex parvitate materiæ potest esse veniale, quia res sacra, quantumcumque modica, est nihilominùs donum Dei, & altioris ordinis, quam quævis res temporalis. Indeque semper indignè tractatur, eam pretio temporali æquiparando, & quanto hoc minus est, major est injuria, & vilipendio; potest tamen accidere, quod ex parvitate pretii præsumatur illud datum esse merè liberalitèr, & non ex pacto pro re spirituali, ut in specie *Text. in cap. 18. h. t. Suar. de Simon. lib. 4. cap. 33.*

33 Nomine emptionis, & venditionis in simonia venit, quicumque contractus, vel pactum onerosum expressum, vel tacitum dandi (etiam ex una parte tantum inchoatum, ut in casu Simonis Magi) aliquid temporale pro spirituali, tamquam pretium pro merce: ut emptio, venditio, locatio, transactio, permutatio, contractus innominatus, electio, præsentatio, confirmatio, renuntiatio, &c. imò, & omissio alicujus actus spiritualis,

si pro pretio fiat ; *arg. L. 29. §. 1. ff. de Statu liber. Gonz. in cap. 2. h. t. ex n. 13.* Simonia est dare temporale pro spirituali , etiam quando spirituale non datur, tamquam pretium , sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale , quia tunc quasi tacitè paciscitur dans temporale , ut detur spirituale , & non aliter : ac proindè fit emptio pretio , palliam nomine motivi ad illudendas prohibitiones Canonicas , *cap. 34. h. t.* & etiam , quando temporale est solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra. Sic decisum est ab *Innoc. XI. damnatione contrariæ prop. Ord. 45.* Quia tunc fit contractus onerosus tacitus dandi temporale pro spirituali , mutaturque gratitudo , vel obligatio antidoralis in obligationem justitiæ , siquidem gratitudo in pactum deducitur , & quidquid ex pacto debetur , ex justitia debetur, *Suarez , de Simon. lib. 4. cap. 45. n. 11. & alii com.* Si verò qui spirituale accepit, suam obligationem antidoralem recognoscens promittat , se eam observare, non determinando gratitudinis genus, non comittit simoniam , cum quilibet promittere possit id , ad quod Jure Naturali tenetur. Dare aliquid temporale, vel obsequium præstare absque ulla obligatione recipientis , sed solùm sub spe, quod retribuantur aliquid spirituale ; v. g. beneficium , ex gratitudine , & remuneratione , non est simonia , quia illud obsequium non habet rationem pretii , sed solum conciliat benevolentiam illius , qui beneficium est collaturus , *Suarez , de Simonia , lib. 4. cap. 45. n. 4.* sicut non est usura dare mutuum spe obtinendi à mutuario , non ex obligatione , sed ex gratitudine , aliquid ultra sortem. Nec simonia item committitur , etiamsi talis spes explicetur illi, qui daturus est beneficium , dumtamen absit omne pactum expressum , vel tacitum , & voluntas alterum obligandi. *Suar. de Simon. lib. 4. cap. 45. num. 8. & Innoc. XI.* damnavit hanc propositionem Ord. 46. scilicèt non esse simoniam , *etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale , imò etiam si sit finis ipsius rei spiritualis , sit ut illud pluris æstimetur , quam res spiritualis*, quod intelligendum est , quando dans, vel faciens spirituale propter temporale tamquam finem, intendit temporale tamquam pretium rei spititualis, vel pactum, vel intentio intercedit dandi spirituale propter temporale , ita ut plus temporale , quam spirituale æstimetur. Si verò non interveniat pactum , vel intentio dandi spirituale propter temporale , nec hoc intendatur tamquam pretium rei spiritualis , sed ob aliam justam causam ; v. g. ex gratitudine, vel titulo stipendii ad sustentationem operantis , vel dantis spirituale , non erit simonia.

34 Qui ex gratitudine , ad satisfaciendum obligationi antidorali confert, vel præsentat ad beneficium Ecclesiasticum benefactorem temporalem , modo gratis , & sine pacto fiat , non comittit simoniam : etiamsi conferens , vel præsentans suam intentionem Clerico significet , siquidem , quod datur ad satisfaciendum obligationi antidorali , non datur ut pretium : nam gratitudo non datum , sed affectum respicit , & solet conferri absque vilipendio , quod longe nobilius est , quam acceptum. *Nav. in Man. cap. 23. n. 106.* Sic Deus dat bona temporalia ob opera virtutis : pauperes pro benefactoribus orant, & Religiosi Missas, & Orationes pro fundatoribus offerunt. Dare alicui beneficium intuitu solius consanguinitatis , vel amicitiæ licèt possit esse peccatum, si non conferatur digniori , non tamen erit simonia : quia cum nihil in compensationem collator accipit, illud omninò gratis confert. *D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 5. ad 3. Suar. de Simon. lib. 4. cap. 37. n. 6.* Nec est simonia donatio mere gratuita facta sine pacto expresso , vel tacito , vel animo donatarium obligandi ex justitia , ad dandum aliquid spirituale , præcipuè si donum temporale detur post acceptum spirituale; *arg. cap. 18. h. t. cap. 4. 1. q. 2. Gonzal. in cap. 1. h. t. n. 8.* siquidem tunc illud temporale non habet rationem pretii: quando verò donum temporale dationem spiritualem præcedit in foro externo præsumitur intentio simoniaca : quia munera animos excæcant, & cogunt: hinc etiam in foro interno hoc est cavendum , saltem propter scandalum , & inconvenientia , quæ possunt sequi. Et licèt compensatio gratuita inducat simoniam , juxta propositionem 45. ab *Innoc. XI.* damnatam , secus donatio gratuita : nam compensatio gratuita facta ex gratitudine in pactum deducta , ratione pacti obligationem justitiæ inducit : secus donatio gratuita , quæ nempè à mera liberalitate procedit. Aliquando jus prohibet , etiam spontè oblata accipere : sic *Trid. sess. 21. de Ref. cap. 1.* prohibet , ne pro collatione ordinum , etiam primæ tonsuræ , & pro litteris Dimissoriis, &c. aliquid, etiam

gra-

gratis, & sponte oblatum accipiatur ab Episcopis, vel aliis collatoribus, quocumque prætextu, sed tunc accipiens non committeret simoniam, licet contra talem legem peccaret, vel saltem hoc est prohibitum, ut omnis simoniæ suspicio vitetur. *Gonz. in cap. 1. h. t. n. 8.*

35 Non est simonia aliquid dare, legare, vel promittere sub conditione, vel modo rei, vel operis spiritualis: siquidem tunc non intervenit contractus onerosus obligationem absolutam imponens, sed quod datur, impleta conditione, adhuc gratis datur: nec habet rationem pretii motivi, vel finis, sed tantùm remunerationis liberalis operis, spiritualis exerciti in gratiam dantis, ut patet in fundationibus Ecclesiarum, Monasteriorum, & beneficiorum, in quibus omnibus proventus temporales asignantur sub conditione operis pii, & spiritualis: sic Catholicus potest infideli præmium offerre, si se convertat ad fidem, vel baptismum suscipiat, & puælla hæretico potest nuptias, si suum errorem detestetur promittere: parentes suis filiis aliquid donant, si Sacramenta frequentent, vel si Religiosi fiant: fundatores Ecclesiæ legant, ut pro se, & suis familiis fiat anniversarium, *cap. 12. de Restit. spoliator. cap. fin. de Testam. cap. 31. de Verb. signific. cap. 4. de Condit apposit. Clem. Dudum 2. de Sepultur. Suarez de Simon. cap. 39. n. 18.* simonia tamen foret, si obligatio absoluta alicui imponeretur, ut pro re temporali opus spirituale faceret. Ex *Textu* sic intelligendo in *cap. 2. 1. q. 2.* ibi: *Nunquam enim legimus Domini Discipulos, vel eorum ministerio conversos quempiam ad Dei cultum aliquo muneris interventu provocasse.*

36 Clerici ministrantes spiritualia possunt recipere, & petere stipendium sustentationis Jure Naturali, & ex justitia debitum. Ex *Matth. 10. v. 10.* ibi: *Dignus est operarius cibo suo. 1. Cor. 9. v. 7. Quis militat suis stipendiis unquam?* possuntque pacisci, & convenire de hac congrua sustentatione, antequam obligationem administrandi spiritualia in se suscipiat; dummodo quantitatem Lege, vel consuetudine taxatam non excedant, *cap. 42. h. t.* & absit turpe pactum, quo res temporalis, tamquam pretium sumeretur, vel spem avaritiæ præseferat, *cap. 2. cap. 3. cap. 4. 1. q. 2. cap. 36. cap. 41. h. t.* sic contra *Ricard. Sylv. & Hostiens.* tenent *Gloss. in cap. 11. de Præb.* V. *Ita quod Suar. de Simon. lib. 4. cap. 36. n. 3. & cap. 46. num. 4.* Similiter possunt stipendium congruæ sustentationis accipere Clerici, etiamsi per accidens, eo non indigeant, quia sunt divites: nam hoc non tollit, quod illud ex justitia debeatur, non tanquam pretium rei spiritualis, sed tanquam justum stipendium sustentationis debitum, *cap. fin. 1. q. 2. D. Thom. Suar. de Simon. lib. 4. cap. 46. n. 7.* secus est in Parocho, vel alio ex obligatione sui officii ministrante spiritualia: nam si his sufficiens sit sustentatio ex decimis, vel aliis fructibus, contra justitiam novum stipendium petunt, vel de eo paciscuntur: nam cum illud opus spirituale ex justitia, ratione stipendii, & officii facere teneantur, deest titulus legitimus novum stipendium exigendi. *D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 3. Suar. de Simon. lib. 4. cap. 46. n. 9.* potest tamen tolerari consuetudo dandi aliquid moderatum Parochis pro missis, sepultura, assistentia matrimoniis, vel Sacramentorum administratione: si exactio sit moderata, juxta taxam approbatam ab Episcopis, & Parochus paratus sit, etiamsi nihil detur administrare; *arg. cap. 42. h. t. & ibidem Barb. n. 17. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 14.* quia potius pro sustentatione ministrantis quam pro pretio operis datur, nec debet reprobari hæc consuetudo, etiamsi Parochus habeat congruam sustentationem, nam hi redditus, quos stolæ vocant in locum decimarum personalium, & aliarum, quæ per desuetudinem sublatæ sunt, successisse videntur.

37 Non potest quis accipere aliquid temporale, pro ipso labore intrinseco rei spiritualis, nam cum non habeat æstimationem, ab ipso opere distinctam, simoniam committeret, nam pretium acciperetur pro ipsis officiis Ecclesiasticis, ut sunt prædicatio verbi Divini, orationes, quæ in choro, vel processionibus, vel etiam privatim fiunt, *cap. 21. h. t.* quia cum hæc omnia ad finem supernaturalem ordinentur gratis sunt danda. *Matth. 10. v. 8. Suar. lib. 4. de Simon. cap. 15. num. 3.* Pro labore tamen extrinseco rei spiritualis, benè potest aliquid accipi, si aliundè non sit debitus ex officio, fundatione, vel contractu; sic nihil potest accipi pro labore adhibito in celebratione ordinum, Missæ, &c. quia ipsis actionibus intrinsecus, & ab eo est inseparabilis: potest tamen accipi pro labore expectandi certam horam, vel iter faciendi; dummodo stipendium statuto, vel consuetudine, vel aliter justum non ex-

cedatur, siquidem talis labor extrinsecus ipsis actionibus est, & ab eis separabilis. Parochus tamen, quia ex officio tenetur ad talem laborem, nihil potest pro eo accipere. *Soto de Just. lib. 9. q. 6. art. 1. Suar. de Simon. lib. 4. cap. 29. n. 15. & 18. Barb. in cap. 29. h. t. n. 5.* potest etiam quis pauperibus, vel Religiosis, ut pro se orent pecuniam dare, non ut pretium orationis, sed per modum eleemosynæ, vel etiam stipendii (maximè, si oratio diuturna est) ad congruam sustentationem. *Suar. de Simon. lib. 4. cap. 15. n. 9.* Etiam est simonia si Sempronius; v. g. aliquid temporale det, vel promittat Titio, ut suis precibus, intercessione, vel commendatione consequatur à Cajo beneficium conferendum Sempronio, etiam si ipse Cajus, qui est collaturus, vel præsentaturus ad beneficium nihil præcipiat. Siquidem emens preces censetur collationem emere, in ordine ad quam preces æstimat, tanquam causam moralem. *D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5. Suar. de Simon. lib. 4. cap. 53. n. 14.* non tamen esset simonia aliquid his Ministris, vel intercessoribus dare, non pro ipsis precibus; sed pro labore, in eundo, & redeundo, vel pro litteras, aut supplicem libellum scribendo, vel pro damno emergente, vel lucro cessante.

38 Materia simoniæ constat ex merce, & pretio. Merx in hac impia, & sacrilegia negotiatione, est res spiritualis, vel spirituali annexa; nomine rei spiritualis in hac materia non sumitur res incorporea, ut Deus, Angelus, anima rationalis, jus venandi fama, &c. sed quod aliquomodo supernaturale est, & ordinatum à Deo, vel Ecclesia ad salutem spiritualem animæ, & nullis naturæ viribus potest adquiri. *Suar. de Simon. lib. 4. cap. 8. n. 6.* Spiritualia ergo variis modis dicuntur 1. *formaliter*, *& per se*, ac per suam essentiam, ut gratia santificans, virtutes Thologicæ, & morales infusæ character Sacramentalis, gratiæ gratis datæ, &c. Has res vendere, vel emere simonia est, non solùm si secundum se, & quasi in abstracto vendantur, quem admodum Simon Magus voluit Spiritum Sanctum emere ad lucrum, & ejus venditione captandum. *Act. 8.* Sed etiamsi non secundum se, sed quasi in concreto vendantur; v. g. Si quis Captivum carius venderet, quia Christianum, vel Sacerdotem. *Suar. lib. 4. de Simon. cap. 9. n. 9.* 2. *Causalitèr*: quia causæ sunt gratiæ, & aliorum donorum prioris generis, ut Sacramenta, Sacramentalia, & officia Ecclesiastica ordinata ad effectum supernaturalem. 3. *Efectivè*: quia sunt effectus, qui à gratia, vel dono spirituali procedunt; v. g. ordinare, prædicare, baptizare, patrare miracula, prophetare, celebrare Officium Divinum, & alia hujusmodi.

39 Sacramenta secundum se, & quatenùs gratiam conferunt non possunt vendi, quia licèt hæc in aliquibus actionibus consistant, sunt tamen dona Divina, & supernaturalia à Christo Domino collata, ad gratiam supernaturalem conferendam, *cap. 9. cap. 14. cap. 29. h. t. L. 1. tit. 17. p. 1.* In matrimonio tamen cum ratio Sacramenti non immutet naturam contractus, possunt aliquæ pecuniæ dari, & accipi, ad compensandam inæqualitatem; v. g. in nobilitate, inter sponsum, & sponsam, & à fortiori, ratione dotis, vel donationis, propter nuptias, vel arrarum, ut sic onera matrimonii sustineantur. *L. 1. tit. 17. p. 1. Suar. de Simon. lib. 4. cap. 10. n. 11. & 12. Barb. in cap. 9. h. t. n. 4.* Materia remota Sacramentorum; v. g. panis, & vinum in Eucharistia, Oleum in Unctione, &c. potest emi, & vendi: siquidem quid temporale est, si non sequatur scandalum, nec Lex prohibeat, nec obligatio ea ministrandi detur. Materia vero proxima, scilicèt illa actio, qua applicatur materia remota, vel illa actio, qua pronuntiatur forma, vendi non potest, siquidem tales actiones non sunt naturales, sed supernaturales ordinatæ ex Christi institutione ad gratiam supernaturalem conferendam. *Suar. de Simon. L. 4. cap. 11.* Res consecrata, vel benedicta; v. g. Calix aureus consecratus vendi potest præcisè pro materiæ pretio, siquidem per consecrationem non ammittit talis materia suam æstimationem, & valorem. *L. 1. tit. 17. p. 1. D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 4. ad 1. 2. & 3. Et in 4. D. 25. q. 3. art. 2. q. 3. Nav. Man. cap. 23. à n. 108. Suar. de Sim. lib. 4. cap. 14. n. 6. Gonzal. in cap. 12. h. t. n. 8.* contra *Abb. & alios.* Ita tamen, ut propter benedictionem, vel consecrationem, non augeatur pretium rei, ultra suum valorem, vel sumptus in ea asportanda, quia sic consecratio, vel benedictio vendi censeretur, quod esset simoniacum: cum tales res sint sanctæ, tum ratione principii, quia potestate supernaturali à Christo Ecclesiæ concessa sunt institutæ, tum ratione finis, ad quem ordinantur, qui supernaturalis est, & ad

salutem animarum conducens. Et sic debent intelligi *Text. in c.* 7. 1. *q.* 3. *c.* 105. 1. *q.* 1. *c.* 8. *h. t. Suar. de Simon. lib.* 4. *cap.* 14. *n.* 13. Si tamen vasa Calices & ornamenta consecrata, vel benedicta Laicis ad usus profanos vendantur, antequam tradantur debent conflari, confringi, vel dissui. *Auth. Præterà, C. de Sacram. Eccles.* Nihil potest dari pro patratione miraculi, vel prophetia, vel aliis gratiis gratis datis, nam hac ratione gratis etiam dari debent. *Matth.* 10. *v.* 8. *L.* 1. *tit.* 17. *p.* 1.

40 Etiam sunt materia simoniæ actus ordinum. *c.* 1. *c.* 8. *c.* 9. *c.* 21. *c.* 29. *h. t.* non solùm si sint Ordinis Pontificalis, ut confirmatio, consecratio, ordinatio, sed etiam Ordinis Sacerdotalis, quin & Minorum Ordinum, non solùm si tales actus à constitutis in Minoribus Ordinibus fiant, sed etiamsi exerceantur à Laicis; quia suam cooperationem cum ministerio sacro conjungentes cum debita reverentia debent exhibere. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *Suar. de Simon. lib.* 4. *cap.* 13. & 14. pro munere Ostiarii, & potius pro munere Cantoris pretium accipi potest. *Suar de Simon. lib.* 4. *cap.* 14. *n.* 8. Ordinans, & ejus Ministri nihil possunt ex pacto accipere pro litteris dimissoriis, vel testimonialibus ordinum, quia gratis debent dari, sicut principale, cujus naturam sequuntur. Notarii, ubi non habent salarium, nec viget consuetudo nihil accipiendi, pro singulis dimissoriis, vel testimonialibus decimam partem unius aurei, id est ducatus, possunt accipere. *Gonz. in c.* 1. *h. t. n.* 6. & licet Jure Communi possent accipere Ordinarii aliquid spontè oblatum, si modicum esset, & ex intervallo daretur. *c.* 18. *c.* 30. *h. t.* Hodie ad omnem suspicionem & prætextum tollendum, nec gratis oblatum pro collatione ordinum, vel dimissoriis, vel testimonialibus potest accipi sub excommunicationis pœna respectu accipientis, & suspensionis, ab officio, & executione ordinum, respectu ordinatorum. *Trid. sess.* 21. *de Reform. cap.* 1. Si tamen verè spontè daretur, non esset simonia; imò prædicta constitutio Trid. in pluribus locis non est recepta.

41 Quando pro exercenda jurisdictione spirituali, sivè in foro interno, sivè in externo, aliquid temporale datur, committitur simonia, siquidem ea potestas ad finem supernaturalem ordinatur. *c.* 124. 1. *q.* 1. *c.* 14. *c.* 24. *h. t. Suar. lib.* 4. *de Simon. cap.* 19. *Castrop. tr.* 19. *D.* 3. *p.* 12. *& alii com.* Sic est simonia aliquid dare, vel accipere pro confessione audiendo, pro absolutione danda, vel neganda, vel pro absolutione à censuris, vel concessione indulgentiarum, pro dispensando in voto, essu carnium; festi observatione vel impedimentum matrimonii. *Trid. sess.* 24. *de Ref. Matr. cap.* 5. *& sess.* 25. *de Ref. cap.* 18. Aliquando in Romana Curia aliquid exigitur; non pro ipsa dispensatione, sed pro sustentatione Officialium Curiæ, vel pro mutatione voti in illam eleemosynam, vel ad aliquod opus pium applicandam. Episcopus potest in dispensatione voti, festi observatione, & similibus eleemosynam per modum commutationis imponere; sed non debet eam sibi ipsi applicare, sed alicui operi pio. Nullus tamen Prælatus inferior Papa, potest, etiam titulo sustentationis, hujusmodi exactiones in dispensationibus facere. *Trid. sess.* 24 *de Reform. Matr. cap.* 5. *Et sess.* 25. *de Ref. cap.* 18. *Suar. lib.* 4. *de Simon. cap.* 20. *n.* 14. Prælatus, qui aliquid temporale accipit, ut actum aliquem, etiam circa materiam temporalem, & politicam, jurisdictionis Ecclesiasticæ sivè voluntariæ, sivè contentiosæ exerceat, simoniam committit; quia talis jurisdictio provenit à potestate spirituali gratis data, ac proindè gratis exercenda. *c.* 10. *de Vita, & honest. Cler. Suar. lib.* 4. *de Simon. c.* 20. *n.* 19. Si verò talis actus provenerit à potestate temporali, quam alias habet Prælatus Ecclesiasticus, ut Pontifiex in suo territorio temporali, & alii Hispaniæ Episcopi, cum non proveniat à potestate spirituali, non esset materia simoniæ. *Suar. lib.* 4. *de Simon. c.* 20. *n.* 17.

42 Nihil potest accipi pro admissione ad novitiatum, vel professionem religiosam, cum à potestate spirituali talis actus proveniat, & ad charitatis perfectionem, & animæ salutem ordinetur. *c.* 8. *c.* 9. *c.* 25. *c.* 40. *h. t. Suar. lib.* 4. *de Simon. cap.* 17. *n.* 4. & 5. *Gonz. in c.* 18. *h. t. n.* 3. potest tamen accipi, si quid spontè detur ab ingresuro, vel pro congrua sustentatione ingressuri quando Monasterium indiget; *arg. Trid. sess.* 25. *de Regul. cap.* 16. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *ad* 4. sed nihil plus potest accipi prætextu paupertatis Monasterii. *c.* 4. *h. t.* Titulo dotis potest aliquid à Monialibus accipi, etiamsi Monasterium non indigeat, universali consuetudine, variisque decissionibus hoc probantibus. Nihil potest dari pro beneficii Ecclesiastici, vel

dignitatis collatione, sivè fiat per præsentationem, sivè per electionem, vel institutionem, cum ordinentur ad spiritualem administrationem. *c.9. c.* 11. *c.* 22. *c.*36. *c.*41. nec potest pretium accipi pro omissione actuum spiritualium. V. g. pro neganda approbatione pro ordinibus, vel absolutione à peccatis, vel à censuris, & aliis hujusmodi. *Text. in c.* 14. *h. t.* nam tunc omissio rei debitæ commisioni comparatur; *arg. L.* 121. *ff. de Reg. jur.* Si verò actus, qui omittuntur à potestate spirituali sint omninò independentes, tunc enim certè eorum omisio pretio impetrata simoniaca non est, licet aliundè sit pecaminosa. *Suarez de Simon. lib.* 4. *c.* 22. *n.* 11.

43 Etiam sunt materia simoniæ res spiritualibus annexæ: illæ scilicèt, quæ licet in se non sint spirituales, habent tamen cum rebus spiritualibus connexionem, & quidem tribus modis, rebus spiritualibus possunt connecti. 1. *Antecedentèr.*; quando tanquam causa, vel aliquid præsuppositum, ad aliquid spirituale ordinantur; v. g. Calices, Altaria, Templa, aliæque res sacræ, & benedictæ, ut rosaria, numismata, & alia, quæ ad sacrificium Missæ, vel devotionem referuntur, ut jus patronatus, & jus eligendi, quæ ad beneficium, & officium Ecclesiasticum ordinantur, & sic ad finem spiritualem. 2. *Concomitantèr*: quia scilicèt, rebus spiritualibus sunt conjuncta, ut est labor corporalis, qui in ipsa actione, ministerio, vel functione spirituali subitur; v. g. in ipsa sacrificatione, prædicatione verbi Divini, Sacramentorum administratione, &c. 3. *Consequentèr.* Ille scilicèt, quæ spirituale supponunt, tanquam causam. Sic jus percipiendi decimas, oblationes, & primicias, beneficia Ecclesiastica, & pensiones præsuponunt officium, & ministerium spirituale. Jus patronatus quod Laici habent, licet transeat ad hæredes, cum hæreditate; imò ad emptorem Castri; v. g. cui est annexum, tanquam quid accessorium, non tamen potest per se, & principalitèr, sine simonia, vendi. *c.* 16. *de Jur. pater. c.9. de Transact. Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 9. Et licet ab Ecclesia sit inventum, ejus venditio non solum esset simoniaca Jure Ecclesiastico, ut hac ratione defendunt *Navarr. Man. cap.* 23. *n.* 98. *Sot. de Just. lib.* 9. *q.* 7. *art. & alii.* sed etiam Jure Divino, quia supposita connexione, quam jus patronatus habet, cum potestate spirituali, à qua, sicut beneficia, institutum est, & cum fine spirituali, scilicèt cum institutione Clerici in benefficio, est magna irreverentia illud pretio temporali æstimare. *Suar. de Simon. lib.* 4. *c.* 28. *n.* 7.

44 Prætereà sepultura, quatenùs est locus benedictus, & Ecclesiæ authoritate ad fidelium sepulturam deputatus, nequit vendi. *c.* 13. *de Sepult. c.* 9. & 41. *h. t.* Si verò quis habeat sepulchrum proprium, illud vendere potest, præcisè juxta valorem fundi, & expensarum, quæ factæ fuerunt in ejus constructione, sicut Calix præcisè justa ejus materiam potest vendi. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 100. *art.* 4. *ad* 3. Item potest aliquid exigi pro fabrica conservanda, & Ministris sepulturæ alendis, pro obligatione non admittendi in tali loco, nisi eos, qui sunt ex certa familia, vel pro loco eminentiori, & honoratiori sine respectu ad ejus sanctitatem, sic testante consuetudine, quæ non est damnanda, imò expressè approbatur in *L.* 15. *tit.* 17. *p.* 1. *Suar. de Sim. lib.* 4. *cap.* 14. *n.* 21. *Barb. de Offic. Paroch. cap.* 26. *ex n.* 16. *Gonz. in c.* 13. *de Sepult. n.* 2. Fructus beneficii jam percepti, imò eorum commoditas vendi, & locari, à beneficiario potest, antequam eos percipiat, quia quid merè temporale sunt. *c.* 2. *de Locat. lib.* 9. *tit.* 17. *p.* 1. sic potest beneficiarius pecunia redimere, non solùm pensiones merè temporales, sed & mixtas, quæ habent annexum onus spirituale, dum tamen pensionarius maneat ad opus spirituale ligatus, quia hæc libertas à pensionibus solvendis non est quid spirituale, nec beneficiarius aliud facit, quam pretio anticipato emere fructus, quos quotannis posset pensionarius vendere. *Suar. lib.* 4. *de Sim. cap.* 26. sed in hoc casu requiri Pontificis licentiam tenent *Garc. de Benef. p.* 1. *cap.* 5. & *alii, quod negant Tolet. in Sum. lib.* 5. *cap.* 29. & *alii.* Similitèr Vicarius perpetuus potest à monasterio, cui ejus Parochia est incorporata cum onere certæ pensionis, eam redimere: quia tunc fit gratia vicario, ut una solutione se liberet à pensione annua: secus esset, si Vicario onus, eam redimendi imponeretur: nam tale pactum esset simoniacum saltem Jure Ecclesiastico. *Suar. lib.* 4. *de Simon. cap.* 26. *n.* 20. Beneficium vero, quatenus est jus administrandi spiritualia, non potest absque simonia Juris Naturalis vendi, quia hoc jus est aliquid in se sacrum, & spirituale, atque à Christo institutum, imò nec beneficium, quate-

tenùs est jus fructus percipiendi potest pro re temporali vendi *c.* 4. *c.* 6. *de Pact. c.* 7. *de Transact. c.* 15. *c.* 34. *h. t.* quia licèt jus percipiendi fructus sit annexum ex Ecclesiæ institutione juri spirituali, tamen ex suppositione, quod, & dum est annexum, spiritualitatem induit, cui gravis irreverentia fit, si cum temporali commutetur, & per consequens non solum jure Ecclesiastico erit simonia illud vendere, ut tenent *Nav. Man. cap.* 23. *num.* 108. *Garc. de Benefic.* 1. *part. c.* 2. *num.* 9. *L.* 2. *c.* 35. *num.* 26. sed etiam Jure Naturali, & Divino. *Suarez. L.* 4. *de Simon. cap.* 24. *ex num.* 7. *Gonz. in c.* 8. *h. t. n.* 5. *Cajet. Soto, & alii.* Idem proportione debita dicendum est de Cappellanis, comendis, præstimoniis, Hospitalibus, & pensionibus: nam si nihil spirituale contineant, sed quid merè temporale, vendi possunt, secus si aliquam spiritualitatem ratione conexionis habeat. Sic commendæ ordinum militarium D. Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ, &c. quæ præcisè in præmium, vel stipendium militiæ conferuntur, vendi possunt: secus commendæ S. Joannis Hierosolymitani, & aliæ, quæ saltem beneficiis manualibus accensentur. *Suar. L.* 4. *de Simon. cap.* 26. Pro coadjutoriis, etiam cum jure succesionis posse temporale pretium dari, si hoc tanquam stipendium eam concedentis detur, tenent *Castrop. tr.* 17. *D.* 3. *p.* 13. *n.* 4. sed negat *Suar. L.* 4. *cap.* 27. *n.* 5. etiamsi talis coadjutoria detur sine jure succedendi, quia est quasi Vicarius coadjuti, ac proindè tenetur Divina officia obire; *arg. c.* 8. *c.* 21. *h. t.*

45 Cum in simonia contractus onerosus, & utrimque obligatorius reperiatur, debet intercedere pretium temporale, cujus nomine venit non solùm pecunia, ut in emptione. *L.* 1. *ff. de Contr. empt.* sed quæcumque res temporalis pretio æstimabilis, & utilitatem temporalem afferens. Hoc pretium licèt verè, & propriè sit debitum ex justitia commutativa, dicitur munus in Jure Canonico: & est triplex, consistitque in *dono, facto, & verbo. L.* 3. *tit.* 17. *p.* 1. quod jam communiter appellatur, *munus à manu munus ab obsequio, munus à lingua. c.* 113. *c.* 114. 1. *q.* 1. Munus, quodcumque temporale censetur habere rationem pretii in foro externo, si pactum intercedat, & non detur major ratio illud à simonia excusans; v. g. redemptio vexationis, compensatio laboris extrinseci, &c. Si detur munus temporale ante receptionem rei spiritualis, vel immediatè post illam pretium censetur: nam tunc non præsumitur liberalitas. *c.* 104. 1. *q.* 1. si ex intervallo detur, ex liberalitate, & gratitudine præsumitur oriri. *c.* 2. *c.* 4. 1. *q.* 2. & quidem simonia committitur, si munus magni pretii sit, attenta persona dantis, vel accipientis, ita ut verè rei spiritualis pretium credatur, si vero modici pretii sit, pro nihilo reputatur. Aliquando dationem muneris potest excusare consanguinitas, amicitia, nobilitas, & honestas personarum. *Suar. lib.* 4. *de Sim. cap.* 36. In foro conscientiæ depositioni pœnitentis statur. *Munus à manu* appellatur quæcumque res temporalis, corporalis, vel incorporalis, prætio æstimabilis: ut pecunia, jura, census, pensiones, pecuniæ mutuatio, debiti solutio, dilatio solutionis, remisio debiti, promissio remissionis & alia hujusmodi. *c.* 18. *c.* 34. *c.* 36. *c.* 45. *h. t. L.* 3. *tit.* 17. *p.* 1. *Munus ab obsequio* sunt quæcumque temporalia obsequia, vel servitia: v. g. famulatus, negotiorum administratio, & similia, si hæc ex pacto, & obligatione spirituale obtinendi fiant. *c.* 12. *h. t. L.* 3. *tit.* 17. *p.* 1. Si obsequium purè fiat, & sine conditione, & pacto, vel animo alium obligandi ad rem spiritualem dandam: maximè si post rei spiritualis exhibitionem munus, vel obsequium præstetur, non habet rationem pretii: nam tunc liberè, & gratis præstatur, ac proindè rei spiritualis collatio non erit Simoniaca. *c.* 2. *c.* 13. 1. *q.* 2. *c.* 18. *c.* 34. *h. t. Munus à lingua*, sunt laudes, preces, & intercessiones, quæ ab aliquo interponuntur, sub pacto, saltem tacito, & animo obtinendi propter illas aliquid spirituale. V. g. si quis conferat beneficium Titio, ut hic apud Principem, vel alium pro collatore intercedat ad aliquid consequendum, etiam spirituale; nam cum hæc intercessio pretio æstimabilis sit, jam pro pretio temporali confertur beneficium. *c.* 113. 1. *q.* 1. *L.* 3. *tit.* 17. *p.* 1. ibi: *Tres maneras son porque los omnes facen simonìa. La primera serviendo por sus cuerpos mismos. La segunda dando dadivas, è presentes. La tercera se fæce por palabras rogando.* Non est simonia apud collatorem, vel patronum intercedere, vel aufferre recomendationem, ut beneficium conferat, etiamsi collator intuitu precum, & intercessionis conferat beneficium, etiam indigno, cum illud non vendat, sed gratis det, teste totius Orbis con-

consuetudine. *c.* 121. *c.* 122. 1. *q.* 1. *c.* 34. *h. t.* & expresse habetur *in L.* 4. *tit.* 17. *p.* 1. Nec si rem spiritualem, beneficium conferat ob gravem metum injuste incusum. Vel si Episcopus conferat debitori suo beneficium, ut ab eo debitum consequi possit, non est simonia, si nullum pactum intercedat, quo novum onus debitori imponatur. *Suar. lib.* 4. *de Simon. cap.* 37.

46 Nec est simonia pactum adjicere, circa illud, quod jam jure inest; v. g. si à resignante apponatur pactum, ut resignatarius solvat debita nomine Ecclesiæ facta: nam hoc jure ipso inest. *c.* 1. *de Solution.* nec nova obligatio imponitur. Similitèr cum habens beneficium imcompatibile, necesse habeat cedere primum, ut obtineat secundum: tunc non erit simonia hanc cesionem in pactum deducere. Si verò primum beneficium compatibile sit cum secundo, esset simonia de ejus dimisione pacisci; siquidem ea haberet rationem pretii, quatenus nova obligatio, & onus resignanti imponeretur. Hac ratione simoniam committit Titius, qui vult beneficium, quod jam pacificè posidet, resignare sub pacto, & conditione, quod ipsi solvantur expensæ in prosecutione litis talis beneficii factæ: nam jam non gratis beneficium conferretur, novaque obligatio, quæ ipso jure beneficio, non inest imponeretur. *Suar. lib.* 4. *de Simon. cap.* 35. *num.* 24.

47 Si Titius, qui habet aliquod jus adquisitum in beneficio, & quidem certum judicio communi peritorum: (non tamen est necessè illud plenum esse) & aliquis injustè eum vexat, impediendo, quominùs illud consequatur, potest pecunia redimere injustam vexationem, sine simonia, quia daret temporale pro temporali, ut est vexationis redemptio. *c.* 28. *h. t. Gloss. ibid.* V. *Restituere. D. Thom.* 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 5. *Suar. lib.* 4. *de Simon. cap.* 50. Etiamsi Titius nondum habeat jus adquisitum in re, si aliquis eum vexet, consecutionem impediendo, ita etiam ut solùm possit nocere, non tamen prodesse valeat, potest Titius pecunia vexationem redimere, siquidem jus habet, nec injustè impediatur ab electione, confirmatione, institutione, &c. Si verò impediens, & vexans, non solùm nocere possit, sed etiam prodesse: v. g. quia est elector, collator, patronus, &c. Tunc datio pecuniæ erit simoniaca: nam tunc virtualitèr ipsam rem spiritualem, vel beneficium emere censetur. *c.* 23. *h. t. D. Thom.* 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 5. *Suar. lib.* 4. *de Simon. cap.* 50. *n.* 18. Post plenum, & certum jus adquisitum in beneficio, quoad proprietatem, si quis impediatur possessionem accipere potest vexationem redimere, etiam ab eo, qui prodesse potest, in possessionem mittendo, quia possessio est, quid temporale. Si verò ipse elector non vexet formalitèr: qua elector, hoc est negando suffragium, sed materialitèr, & ut quilibet alius privatus; v. g. diffamando, vel colectores injustè ab electione avertendo, posset Titius absque simonia redimere pecunia hanc vexationem, quam non tenetur sustinere: imò habet jus, ne hoc modo impediatur. *Suar. lib.* 4. *de Simon. cap.* 5. *n.* 28. Quando verò vexatio non est injusta: v. g. si quis turbetur, vel litem patiatur circa beneficium litigiosum, vel quia electio, vel præsentatio est dubia, &c. non est propriè vexatio, ac proindè, non potest pecunia redimi: quia tunc jus quod non habet censetur adquirere, vel firmare. *Suarez lib.* 4. *de Simon. cap.* 50. *n.* 11. Sed etiamsi vexatio sit injusta, non debet pecunia redimi, si alia via possit tolli: non quia committeretur simonia, sed quia ipse eam redimens cooperaretur alterius peccato dando pecuniam, quam alter accipere nequit potest etiam pecunia dari Electoribus, ne eligatur indignus, si alitèr ejus electio nequit impediri, non tamen potest dari si exclusio indigni ad certæ personæ electionem dirigatur. *Suarez lib.* 4. *de Simon. cap.* 50. *n.* 4.

48 In causa simoniæ solùm cognoscit Judex Ecclesiasticus etiamsi reus Laicus sit: quia cum ex Jure Divino, & Ecclesiastico descendat ejus prohibitio, causa spiritualis censetur, & solùm juxta Sacros Canones decidenda est. *L.* 58. *tit.* 6. *p.* 1. *& ibid. Gregor. Lop. Hev. in Cur. Philip.* 2. §. 2. *n.* 9. Si crimen sit notorium notorietate facti, vel juris, quia jam de eo crimine est aliquis Laicus in foro Ecclesiastico condemnatus, potest etiam puniri à Judice Sæculari. In hoc crimen potest accusare, & testificari quilibet, etiam servus, & criminosus, dum tamen non sit Paganus, Hæreticus, vel inimicus capitalis: nam tantùm hæ exceptiones admittuntur. *c.* 3. *c.* 7. *c.* 31. *h. t.* Possunt accusari dans, & accipiens. *c.* 8. *c.* 30. *h. t.* Et ille, pro quo alius dedit, si dationem sciat, & in eam consentiat. *c.* 23. *c.* 33. *h. t.* secus si ignoret,

vel

vel renuat, *cap.* 27. *h. t.* Ob hujus criminis atrocitatem, & ejus difficilem probationem sufficiunt ad condemnandum præsumptionem, conjecturæ, & signa: dum tamen ea sint evidentia, & plenè probata: secus aliter, *cap.* 6. *h. t.* Adeò hoc vitium simoniæ abhorret Ecclesia, ut eam appellet crimen horribile, *cap.* 9. *h. t.* Ulcus cancrosum, turpissimum lucrum, lepram, pestem; imò, & hæresim. Ut sæpè in jure. *Et comm. DD.* non quia verè sit hæresis, cum sine intellectus judicio erroneo consistere possit, sed quatenùs ejus immanitate hæresi venit comparanda: quia ut dicitur in *cap. fin.* 1. *q.* 7. *Omnia crimina ad comparationem simoniacæ hæresis, quasi pro nihilo reputantur.* Et ideò variis punitur pœnis, *cap.* 11. 1. *q.* 1. ibi: *Nam Spiritus Sancti donum pretio comparari, quid aliud est, quam capitale crimen, & simoniaca hæresis? quod quam detestabilitèr in utroque testamento vendicatum sit, multorum exemplis facilè appareat.* Et quidem per solam simoniam realem, tàm pretii, quàm mercis traditione perfectam, incurrit quis pœnas à jure in simoniacos statutas, quia quando in jure punitur simonia non fit mentio de pacto, sed de actionibus à pacto provenientibus, ut sunt pretii datio, & receptio, ordinatio, electio, confirmatio, *c.* 3. 1. *q.* 1. *c.* 8. *c.* 34. *h. t. Extrav.* 2. *eod. int. com.* nec est necessè, totum pretium tradi, sat est, si pars tradatur: v. g. decem aurei, licet centum sint promissi, si tantùm promissio fuit facta, secuta deindè traditione etiam, quoad partem quantitatis tantùm, pœnæ retrotahuntur ad tempus promissionis, vel conventionis, tamquam si ab initio conventionis esset plenè facta traditio.

49 Qui commiserunt simoniam merè internam, & mentalem solùm incurrunt pœnam à Deo æterno Judice, & cordium scrutatore infligendam, & à Sacerdote in foro pœnitentiæ, non verò pœnas simoniacis in jure statutas: nam talis simonia est occulta, quia merè interna, & in actu interno consistit: mentalis tamen licet in aliquem actum externum prorumpit, scilicèt in receptionem rei temporalis, cum sine pacto fiat, non constat Ecclesiæ de intentione, ac proindè de ea judicare non valet, siquidem ut dicitur: de occultis non judicat Ecclesia, *cap.* 33. *h. t.* Nec juris, & facti pœna incurritur per simoniam merè conventionalem, quando scilicet sistit in mero pacto, quin pretii, & mercis traditione compleatur, quia cum jura non de conventione pura, sed de datione receptione, electione, & aliis actibus à conventione provenientibus loquantur, non debet eorum pœna, utpotè odiosa ad conventionem extendi, *cap.* 15. *de Reg. jur. in 6.* imò etiam si pretium sit traditum: nam adhuc non tractatur irreverentèr spirituale: attamen sic delinquentes possunt Judicis arbitrio puniri, si spirituale; v. g. beneficium est traditum, etiamsi pretium nondum sit receptum, quia jam spirituale irreverentèr tractatur; pœnas in simoniacos statutas incurri tenent. *Cajet. Sot. Garc. & alii ex cap.* 27. *cap.* 45. *h. t.* sed tales pœnas non incurri dicendum est cum *Suar. &* 3. *DD.* quos supresso nomine refert *Lacr. L.* 3. *p.* 1. *n.* 212. quia cum hæc constitutio sit pœnalis non est extendenda, *cap.* 15. *cap.* 49. *de Reg. jur. in 6.* Simonia conventionalis in Pontificis electione commissa ob materiæ specialitatem specialitèr punitur. Sed hoc non debet ad consequentiam trahi. Simonia tamen confidentialis punitur, & quidem gravius, quam aliæ, quia plures fraudes continet, & speciem successionis hæreditariæ habet.

50 Ordinans simoniacè, vel præsentans ad ordines. 1. Incurrit ipsofacto excommunicationem Pontifici reservatam, à qua etiamsi delictum sit occultum solus Pontifex potest absolvere. *Extr. cum detestabile* 2. *h. t. int. com. Sixtus V. in Const. Sanctum, ann.* 1588. *Suar. de Simon. lib.* 4. *cap.* 56. *n.* 10. & 15. 2. Ipso jure suspenditur à cujuscumque ordinis, etiam primæ tonsuræ, collatione, & executione omne munerum Pontificalium, *cap.* 45. *h. t. Extr.* 2. *eod. int. com.* 3. Interdicitur ei ingressus Ecclesiæ, & si interdictum violet, irregularis fit, & suspenditur à regimine, & administratione suæ Ecclesiæ, & à fructibus suorum beneficiorum percipiendis Episcopus, qui post ordinationem aliquid spontè collatum accipit, etiamsi fortè peccet contra *Trid. sess.* 21. *de Reform. cap.* 1. non incurrit excommunicationem, siquidem in Trid. non exprimitur, nec eam incurrunt Notarius, vel alii Ministri, etiamsi pro litteris Dimissoriis aliquid accipiant contra *Trid. sess.* 21. *de Reform. cap.* 1. Ordinatus, 1. incurrit excommunicationem Pontifici reservatam. 2. Ab executione ordinis simoniacè accepti suspenditur; imò & aliorum, etiam non susceptorum simoniacè, ille verò, qui simoniacè est promotus, sine sua tamen culpa, quia

alius;

alius: v. g. pecuniam pro illius ordinatione, ipso ordinato ignorante, dedit Episcopo, non incurrit excommunicationem, nec suspensionem, nisi ignorantia sit culpabilis, *cap.* 3. 1. *q.* 5. *cap.* 37. *h. t.* nam pœna adeò gravis, qualis est censura, sine culpa non incurritur. 3. Fit irregularis, si suspensionem violet, & præterea incurrit, si Sæcularis sit, privationem officiorum, & beneficiorum, & inhabilitatem ad ea; si Regularis, voce activa, & passiva privatur, & inhabiles ad eam redditur. Conferentes, & suscipientes simoniacè primam tonsuram, has pœnas incurrunt ob generalitatem. *Extr.* 2. *h. t. inter com.* & quia in modo communi loquendi ordinari dicitur, qui tonsuram suscipit, cum constituatur in ordine Clericorum, & præcipuè in nostra sententia asserente, primam tonsuram Ordinem esse.

51 Quælibet provisio ad beneficium propriè tale, sivè Sæculare, sivè Regulare, ut electio, confirmatio, vel institutio est ipso jure nulla, adeò ut nullum jus conferat beneficiato. *Extr.* 2. *h. t. inter com.* Etiamsi in electione unius ratum suffragium esset simoniacè datum, omnibus aliis Canonicè eligentibus. Hinc talis provisus non defenditur regula de Triennali possessione, nam in ea expressè excluditur ingressus simoniacus, nec restituitur, etiam si vi spolietur; cum titulo colorato careat, qui ad restitutionem in beneficialibus requiritur, teneturque restituere, etiam ante omnem sententiam, fructus beneficii, non solùm extantes; sed & consumptos; imò & quos potuit percipere, quia cum omni jure careat prædoni æquiparatur. *Gonz. in cap.* 12. *h. t. n.* 6. Idem dicendum est de eo, qui licèt simoniam ipse non commisisset, consensit tamen, vel non contradixit simoniæ ab alio commissæ, ut ipsi beneficium conferretur, siquidem electio, vel provisio beneficii est nulla. Idem est, quando parentes; v. g. vel amici illius, qui est promovendus, ipso sciente, & non protestante, imò protestante, sed scientè quod protestatio esset sine effectu, quia protestatione, non obstante ipsi simoniam commiserunt. Si verò ipse promovendus scivit, & contradixit, & numquam in simoniam consensit, valet electio, vel provisio. Similitèr tenet provisio, quando parentes, vel cognati simoniam commiserunt in fraudem promovendi, ut eum inhabilem redderent: quia magis debet tribui meritis innocentium, quam perversorum hominum malitiis, *cap.* 26. *cap.* 27. *h. t. Gonz. in cap.* 12. *h. t. num.* 3. Quando simonia ab alio est commissa, ignorante beneficiario, dum in eo bona fides manet, fructus lucratur, sed hac deficiente, cum provisio sit nulla, fructus extantes restituere debet, si tamen per triennium pacificè possedit, nec fructus, nec beneficium tenetur restituere, sed regula de triennali defenditur. *Suar. lib.* 4. *de Simon. cap.* 57. *n.* 39. *Gonzal. in cap.* 12. *h. t.*

52 Recipiens simoniacè beneficium, etiamsi ab alio committatur simonia, ipso beneficiario ignorante, redditur inhabilis ad illud beneficium pro ea vice obtinendum, *cap.* 27. *h. t.* nisi dispensetur, & quidem à solo Papa, quando beneficium simplex scienter, vel duplex etiam ignoranter est adquisitum, saltem si provisio nulla per sententiam fuit declarata. Etiam ab Episcopo, si beneficium simplex ignoranter est adquisitum, post liberam tamen ejus resignationem, fit dispensatio. *Gomez in cap.* 26. *h. t.* Sic beneficium recipiens, licèt non privetur ipso jure beneficiis, ante obtentis, potest per sententiam privari, *cap.* 21. *de Accusat.* obtinentes, & conferentes per simoniam beneficia Ecclesiastica propriè talia, & omnes cooperantes, ipso jure incurrunt excommunicationem Pontifici reservatam; nisi delictum sit occultum, nam tunc possunt ab ea absolvere Episcopi. *Extr.* 2. *h. t. int. com. S. Pius V. in Bull. Quam primum. Kal. April.* 1566. Et ex privilegio Mendicantes. *Suar. de Simon. lib.* 4. *cap.* 61. *n.* 4. Prædictæ pœnæ, quæ circa beneficia sunt statutæ comprehendunt omnia beneficia propriè talia, sæcularia, & regularia, ut Prælaturas, quæ in munere Ordinario consistunt, ut Generalatus, Abbatia, præpositura, &c. non tamen ea, quæ consistunt in nuda commissione, ad nutum revocabilia: nec comprehendunt pensiones, vicarias temporales, munus Legati, Delegati, Inquisitoris, &c. licèt alias in earum venditione simonia committatur. *Suar. L.* 4. *de Sim. cap.* 57. *n.* 45.

53 Qui scientèr aliquem per simoniam, ad professionem regularem admittunt, & qui talitèr ingrediuntur excommunicationem Pontifici reservatam incurrunt. *Extr.* 1. *h. t. inter com.* si delictum est occultum potest ab ea Episcopus absolvere. *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 6. & ex privilegio Mendicantes. *Suar. de Sim. L.* 4. *cap.* 61. *n.* 4. Quæ constitutio

quoad

quoad excommunicationem, & suspensionem non est usu recepta. *Navarr. Less. de Just. L. 2. cap. 35. n. 131.* Capitulum verò in receptionem consentiens suspenditur ab Officio Capitulari. *Extr. 1. h. t. inter com.* professio tamen valida est, ac proindè professi non possunt authoritate propria ad sæculum redire: qui tamen de simonia convicti fuerint, & condemnati, tàm recipientes, quàm recepti jubentur à Monasterio expelli, & in arctius detrudi, *cap. 25. cap. 40. h. t. Suar. lib. 4. de Simon.* Etiam infamiam juris incurrunt, si ad novitiatum admittuntur simoniacè, gratis tamen ad professionem, hæ pœnæ non incurruntur: Incurruntur tamen etiam si gratis admittantur ad novitiatum, dumtamen professio simoniaca sit: rarò tamen hæ pœnæ incurruntur: quia si aliquid datur, facile à simonia, titulo sustentationis, vel donationis excusatur; imò, & si talis datio nullomodo à simonia excusetur, Monasterium etiamsi sit opulentum non tenetur restituere pecuniam sustentationi admissi respondentem pro professione acceptam; sed potest eam retinere, sed tamen non in commodum alicujus particularis, sed in usum communem convertenda est. *Suarez, de Simon. L. 4. cap. 59. n. 41.*

54 Simonia confidentialis opere completa, dato scilicèt, & accepto beneficio, licèt accipiens non impleverit ex sua parte promissionem solvendo; v. g. pensionem, nam hoc non requiritur, punitur excommunicatione Papæ reservata, & si reus sit Episcopus, vel illo superior ab ingressu in Ecclesiam interdicitur. Resignatio, & collatio per eam factæ nullæ sunt, resignans, & resignatarius redduntur inhabiles, non solùm ad idem, sed & ad alia obtinenda beneficia, & beneficiis, & pensionibus antea obtentis privantur: debet tamen præcedere sententia: nam hac pœna privatur quis jure jam quæsito, ac re jam possessa: proindè est necessaria sententia, licet Lex ipso jure privet. Beneficium resignatum simoniacè Papæ reservatur, & nequit ab Ordinario collatore conferri, & ejus fructus male percepti Cameræ Apostolicæ applicantur, etiamsi ob aliquod privilegium, non reservetur. *S. Pius V. in Constit. Intolerabilis. Kal. Jun. 1569. Suar. L. 4. de Sim. cap. 43. n. 13.* solùm in prædictis casibus simoniæ commissæ in beneficiis, ingressu Religionis, ordinationæ, & simoniæ confidentialis ipso jure, & facto incurruntur pœnæ in simoniacos statutæ, quia extra hos casus simonia comissa; v. g. in administratione Sacramentorum, pœna non incurritur ipsofacto, quia nihil exprimit jus. *Suar. de Sim. L. 4. cap. 55. n. 5. Navar. Man. cap. 23. n. 111.* per sententiam tamen Judicis variæ pœnæ infligendæ veniunt, *capit. 7. c. 8. & seqq. 1. q. 1. cap. 11. c. 19. h. t.*

55 In simonia commissa extra causam beneficialem, qui rem spiritualem accepit, non tenetur eam restituere ante sententiam, quia hoc nullo jure exprimitur, & quia regularitèr non violatur per simoniam justitia commutativa, ex qua obligatio restitutionis manat, sed solùm Religio: quia licet constitutio *in cap. fin. de Pactis*, irritans conventiones unitas super rebus spiritualibus, non restringatur ad causas beneficiales, sed indiscriminatim accipiatur, dicendum est tales conventiones irritas esse, antequam compleantur mercis, & pretii traditione; nam paciscentes, non tenentur conventionem adimplere, quin ejus adimplitione peccatum committitur, si verò res spiritualis dato pretio accepta sit, potest hoc retineri: sicut qui pecunia conducit assisinum ad homicidium, vel meretricem ad peccatum, non tenetur pactum utpotè peccaminosum adimplere, commisso tamen peccato, valet pretium retineri. Qui pretium recepit simoniacè tantùm, non verò injustè, hoc est contra justitiam commutativam, non tenetur illud ante sententiam restituere, nisi pretium excedat commodi temporalis translati, pro re spirituali æstimationem. Sic qui pro functione spirituali; v. g. sacrificio Missæ prætium non injustum recepit, illud potest retinere, intentione simoniaca rejecta. Quando pretium non solùm simoniacè, sed & injustè, hoc est contra justitiam commutativam, acceptum est, debet etiam ante sententiam restitui: quia violatio justitiæ commutativæ hanc obligationem inducit. Sic restituere tenetur, qui pretium accepit pro re merè spirituali, nullo commodo temporali admixta, quia rei spiritualis nullum est pretium. Sic Parochus, qui ex officio debet Parochiano spiritualia administrare, contra justitiam peccat, & ad restitutionem tenetur, si pretium accipiat pro re, quam debet ex justitia. *Suar. lib. 4. de Simon. cap. 59. n. 11.* Idem dicendum est de simonia mentali; nam si pretium sit acceptum contra justitiam, cum nullum jus illud retinendi detur, debet tamquam res aliena restitui; si tamen pretium non

est injustè acceptum, non datur obligatio restituendi, cum nullius jus sit læsum: sat est, si accipiens pœniteat de mala intentione, qua illud accipit, *cap. fin. h. t. ibid. Gonz. n.* 3. *cum Suar. contra alios.*

56 Pretium simoniacè acceptum ejus Domino restituendum est, qui læsionem patitur, & non alitèr censetur voluisse dare, quam ut pretium ad rem spiritualem emendat, ac proindè si ipse pretium gratis cedat vendenti rem spiritualem, hic non tenetur restituere, donec per sententiam illud ab ipso, imò, & à suo Domino in criminis pœnam, auferatur, & Ecclesiæ, vel pauperibus applicetur. Sic igitur ex Jure Ecclesiastico, *cap.* 11. *h. t.* pretium in collatione beneficii datum restituendum est Ecclesiæ, in qua est situm beneficium, vel pauperibus, si superior ita disponat. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. *ad* 3. *Suar. de Simon. lib.* 4. Quæ omnia habentur in tot. *tit.* 17. *p.* 1. *& latius in tot. caus.* 1. *per septem quæst. tractantque Moralistæ ad titul. de Sim. Vid. Lacr. L.* 3. *p.* 1. *ex n.* 56.

TIT. IV.

Ne Prælati vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu concedant.

57 PRohibetur in præsenti ne Prælati, beneficiati, vel alii Officiales Ecclesiastici vices suas, hoc est jurisdictionem, vel potestatem Ecclesiasticam curam animarum, consecrationem, dispensationem, vel administrationem Ecclesiasticam annexam ipsis Prælaturis, vel Beneficiis Ecclesiasticis concedant, vel locent pro temporali pensione præcipuè pecuniaria, singulis annis solvenda, quæ nomine census annui in præsenti Rubrica intelligitur: nam simoniam committunt, si quid spirituale, vel spirituali annexum cum re temporali permutant, *cap.* 1. *cap.* 2. *cap.* 3. *h. t. Trident. sess.* 25. *de Reform. cap.* 1. *L.* 8. *tit.* 17. *p.* 1. ibi: *Arrendar non puede el Prelado sus veces, nin poner Vicarios por precio en su logar. Et Greg. Lop. ibid.* Potest tamen quis locare fructus, & proventus prædictorum, imò & ipsa prædia pro annua pensione ad breve tempus, *cap.* 9. *de Rebus Eccles. cap.* 2. *de Locat. & conduct. Extr. ambitiosæ de Reb. Eccles. int. com.* tunc enim temporale pro temporali commutatur, & hac ratione potest Prælatus, cujus Monasterio est beneficium incorporatum à Vicario pro integris fructibus ei relinquendis annuam pensionem nominæ absentiæ, vel alio quocumque titulo accipere.

58 Episcopus potest, remittendo jurisdictionem, vel concedendo Ecclesiæ, alias sibi subjectæ, exemptionem aliquid recipere, non tamquam pretium jurisdictionis remissæ, sed in recognitionem antiquæ subjectionis, & in signum libertatis acceptæ, *cap.* 15. *de Simon.* Potest similitèr dare Vicario Generali in spiritualibus annuam pensionem pecuniariam, *cap.* 30. *de Præbendis, & dignit.* Non pro jurisdictione exercenda, sed tamquam stipendium sustentationis, *cap.* 28. *de Appellat. cap.* 3. *de Cler. ægrot.* nec propriis stipendiis quisquam militare tenetur. 1. *Cor.* 9. *v.* 7. Qui contra præsentem prohibitionem vices suas sub annuo censu concedit, potestate conferendi privatur, & canonica distractione percellitur, hoc est deponitur, vel suspenditur pro qualitate delicti, quamvis sit Episcopus. Dans pecuniam pro officio, illud sic obtentum amittit, & removetur à Clero, *cap.* 1. *cap.* 2. *h. t.* & tàm dantes, quàm accipientes pecuniam pro jurisdictione Ecclesiastica exercenda excluduntur ab Ecclesia, in cujus contumeliam hoc fecerunt, *capit.* 38. *de Simon.*

TIT. V.

De Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

59 MAximè Reipublicè expedit tenebras ignorantiæ luce scientiarum expelli: nam ut ait Alfonsus noster sapientissimus Rex *in princ. t.* 31. *p.* 2. *Porque de los omes sabios, los omes, é las tierras, é los Reynos se aprovechan, é se guardan, é se guian por el consejo de ellos, cap.* 2. *de Privileg. in* 6. ibi: *Cum de diversis mundi partibus multi confluant ad Sedem Apostolicam, quasi matrem, nos ad commune, tàm ipsorum, quàm aliorum omnium commodum, & profectum, providimus, quod ibidem de cætero regatur, & vigeat studium Juris Divini, & Humani, Canonico videlicèt, & Civili.* Et ideò tanta solicitudine studia in Civitatibus exiguntur. Duplex ergo potest esse studium aliud

aliud est particulare, in quo scilicèt privatim ab aliquo Magistro certo loco docetur, aliud est *generale*, quod etiam *Universitas*, & *Academia*, dicitur, quod scilicèt privilegio Papæ, vel Regis est erectum, ut ibi sint Doctores, & Magistri Canonum (in his etiam Sacra Thologia comprehenditur) Legum, Astrologiæ, Geometriæ, Arithmeticæ, Logicæ, seu Philosophiæ, & Gramaticæ. *L.* 1. *t.* 31. *p.* 2. *& in notat Gregor. Lop. ibid. ex Palud. & Cardinal.* Si alicubi legantur Thologia, & liberales Artes est signum studii generalis. Etiam erit studium generale, si jus Canonicum, & Civile ibi doceantur. *c.* 2. *de privil. in 6.* Studia generalia toto Orbe celeberrima, & ut talia in corpore juris inculsa sunt Universitas nostra Salmatina, Parisiensis, Oxoniensis, & Bononiensis. *Cl.* 1. *h. t.* Qui enim in studio litteratio perseverantia constanti currunt, tres solent obtinere lauras. 1. assequuntur Bacalaurei, sic dicti à bacca lauri, seu frondibus baccatis lauri, quæ sic promotis concedebantur. *Mendo de Jur. Academ. lib.* 1. *n.* 285. Secundam assequuntur licentiati, sic dicti à licentia, seu facultate supremum Doctoratus gradum, cum voluerint capessendi; ac proindè privilegiis, & prærrogativis Doctorum, in favorabilibus gaudent, admitendique sunt ad omnes dignitates, ad quas DD. admittuntur; *arg. L.* 43. *ff. de Testam. Militar.* Ubi proximè accingendus pro accinto habetur, ut privilegio militari ad testamentum faciendum gaudeat, *ut ibid. notat. Gothofr.* nisi expressè requiratur, quod gradu Doctoris sint insigniti sicut Jus Canonicum requirit Doctoratum ad aperiendas, & exequendas litteras Apostolicas. Tertiam assequuntur Doctores: ita dicti quia habent ab aliqua Accademia suæ doctrinæ testimonium, ut posint consuli, & eorum judicio fidatur, quasi approbato publicè ab Academia.

60 Hi Doctores solent etiam apellari Magistri, sed in nostra Hispania Magistri nomen Philosophis est relictum, & nomen Doctoris tantùm retinent, qui in Theologia, in jure, vel Medicina supremum obtinent gradum. Hi omnes birreto, muzeta, & annulo, aliisque insignibus ornatur, sed per varios colores distinguuntur. Theologi enim albo, Canonistæ viridi, Juristæ purpureo, Philosophi cœlesti colore, tàm in serico pilei, quàm infimbria muzetæ, utuntur. Sicut olim, qui in Ludis Olimpicis ad metam percurrebant, coronabantur olea. Sic *Virgilius Æneid.* 3. *Tres præmia primi accipient, flavaque caput nectentur oliva.* Etiam Milites, & Duces pro facinorum varietate, his coronis decorabantur. Hinc Appollo Daphnem in laurum conversam sic alloquitur:

Tu ducibus lætis aderis cum læia triumphum,
Vox canet, & longas visent Capitolia pompa.

In vulgari tamen acceptione, ad quemcumque Præceptorem extenditur nomen Magistri. *L.* 57. *ff. de V. S.* Cui enim præcipua cura rerum incumbit, & qui magis, quàm cæteri diligentiam, & solicitudinem rebus, quibus præsunt debent, hi Magistri appellantur: Undè etiam cujuslibet disciplinæ Præceptores *Magistros* appellamus à *monendo*, vel *monstrando Virg.* 1. *Georg. Pan curat oves, ovium-que Magistros.* Qui Philosophiæ gradum accipiunt liberalium Artium Magistri indigitantur. Artes liberales præcipuæ hoc versu comprehenduntur.

Lingua, Tropus, Ratio, Numerus Sonus, Angulus, Astra. Quarum munera sic explicantur:

Gram. loquitur, Dia. vera docet, Rhet verba colorat,
Mus. canit, Ar. numerat, Geom. ponderat, Ast. colit. Astra.

61 Pontifex potest creare DD. in Sacra Theologia, & Jure Canonico, quia sunt scientiæ ex suo fine spirituales. Reges, & alii Principes in temporalibus non habentes superiorem possunt gradus concedere in Jure Civili, Medicina, & Philosophia; & aliquando hanc potestatem exercuerunt, teste *Mendo de Jur. Acad. lib.* 1. *n.* 73. *&* 36. Doctores possunt creari omnes, qui non prohibentur, debent tamen esse 1. mares: nam fœmina, cui non licet docere, non est doctoranda. *c.* 17. 33. *q.* 5. *L.* 2. *ff. de Reg. jur.* 2. Debent esse Catholici: nam à tali gradu in quacumque facultate Judæi excluduntur; *arg. L. fin. C. de Judæis.* 3. *Majores* 17. *annis*; *arg. L.* 1. §. 1. *ff. de Postul.* Magis tamen, quam ætas, scientia debet attendi, ita ut hæc supleat ætatem; *arg. c. fin. de Desponsat. impuber.* 4. Debent habere saltem scientiam sufficientem. Et cum ejus defectus in grave damnum proximorum, qui eorum judicio fidunt, vergat, vix à peccato gravi possunt excusari, qui indignos ad talem gradum promovent. *Mendo de Jure Academ. lib.* 1. *n.* 365. In aliquibus universi-

tatibus excluduntur illegitimi. In omnibus excludi debent infames, sivè infamia juris, sivè facti sint gravati, quia gradus est dignitas, vel honor, cujus infames non sunt capaces. *c.* 87. *de R. jur. in 6.* Deniquè in Doctoribus, & Magistris, præcipuè in eis, qui actu legunt, & docent, magis quam facundia, & scientia debet attendi honestas, & integritas morum. *L.* 7. *C. de Profes. & Medic. lib.* 10.

62 Pontifex, & Supremi Principes hanc potestatem communicarunt Academiis, & Universitatibus Generalium studiorum, & eam per assignatos ad hoc munus in unaquaque Universitate, exercent, etiamsi tales careant gradu, quem conferunt. In nostra celeberrima Salmantina Universitate gradus confert Scholasticus, seu Magister Scholæ. *Gonz. in c.* 4. *h. t. n.* 5. *Mendo de Jure Academ. lib.* 1. *n.* 171. in Parisensi Carcelarius Academiæ: in Bononiensi Archidiaconus Ecclesiæ Majoris. Etiam solent Pontifex, & alii Principes hanc facultatem aliis concedere. Sic Rector hujus Manilensis Societatis Jesu Collegii confert gradus, etiam supremos in Philosophia, & Thologia, ex privilegio Pontificio, & Regio. *L.* 2. *tit.* 22. *lib.* 1. *Recop. Ind.* Et hanc nostram Academiam de novo confirmavit lectionemque Sacrorum Canonum, & Institutionum Civilium die 23. Octob. ann. 1733. concessit, & auxit noster Potentissimus Monarcha Philippus V. de quo certè dicere possumus: *Non illo melior quisquam, nec amantior æqui vir fuit.* Et demum amplissimam facultatem gradus conferendi N. S. P. Clemens XII. indulsit die 6. Decembr. ann. 1735. in Const. quæ incipit: *Militantis*, quam in nostræ Universitatis Constitutionibus, quibus coordinandis, & addendis nunc indefesse incumbo ad litteram dabo: & juris publici fiet.

63 Ut gradus alicui conferatur, præcedere debet examen, ut ejus scientia nota fiat. *L.* 7. *C. de Profes. & Medic.* Si de ejus sufficientia constet, potest examen remitti: debet fieri professio fidei. *L.* 14. *tit.* 22. *lib.* 1. *R. Ind. & in L.* 15. jubetur, quod graduandus juret defendere opinionem piam circa Conceptionem *B. V. M.* si in Universitate est jurata. Et practicatur in hac nostra Manilana Academia Soc. Jesu. Et in ipsa promotione, seu inauguratione debent tradi ipsi candidato Doctoralia insignia, & cum hæc actio gradum recipiendi sit personalis, nemini potest per Procuratorem fieri; *arg. L.* 123. *ff. de Reg. jur.* Deindè *Clem.* 2. *h. t.* præcipit, ut à Doctorandis exigatur juramentum, quo promittant, se non impensuros in tali inauguratione ultra tria millia Turonensium argenteorum, seu ducentos quinquaginta aureos. Sed hæc constitutio vix usum habet, præcipuè in nostra Salmantina Universitate. In congressibus, & suffragiis ferendis primum locum obtinent DD. Theologi. 2. DD. juris. 3. Medici. Ultimum Pilosophi, nisi aliud suadeat consuetudo, ut in nostta Salmantina Universitate obtinet; ibi enim inter DD. Theologiæ, & juris ille in loco præfertur, qui in gradus susceptione est antiquior. *Mendo, lib.* 1. *de Jur. Acad. n.* 300. Ille qui pluribus gradibus decoratur, si unus saltem sit æqualis illi, quem alter habet, ei præfertur; v. g. Doctor Theologiæ, & Juris Canonici præfertur Doctori tantum Thologo. Doctor tamen utriusque juris Doctoris Theologo non præfertur: quia gradus juris est inferior gradu Thologico.

64 Cujuscumque facultatis Doctores à plebeja conditione eximuntur, nobiles fiunt, eorumque privilegiis gaudent; *arg. cap.* 28. *de Præb. lib.* 7. *C. de Postul.* & indignitate constituuntur; *arg. c.* 3. *h. t. Cl.* 2. *eod.* singulari honore, & reverentia affici debent *arg. L.* 2. *L.* 3. *C. de Offic. divers. Judic.* Testimonii causa non debent ad tribunal vocari; sed in eorum domibus, sunt examinandi; *arg. L.* 15. *ff. de Jur. jur.* in testimonio dicendo magis attenditur dictum Doctoris, quam alterius, hac dignitate carentis. *Menoch. de Arbitr. cas.* 96. *n.* 9. Eximuntur à muneribus realibus, & personalibus, ut ab onere milites hospitandi *L.* 6. *L. fin. C. de Profes. & Medic.* Non possunt obæs alienum incarcerari; imò etiam quando rei criminis sunt, non in carcere publico, sed in alio decenti loco debent custodiri; *arg. C. fin. de Pœnis*, nec sunt torquendi, nisi in criminibus exceptis. *Menoch. de Arbitr. cas.* 23. *n.* 22. nec sunt supplicio ignominioso afficiendi, ut laquei, vel fustigationis, vel triremium pœna, sed si pœnam merentur capitalem, gladio puniuntur; *arg. L.* 9. §. 11. *ff. de Pœnis.* Doctores præ cæteris ad dignitates Ecclesiasticas, & Sæculares promovendi sunt; *arg. c.* 7. *de Elect. c.* 28. *de Præb. hend. Trid. sess.* 24. *de Reform. cap.* 12. & in gratiis de eodem beneficio factis in pari data præferuntur graduati non gradua-

duatis, & inter graduatos magis graduati, & inter æquæ graduatos prius graduati.

65 Professores; qui actu docent, quamvis juniores, aliis non professoribus præferuntur; *arg. L. 1. C. de Consul.* pro Professoribus militat præsumptio singularis doctrinæ, censenturque tanquam oraculum civitatis: & ut facilius studiis vacent, possunt impedire, ne in illo vico fabri obstrepentes admittantur, non tamen possunt expellere eos, qui ibi erant antequam ipsi domum conduxissent. *Menoch. de Arbitr. cas.* 236. Denique *in L.* 8. *tit.* 31. *p.* 2. referuntur varia privilegia Doctorum. Qui publicè in Universitate Theologiam, etiam voluntarie, & sine stipendio docent, etiam absentes à suis Ecclesiis, & beneficiis, integros fructus percipiunt. *c. fin. h. t. Trid. sess.* 5. *de Ref. cap.* 1. *Garc. de Benef. p.* 3. *c.* 2. *n.* 60. non verò distributiones quotidianas; *arg. c.* 32. *de Præbend.* nisi die, quo legunt, vel si hoc consuetudo Ecclesiæ concedat, vel nisi beneficii fructus, vel major eorum pars in his distributionibus consistat, idem est de docentibus publicè Jus Canonicum, ut declaratum à S. Congregatione, testatur *Garc. de Benef. p.* 3. *c.* 2. *n.* 54. Qui enim has sacras facultates explicant, & docent magis prosunt publicè Ecclesiæ utilitati, quam si in loco beneficii residerent. Idem privilegium ad alias facultates pro nostra Universitate Salmantina extendit *Eugen. IV.* Professoribus, qui ob morbum, vel senectutem legere nequeunt, integrum debet solvi stipendium: imò si intra annum moriantur post lectiones inchoatas, integrum salarium debetur, etiamsi hoc per angaris, aut menses præstaretur: quod ad hæredes transmittitur. *Mend. de Jur. Acad. L.* 1. *n.* 311. His prærogativis gaudent etiam male promoti, & DD. Bullati, quia à Supremo Principe prævio Academicorum examine per rescriptum, gradum obtinuerunt, secus ille, qui à Comitibus Palatinis promoti sunt, prætextu facultatis à Sede Apostolica concessæ: nam tales quoad Ecclesiasticas Dignitates, & beneficia nulla prærogativa gaudent. *S. Pius V. in Const. Quamvis*, 1568. *arg. Trid. sess.* 22. *de Ref. c.* 2.

66 In Ecclesiis Cathedralibus Metropolitanis debet Prælatus cum consensu Capituli Magistrum Thologiæ deputare, ut Clericos Sacram Scripturam doceat, & ea, quæ ad curam animarum spectant. In Cathedralibus non Metropolitanis, & in Collegiatis debet deputari Magister, qui Clericos, & alios Scholares pauperes Grammaticam doceat. *c.* 1. *c.* 4. *h. t. Et Trid. sess.* 5. *de Ref. cap.* 1. decrevit, ut in quacumque Cathedrali, imò & Collegiata, quæ in Oppido insigni existat, & etiam in Monasteriis, in quibus id commodè fieri possit, Magister deputetur, qui Sacram Scripturam, vel Theologiam, doceat & ipsi præbenda, quæ est dignitas, est assignata, & Canonicus, qui eam obtinet dicitur *Scolasticus*, & *Magister Scholæ*, *c.* 3. *h. t.* de quo jam diximus. Ad hanc præbendam posse etiam Canonistam admitti sæpè sæpius declaratum est à S. Congreg. apud *Pignatel. tom.* 1. *cons.* 147. *n.* 1. & 17. nam Jus Canonicum est pars Theologiæ, & etiam Theologia practica dicitur: siquidem Canonista Sacram Scripturam, ex qua desumpti sunt Sacri Canones, & regulas Thelogiæ Moralis, explanant, Clericosque, & fideles, in his, quæ ad salutem, & curam attinent animarum, tàm in foro interno, quàm externo instruunt, ut jam diximus.

57 Indignum equidem, & turpe foret pretium à viris doctis extorquere pro facultate docendi disciplinas, & scientias, quæ adeò utiles sunt Reipublicæ, cum potius honoribus, precibus, & præmiis invitari debent, ut suæ scientiæ Thesaurum ad publicam utilitatem aperiant: nam per litterarum cognitionem (ait *Plutarch. de Instit. liber.*) *Nosse licet, quid honestum, quid turpe, quid justum quid iniquum, quid expetendum, quid fugiendum, quemadmodum erga Deos, quemadmodum erga parentes, qui erga majores natu, qui erga Leges, qui adversus Magistratus, qui adversus alienos, qui adversus amicos, qui adversus conjuges, qui adversus servos nos gerere debeamus*; *Deos, ut colamus, parentes, ut veneremur: majores natu, ut revereamur: Legibus pareamus, Magistribus obedientes simus, amicos diligamus: caste cum conjugibus agamus, pietatem in liberos exerceamus: in servos non sæviamus, & quod caput est, rebus secundis, ut non exaltemur, neque nimium animum contrahamus rebus asperis, neque in voluptatibus gestiamus, nec ira exardescamus, vel efferati simus.* Ideò prohibitum est in præsenti Rubrica (quæ cum faciat sensum perfectum, vim juris habet) ne aliquid exigatur pro licentia docendi. Qui verò aliter faciat, id quod accepit restituere jubetur, & pribatione Dignitatum, & beneficiorum Ecclesiasticorum pu-

punitur, nec ulla consuetudine potest hæc exactio cohonestari. *c.* 1. *c.* 2. *c.* 3. *h. t.* in omnibus universitatibus usu receptum est pro gradibus conferendis in omnibus facultatibus, pecuniam, & stipendia. *Hispanè*: *Propinas*: accipere, & majora quidem in celebrioribus Academiis; non tamen pro licentia docendi, sed pro honoribus, & emolumentis temporalibus, quæ graduati consequuntur: in quo nulla est turpitudo, ac proindè nulla prohibitio. *Mendo de Jur. Acad. lib.* 2. *quæst.* 11. *Gonz. in c.* 4. *h. t. num. fin.*

68 Licèt prohibitum, & turpe sit, aliquid pro licentia docendi exigere, non tamen est simonia, nisi hæc licentia proveniat à potestate spiritualis jurisdictionis; si v. g. lecturæ sit annexum aliquod beneficium Ecclesiasticum, secus aliter: nam gradus litterarum solùm continent dignitatem, & privilegia, quæ sunt, quid temporale pretio æstimabile. *L.* 10. *tit.* 17. *p.* 1. ibi: *Otrosi aquellos, que han poder de dàr licencia à los Scholares para ser Maestros, no lo deben facer por precio; è si solo ficieren, como quier que non farian simonia, caerìan por ende en gran pecado, que dicen en latin crimen concussionis, que quiere tanto decir, como en manera de movimiento de amenaza.* Si responsum, vel instructio ordinaretur ad hæreticos, vel infideles convincendos, ad conscientias interrogantium liberandas à scrupulis ad absterrendos peccatores à culpis, ut faciunt confessarii Concionatores, & catechistæ, cum hæ actiones ex suo fine sint supernaturales, esset simonia aliquid temporale pro eis exigere, vel accipere. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. *Suar. lib.* 4. *de Simon. c.* 18. *n.* 22. Non verò committitur simonia pro actu docendi Jus Civile, Medicinam, vel Artes liberales, cum in earum facultatum explanatione nihil spirituale, vel spirituali annexum reperiatur: imò neque pro docendo Theologiam, seu Jus Canonicum, nec pro consilio Theologico Canonico, vel morali præstando, ut fit regularitèr in Scholis, quia hæ facultates solùm ordinantur ad illustrandum intellectum audientium, eorumque memoriam juvandam, & difficultatem in eis addiscendis minuendam. *L.* 10. *tit.* 17. *p.* 1. ibi: *Si lo demandasse, ò lo tomasse, serìa como simonìa: mas los Maestros, que non reciben beneficios de las Eglesias, bien pueden tomar soldada de los Scholares, que demonstrassen. Et ut ibidem notat Greg. Lop.* non dicitur propriè et simonia, cum stricto modo, largo tamen modo sit.

TIT. VI.

De Judæis, & Sarracenis eorumque servis.

69 AGimus in præsenti de Judæis, & Sarracenis, & incidentèr de aliis infidelibus. Infideles dicuntur, quicumque, & quomodocumque, non sunt fideles. Et certè per infidelitatem fides amittitur. *Trid. sess.* 6. *de Justificat. c.* 15. per infidelitatem communius intelligitur peccatum mortale, quod est directe contra fidem, & illius formali objecto opponitur. Et quamvis opera infidelium, quando ad suæ infidelitatis finem ordinantur sint peccata. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 23. *art.* 7. *ad* 1. tamen si ex fine honesto aliquis actus ab ipsis fiat; v. g. sucurrere miseriis, obedire parentibus, &c. minimè peccatum est, ut contra varios errores definitum est: nam inter propositiones Baii damnatas à *S. Pio V. Greg. XIII. hæc est* 25. *Omnia opera infidelium sunt peccata; & Philosophorum virtutes sunt vitia.* Et *Alex. VIII. hanc propositionem, quæ est* 8. *damnavit. Necessè est, infidelem in omni opere peccare.* Infidelitas genericè accepta triplex est. 1. *Negativa*, in qua misere jacent, illi qui nihil unquam audierunt de fide. Et hæc non tàm est peccatum, quàm pœna peccati. Deus enim eos lumine Fidei illustrasset, si quod in ipsis est fecissent 2. Est *Privativa*: quia privativè fidei opponitur, & est ignorantia culpabilis, vel error circa res fidei. 3. Est *contraria*, & est eorum, qui fidem contemnunt, vel ei pertinacitèr contradicunt, post ejus sufficientem propositionem. Hæc est triplex ex triplici modo repugnandi fidei: *Paganismus* scilicèt, *Judaismus*, & *Hæresis. D. Thom.* 2. 2. *q.* 10. *art.* 5. *Suarez de Fide, D.* 16. *sect.* 5. *n.* 8. *Castropal. tr.* 4. *D.* 2. *p.* 1. *n.* 8. *Atheismus*, qui nullum Deum recognoscit, reducitur ad Paganismum, quia utrumque Testamentum negat. *Apostasia*, per quam quis in totum deficit à fide, ad hæresim reducitur. Paganismus est error fidei nondum susceptæ repugnans. Sic Gentiles, & Pagani, qui non sunt baptizati negant veritates, & Mysteria veteris, & novi Testamenti. Huc reducuntur Sarraceni, sic dicti à

Sa-

Sara uxore Abrahæ, à qua originem se trahere fingunt, cum ipsi ab Agar ejus serva descendant, ac proindè Agareni debent vocari. *L.* 1. *tit.* 25. *p.* 7. ibi: *Sarracenus en latin, tanto quiere decir en romance, como Moro; é tomó este nome de Sara, que fue muger libre de Abrahán, como quier que el linage de los Moros non descendiesse de ella, mas de Agár, que fue servienta de Abrahán.* Hi Alcorano impii Mahumeti obstinatissimè adhærent. Tales sunt Mauri, Turcæ, Arabes, &c. eorum templa *Mezquita* appellamus. *L.* 1. *tit.* 25. *p.* 7. Duplex eorum est Secta. Alii enim nec novo, nec veteri Testámento credunt; alii admittunt quinque libros Moysis, & Samaritani nuncupantur. Judaismus est error fidei in typo susceptæ repugnans. Si Judæi (sumpta hac voce non solum pro Natione descendente à Tribu Juda, sed etiam per Secta) solùm veteri Testamento adhærent, quin credant Christum venisse, sed sperant ipsum venturum. Umbram adorant, scilicèt Legem veterem: sed corpus contemnunt, scilicèt mysteria novi Testamenti, quorum erant umbra, & figura præcepta cæremonialia, & judicialia antiqua. *L.* 1. *tit.* 24. *p.* 7. ibi: *Judío es dicho aquel, que cree, é tiene la Ley de Moysén, segun suena la letra de ella, è que se circuncida, é face las otras cosas, que manda su Ley; é tomó este nome del Tribu de Judá, que fue mas noble, é mas esforzado que los otros Tribus.* Et ut ibidem notat *Gregor. Lop.* etiam dicuntur Hebræi ab Heber, cujus familia cultum tenuit unius Dei, cæteris idolatria fœdatis.

70 Jure Naturali, & Divino est prohibitum fidelibus communicare cum infidelibus in suis sacrificiis, orationibus, culto superstitioso, aliisque ritibus: quia hæc omnia intrinsecè sunt mala, nec aliqua ratione possunt cohonestari, potest tamen fidelis Judæorum Synagogas, & templa Gentilium ingredi, ut videat extructuram, & eorum ornatum: dum non ingrediatur tempore, quo suas cæremonias, ac superstitiones exercent. Et fine bono; v. g. ad eorum ritos confutandos, potest quis ingredi. Si tamen ex vana curiositate, quis ingrediatur, ut eorum cæremonias videat, si absit scandalum, & perversionis periculum, tantùm erit peccatum veniale. *Sanchez in Decal. l.* 2. *cap.* 31. *num.* 18. Quamvis non possit Christianus azymis Judæorum etiam seorsim ab eis vesci, quatenùs talis panis est cibus Judæorum discretivus, *cap.* 8. 32. *q.* 4. Potest tamen quis eis vesci in necessitate, quatenùs est simplex panis. Sicut etiam potest vesci idolothitis, seu cibis consecratis idolis. *Gloss. in cap.* 8. 32. *q.* 4. V. *Famæ.* Nullus potest, Jure Divino repugnante, Judæum, vel Infidelem ad Sacramentorum participationem admittere: quia cum non sit baptizatus, est eorum incapax. Nec ad sacrificium Missæ potest admitti, ex prohibitione Juris, nisi ad Missam Cathecumenorum, *cap.* 67. *de Consecr. D.* 1. vel nisi specialis fructus speraretur.

71 Nec licèt Christianis cohabitare Judæis, *cap.* 13. 28. *q.* 1. *cap.* 5. *h. t.* nec ad eorum convivia accedere, *cap.* 14. 28. *q.* 1. nec ludos, nuptias, aut choreas eorum adire. *Sanch. in Decal. L.* 2. *cap.* 31. *n.* 17. apud Judæum cauponem, vel cum alio Judæo in idem hospitium concurrente, licitè potest Christianus vesci. Nec uti eodem balneo simul, hoc est eodem tempore cum ipsis, possunt Christiani: nec item Medicos, nec Chirurgos Judæos, nec medicamenta ab ipsis præparata adhibere, *cap.* 5. *h. t.* Potest tamen quis à Judæo medicinas emere, dum illas ipse non præparet, vel saltem non applicet: Christianus tamen potest Judæis medicinam, etiam extra casum necessitatis applicare: cum hoc nunquam reperiatur prohibitum, ut tenent *Castrop. tr.* 4. *D.* 2. *p.* 9. *n.* 11. contra *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 31. *n.* 10. Christianus non potest Judæo servire, *cap.* 5. *cap.* 8. *h. t.* tùm propter familiaritatem vitandam, tùm maximè, quia non decet contra Apostoli dictum, quod filii liberæ quales sunt Christiani, serviant filiis ancillæ, ut sunt Judæi, *cap.* 13. *h. t.* Nec Judæis permittitur mancipia, & servos Christianos habere, *cap.* 1. *cap.* 5. *cap. fin. h. t.* possunt tamen adscriptitios, & originarios fundo adscriptos habere, quia hi non sunt propriè servi, *cap.* 2. *h. t.* Licet tamen Christianis suas operas, suasque res, ut animalia, currus, &c. Judeis locare; *arg. cap.* 2. *h. t.* Etiam prohibitum est Christianis famulos Judæos habere domesticos, & familiares ob perversionis periculum, *cap.* 8. *h. t.* Nec possunt Judæi ad suos liberos lactandos habere nutrices Christianas, nec in domibus eorum, ut frequentèr accidit, *cap.* 8. *h. t.* nec extra domus, *ex Const. Paul. IV. Cum enim.* Et *Greg. XIII. Antiqua*, nisi familiaritas cum eis cesset, vel tales liberi sint orphani. *Gonz. in capit.* 8. *h. t.* Casus, in quibus communicatio

cum

cum Judæis prohibetur, referuntur in *L.* 8. *tit.* 24. *p.* 7.

72 Prohibitio communicandi in casibus prædictis cessat, si aliqua necessitas adsit; v. g. quia alius Medicus æque peritus non invenitur. Et licet quando nimia, & continua familiaritas datur erit peccatum grave cum Judæis communicare ob perversionis periculum, non tamen si semel, vel iterum cum eis communicetur, aliqua justa causa excusante. Cum aliis verò Paganis, & Gentilibus impunè possunt Christiani communicare; quia non sunt adeò odibiles, & obstinati, ac Judæi, exceptis casibus habitationis, & convivii, quos comprehendit decisio. *Text. in cap.* 5. *h. t.* Sed cum sit odiosa non debet extra prædictos casus intelligi. Judæi non facile debent inter Christianos permitti, ne ex communicatione cum ipsis, & ob mala illorum exempla, scandala, blasphemias, & alia vitia Christi grex corrumpatur juxta illud: *Una mala pecus inficit omne pecus.* Et ideò ab omnibus Hispaniæ Regnis expulsi sunt, possunt tamen à Principibus Christianis in suis Regnis permitti; *arg. cap.* 9. *h. t. L.* 6. *C. de Paganis.* Exemplo. R. Pontificis, qui eos Romæ permittit commorari. *Pignat. tom.* 5. *cons.* 14. *num.* 71.

73 Synagogæ antiquæ ipsis permittuntur, & suorum Rituum exercitium, dum nihil in fidei contemptum faciant, *cap.* 9. *h. t.* Et si collabantur possunt ad pristinam formam, non autem augustiorem reparari: non tamen possunt novæ construi, imò nec antiquæ funditus eversæ possunt extrui, *cap.* 3. *cap.* 7. *h. t. L. fin. C. eod. L.* 4. *tit.* 24. *p.* 7. Nec Architectis, vel fabris Christianis licèt ædificare, vel reparare Synagogas Judæorum, vel Templa Paganorum, nec vendere ligna, & alia materialia, ut construantur: quia hoc esset cooperari ad Rituum Judaicorum observationem. *Div. Thom.* 2. 2. *q.* 169. *art.* 2. *ad* 4. Templa Paganorum claudi, & destrui juventur *in L.* 1. *C. de Pagag.* nam eorum Ritus nullam Christianis utillitatem afferunt.

74 Judæi inter Christianos commorantes, & Principibus Christianis subjecti non possunt fungi officio publico, nec jurisdictione uti, adeò ut etiam quando ipsi sunt rei, debent coram Judice Ordinario Christiano, & secundum illius Principis jura judicari, *cap.* 16. *h. t. L.* 8. *C. eod. L.* 5. *tit.* 24. *p.* 7. & sic practicatur in his Insulis cum sinis infidelibus. *Vulgo Sangleyes.* Hi enim habet Judicem Ordinarium Hispanum, qui dicitur: *Alcalde del Parian*, & alium, quasi Judicem pedaneum Nationis ipsorum, Christianum tamen. *L.* 6. *tit.* 18. *lib.* 6. *R. Ind.* Judæi, vel Sarraceni habitu debent à Christianis distingui, & habitatione separari, *cap.* 15. *h. t. L. fin. tit.* 24. *p.* 7. ibi: *Que traygan alguna señal cierta sobre sus cabezas*, & sic Romæ servatur, & alibi cum Judæis. Et in his insulis cum finis: nam Christiani galero utuntur, comam in capite nutriunt, infideles autem non utuntur galero, sed rasum habent caput, in medio ejus quadam quasi tænia capillari relicta. Judæi, & alii infideles non possunt hæredes institui à Christianis, etiam consanguineis, & fratribus, nec aliquid ex eorum testamentis, nisi in casu necessitatis, saltem gravis, percipere, *cap.* 5. *cap.* 6. *de Hæretic.* In nostra Hispania non potest hæres institui Judæus, nec Maurus; quod si instituantur, hæreditas ad proximos testatoris propinquos devoluitur. *L. fin. t.* 7. *p.* 6. *& ibid. Gregor. Lop.* Nequeunt Judæi ostia, vel fenestras apertas habere in die Parasceves, seu die Veneris Sancto, *cap.* 4. *h. t.* imò prohibentur tota illa hebdomada in publicum prodire, *cap.* 15. *h. t.* ne Christianos irrideant in creatoris contumeliam. *L.* 2. *tit.* 24. *p.* 7.

75 Quando Judæi permittuntur inter Christianos commorari, non sunt in suorum festorum celebratione, nec in suis legitimis consuetudinibus injustè perturbandi, dum nihil faciant in fidei opprobrium, *cap.* 9. *h. t.* Sicque possunt sua Sabbata celebrare, & illo tempore non debent impediri, nec in jus vocari. *L.* 2. *L.* 11. *C. h. t. L.* 5. *tit.* 24. *p.* 7. nec cæmeteria eorum sunt invadenda, nec eorum cadavera debent exhumari, *cap.* 9. *h. t.* Judæi legitimè inter Christianos recepti Jure Civium fruuntur, de suisque bonis liberè disponere valent, & quoscumque contractus, etiam cum Christianis celebrare. *Azor Inst. Moral. p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 22. *q.* 4. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 31. *n.* 23. nec ab eis servitia coacta, præter consueta, debent injustè extorqueri, *cap.* 9. *h. t.* Judæi, vel alii infideles conversi non sunt privandi suis bonis, & possessionibus: ne hoc modo deterreantur à nostra fide amplexanda, ne sint pejoris, cum melioris conditionis debeant esse, quam non conversi, *cap.* 5. *h. t. L.* 6. *tit.* 24. *p.* 7. Ideòque suis parentibus, vel cognatis succedere debent, juxta

Le-

Legem suam, scilicèt Mosaycam, non juxta Jus Commune. Vid. *Gregor. Lopez in L. 6. tit. 24. p. 7. V. Como si fuesen Judios. Barb. in cap. 5. h. t. n. 6.* In his Insulis plura privilegia, & exemptiones concedunt nostri Catholici Reges sinis, & aliis Gentilibus ad fidem conversis, ut sic cæteri alliciantur veram salutis viam sequi, & præcipuè per decem annos à tributis eximuntur. *L. 2. tit. 5. lib. 6. R. Ind.* & idem de sinis conversis disponitur in *L. 7. tit. 18. lib. 6. R. Ind.* & ipsis permittitur commercium, intra confinia tamen Manilæ, quin pro licentia sic nundinandi, eis aliqua gabella imponatur. *L. 3. tit. 18. lib. 6. R. Ind.* & aliis pluribus privilegiis, ac honoribus ad conversionem Gentiles alliciuntur.

76 Judæi, nec alii infideles possunt directè cogi inviti suscipere baptismum, *cap. 9. h. t. cap. 3. §. Item quæritur, de Baptism. L. 6. tit. 24. p. 7. cap. 5. D. 45.* ibi: *De Judæis autem præcipit Sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri: cujus enim vult Deus miseretur, & quem vult indurat: non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ: sicut enim homo proprii arbitrii voluntate serpenti obediens periit, sic vocante se gratia Dei propriæ mentis conversione, homo quisque credendo salvatur. Ergo non vi, sed liberè arbitrii facultate, ut convertantur suadendi sunt; non potius impellendi. D. Ambros. Serm. 13. in Psalm. 118. D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 8. Suar. de Fide, D. 18. sect. 3. q. 4. Barbos. & Gonz. in cap. 9. h. t.* Nam Principes Sæculares, cum careant potestate supernaturali, solùm habent potestatem politicam ad finem naturalem ordinatam, scilicèt ad promovendam pacem, & felicitatem Reipublicæ: nec Ecclesia potest suam jurisdictionem, & potestatem in infideles exercere, *cap. 8. de Divort. Paul. 1. ad Cor. 5. v. 12.* ibi: *Quid mihi de his, qui foris sunt, judicare?* Hinc est quod licet infideles teneantur Jure Divino, & Naturali fidem amplecti, & coacti, ut baptismum reciperent, cederet in maximam eorum utilitatem, adhuc Ecclesia, vel Principes ex defectu legitimæ potestatis injuriam ipsis in tali coactione inferrent. Et non est faciendum malum ut eveniat bonum. Nec flagellis, exilio, vel alia pœna sunt afficiendi infideles eo quod nolint baptismum recipere, sicut fecit Sisebutus nostræ Hispaniæ Rex, qui Judæos baptizari renuentes, confiscatione bonorum, exilio, & aliis pœnis mulctavit: ex bono quidem Religionis zelo, & ideò Religiosissimus Princeps appellatur, in *cap. 5. D. 45.* Indiscreto tamen: & ideò tale factum fuit improbatum à Concilio Toletano, in *cap. 5. D. 45. Gonz. in cap. 9. h. t. n. 8.*

77 Possunt tamen infideles indirectè compelli in Ecclesiam intrare, propositis, scilicèt, præmiis, privilegiis, honoribus, & exemptionibus cuicumque se ad fidem convertat. Sic *Gregorius Januario in cap. 4. 23. q. 3.* præcipit, ut subditum quemcumque suum infidelem tanto pensionis onere gravet, ut ipsa exactionis suæ pœna compellatur ad rectitudinem (veræ fidei) festinare. Et sic potest intelligi illud Christi Domini *Compelle intrare*: vel si hoc ad compulsionem directam intelligatur, solùm de hæreticis est intelligendum cum August. quia cum in eos habeat Ecclesia jurisdictionem, siquidem illius subditi sunt, possunt, debentque directè compelli. Et ideò Cœlicolæ, quia baptizati erant, teste Augustino, sicut alii Hæretici, poterant cogi, veram fidem reasumere. *L. 12. C. h. t.* In nostra Hispania non permittuntur Judæi habitare postquàm à nostro Rege Ferdinando V. qui verè catholici nomen promeruit, fuerunt expulsi, anno 1492. cum maximo omnium Nationum plausu, & posteà ann. 1610. à nostro Philippo III. fuerunt ejecti à nostra Hispania omnes descendentes Maurorum, *Hispanè: Moriscos. L. fin. tit. 2. lib. 8. R. C.* & quamvis in utroque casu maxima damna temporalia nostrum Regnum sustinuit, prævaluit tamen in nostrorum Principum zelo bonum Religionis, & desiderium vitandi periculum perversionis Christianorum, omnibus aliis commodis temporalibus: nam quilibet Princeps potest Judæos expellere à suo Regno, quando crimina committendo, privilegiis, & gratia abutuntur: quamvis non deceat Principes expellere pro arbitrio, & sine causa Judæos legitimè receptos, dum honeste vivunt. *Barb. in cap. 9. h. t. n. 4.*

78 Papa, vel Princeps Sæcularis potest cogere infideles suo dominio temporali subjectos, ut verbum Dei, & Evangelium audiant, ut contra *Salmeron, tom. 12. tr. 38. in Evang.* & alios tenent *Suar. de Fid. D. 18. sect. 2. n. 3. & comm. DD.* Et sic reservatur Romæ, & in aliis Italiæ Civitatibus, ubi Judæi obligantur certo die in Ecclesia convenire ad audiendum verbum Dei, ex Const. *Greg. XIII.* & nostri

Catholici Reges in variis legibus Indiarum nihil magis cordi habent, quamquod Indi in fide Catholica instruantur. Et in *C.* 15. *tit.* 1. *lib.* 1. *R. Indiar.* jubent, quod quicumque habeat in suo servicio Indos infideles, quotidiè eos mittat in Ecclesiam, ut ibidem per unam horam audiant Catechismum: quod si eorum Dominus Indos infideles impediat, eorum servitio privetur. Infideles, qui adhuc non sunt sub dominio temporali Pontificis, vel alterius Principis Christiani, non possunt cogi prædicationem audire, cum ad hoc jurisdictione careant, tàm Pontifex, quàm Principes Sæculares.

79 Principe Christiano licere fœdus inire cum Sarracenis, vel aliis Paganis, eosque in auxilium advocare ad bellum justum contra alios Principes Catholicos promovendum, tenent *Abb. in cap.* 8. *de Vot. n.* 15. *Farinac. in Prax. Crim. q.* 125. *n.* 90. contra alios. Dicendum tamen est, quod licèt speculativè loquendo, hoc possit fieri, quia nullibi prohibetur; imò Abraham fœdus iniit cum Abner, Manbre, & aliis infidelibus, David, & Salomon, cum Hiram Gentili, & Machabæi cum Romanis: & posset Princeps infidelium auxilio uti, sicut solet uti ministerio elephantum, vel equorum, in praxi tamen periculosum est eorum auxilium contra Christianos implorare ob maxima scandala, vitia, peccata, contumelias, & injurias, quæ in contemptum veræ fidei solent ab eis perpetrari. Et ideò in Scriptura talia fœdera cum Paganis prohibentur. *Exod.* 23. *v.* 32. *Et Paul.* 2. *Cor.* 6. *v.* 14. ait; *Nolite jugum ducere cum infidelibus, &c. quæ conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli?* Si verò Princeps Christianus non habeat aliud auxilium, quo possit juvari, potest infideles in sui auxilium ad bellum justum, etiam offensivum accersere. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 31. *n.* 24. *Abbas, Farinac. Molina, Valent. Bañez, & alii.*

80 Semper, etiam tempore pacis, prohibetur sub censura, deferre arma, aliaque instrumenta bellica ad Sarracenos, Hæreticos, & alios infideles, ne nostris subsidiis nobis bellum moveant, *cap.* 6. *cap.* 11. *cap.* 17. *h. t. Bull. Cœn. cas.* 7. Et Jure Civili tales capite puniuntur, & confiscatione bonorum. *L. fin. C. Quæ res exportari.* Et in nostra Hispania, qui arma infidelibus deferebant, fiebant servi cujuscumque ipsos caperet, & eorum bona fisco applicabantur. *L.* 4. *tit.* 21. *p.* 4. Hodie hoc delictum pertinet ad Inquisitores. *Bobad. Polit. lib.* 2. *cap.* 17. *n.* 69. *Caren. de Offic. Inquisit. p.* 2. *tit.* 17. §. 20. Tempore belli inter Christianos, & Infideles omne commercium prohibetur sub censura in Bulla Cœnæ Pontifici reservata, ne hac occasione Christianorum, arcana ipsis prodantur, *cap.* 12. *h. t.* Imò, & tempore treugæ, seu induciarum, *capit.* 11. *h. t.* sub eadem censura prohibetur, certiores facere infideles, vel hæreticos de rebus ad Rempublicam Christianam concernentibus, vel auxilium, favorem, vel Consilium in Christianorum præjudicium præstare, etiam non secuto consilii effectu: & etiamsi infidelis ante tale consilium, jam sit paratus ad inferendum damnum Christianis. Ut contra *Bonacin.* tenent *Ugolin. ad Bull. Cœn. cap.* 4. §. 2. *Corr. idea cons. D.* 6. *& alii.* Qui gravi metu coacti auxilium præstant infidelibus, vel hæreticis contra Catholicos non incurrunt censuram: nam hoc ex benignitate Ecclesiæ præsumitur; imò si tantum materialitèr, & remotè cooperentur, ut remiges; v. g. nec peccatum quidem committunt, nam charitas non obligat cum tanto periculo proprio, præcipue si non est probabile, posse damnum proximè vitari.

81 Judæi, si delinquant, debent puniri à Principe Sæculari, & ejus Magistratibus, in cujus territorio sunt, *cap.* 14. *h. t.* possuntque à Regno expelli, & pœna capitis puniri. Si verò delictum cedat in nostræ Religionis contemptum, ab Ecclesia, & Inquisitoribus possunt puniri ex Constitutione *Antiqua* 70. *Gregor. XIII.* non tamen censura Ecclesiastica: quia non sunt membra Ecclesiæ, possunt tamen hoc modo puniri indirectè, privando Christianos communicatione cum Judæis, *cap.* 14. *h. t.* idem sentiendum de eo, qui malitiosè se gerit pro Christiano, cum baptizatus non sit. Crimina Christianorum, qui Ritus Judæorum exercent, & sunt Judaizantes, & similitèr Judæorum, vel Sarracenorum crimina, qui baptismum validè, licet inviti, & coacti receperunt, si posteà, ad suam perfidiam revertantur, privativè pertinent ad Inquisitores, qui in ipsos, & eorum fautores, defensores, & receptatores paripassu, ac contra hæreticos, procedunt ex *Constitut. Clem. IV. Gregor. X. Nicol. IV. Greg. X. Paul. III.* Judæos, qui consentiens baptizatus est, invalidè tamen ex defectu

ma-

materiæ, formæ, vel intentionis Ministri, & etiam, qui fictè baptismum suscepit, cum ab Ecclesia baptizatus præsumitur, ab ipsa pœnis apostatarum, vel hæreticorum potest puniri, si deficiat à fide. Imò debere sic puniri, qui credit, se baptizatum, etiamsi de invaliditate baptismi posteà constet Ecclesiæ, tenent *Farinac. in Praxi Crim. q.* 178. *num.* 135. *Dian. p.* 4. *tr.* 8. *res.* 78. *Gonz. in cap.* 4. *de Apost. n.* 4. Dicendum tamen est, ipsum, ut hæreticum, etiamsi à fide resiliat, non posse ab Ecclesia puniri, quia talis cum non sit per januam baptismi in Ecclesiam ingressus, non est subditus Ecclesiæ, ac proindè, nec ab ea puniri valet; *Suarez de Cens. D.* 21. *sect.* 2. *num.* 4. *Sanch. in Decal. L.* 2. *cap.* 7. *n.* 34. & alii Cathecumeni, licet extraordinariè possint ab Ecclesia puniri, propter injuriam, quam ipsi faciunt, ritus damnatos exercendo, non tamen possunt, ut hæretici puniri, cum adhuc non sint in Ecclesiam ingressi.

TIT. VII.

De Hæreticis.

82 NOmen *hæresis* non erat apud antiquos, & in sua primaria significatione adeò odiosum sicut est hodie: nam quælibet particularis alicujus Scholæ opinio dicebatur hæresis. Sic dicebatur hæresis Peripateticorum, vel Stoicorum illorum doctrina, vel secta, à quodam verbo Græco, quod eligere significabat. Sic qui aliquam opinionem in materia fidei distinctam ab Ecclesiæ doctrina eligebant, Hæretici dicebantur, teste *D. Hieronym. in cap.* 27. 24. *q.* 3. nam suum particulare dictamen sequentes à recta via veræ doctrinæ divertebant. Ideò noster Sapientissimus Alphonsus *in L.* 1. *tit.* 26. *p.* 7. ait; *Hæresis en Latin, tanto quiere decir en romance, como departimiento; é tomó de aquí este nome Herege, porque el Herege es departido de la Fe Catholica de los Christianos.* Et sic communiter definitur: *Hæresis est error intellectus liber, & pertinax contra fidem in eo, qui fidem susceperat, ex D. Aug.* contra *Faust. D. Thom.* 2. 2. *q.* 11. *art.* 1. *Suar. de Fid. D.* 19. *sect.* 1. *n.* 5. *& sect.* 3. *n.* 8. Et expressè habetur *in L.* 1. *tit.* 3. *lib.* 8. *R. C.* ibi: *Herege es todo aquel, que es Christiano bautizado, y no cree los Artículos de la Santa Fe Catholica, ó algunos de ellos.* Quando tantùm datur error intellectus, deest tamen pertinacia, quia fortè ex simplicitate, vel etiam ex positiva sinistra informatione errat quis circa fidem, est hæresis tantùm materialis. Si præter errorem intellectus, detur pertinatia voluntatis in ejus assensu, erit hæresis formalis: in hac enim pertinatia stat formalis malitia hæresis. *cap.* 29. 24. *q.* 3. *cap.* 31. 24. *q.* 3. *Cl. un.* §. *Porrò, de Sum. Trin. L.* 2. *tit.* 26. *p.* 7. ibi: *E si por aventura non se quisieren quitar de su porfia, debenlos judgar por Hereges.* Consistitque in eo, quod quis postquam cognoscit aliquam veritatem, quantumvis minimam, esse definitam ab Ecclesia, eam neget etiam per unicum momentum: siquidem malitia pertinatiæ non stat in duratione temporis, sed in eo, quod quis suum judicium præferat definitioni Ecclesiæ. *Sanch. in Decal. L.* 7. *cap.* 7. *à n.* 2. *Vasq.* 12. *D.* 126. *n.* 6. Debetque quis existimare, se contravenire doctrinæ Ecclesiæ, ut contumax, & hæreticus credatur: nam qui Episcopo; v. g. vel inquisitori non credit, etiam in materia fidei, si tamen paratus sit suum errorem deponere, si ab Ecclesia corrigatur, non est hæreticus. *Canus de Locis Theol. L.* 12. *cap.* 9. *Vasq.* 12. *q.* 76. *art.* 3. *D.* 226. *cap.* 3. *n.* 7. *Sanchez in Decal. L.* 2. *cap.* 7. *n.* 25. Quando error exprimitur verbis, vel aliis signis, vel facto ipso, dicitur hæresis externa, si mente tantùm retinetur, quin aliquo externo signo prodatur, dicitur hæresis mentalis, vel interna. Qui verbis, vel factis aliquid exprimit contra fidem, animo tamen fidem retinet, non est hæreticus coram Deo, nec pœnas Hæreticorum in conscientia incurret, qui non habet dissensum voluntarium revelationi Divinæ repugnantem: in foro tamen externo hæreticus præsumitur, & ut talis punitur. *Suar. de Fide, D.* 14. *sect. ult. num.* 5. *Navarr. in Man. cap.* 17. *num.* 56. *& alii.*

83 Qui errat in fide ex ignorantia, etiam vincibili, culpabili, crassa, & affectata, non est hæreticus formalis; nam ad hæresim incurrendam est necessarium, quod quis sciens, & prudens voluntariè, & pertinaciter errorem teneat. *Cl. un.* §. *Porrò, de Sum. Trinit.* ibi: *Qui asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit. Et qui ignorat, etiam culpabiliter, non pertinaciter tenent. Suar. de Fid. D.* 19. *sect.* 3. *à n.* 9. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 7. *ex n.* 20. *Sot. in* 4. *D.* 22. *q.* 2. *art.* 3.

Lop. & alii. Qui verò ex contemptu authoritatis Ecclesiæ ignorantiam affectat studiosè, non indagando: hic authoritatem Ecclesiæ contemnendo, pertinacitèr errat, nec est paratus suum judicium Ecclesiæ subjicere. *Sanch. in Decal. L. 2. cap. 7. n. 23.* Deindè: ille qui inter Hæreticos natus, & educatus nihil de nostra fide, vel tantùm falsa audivit, & dubitat de fidei articulis, non est hæreticus, nisi materialitèr, quia cum non sit benè instructus, potius ex ignorantia, quam ex pertinacia peccat. Hinc, qui negativè dubitat de aliquo fidei articulo, omne judicium suspendendo, neque assentiendo, neque dissentiendo objecto, non est hæreticus, quia cum judicium non habeat circa fidei articulum, nec errorem potest habere. Hæreticus verò est, qui positivè dubitat de aliquo fidei articulo, credendo, vel affirmando, illum esse dubium, etiam postquam sufficientèr est propositus, juxta textum *in cap. 1. h. t. Dubius in fide infidelis est, cap. 1. de Sum. Trinit. Cl. un. §. Porrò eod.* quia non potest quis salvus fieri, nisi fidelitèr, firmitèrque crediderit; juxta *symbolum S. Athanasii.* Et unum ex præcipuis fundamentis nostræ Religionis est credere, fidem esse infallibilem, juxta *Apost. Jacob. in Epist. Cath. cap. 1. v. 6. in fide nihil hæsitans.* Quomodo enim firmitèr credet qui dubitat? Quomodo, qui dubius est, potest dici, nihil hæsitans in fide? *D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 5. & q. 11. art. 1. Suar. de Fide, D. 19. sect. 4. n. 10. Barbos. & Gonz. in cap. 1. h. t.* Nec est hæreticus ille, qui errat involuntariè, & indeliberatè, circa res fidei, multoque minùs, qui invitus patitur tentationes, quia sine libera electione voluntatis nequit procedere dissensus circa fidem, sicut sine pio voluntatis affectu nequit oriri assensus erga illam.

84 Qui nondum est baptizatus, etiamsi cathecumenus sit, si teneat, etiam pertinacitèr, errorem contra fidem, non potest ab Ecclesia, ut Hæreticus puniri: siquidem adhuc non est ingressus in Ecclesiam per januam baptismi, ac proindè adhuc non subest illius jurisdictioni, *cap. 8. de Divort. Trid. sess. 14. de Pœnit. cap. 2. Suar. de Cens. D. 21. sect. 2. num. 4.* Nec est Hæreticus, qui negat conclusionem Theologicam: qui scilicèt, duabus præmissis propositis, altera de fide, alia naturalitèr evidenti, negat consequentiam legitimè illatam; v. g. qui negat, Christum esse risibilem, quæ conclusio infertur ex eo, quod Christus sit homo, & omnis homo sit risibilis; nam licet non credatur, negare propositionem naturalitèr evidentem, neque illationem legitimam conclusionis, ac proindè propositionem de fide censeatur negare; absolutè tamen potest ab hæresi excusari, vel quia neget universalitatem propositionis evidentis, vel quia non capiat vim illationis, consequentèrque nihil neget à Deo relevatum. *Suar. de Fide, D. 19. sect. ult. ex num. 3. Sanch. in Decal. L. 2. cap. 7. n. 33. & alii. Contra Canon. L. 12. de Locis. cap. 9. Valent. 2. 2. q. 11. p. 1. & alios.* Qui revelationi privatæ sufficientèr propositæ dissentit est verè Hæreticus coram Deo, quia Divinæ authoritati revelanti non credit, non tamen incurrit excommunicationem, & alias pœnas Hæreticorum: cum de tali revelatione, aliis constare non possit. *Suar. de Fid. D. 19. sect. 5. num. 11.*

85 Ut periculum hæresis disseminandæ arceatur, prohibentur conventicula occulta, maximè ubi viget hæresis, vel ejus suspicio timètur. *Text. in cap. 12. cap. 13. h. t. L. 5. C. de His, qui ad Eccl. confug.* Disputatio cum hæreticis regularitèr est prohibita, non tantùm Laicis, sed etiam Clericis, *cap. 36. 24. q. 3.* non solùm indoctis; nam hi non possent errorem confutare, sed potius errandi periculo se exponerent; sed nec doctis quidem; nam sæpè nulla spes conversionis effulget, sed potius perturbatio pacis timetur ob indurationem, & obstinationem Hæreticorum: imò scandalum simplicioribus posset generari, si coram ipsis institueretur disputatio, & vim argumentorum perciperent, & non adeò facilè eorum solutionem callerent, & sic in fide titubarent. Si hoc periculum non timeatur, spesque conversionis Hæreticorum affulgeat, licèt Clericis sufficientèr instructis: imò, & Laicis cum Hæreticis disputare, eorumque confutare errores: imò tenerentur Religionem, & veram fidem defendere, se illis opponendo, si vellent suis erroribus simpliciores irretire. *Sanch. in Decalog. L. 2. cap. 6. num. 12.*

86 Laicis non solùm prohibetur verbum Divinum prædicare, *cap. 19. D. 23. cap. 12. h. t. cap. 13. §. Quia verò, eod. in 6.* Si quidem Christus D. tantùm Discipulis, & præcipuè Apostolis hoc munus commissit. *Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 15. Act. 13. v. 2.* Sed etiam sub excom-

communicationis pœna, per sententiam inferendæ, prohibentur publicè, vel privatim de fide disputare, *cap.* 2. §. 1. *h. t. in* 6. quæ constitutio, cum generalis sit, etiam Laicos, aliàs doctos, comprehendit. Non tamen ipsis prohibetur disputatio materialis fidei, inter fideles exercitii tantùm causa, imò in Germania, & ubi permixti sunt cum Hæreticis possunt Laici benè instructi, cum Hæreticis impunè disputare; siquidem ibi non est recepta saltem cum tanto rigore constitutio *text. in cap.* 2. §. 1. *h. t. in* 6.

87 Jure Divino prohibetur Catholicis communicare cum Hæreticis. 1. Si Catholico ex tali communicatione animæ periculum immineat. 2. Si sequatur grave apud Catholicos scandalum ex tali communicatione, quasi errores Hæreticorum facto, vel signo aprobentur. 3. Si in Hæresis crimine, obquam fuit hæreticus excommunicatus communicet Catholicus; cum, qua hæreticum defendendo, occultando, &c. Extra hos casus, etiamsi hæretici notorii sint, dum tamen non sunt expressè, & in particulari denuntiati, non sunt vitandi, nec communicatio cum eis est prohibita. Catholici præcipuè in Germania, Anglia, & ubi sunt cum hæreticis permixti licitè cum hæreticis commercia ineunt, possuntque eorum conciones audire ex juxta causa; v. g. ad eorum errores notandos, & confutandos, vel si famulus Dominum comittetur; cum eis orare, funusque comitari, eosque ad sepulturam deducere licet: nam animo favendi hæreticis, quia hoc intrinsecè malum est, sed sola amicitia, & humanitate; nam si vivis communicare licet, etiam mortuis licet communicare, dummodo hæretici in loco profano sepeliantur, & nullum scandalum, vel causa offensionis Catholicis sequatur, nec in ritibus, & cæremoniis hæreticorum communicemus. Etiam licitum est hæreticorum templa adire, & ibi orare ritu Catholico: etiam licet Catholico filium hæretici ex baptismo suscipere, si more, & ritu Catholico ministretur; secus si ritu hæretico: non tamen licet, vice versa, quod Catholicus adhibeat hæreticum in sui filii patrinum: quia cum patrini officium sit instruere baptizatum in fidei primis rudumentis, hoc hæreticus facere nequit. Nec filiis Catholicorum adire licet hæreticorum scholas, ob perversionis periculum. E contra tamen filii hæreticorum possunt utique ad Catholicorum Scholas admitti, ut ibi in fide, & bonis moribus instruantur. Et licet sub certis limitationibus aliquando possit permitti: regularitèr tamen non est licitum Catholicis cum hæreticis matrimonium contrahere, *c.* 15. *cap.* 16. 28. *q.* 1. Ob perversionis periculum, & quia scandalum oriretur: Si tamen defacto contrahatur, validum erit matrimonium. Nec licet Catholicis Sacramenta, à Parochis, & Episcopis hæreticis recipere extra casum necessitatis saltem si ex tali receptione perversio, vel scandalum timeatur, vel ritu hæretico ministrentur. Vid. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 9. *& alios latius de his pertractantes.*

88 Sæpè sæpius est prohibitum, & merito quidem, libros hæreticorum, sivè impressos, sivè manuscriptos, tractanctes de religione, vel hæresim continentes, etiamsi non ex instituto de religione tractent, sed incidentèr, dum tamen hæreticum dogma contineant, legere, illos imprimere, imò, & retinere, sivè proprio, sivè alieno nomine, sivè in domo propria, sivè aliena, sivè causa hæresis propagandæ, sivè curiositatis, venditionis, vel alio quocumque fine: vel defendere, vel alitèr cooperari immediatè ad eorum impressionem, vel publicationem. *L.* 8. §. *fin. L.* 16. §. *fin. C. de Hærit. cap.* 4. *h. t. Trid. sess.* 4. Et hodie excommunicatio in *Bulla Cœnæ, casu.* 1. Contra tales, est reservata: tum ob hæreticorum odium: tum, & præcipuè, ne incauti tali perversa, & erronea doctrina, quæ sæpè, ut anguis latet in herba, pervertantur. *Barbos. & Gonzal. in cap.* 4. *h. t.* Non comprehenduntur in talis prohibitionis excommunicatione, Paganorum, vel Infidelium libri, cum tales non sint hæretici. Nec libri Catholicorum, in quibus per ignorantiam Authoris, vel alicujus hæretici malitiam, aliqui errores inveniuntur: nec libri Magici, cum Magia hæresis non sit. *Suar. de Fid. D.* 20. *sect.* 2. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 10. *ex num.* 22. Nec excommunicationem incurrit, qui ignorat, librum esse hæretici, vel hæresim continere, licet ignorantia, sit crassa. Nam quamvis à delicto non excusat, excusat à pœna, ad quam contrahendam Bulla requirit scientiam: nisi ignorantia sit adeò crassa, ut possit dici temeritas. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 38.

Qui

89 Qui in libro hæretici plusquam paginam in folio legit, etiamsi ibi nulla hæresis inveniatur, vel si legat, vel præfationem, vel epistolam dedicatoriam, vel indicem libri, grave peccatum committit, & excommunicationem incurrit: quia hæc certè est materia gravis. Quænam verò sit censenda parva materia, ut à peccato, & excommunicatione excuset, non conveniunt DD. Hanc parvitatem usque ad integram paginam in folio extendunt *Sanch. in Decalog. lib. 2. cap. 10. & aliis.* Minorem tamen materiam sufficere ad peccatum, & excommunicationem asserunt *Suar. de Censur. D. 20. sect. 2. n. 20. Castropal. tract. 4. D. 2. p. 10. §. 2. n. 6. Bonac. de Cens. D. 2. q. 5. p. 4. num. 13. & alii.* Nec sufficit materialitèr librum legere, sed requiritur, quod legens sensum verborum intelligat, etiamsi ore non proferat, sed tantùm visu percurrat, vel etiam audiat alium legentem, saltem, si ipse legere mandavit: nam qui per alium legit, per se legere censetur. *Arg. c. 72. de Reg. jur. in 6. Suar. de Censur. D. 20. sect. 2. ex n. 18.*

90 Qui per breve tempus, scilicèt per unum, vel alterum diem, librum hæreticum retinet, ob parvitatem materiæ à peccato gravi, & excommunicatione liberatur. Similitèr dicendum est de eo, qui tantùm duo, vel tria folia retinet: nam hæc respectu retentionis est materia parva, licet notabilis sit respectu lactionis: nam gravius delictum est legere, quam retinere. Cum tamen excommunicatio, de qua loquimur, sit inflicta contra legentes, & retinentes libros hæreticorum, non censetur subjacere huic censuræ, qui legit, aut retinet epistolam, concionem, vel aliud scriptum paucorum foliorum, quod de religione tractet, vel hæresim contineat, quia cum nomine librorum communitèr non comprehendantur, non debet ad ea extendi constitutio, quæ utpotè odiosa restringenda est, non amplianda: etiamsi eadem ratio daretur in utroque casu. Sic *Sanch. in Decal. L. 2. cap. 10. n. 29. Castrop. tr. 4. D. 2. p. 10. §. 1. n. 5. Bonac. de Censur. D. 2. q. 5. p. 4. num. 18. & alii.* Hæc sententia, quæ speculativè satis probabilis est, in praxi tamen, ut animæ periculosa non est consulenda, sed potius contraria, quam defendunt. *Suarez de Censur. D. 20. sect. 2. n. 10. Urgolin. de Censur. p. 2. Farinac. in Pr. q. 180. & alii.*

91 Excommunicationem incurrit, etiam ille, qui ex bono fine retinet, & legit libros hæreticorum, ad impugnandum scilicèt errores in illis contentos: quia prohibitio Bullæ generalis est ex quavis causa, & quovis ingenio, vel colore. Et quamvis in hoc particulari cessaret ratio, non cessat in communi periculum perversionis multorum. *Suarez de Cens. D. 20. sect. 2. n. 21.* Si quis enim vult eorum errores impugnare, debet petere facultatem legendi, & retinendi tales libros, vel à R. Pontifice, vel ab Inquisitore Generali, vel ab aliis, qui hanc facultatem communicare possint. Hinc *Alex. VII.* hanc propositionem damnavit, quæ est ordine 45. *Libri prohibiti donec expurgentur possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.* Nec potest retineri liber prohibitus, etiam si quis authoritate propria propositionem in eo damnatam expungat. Nam adhuc prohibitus manet, sed est necessarium, quod talis expunctio fiat ab habente facultatem scilicèt, à Papa, vel à Tribunali Inquisitionis. *Sanch. in Decal. L. 2. cap. 10. n. 35.* imò nec sufficit propria authoritate libros comburere, vel in mare projicere, sed sub excommunicatione, & aliis pœnis sunt tradendi Tribunali Inquisitionis, ubi hoc viget, vel Ordinario, vel aliis ad hoc deputatis. Nec ipsi Inquisitores possunt legere libros hæreticorum, nec dare licentiam ad legendum, quia hoc spectat ad Inquisitorem Generalem. *Sanch. Dian. Alloz. V. Inquisitores, sect. 1. n. 8.* nisi hanc facultatem habeant.

92 Ut verò sciamus, quinam libri sint prohibiti, quoad nostram Hispaniam debet videri expurgatorium S. Inquisitionis editum *ann. 1707.* ubi *in Reg. 3.* Sic habetur: *Los libros de los Heresiarcas, de qualquier titulo, ó argumento, se prohiben del todo: los libros de los otros Hereges, que de proposito tratan de Religion, y puntos controversos de ella, se prohiben del todo: mas bien se permiten los que no tratan de ella, siendo primero examinados, y aprobados por Theologos pios, y doctos por nuestro mandado, como son muchos contenidos, y permitidos en la primera classe de este nuestro Catálogo. Et in Regul. 12.* dicitur: *Y se prohibe, y manda, que ninguno por su authoridad los quite, (los errores contra la Religion) ni borre, ni rasgue, ni queme los libros, papeles, ni folios, donde se hallaren; antes los manifieste todos á los Inquisidores.* Et licet de Jure Communi pos-

possint Episcopi fidei edicta proponere, vel etiam edicta promulgare libros prohibendos, & Theologica censura notando, *cap. 9. h. t. Trid. sess. 4. in Decret. de Edit. & usu Sac. Libror.* Hodie saltem in nostra Hispania, hæc potestas non est cumulativa, sed privativa Inquisitorum: undè jam Episcopi in his Regnis non possunt de hæresi cognoscere, nec fidei edicta proponere: quod ex privilegiis Apostolicis, & præcipuè ex praxi inconcussa, & inveterata constat. *Dian. in Sum.* V. *Jurisdict. Inquisitor. Alloza in Sum.* V. *Inquisitores, sect. 1. n. 2. Molina, & alii.*

93 Crimen hæresis est merè Ecclesiasticum, ac proindè ejus cognitio solum pertinet ad Judices Ecclesiasticos, *cap. 9. h. t. cap. 18. eod. in 6. L. 2. tit. 26. p. 7. & ibid. Greg. Lop. L. 1. tit. 3. lib. 8. R. C.* ibi: *Y este tal despues que por el Juez Eclesiástico fuere condenado por Herege.* Et notat *ibid. Aceved. n. 116.* Judices Ordinarii in hæresis crimine sunt. 1. Pontifex. 2. Legatus à latere; *arg. capit. 12. h. t. in 6.* De consuetudine tamen Legatus non se ingerit sine speciali commissione Pontificis, vel Supremi Tribunalis Inquisitionis. 3. Episcopus respectu suorum Diœcesanorum. *Cl. 1. §. 1. h. t.* etiamsi hi sint exempti: nam tunt ut delegatus Papæ procedit, *cap. 9. h. t. 4.* Capitulum Sedevacante, per mortem Episcopi, vel quasi vacante, quia Episcopus sit ab Hostibus captus, vel quia non possit administrare, *cap. 9. h. t. 5.* Vicarius Capituli, etiam sine speciali commissione: secus dicendum est de Vicario Episcopi, qui sine speciali commissione non potest procedere ob gravitatem causæ. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 6. 6.* Prælati, Episcopo inferiores, habentes jurisdictionem quasi Episcopalem cum territorio. *Paul. V. in Constit. Romanus. L. 2. tit. 26. p. 7.* ibi: *Los Hereges pueden ser acusados de cada uno del Pueblo delante de los Obispos, ó de los Vicarios, que tienen sus Logares. Et ibid. Greg. Lop.* Prælati tamen Regulares, territorio carentes, non possunt de hæresi cognoscere. In nostra Hispania privativè cognoscit de hæresi, & de aliis pluribus hæresi connexis Tribunal S. Inquisitionis, cujus vigilantiæ debetur puritas, & splendor fidei, in his regnis vigens. Utinam in toto Orbe, tàm mirabile remedium adversus hæresum venena introduceretur, ut hæreses quæ Rempublicam Christianam turbant, funditus eradicarentur! Audi illustre testimonium pro nostræ Nationis puritate. Summus Pontifex *Clemens XI. in Bulla: Si præclara, die 12. Octobr. 1716.* Universitate Salmantinæ rescribens, sic ait: *Repleti, itaque sumus consolatione, & superabundavimus gaudio, cernentes, vos firmitèr adeò illustribus majorum vestrorum vestigiis, ac exemplis insistere, quorum præstanti virtuti perpetuoque in hanc Sanctam Sedem studio, satis constat, magna ex parte deberi singularem illam, & planè insignem prærogativam inclyta Hispanicæ Nationi concessam: quod scilicèt: ipsa tot sæculorum decursu ab omni hæresis labe se immunem, inviolatamque servaverit: adeòque splendidum, & gloriosum Catholica titulum meritò adepta fuerit.* Quæ constitutio magno plausu à tota Schola Salmantina, cum ibidem essem, suscepta est.

94 Cum enim Episcopi, ad quos de Jure Ordinario hæ causæ pertinent, *capit. 9. h. t.* non sufficerent ad hæreses, quotidiè pullulantes extirpandas, S. Dominicus de Guzman nostræ Hispaniæ decus, & observantissimi Ordinis Prædicatorum fundator, impetravit à S. Pontifice, ut hoc Tribunal institueretur adversus hæreticam pravitatem cum pluribus prærogativis, & privilegiis, ut videri potest apud *Cæsar. Carenam de Officio S. Inquisit. Param. & alios*, & quidem in assumendis ad Inquisitorum officium requiritur vitæ probitas, prudentia plusquam mediocris, & doctrina sufficiens, vel in Theologia, vel in Jure Canonico. Hodie in nostra Hispania solùm Juristæ, vel Canonistæ ad hoc officium deputantur, ut causas, & lites definiant: nam ad censurandas, & qualificandas propositiones, plures Theologi ab ipso Tribunali eliguntur, qui Qualificatores appellantur. *Machad. in Sum. lib. 4. p. 3. tr. 2. de Jure, in Cl. 2. h. t.* Item debent Inquisitores ab alio, quam à Papa electi, attigisse 40. annum: hodie non multum de ætate curatur, si alias habeant qualitates. In Comissariis Inquisitionis sufficit 30. annum attigisse. *Ex Const. Clem. VII.* quæ incipit *Cum sicut Azor Instit. Moral. p. 1. lib. 8. cap. 18. q. 3. & 4. Molin. de Just. tr. 5. D. 28. n. 23. Machad. & alii.*

95 Jurisdictio Inquisitorum, cum ab ipsis authoritate Apostolica exerceatur, *cap. 11. h. t. in 6.* delegata cènsetur. *L. 3. ff. de Offic. Ejus cui mandat. Azor, Farin. Barbos. in cap. 17. h. t. in 6. n. 4. Castropal. & alii.* Sed in re potius est ordinaria, cum concedatur à jure per modum officii, & ad universitatem causarum

rum, & sit perpetua, ita ut non cedente vel mortuo, alius subrogetur, nec expiret delegantis morte, etiam re adhuc integra, & quoad negotia, nondum cœpta. Quamvis solùm usque ad beneplacitum Summi Pontificis, vel Sedis Apostolicæ concedatur: & possit aliis subdelegari, *cap.* 10. *cap.* 11. *cap.* 12. *h. t. in 6.* quæ omnia propriè ad jurisdictionem ordinariam spectant.

96 Regulares quantumvis exempti, non eximuntur ab hoc Tribunali, in Hispania tamen nequeunt Inquisitores aliquem Religiosum, nobilem, vel insignem personam apprehendere, nisi ex præscripto Supremi Senatus, missis, ad eum indiciis, & probationibus habitis. *Alloza in Summ.* V. *Inquisitores, sect.* 2. *n.* 25. Si Episcopus, vel eo superior hæresim commisisset, vel de ea esset diffamatus, non possunt Inquisitores contra eum procedere; sed de hoc monere tenentur Romanum Pontificem, *cap.* 16. *h. t. in 6. Trid. sess.* 24. *de Reform. cap.* 5. etiamsi sit Episcopus titularis, vel tantùm electus, & nondum sit confirmatus. *Suarez, Diana, Alloza in Summ.* V. *Inquisitores, sect.* 1. *n.* 16. nec possunt procedere contra Nuntios Apostolicos, nec unus Inquisitor contra alios. *Suar. Dian. Alloz. n.* 18. in Regnis, ubi Inquisitio non est introducta, ut in Galia, Germania, & aliis Regnis, procedunt Episcopi in causis hæresis, & in annexis. Ubi verò Inquisitionis Tribunal est, licèt solus Episcopus seorsim ab Inquisitoribus possit formare processum, vel soli Inquisitores seorsim ab Episcopo, *cap.* 17. *h. t. in 6.* tamen in ferenda sententia definitiva, vel interlocutoria vim definitivæ habente, non tantùm quando hæc est condemnatoria, ut in *Cl.* 1. §. *Porrò h. t.* Sed etiam quando est absolutoria, quia contrariorum eadem est ratio: debent Inquisitores Episcopis communicare processum, & Episcopi Inquisitoribus, nec possunt hi sine Episcopo torturæ sententiam ferre, nec actu cogere ad abjurationem. *Azor, Dian. Alloz. in Summ.* V. *Inquisitores, sect.* 2. *n.* 27. contra *Molin. & alios*, qui tenent, posse Inquisitores, vel Episcopum seorsim absolvere, quia solum eis prohibetur, seorsim condemnare. *Cl.* 1. §. *Porrò, h. t.*

97 Quod si discordent in sententia, consulendus est Papa, *cap.* 17. *h. t. in 6.* in Hispania ad Supremam Inquisitionem recurritur. Sed licèt hæc de Jure Communi procedant, jam vi Bullarum specialium, & præcipuè consuetudinis in nostra Hispania nullus de his causis cognoscit, nisi Inquisitores, exceptis aliquibus casibus, in quibus Episcopus, vel ejus Vicarius, tamquam Inquisitor Ordinarius, cum aliis Inquisitoribus concurrit, *cap.* 9. *h. t.* quod præcipuè in his partibus Indiarum locum habet, ut constat ex *Schedul. Regia* ad Episcopos directa, *ann.* 1585. ibi: *Os rogamos, y encargamos, que vos, ni vuestro Provisor, ó Fiscales, no os entrometais á conocer de lo susodicho, y que las informaciones, que teneis, ó tuvieredes de aquí adelante, tocante al dicho delito, y crimen de la heregía, las remitais al Inquisidor, ó Inquisidores Apostólicos del distrito donde residen los tales delinqüentes, para que él, ó ellos lo vean, y hagan en los tales casos justicia. Que en los casos, que conforme á Derecho, vos, ó vuestro Provisor debais ser llamados de dichos Inquisidores, os llamarán para que asistais con ellos, como siempre se ha hecho, y se hace.* Etiam est prohibitum, quod Judices Sæculares Indiarum aliquo prætextu; se intromittant ad cognoscendum de causis in Tribunali Inquisitionis pendentibus: imò nec Regiæ Cancellariæ, etiam prætextu recursus, vel violentiæ. *L.* 4. *tit.* 19. *lib.* 1. *Rec. Indiar. Solorzan. de Jur. Ind. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 24. Ubi etiam dicit, quod Indi sunt exempti à Tribunali Inquisitionis, etiam in causa hæresis Et in foro externo hujus delicti cognitio Episcopis reservatur: de maleficiis, tamen Indorum possunt etiam Judices Sæculares cognoscere, ut habetur. In *L.* 35. *tit.* 1. *lib.* 6. *R. Ind.* ibi: *Por estár prohibido á los Inquisidores Apostólicos el proceder contra Indios, compete su castigo á los Ordinarios Ecclesiásticos, y deben ser obedecidos, y cumplidos sus mandamientos; y contra los hechiceros, que matan con hechizos, y usan de otros maleficios, procederán nuestras Justicias Reales.* Hinc satis clarè habetur cum *Alloza in Summ.* V. *Inquisitores, sect.* 1. *n.* 2 *Diana, p.* 4. *tr.* 8. *resolut.* 1. *& aliis.* Quod jurisdictio Inquisitorum non est cumulativa, sed privativa. Undè jam Episcopi saltem in Hispaniæ Regnis, non possunt de hæresi cognoscere. Item eorum jurisdictio se extendit non solùm ad ea, quæ eis competunt de Jure communi, sed etiam ad ea, quæ consuetudine sunt recepta. In nostra Hispania nostri Reges sua sponte Tribunali Inquisitionis se summiserunt. *Solorz. Polit. Ind. lib.* 4. *cap.* 24. *fol.* 704. *Valdés, & alii.*

Prin-

68 Princeps, & Magistratus Sæculares possunt hæreticos, vel de hæresi suspectos capere, & incarcerare, ut illos judici Ecclesiastico tradant, possuntque Juri Canonico coadjuvando pœnas statuere, statutaque augere adversus hæreticos *Clar.* §. *Hæresis, numero* 5. *Farinac. de Hæres. quæstio* 186. *ex numero* 157. Et olim poterant de hoc crimine adversus Laicos cognoscere. *Lege* 8. §. *final C. h. tit.* Hodie nec principaliter, nec incidenter, nec quando quæstio facti est, possunt Judices Sæculares de hoc crimine cognoscere, etiam contra Laicos. *cap.* 18. *h. t. in 6. Julius III. in Const. Licet. Anno* 1551. *Greg. XIV. in Const. Quia alias*, 28. *Maii* 1591. quia cum hæc causa omninò Ecclesiastica sit, & definienda ex sacris litteris, & Canonibus, non Sæcularis, sed Ecclesiasticus cognoscere debet, etiam quando incidenter, & contra Laicos agitur. *cap.* 2. *de Judic. cap.* 3. *de Ordin. cognit.* quia non persona causam, sed causa rapit personam. *Hevia in Curia Philipica part.* 3. §. 2. *num.* 15. Quod si Laici aliqua statuta officium Inquisitionis impedientia faciant, sunt ipso jure irrita, posuntque ab Inquisitoribus, per censuras cogi talia statuta revocare. *Diana Alloza in Sum.* V. *Inquisitores sec.* 1. *num.* 10.

99 Magistratus Sæculares, quibus hæretici, jam condemnati, traduntur ad sententiæ executionem, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, eam exequi debent absque dilatione, hoc est intra quinque, vel sex dies. Nec possunt processum, vel justitiam causæ examinare. Et si renuant brachii sæcularis auxilium præstare Inquisitoribus illud invocantibus, ad incarcerationem, vel custodiam, vel punitionem reorum, subjacent excomunicationi majori latæ sententiæ: imò in ipsos, tanquam hæreticorum fautores, potest procedi. *cap.* 18. *h. t. in 6. Alloza in Sum.* V. *Inquisitores, sect.* 1. *num.* 9. *Diana Castropala. Gonzalez in cap.* 12. §. 1. *h. t. num.* 2. Ubi addit, quod communis praxis Hispaniæ est, ut cum hæretici relaxandi sunt brachio sæculari, in eo loco, ubi sententia publicè recitanda, & pronuntianda est, adsit Judex Sæcularis, cui post sententiam recitatam statim rei comburendi traduntur, qui illico eos ad locum supplicii adducit, & ita sententiam executioni mandat.

100 *Ex Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 6. poterant Episcopi per se ipsos, non tamen per Vicarium, absolvere in foro conscientiæ ab hæresi occulta, suos subditos in sua Diœcesi (non extra eam) atque adeò si Episcopus esset extra Diœcesim, non posset ibi etiam suos subditos absolvere; nam licèt absolutio sit actus jurisdictionis voluntariæ, quæ etiam in aliena Diœcesi potest exerceri in subditos, restringitur tamen per Tridentinum ad Diœcesim propriam. Papa absolvere potest per se, vel per alium delegatum, vel subdelegatum à quocumque hæresi. Etiam Inquisitores possunt ab hæresi in foro externo & interno absolvere, quæ facultas competit cuilibet Inquisitori, & non toti Consistorio, & quilibet potest facultatem delegare confesariis, etiamsi Inquisitor non sit Sacerdos. *Diana in Sum.* V. *Absolvere ab hæresi: num.* 100. Ubi non est inquisitio, ut in Gallia, vel Germania, possunt Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati absolvere in foro externo hæreticos (dum non sint Authores novæ hæresis) ab excomunicatione Papæ reservata; debent tamen tales hæretici prius hæresim abjurare, & ipsis imponi pœnitentia. *cap.* 11. *h. tit. in 6.* In foro interno possunt Episcopi, jure ordinario, ab hæresi absolvere eum, qui Pontificem adire non potest ob impedimentum perpetuum, vel per longum tempus duraturum.

101 Et licèt Præpositus Generalis nostræ Societatis possit alibi ab hæresi, & ejus excommunicatione in foro conscientiæ absolvere, & etiam possit hanc facultatem Provincialibus, & aliis subditis communicare. *Julius III.* 22. *Octobris Anno* 1552. *Gregor. XIII.* 28. *Martii, Anno* 1584. in Hispania, & Italia nequeunt hac facultate uti juxta declarationem *Clemen. VIII.* 16. *Novembris* 1592. Nec vi Bullæ Cruciatæ valent confesarii ab hæresi absolvere, neque tempore Jubilæi, nisi expresè à Pontifice hoc concedatur, ut declaravit *Alexander VII.* die 23. *Martii, Anno* 1656. quia quæ speciali nota sunt digna, ut est hæresis absolutio, non veniunt in con-

cesione generali *c.* 81. *de Reg. Jur. in 6.* & circa absolutionem hæresis damnavit *Alex. VII.* hanc propositionem, quæ est 4. *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque Seculares ab heresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.* Ab hæresi verò merè interna, & etiam à purè materiali potest quilibet confessarius absolvere: nam solùm reservatur hæresis formalis, & externa.

102 Quilibet Sacerdos potest in articulo mortis, quemcumque ab hæresi absolvere: nam tunc nulla datur reservatio *c.* 9. *c.* 10. 26. *q.* 6. *Trid. sess.* 14. *cap.* 7. *de Sacr. Pœnit.* secus extra talem articulum, etiamsi pœnitens perpetuo impedimento Papam adeundi laboret: nam ad hunc casum solùm Episcopis conceditur facultas absolvendi. *c.* 11. *c.* 13. *de Sent. excommun.* Hæreticus in capella jam constitutus, ut ad supplicium ducatur potest absolvi à quocumque Sacerdote, quia est in articulo mortis. Etiam potest absolvi hæreticus convictus, & negativus, qui ad comburendum ducitur, si ab aliquo Sacerdote, cui confiteatur sua peccata, absolutionem petat, & probabilitèr, etiamsi adsit superior habens facultatem ad absolvendum ab hæresi, quia cum sit constitutus in mortis articulo, nulla datur reservatio. Et hic casus defacto contigit Toleti paucis abhinc annis: & quamvis aliquid ducti opinione contraria, quam tenent *Sanch. & alii* intendebant, talem reum, non esse absolvendum, saltem ratione scandali, nihilominùs quidam Sacerdos pia opinione ductus, quam tenent *Portel. Mend. Diana in Sum.* V. *Absolvere ab hæresi, n.* 108. *& alii*, ejus confessionem audivit, & pro tali facto defendendo quamdam satis doctam apologiam conscripsit.

103 Hæresis materialis non subjacet censuris, & aliis pœnis in hæreticos latis, nam cum præcipuè hæ infligantur ratione contumatiæ, quæ deest in hæresi materiali, non debent pœnæ ad talem hæresim extendi: imò hæc à quocumque confessario approbato potest absolvi. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 3. Sic in Germania rustici, qui Lutheri, vel Calvini Sectam profitentur, si ex ignorantia hoc faciant, possunt à suis Parochis absolvi, & ad professionem fidei admitti. In nostra Hispania, etiam tales hæretici materiales, qui aliquam Sectam hæreticorum profitentur, debent Inquisitioni præsentari. Nec hæresis purè interna, & mentales, nullis verbis, vel signis expressa, comprehenditur sub his pœnis: nam Ecclesia de actu occulto, & pure interno non judicat. *c.* 33. *de Simon.* Hæresis verò formalis, & externa quamvis occultissima sit, si tamen signo externo est expressa sub his pœnis comprehenditur. Debet tamen actus externus poni, vel omitti animo hæresim profitendi: nam si alio animo fiat, non erit propriè hæresis. Et ut censura incurratur est necessarium, ut actio externa ex se, & non præcisè, prout subest actui interno, sit mortalitèr peccaminosa. Hinc non incurrit excommunicationem, qui animo instructionem ab alio capiendi, ei hæresim purè internam manifestat, nec qui animo narrandi tantùm, non verò profitendi, profert hæresim. E contra hæreticus externus, & punibilis est, qui non audit sacrum, nec communionem suscipit ob hæresim internam: quia tales omissiones externæ, & pecaminosæ in illis circunstantiis habentur pro hæresis professione: aliud est, quando non animo hæresim profitendi, sed ex oblivione, vel alio fine proveniunt. *Suar. de Fide, D.* 12. *sect.* 2. *ex n.* 9. *Navarr. Man. cap.* 27. *n.* 56. *Barb. in c.* 12. *h. t.*

104 Pœnæ ergo, quæ in hæreticos formales externos infliguntur sunt. 1. excommunicatio major ipso jure. *c.* 49. *de Sent. excommunic. c.* 7. *c.* 9. *c.* 13. *c.* 15. *h. t. & Papæ in Bull. Cœnæ casu* 1. reservata. 2. Hæretici fiunt irregulares, ac proindè etiam ab hæresi absoluti, nec ordines suscipere, nec in susceptis ministrare possunt. *c.* 21. *q.* 7. *c.* 15. *h. t. in 6.* Si hæresis sit notoria solus Papa in tali irregularitate dispensat, ut talis ad ordines promoveatur. Ut verò quis in susceptis ordinibus ministret, dispensat Episcopus: nam cum hæc dispensatio non reservetur in jure Pontifici, Episcopo videtur concessa. *c.* 21. 1. *q.* 7. Cum Episcopis, & Sacerdotibus, ut possint Missam celebrare, & Pontificalibus uti, solùs Papa dispensat. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 25. *ex n.* 13. in tali irregularitate provenient ex hæresi occulta, potest Episcopus dispensare, *ex Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 6. nam licèt non possit ab ea absolvere per Bullam Cœnæ, quia est ablata hæc potestas, non tamen est sublata facultas dispensandi, quia cum sint diversæ ab eis non fit illatio. *Farin. Prax. q.* 192. *n.* 79. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 25. *n.* 16. *& alii.* Imò irregularitatem non incurri, nec alias inhabilitates,

tes, quando hæresis est occulta; *arg. cap. 9. h. t.* tenent *Avila de Censur. p. 7. D. 4. dub. 2. Henriq. Sayro, Emm. Sà, Laym. lib. 1. tr. 5. p. 5. c. 4. n. 12.* Contrarium tamen, scilicèt; etiam ob hæresim occultam incurri irregularitatem, tenent *Sylv. Azor, p. 1. L. 8. c. 11. q. 3. & c. 21. q. 8. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 25. n. 4. & alii*, qui judicant hoc probabilius, & juri conformius esse. 3. Hæretici habent inhabilitatem ad dignitates, & beneficia Ecclesiastica, aliaque officia publica obtinenda, & collatio ipsis facta esset ipso jure irrita, *cap. 2. cap. 15. h. t. in 6.*

105 Quarto privantur Dignitatibus, Officiis, & Beneficiis, si quæ habebant, antequam in hæresim laberentur, *cap. 9. h. t. cap. 12. eod. in 6.* & quidem ipso jure, ut *ex cap. 9. h. t.* deducitur, & clarius ex *Const. Nicol. II.* quæ incipit: *Novit universitas.* Sicque in Curia Romana practicatur. Ut tamen hæreticus teneatur beneficia dimittere, debet præcedere sententia declaratoria criminis; imò, & executio, per Judicem facta, quæ sententia ad tempus commissi criminis retrotrahitur, ac proindè ex tunc fructus restituere debet reus. *Suar. de Fide, D. 21. sect. 5. Barbos. in cap. 9. h. t. Sanch. in Decalog. lib. 2. cap. 26. ex n. 6. & alii* contra Castro *de Hæret. punit. L. 2. cap. 4. Vazq. L. 2. D. 172. c. 2. n. 11. & alios.* Suspecti tamen de hæresi non privantur ipso jure beneficiis, sed juxta qualitatem criminis per Judicem privantur. Imò si hæreticus, antequam de hæresi convincatur, & ut talis declaretur, sua sponte ad fidem redeat, ex æquitate debet à Pontifice in beneficio relinqui, vel debet ei restitui amissum. *Barbos. in c. 9. h. t. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 26. n. 13. & 14.* Denique privantur ipso jure sepultura Ecclesiastica, *cap. 8. h. t. cap. 2. eod. in 6.* Et qui tales sepeliunt, sciendo, esse hæreticos, si non metu coacti, sed favore hæresis sepeliunt, fiunt de hæresi suspecti, vel levitèr, vel gravitèr, juxta personarum qualitatem, & in eos potest Inquisitio procedere. Insuper excommunicationem prædicti incurrunt, à qua non possunt absolvi, nisi præstita satisfactione, scilicèt, exhumando cadaver, *cap. 2. h. t. in 6.* quo exhumato, vel ab ipso, qui illud sepelivit, vel ab alio, possunt hi excommunicati absolvi, quia jam est posita conditio. Clerici sepelientes hæreticos, vel eorum fautores, &c. privantur suo officio, ad quod non nisi per R. Pontificem restituuntur, *cap. 13. §. Credentes, h. t.* Qui aliquem sepelit ignorans, illum esse hæreticum, vel metu coactus, vel non ratione, nec favore hæresis, sed ob amicitiam, vel consanguinitatem, vel ne aër putredine corrumpatur, dum tamen fiat in loco non sacro, non incurrit excommunicationem; *arg. cap. 2. h. t. in 6.*

106 Descendentes hæreticorum usque ad secundam lineam paternam, & ad primam maternam, si nati sint postquam parentes in hæresim notoriam sunt lapsi, & ante mortem Ecclesiæ reincorporati non fuerunt, fiunt irregulares, inhabilesque ad beneficia deinceps obtinenda, *cap. 15. h. t. in 6.* Si verò hæresis parentum est occulta, non fiunt irregulares, nec eam incurrunt filii nati, antequam parentes in hæresim laberentur, ne pœnæ delinquentium ad innocentes extendantur. *Abb. in cap. 10. h. t. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 28. ex n. 28.* Filiis, & nepotibus hæreticorum remittitur irregularitas, hoc ipso quod parentes reconcilientur. *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 27. n. 21. Molin. de Just. tr. 2. D. 658. n. 19.* Si verò parentes sint hæretici relapsi, etiamsi ad pœnitentiam, & Sacramenta admittantur, non habentur pro reincorporatis, seu reconciliatis; *arg. cap. 4. h. t. in 6.* ac proindè eorum filii beneficiis privantur, & ad alia obtinenda inhabiles sunt; *arg. cap. 15. h. t. in 6. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 27. n. 23.* contra *aliquos.* Sed cum radix hujus irregularitatis sit infamia, quam hæretici incurrunt, & hæc cesset in Germania, alisque Provinciis Septentrionalibus dicendum consequentèr est, hanc irregularitatem ibi cessare, tàm respectu parentum hæreticorum, quàm descendentium ab ipsis. *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 27. n. 28*

107 Hæ pœnæ non solùm hæreticos, sed etiam eorum credentes, fautores, defensores, & receptores comprehendunt. *Nav. Man. cap. 27. n. 55. Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 10. Suar. de Censur. D. 21. sect. 2. n. 6.* Credentes hæreticorum dicuntur, qui verbis, vel factis credunt, quod hæretici credunt, licèt nesciant eorum errores in particulari: vel qui eorum doctrinam audiunt animo assentiendi illorum erroribus, sufficitque habere talem animum, saltem sub conditione assentiendi eorum erroribus, si ipsis motiva, & rationes hæreticorum placuerint. Si verò aliquid in particulari contra fidem credat, non credentes hæreticorum, sed hæretici formales erunt, fautores sunt qui hæreticis ratione hæresis

sis favorem præstant, quod fit. 1. commissione, eos scilicèt laudando, vel affirmando, esse viros probos, injustèque condemnari, vel eos in domo occultando, vel auxilium ad fugam eis præbendo, vel alia faciendo, ne ab Inquisitoribus capiantur. Etiam possunt esse fautores omissione; si non capiunt hæreticos, vel captos non custodiunt hi, qui ad hoc ex officio tenentur. Defensores sunt, qui errores, vel personas hæreticorum defendunt, laudant, vel protegunt in judicio, vel extra: vel impediunt vi, vel dolo, ne capiantur, vel captum liberant, & hoc ratione hæresis. Receptores sunt, qui recipiunt etiam unica vice hæreticos, qua tales, & fugientibus hospitium præstant, ne à Judice capiantur, *c.* 8. *h. t.* Qui verò hæreticos recipiunt, defendunt, vel ipsis favent, non causa hæresis, sed ob aliam causam; v. g. quia consanguinei, amici, &c. vel metu compulsi, vel quia ignorant, eos hæreticos esse, nullam pœnam incurrunt. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 10. *Azor, p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 15.

108 Præter dictas pœnas sunt aliæ temporales, tùm à Jure Canonico, tùm à Jure Civili in hæreticos statutæ. 1. est pœna infamiæ, quæ quidem incurritur ipso jure, *cap.* 13. §. 5. *h. t.* requiritur tamen sententia criminis declaratoria, ut actu delinquentes afficiat. *Barb. in cap.* 13. *h. t.* ac proindè privantur privilegiis, quibus gaudebant, quando erant Catholici, nec possunt aliqua officia publica exercere, & ab honoribus, & dignitatibus reppelluntur. *L.* 1. *C. h. t. L.* 4. *tit.* 26. *p.* 7. Sed cum hæc infamiæ pœna solùm sit expresse statuta contra hæreticos, non debet ad eorum descendentes extendi, ut tenent *Suar. de Censur. D.* 48. *sect.* 3. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 28. contra *Cov. Cast. Peña, Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 65. *n.* 25. *Farinac. & alios.* 2. Hæretici (secus fautores, defensores, & receptatores) à die commissi criminis, ante omnem sententiam, patria potestate in liberos privantur, *cap.* 2. §. *fin. h. t. in 6.* ac proindè filii eorum Catholici non debent eis præbere alimenta, nisi in extrema necessitate, sicut quilibet extraneus. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 24. *n.* 7. 3. Hæretici amittunt servos, non ipso jure, sed per sententiam declaratoriam criminis; *arg. C. fin. h. t.* & quidem si servi sint Catholici, fiunt liberi, si sint hæretici, fisco cum aliis bonis addicuntur. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 24. *n.* 10. *Molin. tr.* 2. *D.* 40. Similitèr vassalli, famuli, & liberti liberantur ab obsequio hæreticis præstando, *cap. fin. h. t.* etiam debitores à quocumque debito, & obligatione liberantur, etiam juramento firmatis, tenenturque fisco talia debita solvere, maximè post sententiam. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 24. *n.* 8.

109 Quarto confiscantur omnia bona, tàm mobilia, quàm immobilia, jura, & actiones, quæ erant propria hæretici tempore, quo delictum commissit, adeò ut nec Catholicis filiis eorum aliquid stricto jure relinquatur: ex æquitate tamen aliqua bona eis possunt relinqui, & inquisitio ex misericordia, aliquid pro filiis, & filiabus, & præcipuè infirmis alendis tribuit; imò, & ipsi hæretico si resipiscat, possunt bona reddi, ubi hæc consuetudo viget, *cap.* 10. *cap.* 18. *h. t. L.* 4. *& Auth. Gazaros. C. Eod. Gregor. Lop. in L.* 7. *tit.* 7. *p.* 6. V. *Tornassen. Gonz. in c.* 10. *h. t. n.* 3. *Caren. p.* 2. *de Offic. Inquis.* De Jure Hispano antiquo filii Catholici hæreticorum suis parentibus succedebant. *L.* 2. *tit.* 26. *p.* 7. *L.* 7. *tit.* 7. *p.* 6. Sed hoc hodie non procedit, ut notat *Greg. Lop. ibid.* V. *Catholicos. Aceved. in L.* 1. *tit.* 3. *lib.* 8. *R. C.* ubi praxim, & plures Doctores allegat, etiam Regnicolas, contra alios contrarium tenentes. Et etiamsi post mortem sint de hæresi convicti, eorum bona confiscantur. Et licèt hæreticus non amittat dominium, & administrationem suorum bonorum ante sententiam criminis declaratoriam, ac per consequens, non teneatur ante sententiam, ea fisco tradere, quia hoc esset minùs grave; *arg. cap.* 19. *h. t. in 6.* & tenent *Nav. in Man. cap.* 23. *n.* 66. *Suar. de Fid. D.* 22. *sect.* 3. *n.* 3. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 22. *n.* 7. contra *Castro de Just. Hæret. punit. L.* 2. *c.* 5. *&* 6. post sententiam tamen retrotrahitur confiscatio ad diem delicti commissi, ac proindè bona interim alienata, simul cum fructibus, perceptis debent fisco restitui. *c.* 8. §. 7. *h. t. in 6. Alloz. in Sum.* V. *Inquisitores, sect.* 3. *n.* 6. *Vazq. & Dian.* rescisis videlicèt contractibus, & alienationibus interim factis ab hæretico; nisi fortè fuissent, factæ ad alendum se, suamque familiam, debita solvenda, &c. vel nisi bona fisco addicta contra ipsum sint præscripta, & quidem in hæresis crimine 40. anni requiruntur, ut possessor bona defuncti adversus fiscum præscribat, *cap.* 2. *de Præscript. in 6.* non tamen censentur confiscata bona, quæ hæreticus post sententiam criminis declaratoriam, etiam ante ab-

abjurationem, & reconciliationem cum Ecclesia adquisivit, quia sententia ad futura non extenditur.

110 Dos, & alia bona propria uxoris, uti sunt paraphernalia, donata, propter nuptias, adquisita durante matrimonio, quorum medietas ad uxorem spectat, ipsi donata etiam à consanguineis mariti, & etiam causa mortis ei donata, manent apud ipsam: nam in hoc casu morte civili mariti, donatio confirmatur. *L.* 13. §. 1. *ff. de Donat. inter.* imò hæc bona, confiscatis bonis mariti, uxor propria authoritate capere potest: non solùm quoad proprietatem, sed etiam quoad usumfructum, ne innocens ob alterius delictum puniatur, cùm delicta suos debeant tenere Authores. *L.* 22. *C. de Pœnis.* Si uxor tempore, quo contraxit, sciebat maritum esse hæreticum, dote privatur, *c.* 12. *h. t. in* 6. sed post Judicis sententiam. *Sanch. in Decal. l.* 2. *cap.* 17. *n.* 18. præsumitur tamen ignorasse, virum esse hæreticum, nisi probetur, quæ probatio fisco incumbit. Sed hæc constitutio, quæ expressè de dote uxoris loquitur, non extenditur, utpotè pœnalis ad alia uxoris bona, ut contra *Farinac. q.* 190. *n.* 49. & 50. tenent *Barbos. in cap.* 14. *h. t. n.* 3. *Sanch. in Decal. L.* 2. *cap.* 17. *n.* 22. neque ad maritum, qui scienter cum uxore hæretica contraxit, nec dispositum de uxore creditur hic de marito, ut ejus correlativo dispositum; quia diversa ratio militat in uxore, ac in marito: nam uxor magis subjecta est marito, ac proindè majus habet perversionis periculum. *Barbosa in cap.* 14. *n.* 6. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 17. *n.* 23. Si pater incidit in hæresim, solùm confiscatur peculium profectitium quod quidem est patris, quoad proprietatem, & usumfructum, secus peculium castrense, vel quasi castrense, quæ plenè sunt filii: imò nec peculium adventitium; quia soluta patria potestate propter hæresim, ususfructus, qui ad patrem pertinet consolidatur cum proprietate, ac proindè plenè est filii, sicut peculium castrense. Si filius in hæresim incidit, confiscantur peculium castrense, & quasi castrense, quia plenè pertinent ad filium, imò & adventitium quoad proprietatem, quæ quidem est filii: ususfructus vero patri, ad quem antecedenter pertinebat, reservatur. Sicut patri reservatur peculium profectitium, quoad proprietatem, & usumfructum: siquidem ad ipsum, quoad utrumque pertinet. Latè de hoc *Sanch. in Decal. l.* 2. *cap.* 15. & 16. & *alii.* Si bona confiscata habeant annexum jus patronatus, hoc transit cum bonis ad fiscum: si verò patronatus adhæreat personæ, transit ad sequentes vocatos, non tamen ad hæredes extraneos, sed eo casu, fisco Ecclesiastico adquiretur: si tamen ille patronatus sit personalis: qui ad alios non est transiturus, per confiscationem extinguitur, Ecclesiaque manet libera. *Sanch. in Decal. L.* 2. *cap.* 19. *ex n.* 2. Quando alicujus bona confiscantur non comprehenditur ibi majoratus, quo hæreticus fruitur: nam cum ejus dominium non possit alienari, ita disponente, & prohibente primo fundatore, debet ad sequentem vocatum trasferri: nec tunc commoditas fructuum separatur à rei dominio, & proprietate. *L.* 35. §. 1. *ff. de Rei vind. Sanch. in Decal. L.* 2. *cap.* 18. *n.* 15. *Molina de Just. tr.* 2. *D.* 658. *Gonz. in cap.* 10. *h. t. n.* 11.

111 Bona Clericorum patrimonialia, vel quasi, utpotè accessoria personæ applicantur fisco, nisi aliud habeat consuetudo. *Barb. in cap.* 13. *h. t. Castrop. tr.* 4. *D.* 5. *p.* 14. *Covar. Var. L.* 2. *cap.* 9. Bona ratione, & intuitu beneficii Ecclesiastici adquisita, non fisco, sed Ecclesiæ cui servierunt applicantur, *cap.* 13. §. 1. *h. t.* nam post Clericorum mortem ad eam pertinent. Bona, quæ ad Ecclesiam pertinent ut domus, prædia, &c. quarum redditus Clerici percipiunt, non confiscari sub pœna excommunicationis ipso jure prohibetur in *Cl.* 2. *h. t.* Bona Laicorum in terris Ecclesiæ, fisco Ecclesiastico addicuntur, in aliis Regnis fisco sæculari, *cap.* 10. *h. t.* Si immobilia sint, applicantur fisco domini loci, ubi sunt sita: mobilia tamen cum personæ damnatæ adhæreant ad fiscum loci, ubi fit confiscatio pertinent. *Sanch. in Decal. L.* 2. *c.* 20. *n.* 34. *Farinac. & alli* in nostra Hispania bona hæreticorum applicantur fisco Regio. *L.* 1. *tit.* 3. *lib.* 8. *R. C.* ibi: *Y este tal, despues que por el Juez Ecclesiastico fuere condenado por herege, pierda todos sus bienes, y sean para la nuestra Cámara.* Sed talia bona per Reges applicantur Officio Inquisitionis, ut exsolvantur salaria Officialium Inquisitionis. *Simanc. de Inst. Catholic. tit.* 9. *n.* 131. *Covarr. Dian. Bobad. L.* 2. *Polit. cap.* 17. *num.* 201. *Acev. in L.* 1. *tit.* 3. *lib.* 8. *R. C. ex n.* 221. Et in quolibet Tribunali creatur à Rege, quidam Judex, qui cognoscat de illis bonis adjudicandis, & de litibus eorum occasione moris. *Gonz. in cap.* 13. §. 1. *h. t. in fin.* 5. Hæretici fiunt intestabiles, tàm

ac-

activè, quàm passivè: ac proindè nec ex testamento, nec ab intestato aliquid capere possunt, nec hæreditatis titulo, legati, fideicommissi, &c. *cap.* 13. §. *Credentes*, *h. t. L.* 5. *C. h. t.* ac proindè hæreditas ab hæretico obtenta debet ab ipso restitui venientibus ab intestato: poterit tamen probabilitèr eam retinere, donec per sententiam criminis declaratoriam ipsi auferatur. *Sanch. in Decal. L.* 2. *cap.* 14. *num.* 31. Et qui hæreticum in testamento instituit, si non sit ex causa pietatis, vel alimentorum, excommunicationem incurrit, *cap.* 5. *&* 6. *h. t.* Quæ decisiones, etiamsi loquantur de Episcopis, & Clericis, etiam extenduntur ad Laicos, qui hæreticos instituunt hæredes. *Sanch. in Decal. L.* 2. *cap.* 14. *n.* 41. De bonis adquisitis post sententiam criminis declaratoriam liberè testatur hæreticus: quia hæc non confiscantur. De bonis verò, quæ habebat ante sententiam, nequit testari post latam sententiam, & si testetur nullum est testamentum: quia de re non sua, sed fisci disponit. Si verò testetur, vel alitèr contrahat, ante sententiam latam, validè contrahit, & testatur: tale verò testamentum, vel contractus revocabitur; *arg. cap.* 13. §. *Credentes*, *h. t. Molin. tr.* 2. *D.* 95. *Sanch. in Decal. L.* 2. *cap.* 24. *num.* 3. Hæreticus de Jure Hispano antiquo poterat testari inter Catholicos. *L.* 4. *tit.* 26. *p.* 7. quod jam non debet servari, ut notat *Greg. Lop. ibid.*

112 Ultima deniquè hæreticorum pœna est ultimum supplicium. Cum enim hoc crimen gravissimum sit, magnasque causet perturbationes, & clades in Regnis, atque Provinciis, nullum aliud remedium ad illud comprimendum restat, quam morte recidere, tot malorum Authores. Postquam ergo hæretici convicti sunt, & in sua pertinacia perseverant, brachio sæculari traduntur, præmissa degradatione, si Clerici fuerint, *cap.* 9. *c.* 15. *h. t. cap.* 1. *eod. in* 6. *L.* 2. *tit.* 26. *p.* 7. ibi: *E si por aventura non se quisieren quitar de su porfia, debenlos judgar por Hereges, é darlos despues á los Jueces Seglares, é ellos debenles dar pena en esta manera; que si fuere Herege predicador, á que dicen consolador, debenlo quemar en fuego, de manera que muera.* Si impœnitentes persistant, vivi comburuntur. Si sunt relapsi, & pœniteant, Sacramentum pœnitentiæ illis ministratur: quia Ecclesia nemini quoad spiritualem salutem, gremium claudit. *Clem.* 1. *de Pœnit. & remis.* & licèt ultimo supplicio damnatis regulariter Eucharistia concedatur, tamen jam generali consuetudine Inquisitionum Hispaniæ receptum est, ut his relapsis Sacramentum Eucharistiæ non ministretur. *Gonzal. in cap.* 9. *h. t. n.* 6. *in fin. Acev. in L.* 3. *tit.* 3. *lib.* 8. *R. C. n.* 28. *Cantera, & alii*, quamvis attento Jure Communi, *in cap.* 4. *h. t. in* 6. *Si pœnitentiæ signa in eis apparuerunt manifesta, nequaquam sunt* (*humilitèr petita*) *Sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ deneganda.* Et quamvis tali conversione pœnam mortis non vitent, saltem ipsis mitigatur: si quidem non vivi comburuntur, sed prius stragulantur, & posteà flammis comburendi addicuntur. Si tamen non sint relapsi, sed tantùm semel convicti, & pœniteant, non afficiuntur pœna capitali, sic disponente Ecclesia ex benignitate, sed tantùm pœna exilii, vel triremium per triennium, vel alia simili puniuntur. *Farinac. q.* 189. *&* 193. In Germania, aliisque Regionibus Septentrionalibus; hæ pœnæ vix locum habent. Nam ibi ob hæreticorum potentiam, & multitudinem. *Cedit viribus æquum, victaque pugnaci jura subesse jacent.*

113 Hæretici possunt, & debent cogi ab Ecclesia, ad suos errores abjurandos, *cap.* 13. §. 7. *h. t.* quia cum sint baptizati, subjecti sunt Ecclesiæ, *cap.* 8. *de Divortiis. Trid. sess.* 14. *de Pœnit. cap.* 2. potestque Pontifex, ut Supremus Pastor per Principes Sæculares, armis cogere hæreticos, etiam tali Principi non subjectos, ad veram Religionem, hæresi abjurata redire. Ipsique Principes Catholici ad hoc tenentur respectu suorum vasallorum, qui hæresim sequuntur, illosque possunt ob hæresim debellare; nec enim eos in suis Regnis possunt tolerare, multoque minus permittere suæ sectæ liberum exercitium, cum hoc maximum Populo scandalum, gravissimumque perversionis periculum afferre possit, *c.* 9. *c.* 13. §. 3. *h. t. c.* 11. *eod. in* 6. *L.* 2. *& Auth. Cazar. C. eod.* nisi obstet pax publica, vel securitas ipsis promissa: nam & Hæreticis fides, etiam à Catholicis, servanda est. Licèt enim non facilè cum hæreticis sit paciscendum, pacta tamen inita, si de re licita, & possibili sint, servanda sunt, *cap.* 1. *&* 3. *de Pact. L.* 1. *ff. eod.* ad hoc enim obligant veracitas, fidelitas, & justitia. Regulariter non licet Principi Catholico inire fœdus cum hæreticis, vel eis auxilium præbendo, vel in auxilium eos vocando, etiam in bello justo, præci-

cipuè adversus alios Catholicos. Nam ex tali fœdere regulariter resultat damnum, saltem indirectè, Ecclesiæ, & Religioni, ob implacabile eorum adversus nostram Religionem odium. Ideò sæpè in Scriptura, & Pontificibus tale fœdus prohibetur. Si verò tale periculum cesset, cum hoc non sit intrinsecè malum, quia bellum est justum, & non fit contra Religionem, nec damnum resultat Ecclesiæ, ut supponitur: potest Princeps Catholicus fœdus cum hereticis inire; maximè si ex eo aliquod commodum Ecclesiæ, vel Religioni sequatur, vel majus malum avertatur.

14 Hic etiam oportet addere Theologicas Censuras, quibus à Summis Pontificibus, & Tribunali S. Inquisitionis aliquæ propositiones non sanæ doctrinæ, notantur: de quo latius. *Suar. de Fide, D. 19. sect. 2. Gutierr. Hurt. in Explic. proposit. damnat. in proœm. Marin de Fide. Coraub. lib. 1. q. 17. Can. de Locis, lib. 12. c. 10. Peña, Simancas, & alii.*

1 Propositio *Hæretica* est, quæ immediatè opponitur contradictoriè, vel contrariè propositioni de fide, seu veritati à Deo revelatæ etiamsi proferatur absque pertinatia. Propositio quidem revelata, ac proindè de fide est quæcumque veritas in veteri, vel novo Testamento invenitur expressa: non solùm si pertineat ad præcipuos articulos, ut Dei unitas, vel incarnatio Verbi: sed etiamsi obitèr enuntietur, ut Canis Tobiæ existentia. Item quæ est definita à Pontifice, tanquam de fide, vel in, vel etiam extra Concilium Generale: & etiam, quæ communi Ecclesiæ usu est tanquam Apostolica traditio recepta.

2 *Hæresi proxima* dicitur, quæ est contradictoria illi, quæ vel à plerisque habetur tanquam de fide, vel infertur per evidentem consequentiam ex una de fide, & altera indubitata.

3 *Sapiens hæresim* est illa, cujus contradictoria non est expressè definita: in Ecclesia tamen communitèr recipitur, tanquam si esset de fide: adeò, ut præbeat indicium saltem probabile judicandi, quod hæresis lateat in illius defensore. Et propositio, cui opponitur, sapere fidem dicitur sicut hæ: *Maria Virgo assumpta est cum corpore in Cœlum: Quadragesima est abstinendum ab usu carnium.* Utraque enim sapit fidem, cum ex communi usu Ecclesiæ, ut Catholica sit admissa, licèt non sit de fide: quippè non communi consensui fidelium, sed soli. Petro, ejusque successoribus est concesa facultas definiendi controversias in materia fidei. Item hæc propositio: *Ridiculum est, Eucharistiæ Sacramentum solemni ritu per vias publicas circumferre*, sapit hæresim Luteranorum, qui negant in Eucharistia verum Corpus Christi contineri.

4 *Erronea* est contradictoria conclusioni Theologicæ omninò veræ, sivè deductæ ex una præmissa de fide, & altera evidente. Sic est Theologica hæc conclusio: *Christus est risibilis*: quippè sequitur ex his præmissis *Omnis homo est risibilis*, quæ est lumine naturæ nota: *Et Christus est homo*: quæ est de fide. Conclusio tamen, cum debiliorem partem sequatur, non est de fide: ac proindè hæc propositio: *Christus non est risibilis* non hæretica sed erronea, vel error in fide meritò nuncupatur.

5 *Errori proxima* est contradictoria conclusionis, quæ non ab omnibus, sed à plerisque tanquam Theologica habetur. Talis est conclusio deducta ex una præmissa certò de fide, & ex altera evidenti: sed quæ non ab omnibus, ut evidens admittitur. Vel si deducatur ex una præmissa certò evidenti, & ex altera de fide: sed quæ non ab omnibus, ut de fide habetur.

6 *Malè sonans* est quæ abutitur vocibus contra communem sensum fidelium. Ut si sensus obvius sit hæreticus, præcipuè attentis circunstantiis personæ, loci, & temporis, quamvis sensus latens sit Catholicus. Sic malè sonat, *quod in Divinis Pater sit major filio: quod Christus est creatura, & quod orat pro nobis: quod Christus quotidiè peccat.* Quamvis hujusmodi propositiones, sub certis limitationibus, sint veræ. Ut quod *Pater est major filio, homine, seu ut homo est. Quod Christus, ut homo est creatura, & orat pro nobis. Quod Christus mysticus, qui est Ecclesia vel Corpus Christi mysticum quotidiè peccat in aliquo membro, seu persona ejus.* Si tamen sensus hæreticus non sit usu receptus, non est propositio adeò rigidè notanda. Huc reducitur propositio *æquivoca*, quæ scilicèt, sensum Catholicum, & Hæreticum potest habere. Hæc duplex contradictoria: *Deus facit malum, Deus non facit malum.* Condemnatur à Divo Augustino, quamvis utraque in Sacra Scriptura contineatur. Debet ergo dici: *Deus physicè causat malum, neutiquam tamen moralitèr.*

7 *Suspecta de hæresi* est quæ videtur la-

latentem hæresim continere, & suspicionem generat apud viros bonos, atque sapientes. Ita suspectum de hæresi est dicere: *Quod non est curandum de cæremoniis exterieribus, quia vergunt ad Judaismum.*

8 *Impia* dicitur, quæ est contra cultum Deo, & Sanctis debitum: vel quæ opponitur operibus misericordiæ erga miseros, vel pietati erga parentes, vel Rempublicam. Propositio pia est, quæ licet non sit revelata, nec Theologica, fovet tamen Religionem, fidem charitatem, & devotionem. Ut quod *Mater Dei viderit Essentiam Divinam in hac vita*: Quod *Angeli Custodes, & Sancti, quibus specialitèr devoti fuimus in vita, in mortis periculo nobis specialitèr assistant.*

9 *Piarum aurium offensiva* est, quæ in materia Religionis aliquid falsum, vel indecorum, & indecens, quamvis falsum non sit, enuntiat: Ut si quis loquendo de S. Maria Magdalena dicat, *hodie est festum meretricis: vel quod Ecclesia Romana est Synagoga Satanæ.*

10 *Temeraria* est quæ in materia supernaturali, & Theologica sine rationis, vel autoritatis regula profertur. Temeraria *negativè* est, quæ nullam rationem, vel authoritatem habet, neque pro se, neque contra se. V. g. *quod iste, vel illè est præscitus, vel prædestinatus salvus, vel condemnatus.* Vel quod *illa Hostia Altaris non est consecrata.* Sicut in Philosophicis temerè asseritur, quod *Astra sint paria. Positivè* temeraria est, quæ pro se nullam habet rationem gravem, & contra se habet rationes firmissimas: Ut dicere cum Erasmo contra omnes TT. Scholasticos, quod *Christus, ut homo non fuit beatus in anima, neque habuit semper visionem claram suæ Divinitatis ab instanti suæ Conceptionis. Item, quod plorantes sua peccata sunt proprietarii suæ voluntatis.* Vel quod *jejunium sit impertinens perfectioni Christianæ.*

11 *Scandalosa* propriè dicitur, quæ in materia doctrinæ ad fidem pertinentis occasionem errandi, vel malè sentiendi præbet fidelibus. Ut si quis absolutè dicat, *Imagines non esse adorandas.* Sed latius pro scandalosa propositione intelligitur illa, quæ occasionem ruinæ, seu peccati in materia cujuslibet virtutis præbet. Et etiam dicitur *perniciosa in praxi*, ut patet in propositionibus damnatis ab Alex. VII. & Innoc. XI. Huc reducitur *periculosa*, quæ scilicèt, præbet occasionem periculi in materia fidei, aut morum. Ut quod *sine jejuniis, & pœnitentiis exterioribus homo potest esse perfectus.* Vel quod *non est curandum pugnare contra tentationes, aut malas cogitationes.* Vel quod *actus exteriores virtutum, & aliarum Sanctarum ceremoniarum non sunt necessarii, neque expedientes ad perfectionem: sed potius sunt actus imperfectorium.*

12 *Blasphema* est, quæ continet injuriam contra Deum, vel Sanctos. Sic blasphemum est dicere *Sanctos non esse colendos, nec orandos, nec posse juvare suos devotos.* Vel quod *æquè fidendum est orationi cujuslibet peccatoris viventis, sicut orationi Sancti, aut B. Virginis jam in Cœlo regnantis*, ut blasphemat Lutherus. Vel dicere: *Deum esse injustum, vel excedere in punitione, seu reprobatione, aliquorum*: & alia hujusmodi, quæ aliquando blasphemiæ hæreticales, aliquando non hæreticales nuncupantur, prout alibi dicimus.

13 *Schismatica* est, quæ nata est inducere, vel promovere separationem membrorum à capite, in quo schisma consistit, quatenùs videlicèt, rebellionem adversus Ecclesiam, illiusque caput, suscitat, aut fovet, sivè admisceat hæresim, sivè non: ut hæc propositio. *Papa non est legitimus superior.*

14 *Seditiosa* est, quæ seminat zizaniam, & discordiam, ita ut nata sit concitare tumultum in Ecclesia, vel Republica. Ut hæc: *Quilibet potest sibi justitiam facere.* Vel quod *subditi possunt suos superiores publicè delinquentes licitè punire, eosque abjicere.* Vel quod *eis non tenentur obedire.*

15 *Maledica, seu injuriosa* est, quæ proximi injuriam continet. Ut quod *Papa est Anti-Christus, & Cardinales sunt ejus Ministri.* Vel quod *Clerici, & Religiosi sunt cavendi ab his, qui sunt in articulo mortis.*

16 *Laxa* est, quæ favet libertati, estque licentiosa.

17 *Levis*, quæ levi nititur fundamento.

18 *Improbabilis* est, quæ nititur fundamento simplicitèr indigno, ut illi præbeatur assensus: eritque improbabilis *positivè*, si contra se habeat motivum certum, & ipsa sit certò falsa. Et tales sunt omnes propositiones à Pontificibus damnatæ. Erit tamen *negativè* improbabilis, si pro se nullum habeat motivum grave, etsi contra se non habeat motivum certum, nec ipsa sit certò falsa. V. g. si quis nunc dicat; *Turca dormit.*

Quan-

115 Quando in Decretis Pontificiis, vel Inquisitionis hæ censuræ apponuntur, ita debent intelligi, ut cuilibet propositioni sua correspondeat censura: & ideò additur dictio *respectivè*, quamvis multoties accidat, quod eadem propositio pluribus sit digna censuris; v. g. hæc propositio. *Religiosi in Religionibus approbatis viventes non sunt de Religione Christiana.* Hæc namque propositio 1. est *hæretica*: quippè est contra Sedis Apostolicæ definitionem: 2. est *scandalosa*, quia Sæcularibus dat occasionem malè sentiendi de Religionibus, & de Religiosis, & etiam ut à perfectionis statu avertantur: 3. est *impia*: quia removet Sæculares à pietate erga Religiosos: 4. est *injuriosa*, & *maledica* statui Religioso: siquidem intolerabilem injuriam Religionibus facit. Et deniquè est *temeraria*: quippè nullo nititur fundamento: quinimo Sanctorum Patrum authoritati opponitur. Idem constat ex aliis propositionibus à Pontificibus damnatis, quæ sæpè solent plures amplecti censuras: quin & eadem propositio à diversis diversa censura notatur, quia non omnes eodem modo eamdem definiunt censuram, & insuper una censura pluries cum alia coincidit, ut patet in censuris de suspecta de hæresi, sapienti hæresim, erronea, & hæresi proxima, & aliis, ut videri potest apud *Suar. Cordub. & Canum.* Prætercà *Innoc. XI. die 2. Martii, ann. 1669.* ut ab injuriosis conventionibus, Doctores, & Scholastici, aut alii quicumque in posterum abstinerent, & ut paci, & charitati consulatur, in virtute sanctæ obedientiæ præcepit, ut tàm in libris imprimendis, ac manuscriptis, quàm in Thesibus, disputationibus, ac prædicationibus caveant ab omni censura, & nota, nec non à quibuscumque convitiis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos, hinc indè controvertuntur, donec à S. Sede recognitæ super eisdem propositionibus judicium proferatur. Et quidem solùm prohibetur censura formalis, non tamen, si dicatur aliquid, ex quo censura inferri possit per quandam contradictoriam; aliàs nullus posset dicere, suam sententiam ex scriptura probari: nam hoc esset dicere contradictoriam, esse hæreticam. Sed quia ipse hoc non dicit, nec adversarii id concedunt, non intelligitur talem appingere censuram. Nec etiam est censura, si quis aliquam sententiam appellet improbabilem, vel levem, vel laxam, saltem in communiori sensu. *Hurt. Lug. & Card.* & non solùm circa propositionem directam potest quis errare, sed etiam circa illius censuram; v. g. si dicat erroneam, scandalosam, vel temerariam propositionem, quæ est de fide, vel à Doctoribus recepta, errorem quidem committit, vel hæresim sapit, vel temerarius existit, ac si negaret defacto propositionem: quia eam negat virtualiter, & insuper eam tali censura inurit.

116 Deniquè quia ad hunc præcipuè Titulum spectant causæ, & delicta, de quibus Inquisitores cognoscunt, libuit pro nostræ Hispaniæ praxi, referre ad litteram Edictum Generale Inquisitionis Hispaniæ: quod ita est::::

COMPENDIO Y SUMARIO del Edicto general de la Fe, y casos en él contenidos.

NOS los Inquisidores, contra la Heretica pravedad y Apostasía, por autoridad Apostólica: A todos los Fieles de este nuestro distrito, sin excepcion, &c.

Hacemos saber, que ante Nós pareció el Promotor Fiscal de este Santo Oficio, y nos hizo relacion, diciendo: Que bien sabiamos, y nos era notorio, que muchas personas, que asistian à la publicacion del Edicto general de la Fe, no le podian entender por su mera lectura; y que otras muchas, por no asistir á ella, carecian de su noticia: y para que en adelante ninguno pueda pretender ignorancia, nos pidió, que en las puertas de las Iglesias mandasemos fixar un breve resumen de los capítulos mas substanciales de él, para su mas fácil y universal inteligencia,

Y Nos, visto su pedimento ser justo y conveniente al servicio de Dios nuestro Señor, mandamos hacer este compendio y sumario, para que si supieredes ó entendieredes, ó hubieredes visto, ú oído decir, que alguna, ó algunas personas vivas, presentes, ó ausentes, ó difuntas, hayan contravenido en algo á nuestra Santa Fe, lo digais y manifesteis ante Nos.

3 Especialmente si sabeis, ó habeis oido decir, que alguna, ó algunas personas han guardado, ó guardan la Ley de Moysés, hecho algunas ceremonias

en observancia de ella, ó dicho, que dicha Ley es buena.

4 O si sabeis, ó habeis oído decir, que algunas personas hayan sido observantes de la ley de Mahoma, ó dicho, que dicha ley es buena, ó hecho algunas ceremonias en su observancia.

5 O que algunas personas sigan, ó hayan seguido la falsa secta de Martin Lutero, ó sus sequaces, ó hayan creido, ó aprobado algunas opiniones suyas, ó de otros Hereges.

6 O si sabeis, ó habeis oido decir, que algunas personas hayan dicho, ó afirmado, que es buena la secta de los Alumbrados, ó que la Oracion mental es de precepto Divino, y la vocal importa muy poco.

7 O si sabeis, ó habeis oido decir, que algunas personas hayan injuriado de obras ó palabras á la Vírgen nuestra Señora, ó á los Santos del Cielo, ó si han invocado al Demonio, ó tenido con él pacto tácito ó expreso, ó que hayan sido brujos ó brujas, ó mezclado cosas sagradas con profanas.

8 O que alguno, siendo Clérigo de Órden Sacro, ó Frayle profeso, se haya casado, ó que no siendo Sacerdote, haya dicho Misa, ó confesado á alguna persona.

9 Ó si sabeis, que algun Confesor ó Confesores, en el acto de la confesion, ó próximamente á ella, ó en los confesonarios, ó lugares diputados, aunque no se siga la confesion, hayan solicitado á sus hijas de confesion, provocandolas, ó induciéndolas con hechos ó palabras torpes y deshonestas.

10 O si han aconsejado, ó persuadido á sus penitentes en el acto de la Confesion Sacramental, la gravísima culpa de inobediencia, infidelidad y rebelion al Rey nuestro Señor Don Felipe V, haciéndoles creer, que no les obliga el juramento de fidelidad.

11 Ó si alguna persona se ha casado segunda, ò mas veces, viviendo su primera muger ó marido.

12 O si han sido Astrólogos Judiciarios, Adivinos ó Supersticiosos.

13 Ó si para adivinar, ú otro efecto, han consultado ó preguntado al Demonio en los cuerpos endemoniados ó espiritados.

14 Ó si para lo referido, ó descubrir hurtos ó tesoros, ó saber el suceso de caminos, navegaciones, flotas y armadas, muertes ú otros casos, en lugares ocultos ó distantes, han usado del Arte Mágica, hechizos, encantamientos, agüeros, sueños, rayas de las manos, cercos, brujerías, caractéres ó invocaciones de Demonios.

15 O que para lo mismo hayan usado de suertes con habas, trigo, maiz ú otras semillas, ó con naypes, dados, monedas ó sortijas, ó semejantes, ó mezclado las sagradas con las profanas, como los Evangelios, Agnus Dei, Aras consagradas, Agua bendita, Estolas y otras Vestiduras sagradas.

16 Ó que traen consigo y dan á otros cédulas, memoriales, recetas y nominas, escritas en ellas palabras y oraciones supersticiosas ó con círculos, rayas y caractéres reprobados, ó con Reliquias de Santos, Piedra Iman, cabellos, cintas, polvos y otros hechizos, para librarse de muerte violenta y subitanea, y de sus enemigos, para tener buenos sucesos en sus pendencias y batallas, y negocios, que trataren, ó para efecto de casarse, ó alcanzar los hombres á las mugeres, y éstas á los hombres, que desean, para que los maridos y amigos traten bien, y no pidan zelos á las mugeres ó amigas, para ligar á los hombres, ó hacer á ellos, ó á las mugeres otros daños y maleficios en sus personas, miembros ó salud.

17 Ó que para estos y semejantes efectos han usado de oraciones en que invocan á Dios nuestro Señor ó á sus Santos, con mezcla de otras invocaciones, y palabras indecentes y desacatadas, continuándolo por ciertos dias delante de ciertas Imágenes, y á ciertas horas de la noche, con cierto número de candelillas, vasos de agua y otros instrumentos, y esperando despues agüeros y presagios de lo que pretenden saber, por lo que sueñan durmiendo, ó por lo que oyen hablar en la calle, ó les sucede á otro dia, ó por las señales del Cielo, ó las aves que vuelan, ú otras tales vanidades y locuras.

18 Ó que han dado ó dan adoracion al Demonio, ofreciéndole sacrificio con candelas, incienso, copal y otras cosas, ó perfumes, y usando de ciertas unciones en su cuerpo, le invocan y adoran con nombre de Angel de luz, y esperan respuestas ó representaciones aparentes de lo que pretenden.

19 Ó que para lo mismo toman ó dan á otros ciertas bebidas de hiervas

ó raíces, como las que llaman del Peyote, yerva de Santa Maria, ó de otro nombre, con que se engañan, y entorpecen los sentidos; y las representaciones fantasticas, que alli tienen, juzgan, y publican despues por revelacion, ó noticia cierta de lo que ha de suceder.

20 Ó si sabeis, que algunas personas tengan libros, ó qualesquiera escritos de Astrologia Judiciaria, ó del Arte Magica, supersticiones, encantamientos, agueros ó hechiceerias, ó de la Secta de Martin Lutero, ú otros Hereges, ó el Alcorán ú otros libros de la Secta de Mahoma, ó Biblias en Romance, ú otros qualesquiera de los reprobados, y prohibidos por Edictos, Cathalogos Expurgatorios, y Censuras del Santo Oficio de la Inquisicion.

21 Ó que algunas personas, faltando à lo que son obligadas, han dexado de manifestar al santo Oficio algunas de las cosas referidas, ó han persuadido á otras que no lo manifiesten.

22 Ó que hayan encubierto, receptado, y favorecido á algunos Hereges, dandoles favor, y ayuda, ocultando, y encubriendo sus personas, ó sus bienes.

Y por quanto en el Edicto, que hicimos publicar por la Quaresma del año de mil setecientos y trece, se tomó la equivocacion, al estenderlo, de poner algunas clausulas, que debiendo limitarse, y estenderse solo contra las personas de los testigos, que sabian, ó habian oído decir, que otras habian cometido los delitos explicados en el dicho Edicto, son comprehensivas de los mismos delinquentes, declaramos, para quitar qualesquiera dudas, que no habla el dicho Edicto, ni se debe entender contra las personas, que han cometido delitos, cuyo conocimiento toca al Santo Oficio, para necesitarlas á delatarse ellos mismos; sino contra las que sabiendolo, lo ocultan; porque estas, en todo acontecimiento, tienen obligacion á denunciar, sin poder ser absueltos por ningun Confesor, hasta que lo cumplan; y á este mismo fin se dirigieron, y deben entender las clausulas, que hablan contra los Confesores, doctores, y letrados, sin que por esto sea visto excluir de la prohibicion del dicho Edicto á los que cometieren heregía formal externa, porque estos por ningun Confesor pueden ser absueltos, ni por virtud de qualquier privilegio, como literalmente se exceptúa en el mayor de todos que es en el de la Bula de la Santa Cruzada. Por ende por el tenor de la presente amonestamos, exortamos, y requerimos, y en virtud de santa obediencia, y so pena de Excomunion Mayor (latæ sententiæ trina Canonica monitione præmissa) mandamos á todos, y á qualesquier de vos, que si supieredes, ó hubieredes hecho, visto, ó oído decir, que alguna persona aya hecho, dicho, tenido, y afirmado algunas cosas de las arriba dichas, ó otra qualesquiera que sea, ó parezca ser contra nuestra Santa Fé Catholica, y lo que tiene, y enseña nuestra Santa Madre Iglesia Romana, asi de vivos, presentes, ó ausentes, como difuntos, vengais, y parezcais ante Nos personalmente, ó ante nuestros Comisarios, Calificadores, ó Ministros del Santo Oficio (y donde no los hubiere, ante los Curas de vuestras Parroquias, para que nos lo hagan saber, y demos las providencias convenientes) á decirlo, y manifestar dentro de seis dias primeros siguientes, despues que esta nuestra Carta fuere publicada, ó como de ella supieredes en qualquier manera; con apercibimiento, que pasado el dicho termino, lo susodicho no cumplido, demás que habreis incurrido en las dichas penas, y censuras, procederémos contra los que rebeldes, é inobedientes fueredes como contra personas, que maliciosamente callan, y encubren las dichas cosas, y sienten mal de nuestra Santa Fé Catholica, y Censuras de la Iglesia. Y para que lo susodicho venga á noticia de todos, y ninguno pueda pretender ignorancia, se mandó publicar, y fixar en esta Iglesia. En Mexico, &c.

Aliud S. Inquisitionis Edictum pro firmanda pace inter Religiones.

117 EN la Villa de Madrid á veinte y ocho dias del mes de Junio de mil setecientos y ochenta y ocho años, el Excelentísimo Señor Obispo, Inquisidor General, y los Señores del Consejo de su Magestad de la Santa, y General Inquisicion, dixeron: Que por quanto el Ilustrísimo Señor Arzobispo de Damasco, siendo Inquisidor General, y los Señores de dicho Consejo proveyeron el Auto, cuyo tenor es el que se sigue. En la Villa de Madrid á nue-

nueve dias del mes de Marzo de mil seiscientos y treinta y quatro años, el Ilustrísimo Señor Arzobispo Inquisidor General, y Señores del Consejo de su Magestad, de la Santa, y General Inquisicion, considerando los grandes inconvenientes, que resultan de la discordia, y emulacion entre las Religiones, y mal exemplo, y escandalo, que con esto se causa al pueblo Christiano, á quien deben edificar, y que son mayores, y mas peligrosos, quando proceden de sentimientos diversos, y opiniones contrarias en materia de costumbres, y doctrina: para evitar estos daños, y atajar los que amenazan á la Religion, y nuestra Santa Fé Catholica, y se pueden esperar de tan nocivos principios, y excesos, que estos dias se han visto, presumiendo que todo procede de no estár tan conformes (como debian) las Religiones, y que personas particulares los cometen á contemplacion suya, y que cesando estas emulaciones, y concurriendo conformes al exercicio de sus Institutos cesarán estos daños, teniendo por cierto, que será facil de conseguir este fin de las personas graves de ellas, en quien la virtud, y christiandad es notoria, y que los demás Religiosos particulares, y de menos letras, y obligaciones fomentan estas diferencias, contra los quales convenia proceder con rigor, y penas para mayor justificacion de todo, deseando que se asiente, y practique la paz, y buena conformidad, como en particular lo encarga su Magestad, y que de esto sean advertidas las Religiones: acordaron, que para que se haga notorio lo contenido en este Auto á los Superiores de las Religiones, y darles tiempo para que ellos (cada uno en la suya) lo publiquen, y que juntamente tengan entendido todo lo demás, que convenga para el fin que se pretende de la paz, y conformidad, se llaman al Consejo pleno, en los dias, y horas, que el Ilustrísimo Señor Arzobispo, Inquisidor General, y Señores del Consejo acordaren, ó á la parte, y lugar que bien visto parecieren; y que qualquiera de las dichas Religiones, que desde el dia de la publicacion de este Auto, de qualquier oficio, ó puesto que tengan, injuriare á otra Religion, ó á sus Religiosos; de suerte, que redunde la ofensa, ó injuria en la Religion, asi sea la dicha ofensa, ó injuria hecha de palabra en Pulpito, ó Cathedra, ó por escrito, incurrirá en pena de excomunion mayor, y asimismo en destierro de su Provincia, y sea recluso en un Convento de fuera de ella, en la parte, y lugar, que á su tiempo, y conforme á la gravedad de la injuria, se arbitrare, y por el tiempo que pareciere, declarandole desde luego por privado de qualquier oficio, ú ocupacion que tuviere de la Inquisicion, y por inhabil, é incapaz de poderle tener, ni ser reintegrado en ningun tiempo. Y por haber entendido, que el principal origen, y motivo de las disensiones entre las Religiones, procede de censurar las unas las opiniones de las otras, con palabras, y terminos mas libres, y menos decentes de lo que deben á su profesion: ordenaron se encargue, y advierta á dichos Superiores de las Religiones, que en las revisiones que hacen de los libros, y tratados, que se escriben por los Religiosos particulares de ellas, antes de imprimir se miren con particular atencion si hay este genero de censuras, y quiten todo lo que pudiere ser ofensivo, en el estilo, y terminos, sin permitirles ninguno que sea injurioso. Y si no bastare su authoridad para remediarlo, no les dén licencia para imprimir, hasta dár de ello cuenta al Consejo; y porque con dificultad se pueden vér tan exactamente dichas obras, tengan obligacion á preguntar á sus Autores (quando las presentaren ante ellos) si censuran alguna opinion. Y esta misma advertencia obligue á los particulares Religiosos, á quien los Generales, ó Provinciales encargaren la revision de dichas obras. Todo lo qual guarden, y cumplan cada uno por lo que le tocare; con apercebimiento, que por qualquier contravencion, que de lo dicho se hiciere, serán castigados con todo rigor::: y que so las mismas penas, y censuras, cada Prelado lo haga notorio á su Comunidad, y lo repita en el ingreso de su Oficio, poniendole en parte publica, y decente, para que conste à todos, y siempre de lo que por él se manda, y ninguno pueda pretender ignorancia. Y declaramos por comprehendidos tambien en la prohibicion contenida en dichos Decretos, transgresores de ellos, é incursos en las mismas censuras, y penas, respectivè á todas, y qualesquier personas Eclesiasticas, ó Seculares, de qualquier estado, calidad condicion, ó dignidad que sean, que escribieren, esparcie-

cieren, ó en otra manera publicaren semejantes papeles manuscritos, ó impresos, y á los Impresores que los imprimieren y á las personas, que teniendo noticia de sus autores, ó siendo inducidas, ó solicitadas por alguna de las partes, en orden á la aprobacion, y defensa de lo que intentan persuadir en dichos papeles, ó contra ellos, ó los predicaren, no lo manifestaren al Santo Oficio. Y mandamos, que este nuestro Edicto se publique en esta Corte en la forma ordinaria, y por los tribunales del Santo Oficio, en las Ciudades, y Lugares de sus distritos, y se fixen en las puertas de las Iglesias, y partes públicas, para que venga á noticia de todos, y se guarde, y cumpla lo que por él se manda. Dado en madrid á diez y nueve dias del mes de Octubre de mil seiscientos y noventa y seis años. Fray Juan Thomás, Arzobispo de Valencia, Inquisidor General. Don Antonio Alvarez de la Puente, Secretario del Rey nuestro Señor, y del Consejo. Señalado con cinco rubricas de los Señores del Consejo de su Magestad de la Santa, y General Inquisicion.

Aliud S. Inquisitionis Edictum circa locum, & modum confitendi.

118 HAcemos saber á todos los Curas, Prelados, y Confesores de esta Ciudad, y demás Ciudades, Villas, y Lugares de este nuestro distrito, como por repetidas órdenes nuestras, la ultima de quince de Abril de mil seiscientos y noventa y dos, tenemos mandado, que no se confesase en Celdas, y Capillas secretas de los Conventos de los Religiosos, y Religiosas, Parroquias, y mas Iglesias, y otras partes ocultas, y que solo se confesase en el cuerpo de la Iglesia, Sacristías, Claustros y Capillas, que en ellas huviese, estando las puertas abiertas de par en par; y que los Curas, y demás Clerigos Seculares no confesasen en sus casas, sino en las Iglesias, y Sacristías publicamente, salvo estando enfermo en la cama, ó con algun impedimento considerable, ó que lo estén los penitentes. Y porque la experiencia, que despues se ha tenido, nos ha obligado á estrechar mas la referida providencia, (quedandose en su fuerza, y vigor las referidas órdenes) mandamos, que de aqui adelante todas las mugeres precisamente se confiesen por las rexillas de los Confesonarios en el cuerpo de la Iglesia, y no en las Capillas, Claustros ni Sacristías; y que en las Parroquias, y Conventos en donde no hubiere bastantes Confesonarios, se hagan unos Cancelillos de madera con su rexilla, y por ella se confiesen, estando de la otra parte el Confesor sentado en silla, ó banco. Y siendo esta providencia de tan poca costa, se podrán suplir con ella la falta de Confesonarios cerrado, en los dias y festividades de mucho concurso, especialmente permitiendo (como permitimos) que los Religiosos, Sacerdotes, y hombres Seculares, puedan confesarse en las Sacristías, y claustros con cancél, ó sin él, para lo qual se prebendran los Confesores correspondientes al concurso que hubiere; y asimismo estando el Confesor, ò Confesores en las Capillas de la Iglesia, que caen al cuerpo de ella, sentados de la parte de adentro de la rexa, y esta cerrada, y las mugeres de la parte de afuera en el cuerpo de dicha Iglesia, mediando una celosía, ó cancél, podrán confesarlas. Y si los penitentes fuesen sordos, podrán los Confesores retirase á algun lugar, ó Capilla distante del concurso para confesarlos, poniendo cancél para las mugeres, pues por la rexilla podrán oírlas, y ellas lo que el Confesor las dixere. Y estarán abiertas las rexas de las Capillas, y las que eligieren sean las mas claras, y manifiestas. Y prevenimos, y prohibimos á los dichos Confesores, que con ninguna causa, ni pretexto tengan conversaciones con los penitentes antes, y despues de la confesion, y mandamos á todos los dichos Curas, Prelados y Confesores, que cada uno cumpla con lo referido, para lo qual se hará saber á los Confesores de cada Comunidad. Y para que se tenga presente, y ninguno pueda pretender ignorancia, se pondrá en una tabla, y fixará en la Sacristía de cada Iglesia, y Convento. Todo lo qual cumplirán sin ir, ni venir contra ello en parte alguna, pena de Excomunion mayor; con apercibimiento, que procederemos contra los transgresores á lo demás que hubiere lugar en Derecho. Fecho en la Inquisicion de Mexico, y Sala de nuestra Audiencia, á veinte y tres dias del mes de Agosto de mil setecientos y diez.

Y porque hemos entendido, que no se observa literalmente, y con la puntualidad, y rigor, que conviene el preinserto Edicto, explicando, y torciendo la inteligencia de él, contra su claro, y verdadero sentido, y contra el principal fin á que mira esta tan importante, y necesaria providencia, de que han resultado algunos abusos, y el haberse mantenido, y mantenerse en algunos Conventos los Confesonarios de sus Claustros con rexilla á la Iglesia, estando de la parte de adentro el confesor, y los penitentes de la de afuera: mandamos, que se cierren los dichos Confesonarios, quitando de ellos las rexillas, ó rallos que tuvieren, y que se guarde, y observe inviolablemente lo dispuesto por el referido Edicto, sin interpretacion alguna, so la misma pena de Excomunion mayor, y las demás á que hubiere lugar en Derecho.

Y por lo que toca á los Confesonarios de los Conventos de Religiosas, que suelen tener dos puertas, una por donde los Confesores entran, y otra que sirve á las penitentes, mediando entre las dos un rallo, ó rexilla: mandamos, que dentro de quince dias primeros siguientes se quiten los tornos, que huviere en los referidos Confesonarios, y se cierren, y tapien sus huecos, y otras qualesquier aberturas de la pared, que separa la clausura, por donde se puedan comunicar el Confesor, y penitente; de manera, que solo quede en los dichos Confesonarios de Religiosas el rallo, ó rexecilla destinada para la administracion del Santo Sacramento de la Penitencia; y que en dichos Confesonarios no entren, ni puedan entrar los Prelados, Vicarios, Capellanes, ni otros Confesores Seculares, ó Regulares, ni otra persona alguna, sino es para administrar á las Religiosas, y personas que vivieren dentro de dichos Conventos el Santo Sacramento de la penitencia, y mientras le administraren, estén, y ayan de estár enteramente abiertas, y patentes las dos puertas del Confesonario, asi la que cae fuera, ó por la parte de la Iglesia, como la de adentro del Convento, y clausura. Todo lo qual cumplan, y executen, asi los Prelados, y Confesores, como las Preladas de dichos Conventos de Religiosas, cada uno por lo que le toca, só la pena de excomunion mayor, y las demás á que por Derecho hubiere lugar. Fecho en la Inquisicion de Mexico á diez y ocho dias del mes de Marzo de mil setecientos y trece años.

Aliud S. Inquisitionis Edictum circa solutionem.

119 POR quanto se halla en algunos libros aprobada, y defendida la opinion, que afirma, que la muger solicitada ad turpia en el acto de la Confesion Sacramental, no tiene obligacion de denunciar, si consiente en la culpa de la solicitacion, en el Santo Oficio á los Confesores solicitantes, fundandola principalmente en la regla, y principio general, de que *nemo tenetur se ipsum prodere*, cuya extension, y aplicacion á este caso, procede al parecer de la ignorancia del estilo, y practica con que se actúan en el Santo Oficio las causas contra solicitantes, en que además del inviolable secreto, que se guarda en todas las que son de fé, y dependientes de ella, está prevenido en estas se advierta á las mugeres, que los delataren, no tienen obligacion á declarar su consentimiento en la solicitacion, ni si los provocaron, dando principio á ella; y que aunque la diga, no se escriba, ni asiente en sus delaciones, y que se execute lo mismo con los reos solicitantes, si en el discurso de sus causas quisieren expresarlas, pues eso no conduce á defensa, ni á la exculpacion de su delito, que unicamente consiste en la solicitacion, y es la que privativamente toca al Santo Oficio; y siendo por los motivos referidos la dicha opinion en la práctica improbable, temeraria, escandalosa, y perjudicial á la recta administracion del Santo Sacramento de la Penitencia, por quanto enerva en gran parte la fureza, y vigor de las Bulas Pontificias, y abre puerta (no sin otros inconvenientes, y daños) para que las mugeres solicitadas se eximan de la obligacion de delatar á los Confesores solicitantes, contra lo que disponen las mismas Bulas: mandamos, que se recojan, y prohiban todos los libros, y papeles manuscritos, ó impresos que contuvieren, aprobaren, y defendieren dicha opinion, hasta que se expurgue; y que las personas que los tuvieren, de qualquier estado, calidad, ó dignidad que sean, los exhiban, y presenten para este efecto ante Nos, ó los Tribunales del San-

Santo Oficio ó sus Comisarios, dentro de un breve término, pena de excomunion mayor latæ sententiæ ipso facto incurrenda, y de doscientos ducados para gastos del Santo Oficio, y de otras á nuestro arbitrio. Otrosí, mandamos á todos los Confesores Seculares y Regulares, observen y guarden, só las penas referidas de excomunion mayor y las demas, lo contenido en este nuestro Edicto; con apercibimiento, de que no lo haciendo, procederemos contra ellos á todo lo que hubiere lugar en Derecho. Dada en Madrid á veinte y cinco dias del mes de Noviembre de mil setecientos y trece. El Cardenal Judice Inquisidor General. Don Domingo de la Cantolla Miera, Secretario del Rey nuestro Señor, y del Consejo. Señalado con cinco rubricas.

120 Hic apponere propositiones adversus varios Hæresiarchas á Sede Apostolica, veritatis Magistra, proscriptas, operæ pretium duxi, quippè quæ Sacramenta, censuras, statum Religiosum, Ritus Ecclesiasticos, & alias nostri Canonici Juris propriissimas materias, concernunt: & præcipuè, quia contra potestatem nostrorum Sanctissimorum Pontificium incredibili furore, tamquam rabidi canes hujusmodi Hæresiarchæ latrare non cessant. Sed ex eorum justissima damnationione clarius via veritatis nobis patebit, & salutem ex inimicis nostris suscipientes, scopulos, in quos ipsi misere impegerunt luce Apostolicæ doctrinæ vitabimus: Et sanè nota damnationis suficiens omninó ratio erit, ut tales doctrinæ odio habeantur apud Catholicos, & præcipuè apud *Hispanos rerum Dominos, gentemque tenacem Numinis, & nullis scelerantem sæcula sectis.*

Propositiones Joannis Wicleff, de Anglia damnata, an. 1418. in Concilio Constantiensi, sect. 45.

1 SUbstantia panis materialis, & similitèr substantia vini materialis remanent in Sacramento altaris.

2 Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento.

3 Christus non est in eodem Sacramento identicè, & realitèr propria præsentia corporali.

4 Si Episcopus, vel Sacerdos existat in peccato mortali non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat.

5 Non est fundatum in Evangelio, quod Christus Missam ordinaverit.

6 Deus debet obedire diabolo.

7 Si homo fuerit debite contritus omnis confessio exterior est sibi superflua, & inutilis.

8 Si Papa sit præcitus, & malus, & per consequens membrorum diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam: nisi forte á Cæsare.

9 Post Urbanum VI. non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Græcorum sub Legibus propriis.

10 Contra Scripturam Sacram est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones.

11 Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatus à Deo: & qui sic excommunicat, fit ex hoc hæreticos, vel excommunicatus.

12 Prælatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem, vel Concilium Regni: eo ipso traditor est Regis, & Regni.

13 Illi, qui dimittunt prædicare, sivè audire Verbum Dei propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in Dei judicio traditores Christi habebuntur.

14 Licet alicui Diacono, vel Presbytero prædicare Verbum Dei absque authoritate Sedis Apostolicæ, sivè Episcopi Catholici.

15 Nullus est Dominus Civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

16 Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualitèr delinquentibus, id est ex habitu, non solùm actu delinquentibus.

97 Populares possunt ad suum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.

18 Decimæ sunt puræ eleëmosynæ, & possunt Parochiani propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum eas auferre.

19 Speciales orationes applicatæ uni personæ per Prælatos, vel Religiosos non plus prosunt eidem, quam generales cæteris paribus.

20 Conferens eleëmosynam fratribus est excommunicatus eo facto.

21 Si aliquis ingreditur Religionem privatam qualemcumque, tàm possessionatorum, quàm Mendicantium, redditur inep-

ineptior, & inhabilior ad observationem mandatorum Dei.

22 Sancti instituentes Religiones privatas, sic instituendo peccaverunt.

23 Religiosi viventes in Religionibus privatis non sunt de Religione Christiana.

24 Fratres tenentur per laborem manuum victum adquirere, & non per mendicitatem.

25 Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.

26 Oratio præsciti nulli valet.

27 Omnia de necessitate absoluta eveniunt.

28 Confirmatio juvenum, Clericorum ordinatio, locorum consecratio reservantur Papæ, & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris.

29 Universitates, studia, Collegia, Graduationes, & Magisteria in eisdem sunt vana gentilitate introducta, tantùm prosunt Ecclesiæ sicut diabolus.

30 Excommunicatio Papæ, vel cujuscumque Prælati non est timenda, quia est censura Anti-Christi.

31 Peccant fundantes claustra, & ingredientes sunt viri diabolici.

32 Ditare Clerum est contra regulam Christi.

33 Sylvester Papa, & Constantinus Imperator errarunt Ecclesiam dotando.

34 Omnes de Ordine Mendicantium sunt hæretici, & dantes eis eleëmosynas sunt excommunicati.

35 Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem, eo ipso inhabiles sunt ad observanda Divina præcepta, & per consequens ad perveniendum ad Regnum Cœlorum, nisi apostataverint ab eisdem.

36 Papa cum omnibus Clericis suis possessionem habentibus sunt hæretici, eo quod possessiones habent, & consentientes eis, omnes videlicèt Domini Sæculares, & cæteri laici.

37 Ecclesia Romana est Synagoga Satanæ: nec Papa est proximus, & immediatus Vicarius Christi, & Apostolorum.

38 Decretales Ecclesiæ sunt apocryphæ, & seducunt à fide Christi: & Clerici sunt stulti, qui student eis.

39 Imperator, & Domini Sæculares sunt seducti à diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus.

40 Electio Papæ à Cardinalibus à diabolo est introducta.

41 Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse Supremam inter allias Ecclesias.

42 Fatuum est credere Indulgentiis Papæ, & Episcoporum.

43 Juramenta illicita sunt quæ fiunt ad corroborandos humanos contractus, & comercia civilia.

44 Augustinus, Benedictus, & Bernardus damnati sunt, nisi pœnituerint de hoc quod habuerunt possessiones, & instituerunt, & intraverunt Religiones: & sic à Papa usque ad ultimum Religiosum omnes sunt hæretici.

45 Omnes Religiones indifferenter introductæ sunt à diabolo.

121. *Propositiones Joannis Hus de Bohemia damnatæ, an.* 1418. *in Concilio Constantiensi, sect.* 45.

1 UNica est Sancta Universalis Ecclesia, quæ est prædestinatorum universitas.

2 Paulus numquam fuit membrum diaboli, licèt fecerit quosdam actus actibus Ecclesiæ malignantium consimiles.

3 Præsciti non sunt partes Ecclesiæ, cum nulla pars ejus finalitèr excidet ab ea, eo quod prædestinationis charitas, quæ ipsam ligat, non excidet.

4 Duæ naturæ Divinitas, & humanitas sunt unus Christus.

5 Præscitus, etsi aliquando est in gratia secundum præsentem justitiam, tamen numquam est pars S. Ecclesiæ. Et prædestinatus semper manet membrum Ecclesiæ, licèt aliquando excidat à gratia adventitia: sed non à gratia prædestinationis.

6 Sumendo Ecclesiam pro convocatione prædestinatorum, sive fuerint in gratia, sivè non secundum præsentem justitiam isto modo Ecclesia est articulus fidei.

7 Petrus non est, nec fuit Caput Ecclesiæ S. Catholicæ.

8 Sacerdotes quomodolibet criminosè viventes Sacerdotis polluunt potestatem: & sic ut filii infideles sentiunt infidelitèr de 7. Sacramentis Ecclesiæ, de Clavibus, officiis, censuris, moribus, cæremoniis, & sacris rebus Ecclesiæ, vene-

ra-

ratione Reliquiarum, Indulgentiis, & Ordinibus.

9 Papalis dignitas à Cæsare inolevit: & Papæ perfectio, & institutio à Cæsaris potentia emanavit.

10 Nullus sine revelatione assereret rationabiliter de se, vel de alio, quod esset Caput Ecclesiæ particularis, nec Romanus Pontifex est caput Romanæ Ecclesiæ particularis.

11 Non oportet credere, quod iste, quicumque est Romanus Pontifex sit caput cujuscumque particularis Ecclesiæ Sanctæ, nisi Deus eum prædestinaverit.

12 Nemo gerit vicem Christi, vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter recipiat à Deo procuratoriam potestatem: quia ad illud officium Vicariatus requiritur, & morum conformitas, & instituentis authoritas.

13 Papa non est verus, & manifestus Successor Apostolorum Principis Petri, si vivit moribus contrariis Petro. Et si quærit avaritiam, tum est Vicarius Judæ Schariot. Et pari evidentia Cardinales non sunt veri, & manifesti Successores Collegii aliorum Apostolorum Christi, nisi vixerint more Apostolorum, servantes mandata, & consilia Domini nostri Jesu-Christi.

14 Doctores ponentes, quod aliquis per censuram Ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, sæculari judicio est tradendus, pro certo sequuntur in hoc Pontifices, Scribas, & Pharisæos, qui Christum non volentem eis obedire in omnibus, dicentes, *nobis non licet interficere quemquam*, ipsum sæculari judicio tradiderunt: & quod tales sunt homicidæ graviores, quam Pilatus.

15 Obedientia Ecclesiastica est obedientia secundum adinventionem Sacerdotum Ecclesiæ, præter expressam authoritatem scripturæ.

16 Divisio immediata humanorum operum est, quod sunt, vel virtuosa, vel vitiosa: quia si homo est vitiosus, & agit quidquam, tunc agit vitiosè: & si est virtuosus, & agit quidquam, tunc agit virtuosè: quia sicut vitium, quod crimen dicitur, seu mortale peccatum inficit universaliter actus hominis vitiosi: sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.

17 Sacerdotes Christi viventes secundum Legem ejus, & habentes Scripturæ notitiam, & affectum ad ædificandum Populum, debent prædicare, non obstante prætensa excommunicatione. Quod si Papa, vel aliquis Prælatus mandat Sacerdoti, sic disposito non prædicare, non debet subditus obedire.

18 Quilibet prædicantis officium de mandato accipit, qui ad Sacerdotium accedit. Et illud mandatum debet exequi prætensa excommunicatione non obstante.

19 Per censuras Ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis, & interdicti ad sui exaltationem Clerus populum laicalem sibi suppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, & viam præparat Anti-Christo. Signum autem evidens est, quod ab Anti-Christo tales procedunt censuræ, quas vocant in suis processibus fulminationes, quibus Clerus principalissimè procedit contra illos, qui denudant nequitiam Anti-Christi, qui Clerum pro se maximè usurpabit.

20 Si Papa est malus, & præsertim, si est præscitus, tunc ut Judas Apostolus est diaboli, fur, & filius perditionis, & non est caput S. Militantis Ecclesiæ, cum nec sit membrum ejus.

21 Gratia prædestinationis est vinculum, quo Corpus Ecclesiæ, & quodlibet ejus membrum jungitur Christo Capiti insolubiliter.

22 Papa, vel Prælatus malus, & præscitus est æquivoce Pastor, & verè fur, & latro.

23 Papa non debet dici Sanctissimus, etiam secundum officium: quia aliàs Rex deberet etiam dici Sanctissimus secundum officium: & tortores, & præcones dicentur Sancti: imò etiam diabolus deberet dici Sanctus, cum sit officiarius Dei.

24 Si Papa vivat Christo contrariè, etiamsi ascenderet per ritam, & legitimam electionem secundum Constitutionem humanam vulgatam; tamen aliundè ascenderet, quam per Christum: dato etiam quod intraret per electionem à Deo principaliter factam: nam Judas Scariotes ritè, & legitimè est electus à Deo Christo Jesu ad Episcopatum, & tamen ascendit aliundè ob ovile ovium.

25 Condemnatio 45. art. Joannis Wicleff per Doctores facta est irrationabilis, & iniqua, & malè facta: & ficta est causa per eos allegata, videlicèt ex eo, quod nullus eorum sit Catholicus, sed quilibet eorum, aut est hæreticus, aut erroneus, aut scandalosus.

26 Non eo ipso, quo Electores, vel major pars eorum consenserit viva voce se-

secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona est legitimè electa, vel eo ipso est verus, & manifestus succesor, vel Vicarius Petri Apostoli, vel alterius Apostoli in Officio Ecclesiastico Undè sivè Electores benè, vel malè elegerint, operibus electi debemus credere: nam eo ipso quo quis copiosius operatur meritoriè ad profectum Ecclesiæ habet à Deo ad hoc copiosius facultatem.

27 Non est scintilla apparentiæ, quod oporteat esse unum caput in spiritualibus regens Ecclesiam: quod semper cum Ecclesia Militante conversetur, & conservetur.

28 Christus sine talibus monstruosis Capitibus per suos veraces Discipulos sparsos per Orbem terrarum melius suam Ecclesiam regularet.

29 Apostoli, & fideles Sacerdotes Domini strenuè in necessariis ad salutem regularunt Ecclesiam, antequam Papæ officium foret introductum: sic facerent deficiente per summè possibile, Papa usque ad diem judicii.

30 Nullus est Dominus Civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

122. *Propositiones Martini Lutheri, & sequacium damnatæ à Leone X. in Const. Exurge Domine, 27. Kal. Julii* 1520.

1 HÆretica sententia est, sed usitata, Sacramenta novæ Legis justificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

2 In puero post baptismum negare remanens peccatum, est Paulum, & Christum simul conculcare.

3 Fomes peccati, etiamsi nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem à corpore animam ab ingressu Cœli.

4 Imperfecta charitas morituri fert secum necessario magnum timorem, qui se solo satis est facere pœnam Purgatorii, & impedit introitum Regni.

5 Tres esse partes pœnitentiæ contritionem, confessionem, & satisfactionem, non est fundatum in Sacra Scriptura, nec in antiquis sanctis Christianis Doctoribus.

6 Contritio, quæ paratur per discussionem, collationem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis adquisitionem: hæc contritio facit hypocritam: imò magis peccatorem.

7 Verissimum est proverbium, & omnium doctrina de contritionibus hucusque data præstantius: de cætero non facere, summa pœnitentia: optima pœnitentia, nova vita.

8 Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia: quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas. Undè in primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur.

9 Dum volumus omnia purè confiteri, nihil aliud facimus, quamquod misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.

10 Peccata non sunt ulli remissa, nisi remittente Sacerdote credat sibi remitti: imò peccatum maneret, nisi remissum crederet: non enim sufficit remissio peccati, & gratiæ donatio, sed oportet, etiam credere esse remissum.

11 Nullo modo confidas absolvi propter tuam contritionem, sed propter Verbum Christi: *Quodcumque solveris, &c.* (Matth. 16.) Hic, inquam, confide, si Sacerdotis obtinueris absolutionem, & crede fortitèr te absolutum, & absolutus verè eris, quidquid sit de contritione.

12 Si per impossibile confessus non esset contritus, aut Sacerdos non serio; sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissimè est absolutus. In Sacramento Pœnitentiæ, & remissione culpæ non plus facit Papa, aut Episcopus, quam infimus Sacerdos: imò ubi non est Sacerdos, æquè tantùm quilibet Christianus, etiamsi mulier, aut puer esset. Nullus debet Sacerdoti respondere, se esse contritum, nec Sacerdos requirere. Magnus est error eorum, qui ad Sacramenta Eucharistiæ accedunt, huic innixi, quod sint confessi, quod non sibi conscii alicujus peccati mortalis, quod præmiserint orationes suas, & præparatoria: omnes illi ad judicium sibi manducant, & bibunt. Sed si credant, & confidant, se gratiam ibi consecuturos, hæc sola fides facit eos puros, & dignos.

13 Consultum videtur, quod Ecclesia

sia in Communi Concilio statueret, Laicos sub utraque specie communicandos: nec Bohemi comunicantes sub utraque specie sunt hæretici, sed schismatici.

14 Thesauri Ecclesiæ undè Papa dat Indulgentias, non sunt materia Christi, & Sanctorum. Indulgentiæ sunt piæ fraudes fidelium, & remisionis bonorum operum, & sunt de numero eorum, quæ licent, & non de numero eorum, quæ expediunt.

15 Indulgentiæ his, qui veracitèr eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud Divinam Justitiam. Seducuntur credentes Indulgentias esse salutares, & ad fructum spiritus utiles.

16 Indulgentiæ necesariæ sunt solùm publicis criminibus, & propriè conceduntur duris solùmmodo, & impatientibus.

17 Sex generibus hominum Indulgentiæ nec sunt necessariæ, nec utiles: videlicèt, mortuis, seu morituris, infirmis, legitimè impeditis, his, qui non commiserunt crimina, his, qui crimina commiserunt, sed non publica; his, qui meliora operantur.

18 Excommunicationes sunt tantùm externæ pœnæ, nec privant hominem communibus espiritualibus Ecclesiæ orationibus.

19 Docendi sunt Christiani plus diligere excommunicationem, quam timere.

20 Romanus Pontifex Petri successor non est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in Beato Petro institutus.

21 Verbum Christi ad Petrum: *quodcumque solveris super terram, &c.* (Matth. 16.) extenditur dumtaxat ad ligata ab ipso Petro.

22 Certum est in manu Ecclesiæ, aut Papæ prorsus non esse statuere articulos Fidei: imò nec Leges morum, seu bonorum operum.

23 Si Papa cum magna parte Ecclesiæ sic, vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum, aut hæresis contrarium sentire, presertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per Concilium Universalem, alterum reprobatum, alterum approbatum.

24 Via nobis facta est enervandi authoritatem Conciliorum, & liberè contradicendi eorum gestis & judicandi eorum decreta, & confidentèr confitendi quidquid verùm videtur, sivè probatum fuerit, sivè reprobatum à quocumque Concilio.

25 Aliqui articuli Joannis Hus condemnati in Concilio Constantiensi sunt Christianissimi, verissimi, & Evangelici, quos nec universalis Ecclesia posset damnare.

26 In omni opere bono justus peccat.

27 Opus bonum optimè factum est veniale peccatum.

28 Hæreticos comburi est contra voluntatem spiritus.

29 Præliari adversus Turcas est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.

30 Nemo est certus, se non semper pecare mortalitèr propter occultissimum superbiæ vitium.

31 Liberum arbitrium post pecatum est res de solo titulo: & dum facit, quod in se est peccat mortalitèr.

23 Purgatorium non potest probari ex Sacra Scriptura, quæ sit in Canone. Animæ in purgatorio non sunt securæ de earum salute, saltem omnes. Nec probatum est ullis rationibus, aut scripturis, ipsas esse extra statum merendi, aut augendæ charitatis.

33 Animæ in purgatorio pecant sine intermisione, quandiu quærunt requiem, & horrent pœnas.

34 Animæ in Purgatorio liberatæ suffragiis viventium, minùs beantur, quam si per se satisfecissent.

35 Prælati Ecclesiastici, & Príncipes Sæculares non malè facerent, si omnes Saccos Mendicitatis delerent.

123. Propositiones Michaelis Baji, & aliorum, quas damnarunt. S. Pius V. die 1. Oct. 1567. Greg. XIII. & Urban. VIII.

1 NEC Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia.

2 Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic opus bonum ex natura sua est vitæ æternæ meritorium.

3 Et bonis Angelis, & primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, & non gratia.

4 Vita æterna homini integro, & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum: & bona opera ex Lege Naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt.

5 In promissione facta Angelo, & primo homini continetur naturalis justitiæ constitutio: qua pro bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna justis promittitur.

6 Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

7 Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera: sed juxta modum loquendi Scripturæ Sacræ non rectè vocantur gratia: quo fit, ut tantùm merita, non etiam gratia debeant nuncupari.

8 In redemptis per gratiam Christi nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.

9 Dona concessa homini integro, & Angelo, forsitàn, non improbanda ratione, posunt dici gratia: sed quia secundum usum Sacræ Scripturæ, nomine gratiæ ea tantùm munera intelliguntur, quæ per Jesum-Christum malè merentibus, & indignis conferuntur, ideò neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.

10 Solutio pœnæ temporalis, quæ peccato dimisso, sæpè remanet, & corporis resurrectio, propriè non nisi meritis Christi adscribenda est.

11 Quod piè, & justè in hac vita mortali usque in finem conversati, vitam consequimur æternam, id non propriè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ, juxto Dei judicio deputandum est: neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur: sed tantùm ad primam institutionem generis humani, in qua Lege Naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

12 Pelagii sententia est, opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est Regni Cœlestis meritorium.

13 Opera bona á filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiant per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei: sed tantum ex eo, quod sint conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legi.

14 Opera bona justorum non accipiunt in die judicii extremi ampliorem mercedem, quam justo Dei judicio mereantur accipere.

15 Ratio meriti non consistit in eo, quod qui benè operatur, habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum: sed in eo solùm, quod obedit Divinæ Legi.

16 Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.

17 Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum.

18 Opera Catechumenorum, ut fides & pœnitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt vitæ æternæ merita, quam vitam ipsi non consequentur, nisi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

19 Opera justitiæ, & temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerunt majorem valorem.

20 Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.

21 Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium Divinæ Naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & proindè naturalis dicenda est, & non supernaturalis.

22 Cum Pelagio sentiunt, qui Textum Apostoli ac Romanos 2. *Gentes: quæ legem non habent, naturalitèr, quæ legis sunt, faciunt*, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.

23 Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio, dono quodam supernaturali, & gratuito supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe, & charitate Deum supernaturaliter coleret.

24 A vanis, & otiosis hominibus secundum insipientiam Philosophorum, excogitata est sententia, quæ ad Pelagianismum rejicienda est, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ supradicta fuerit largitate conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus.

25 Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.

26 Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.

27 Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet.

28 Pelagianus est error dicere, quod li-

liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

29 Non soli fures ii sunt latrones, qui Christum, viam, & ostium veritatis, & vitæ negant: sed etiam quicumque aliundè, quam per ipsum in viam justitiæ (hoc est aliquam justitiam) conscendi posse docent.

30 Aut tentationi ulli sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.

31 Charitas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & constientia bona, & fide non ficta, tàm in Catechumenis quàm in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum.

32 Charitas illa, que est plenitudo legis non est semper conjuncta cum remisione peccatorum.

33 Catechumenus justè, rectè, & Sanctè vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem ante obtentam remisionem peccatorum, quæ in baptismi lavacro demum percipitur.

34 Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicèt, quo Deus amatur, ut Auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris litteris, & plurimis veterum testimoniis excogitata.

35 Omne, quod agit peccatur, vel servus peccati, peccatum est.

36 Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exorditur & sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ cum injuria Crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus.

37 Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.

38 Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua Mundus diligitur, quæ Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa, Deus amatur.

39 Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit.

40 In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

41 Is libertatis modus, qui est à necesitate sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solùm nomen libertatis à peccato.

42 Justitia, qua justificatur per fidem impius consistit formalitèr in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia, non autem in gratia aliqua animæ infusa, quà adoptatur homo in filium Dei, & secundum interiorem hominem renovatur, ac Divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus deinceps benè vivere: & Dei mandatis obedire possit.

43 In homnibus pœnitentibus ante Sacramentum absolutionis: & in Catechumenis ante baptismum, est vera justificatio: separata tamen à remisione peccatorum.

44 Operibus plerisque, quæ à fidelibus fiunt, solùm, ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt, obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, à furto, à fornicatione abstinere, justificantur quidem homines: quia sunt legis obedientia, & vera legis justitia: non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

45 Sacrificium Missæ non alia ratione est Sacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod fit, ut sancta societate Deo homo inhereat.

46 Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium: nec definitionis quæstio est, sed causæ, & originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

47 Unde peccatum originis verè habet rationem peccati sine ulla ratione, aut respectu ad voluntatem, à qua originem habuit.

48 Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualitèr dominatur parvulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49 Ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus discedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualitèr Deum odio habeat, Deum blasphemet, & legi Dei repugnet.

50 Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto: *Non concupisces.*

51 Concupiscentia, sivè lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines sunt vera legis inobedientia.

52 Omne scelus est ejus conditionis, ut suum Authorem & omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.

53 Quantum est ex vi transgressionis tantum meritorum malorum à generante contrahunt, qui cum minoribus nascun-

cuntur vitiis, quam qui cum majoribus.

54 Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil imposibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.

55 Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

56 In peccato duo sunt, actus, & reatus, transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, sivè obligatio ad pœnam.

57 Unde in Sacramento baptismi, aut Sacerdotis absolutione, propriè reatus peccati dumtaxat tollitur, & ministerium Sacerdotum solùm liberat à reatu.

58 Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo, qui pœnitentiam suggerens, & inspirans, vivificat eum, & resuscitat: ministerio autem Sacerdotis solùm reatus tollitur.

59 Quando per eleemosynas, aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerrimus, sicut quidam errantes autumant, (nam alioqui essemus saltem aliqua ex parte redemptores) sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, & communicatur.

60 Per passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non propriè redimuntur nostra delicta; sed per Communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus, qui pretio Sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur.

61 Illa Doctorum distinctio Divinæ legis mandata bifariam impleri; altero modo quantum ad peccatorum operum substantiam tantùm: altero, quantum ad certum quemdam modum, videlicèt, secundum quem valeant operantem perducere ad Regnum æternum (hoc est ad modum meritorum) commentitia est, & explodenda.

62 Illa quoque distintio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto & omnibus circunstantiis rectum est, & bonum (quod moralitèr bonum appellare consueverunt) vel quia est meritorium Regni æterni, eo quod sit à vivo Christi membro per Spiritum charitatis, rejicienda est.

63 Sed & illa distinctio duplicis justitiæ, alterius, quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem: alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritu Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua Divinæ legis justificatio impleatur, similitèr rejicitur.

64 Item, & illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ novæ propositum, inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, qua vivificatur, qui verè justificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur, paritèr commentitia est, & Scripturis minimè congruens.

65 Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sivè non malus: & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit, & docet.

66 Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67 Homo peccat, etiam damnabilitèr in eo, quod necessariò facit.

68 Infidelitas purè negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

69 Justificatio impii fit formalitèr per obedientiam Legis, non autem per occultam comunicationem, & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere Legem.

70 Homo existens in peccato mortali sivè in reatu æternæ damnationis potest habere veram charitatem: & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.

71 Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam non remittitur crimen extra casum necessitatis, aut martyrii sine actuali susceptione Sacramenti.

72 Omnes omninò justorum afflictiones sunt ultiones pecatorum ipsorum: undè, & Jacob, & Martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt.

73 Nemo præter Christum est absque peccato originali: hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut, & aliorum justorum fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.

74 Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut, & alii habitus pravi.

75 Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto: *Non concupisces.* Undè homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum: *Non concupisces*, quamvis

vis transgressio in peccato non deputetur.

76 Quamdiù aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

77 Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.

78 Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.

79 Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari, & institui sine justitia naturali.

124. *Propositiones Cornelii Jansenii damnatæ ab Innocentio X. pridie Kal. Junii* 1653.

1 ALiqua Dei præcepta hominibus justis violentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

2 Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur.

3 Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

4 Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, & in hoc erant hæretici, quod vellent, eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

5 Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

125. *Propositiones damnatæ, ut scandalosæ, & perniciosæ in praxi ab Alexand. VII. die 24. Sept.* 1665.

1 HOmo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, charitatis ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2 Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3 Sententia asserens, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultate Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.

4 Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque Sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

5 Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.

6 Confessarius, qui in Sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam posteà legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur solicitasse in confessione: ac proindè non est denuntiandus.

7 Modus evadendi obligationem denuntiandæ solicitationis est, si solicitatus confiteatur cum solicitante: hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

8 Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebrandi correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.

9 Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere collato illi minore stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10 Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione, etiam juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11 Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

12 Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13 Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.

14 Qui facit confessionem voluntariè nullam satisfacit præcepto Ecclesiæ.

Pœ-

15 Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16 Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17 Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18 Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19 Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20 Restitutio à S. Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis eo, quod sit pœna.

21 Habens Capellaniam Collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.

22 Non est contra justitiam beneficia non conferre gratis, quia collator conferens beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23 Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortalitèr, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subjicere præcepto.

24 Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.

25 Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26 Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27 Si libet sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.

28 Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa, non recipiat Legem à Principe promulgatam.

Ipse Alexand. VII. die 18. Martii 1666. damnavit sequentes propositiones.

29 IN die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30 Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31 Excusantur absolutè à præcepto jejunio omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit: & etiamsi iter unius diei conficiant.

32 Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.

33 Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascúmque eleemosynas, quas anteà beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

34 In die Palmarum recitans Officium Paschale, satisfacit præcepto.

35 Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsenti, & crastino.

36 Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum.

37 Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

38 Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quam primum, est consilium, non præceptum.

39 Illa particula, *quam primum*, intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40 Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantùm veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periri-

riculo consensus ulterioris, & pollutionis.

41 Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo, *regalo* dum deficiente illo nimis ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent: & alia famula nimis difficilè inveniretur.

42 Licitum est mutuanti aliquid ultra fortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43 Annuum legatum pro anima relictum, non durat plus, quam per decem annos.

44 Quoad forum conscientiæ reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45 Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.

126. *Innocentius XI. die 2. Martii 1679. damnavit sequentes propositiones.*

1 NON est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet Lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi: hinc sententia probabili tantùm utendum non est in collatione baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2 Probabilitèr existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.

3 Generatim dum probabilitate, sivè intrinseca, sivè extrinseca, quamtumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4 Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.

5 An peccet mortalitèr, qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.

6 Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinqueniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7 Tunc solùm obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.

8 Comedere, & bibere, usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini: quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus fui.

9 Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitùs caret culpa, ac defectu veniali.

10 Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11 Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12 Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui: & ita vix aliquis tenetur ad eleëmosynam, quando tenetur tantùm ex superfluo statui.

13 Si cum debita moderatione facias, potest, absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14 Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis: quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15 Licitum est filio gaudere de parricidio parentis à se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias indè ex hæreditate consecutas.

16 Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.

17 Satis est actum fidei semel in vita elicere.

18 Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo, tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19 Voluntas non potest afficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20 Hinc potest quis prudentèr repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21 Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili revelationis: imò cum formidine, ne non sit locutus Deus.

22 Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.

23 Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similivè motivo ad justificationem sufficit.

24 Vocare Deum in teste mendacii le-

levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25 Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sivè res sit levis, sivè gravis.

26 Si quis, vel solus, vel coram aliis, sivè interrogatus, sivè propria spontè, sivè recreationis causa; sivè quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis additum verum, re vera non mentitur, nec est perjurus.

27 Causa justa utendi his amphibologiis est quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita, ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

28 Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29 Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30 Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si alitèr hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fustè percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31 Regularitèr occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32 Non solùm licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33 Licitum est tàm hæredi, quàm legatario contra injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se talitèr defendere: sicut & jus habenti in Cathedram, vel præbendam contra eorum possessionem injustè impedientem.

34 Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35 Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum patitur: ac consequentèr dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36 Permissum est furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37 Famuli, & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38 Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39 Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40 Contractus *Mohatra* licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævìè inito cum intentione lucri.

41 Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

42 Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquàm ex benevolentia, & gratitudine debitum: sed solùm si exigatur tamquàm ex justitia debitum.

43 Quidni non nisi veniale sit detrahentis authoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44 Probabile est, non peccare mortalitèr, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat: Et si hoc non est probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45 Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solùm gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.

46 Et id quoque locum habet, etiam si temporale sit principale motivum dandi spirituale: imò etiamsi si finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

47 Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortalitèr peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium, vel primo videtur per hoc

digniores, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo: vel secundo, locutione minùs propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos: vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48 Tàm clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur.

49 Mollities Jure Naturæ prohibita non est: undè si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50 Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium: ideòque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

51 Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad strupandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti: puta, ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52 Præceptum servandi festa non obligat sub mortali seposito scandalo, si absit contemptus.

53 Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul à diversis celebrantibus audit.

54 Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas horas ad nihil tenetur: quia major pars trahit ad se minorem.

55 Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56 Frequens confessio, & communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57 Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58 Non tenemur confessario, interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59 Licet Sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis: v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ.

60 Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ & si emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

61 Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere: quinimò directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62 Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63 Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64 Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu-Christi.

65 Sufficit, illa mysteria semel credidisse.

127. Alexander VIII. die 7. Decemb. 1690. damnavit sequentes propositiones.

1 IN statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntati Adami peccantis.

2 Tametsi detur ignorantia invincibilis Juris Naturæ, hæ in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.

3 Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles, probabilissimam.

4 Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus, & solis fidelibus.

5 Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omninò accipiunt à Jesu-Christo influxum: adeòque hinc rectè inferes, illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficienti.

6 Gratia sufficiens statui nostro, non tàm utilis, quam perniciosa est, sic ut proindè meritò possimus petere: *A gratia sufficienti libera nos Domine.*

7 Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, charitas Patris est: si mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est.

8 Necessè est, infidelem in omni opere pecare.

9 Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura sine ullo ad Deum offensum respectu.

10 Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè, ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11 Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, pecatum est.

12 Quando in magnis péccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed Humana.

13 Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate, si caruerit, vitio non caret, quoties intuitus licèt beatitudinis operatur.

14 Timor gehennæ non est supernaturalis.

15 Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

16 Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit, non politia, aut institutio Ecclesiæ sed ipsa Christi Lex, & præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.

17 Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.

18 Consuetudo moderna, quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19 Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20 Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque, vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

21 Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, seu satisfactione ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis.

22 Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem precipiendam prætendunt antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

23 Similitèr arcendi sunt á Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixitionis expers.

24 Oblatio in Templo, quæ fiebat à B. V. M. die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficientèr testantur, quod indiguerit purificatione: & quod filius, qui offerebatur, etiam macula matris maculatus esset, secundum verba Legis.

25 Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare.

26 Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ vana est.

27 Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus: *In nomine Patris, &c.* prætermissis illis: *Ego te baptizo.*

28 Valet baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvi: *Non intendo, quod facit Ecclesia.*

29 Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Æcumenicum auctoritate, atque in fidei questionibus decernendis infallibilitate.

30 Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolutè potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31 Bulla Urbani VIII. *in Eminenti* est subrepritia.

128. Propositiones Michaelis Molinos damnatæ ab Innocent. XI. 28. August. & 19. Novem. 1687.

1 NEcessarium est annihilari potentias, & hæc est via interna.

2 Velle operari activè est offendere Deum, qui vult solus agens esse, & ideò necessè est derelinquere se in illo, & deindè se habere corporis mortui instar.

3 Vota faciendi aliquam rem sunt impeditiva perfectionis.

4 Activitas naturalis est inimica gratiæ, & impedit operationem Dei, & veram perfectionem, quia Deus vult operari in nobis sine nobis.

5 Anima nihil operando annihilat se, & redit ad suum principium, & ad suam originem, quæ est essentia Dei, ubi manet transformata, & divinizata: & tunc Deus manet in se ipso, quia tunc non

sunt

sunt amplius duæ res unitæ, sed una sola, & sic vivit, & regnat Deus in nobis, & anima se annihilat in esse operativo.

6 Interna via est illa, in qua non cognoscitur aut lumen, aut amor, aut resignatio : neque necessarium est cognoscere Deum, & sic benè proceditur.

7 Non debet anima cogitare aut præmium, aut pœnam, aut Paradisum, aut infernum, aut mortem, aut ætærnitatem.

8 Non debet velle scire, an ambulet cum voluntate Dei, an sit resignata illi, vel non : nec est necessè, ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihilum: sed sese habeat quasi corpus mortuum.

9 Non debet anima memor esse, vel sui ipsius, vel Dei, vel ullius rei, & in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio supra suas actiones humanas ad proprios defectus.

10 Si propriis defectibus aliquis scandalizat alterum, non est necessè ad id facere reflexionem, dummodo non sit voluntas scandalizandi, & non posse reflectere ad proprios defectus, est donum Dei.

11 Ad dubia, quæ accidunt, rectè ne procedamus, an non, non est necessarium reflectere.

12 Qui dedit liberum arbitrium Deo non debet curare de ulla re, nec de inferno, nec de Paradiso, nec de habendo desiderio suæ propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, à cujus etiam spe se purgare debet.

13 Dum consignatum fuerit liberum arbitrium Deo, illi debet relinqui cura, cogitatio omnium rerum nostrarum, & permitti, ut in nobis sine nobis suum Divinum faciat velle.

14 Qui resignatus est Divinæ voluntati, non debet à Deo quidquam petere: quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis, & electionis, & est quodammodo velle, ut Divina voluntas nostræ se conformet, & non nostra voluntati Divinæ. Et illud, *petite*, & *accipietis*, ex Evangelio non fuit dictum à Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem : quin & istæ eo deveniunt, ut non possint à Deo quidquam petere.

15 Unde sicuti nihil debent à Deo rogare, etiam non debent reddere illi gratias pro ulla re : quia utrumque est æqualiter actus ptopriæ voluntatis.

16 Non oportet quærere Indulgentias pro pœna debita peccatis propriis: quia melius est satisfacere Divinæ justitiæ, quam quærere misericordiam : nam illud procedit ex puro Dei amore, & hoc ex amore interessato, id est, personalis commodi nostri, & non est res grata Deo, nec meritoria, quia est velle subter fugere Crucem.

17 Ex quo traditum est Deo liberum arbitrium, cura etiam, ac cognitio animæ nostræ, non debent ulterius æstimari tentationes, nec alia fieri illis resistentia, nisi negativa, non utendo industria : Et si natura inde patitur necessè est illam sinire pati, quia natura est.

18 Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, specibus, & propriis conceptibus, non adorat Deum in Spiritu, & veritate.

19 Qui amat Deum, prout illum ratio argumentando repræsentat, aut intellectus comprehendit, non amat Deum verum.

20 Dicere in oratione utendum discursu, & cogitatibus tunc, cum Deus non loquitur animæ, est ignorantia: Deus non loquitur unquam, illius loqui est operari: semperque in anima operatur, dum ista suis discursibus, cogitationibus, & operationibus eum non impedit.

21 In oratione manendum est in fide obscura ; & universali cum quiete, & oblivione omnis alterius cogitationis particularis, & distinctè attributorum Dei, & Trinitatis: atque standum in presentia Dei ad eum adorandum, amandum, eique serviendum, verum sine productione ullorum actuum: Deus namque id genus rebus non delectatur.

22 Non est hæc cognitio fidei actus quispiam productus à creatura, sed cognitio quædam illi à Deo data, quam creatura non novit; se habere, neque adeò postea scit, se habuisse. Idemque dicendum de amore.

23 Mystici cum S. Bernardo in Scala Claustralium, distinguunt quatuor gradus, lectionem, meditationem, orationem, & contemplationem infusam. Qui semper est in primo, nunquam transit ad secundum. Qui semper est in secundo, nunquam ad tertium pertingit, quæ est contemplatio nostra adquisita, ubi consistendum est tota vita, dummodò Deus non trahat anima nihil tale expectantem, ad contemplationem infusam. Et hac cessante redeundum est animæ ad gradum tertium, & in eo consistendum, non amplius

plius revertendo ad secundum, aut primum.

24 Quantæcumque cogitationes interornandum accidant, etiam impuræ, quin & contra Deum, & Sanctos, contra fidem, & Sacramenta si non voluntariè foveantur, neque actu aliquo voluntatis rejiciantur, sed cum indiferentia, & resignatione tolerentur, non impediunt orationem fidei: imò illam reddunt perfectiorem, quia anima magis est resignata voluntati Divinæ.

25 Tametsi superveniat somnus, & dormiatur, omninò tamen oratur, & contemplatio fit actualiter: quia oratio, & resignatio, resignatio & oratio totum est idem, & quandiu continuatur resignatio, utique etiam oratio continuatur.

26 Tres hæ viæ, purgativa, illuminativa, & unitiva, ineptia est maxima, quæ unquam prælata sit in ipsa Mystica, cum non sit nisi via unica, id est, via interna.

27 Qui desiderat, & amplectitur devotionem sensibilem, is nec desiderat, nec quærit Deum, sed se ipsum: quique per viam internam incedit, malè facit eam desiderando, ac habere conando, sivè in locis sacris, sivè diebus solemnibus.

28 Bonum est tædium rerum spiritualium, quia sic ab amore proprio expurgamur.

29 Cum anima interna fastidit discursus de Deo, & virtutibus, manetque frigida, non sentiendo, se ad fervorem accendi, bonum signum est.

30 Quidquid sensibile in vita spirituali percipitur, illud omne abominabile est sordium, & immundum.

31 Nemo meditativus exercet veras virtutes internas, quales non possunt cognosci à sensibus, perdere oportet virtutes.

32 Nec ante, nec post Communionem alia opus est præparatione, aut gratiarum actione (pro animabus hisce internis) quam ut se teneant in solita resignatione pasiva: quia in hac invenitur amor, qui supplet modo perfectiori, quam omnes alii virtutum actus, qui fieri possunt, & fiunt in via ordinaria. Et si in hac occasione communi accidant motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimi debent, quoties non cognoscuntur esse speciales Dei impulsus: alitèr enim sunt impulsus naturæ nondum mortuæ.

33 Malefacit anima, quæ via ista interna graditur, si diebus solemnibus facere velit conatum aliquem particularem ad habendum sensum aliquem devotionis: quia animabus internis omnes dies sunt pares, omnes festi. Idemque est de locis sacris, quia omnia loca his animabus sunt paria.

34 Deo gratias agere lingua, & verbis non est animarum internarum, quarum est in silentio se tenere, non præbentes Deo impedimentum, quominus in iis operetur: & quanto amplius se Deo resignant, tanto magis experiuntur impotentiam dicendi: *Pater noster.*

35 Animabus hujus viæ internæ non convenit, ut faciant operationes, etiam virtuosas ex propria electione, & activitate: alioquin mortuæ non forent. Nec debent facere actus amoris erga Beatam Virginem, Sanctos, Humanitatem Christi: quia cum hæc sint objecta sensibilia, talis est amor erga illa.

36 Nulla creatura, nec Beata Virgo, nec Sancti Sedem habere debent in corde nostro, quia Deus solus vult occupare illud, & possidere.

37 In occasione tentationum, etiam vehementium non debet anima facere actus explicitos virtutum oppositarum, sed tenere se in supradicto amore, & resignatione.

38 Crux voluntaria mortificationum gravis est, & sine fructu, ideoque omittenda.

39 Opera Sanctissima, & austeritates, quas Sancti subierunt, non sufficiunt ad animam, vel uno assaltu liberandam.

40 B. Virgo nunquam opus aliquod externum fecit, & omnium Sanctorum fuit Sanctissima: igitur perveniri potest ad sanctitatem sine opere externo.

41 Deus, ut nos humiliet, & ad veram transformationem pertingere faciat, permittit, & vult in animabus quibusdam perfectis, etiam non arreptitiis, ut dœmon operetur violentiam in earum corporibus, illasque comittere faciat actus carnales, etiam in vigilia, & sine mentis offuscatione movendo illis physicè manus, aliaque membra contra earum voluntatem. Et idem dicendum est in ordine ad alios actus per se peccaminosos: quo casu non sunt peccatum, quia non adest consensus.

42 Potest dari casus, quo hæ violentiæ ad actus carnales existant in eodem tempore, ex parte duarum personarum, id est, viri, & fœminæ, & consequatur actus ex parte amborum.

Deus

43 Deus temporibus præteritis faciebat Sanctos per medium Tyrannorum, hodie eos facit per medium dæmonum, qui dum illis causant dictas violentias, facit, ut ii magis se vilificent, & annihilent in se ipsis, seque in Deo resignent.

44 Job blasphemavit, & tamen *in eo non peccavit labiis suis*, quia id fuit per violentiam dæmonis.

45 Sanctus Paulus passus est in suo corpore tales violentias dæmonis: undè scripsit: *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum, hoc facio.*

46 Hæ violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, eamque promovendam ad veram transformationem, & unionem, neque alia est via: estque via facilior, & securior.

47 Cum hæ violentiæ accidunt, oportet, sinamus Satanan agere, non utendo propria industria, aut viribus, sed consistendo in nihilo nostro: ac tametsi accidant pollutiones, actusque obscæni manibus procurati, atque etiam his magis insolita, & peregrina, non opus est his inquietari, sed excludendi sunt scrupuli, dubia, timores, quia anima magis illuminata, robustiorque, & candidior efficitur, & adquiritur sancta illa libertas. At in primis non oportet, ea confiteri fitque sanctissimè illa non confitendo, quia sic vincitur dæmon, & thesaurus quidam pacis obtinetur.

48 Satanas, qui facit tales violentias, suggerit deindè, esse graves defectus ad inquietandam animam, ut non progrediatur in via interna. Unde ad tollendas illi vires, præstat ea non confiteri: quia nequidem sunt peccata venialia.

49 Job per violentiam dæmonis faciebat pollutiones manibus suis eo ipso tempore, quo *mundas habebat ad Deum, preces*, ita interpretando in tali sensu Textum quemdam, Cap. 16. Job.

50 David, Jeremias, & multi è Prophetis Sanctis patiebantur ejusmodi violentias harum impurarum operationum externarum.

51 In Scriptura Sacra multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos, ut Sampsonis, qui per violentiam occidit se ipsum cum Philistæis, uxorem duxit alienigenam, fornicatus est cum Dalila meretrice: quæ alias erant res prohibitæ, & fuissent peccata. Item Judith, quæ mentita est Holoferni: Elisæi, qui pueris maledixit: Eliæ, qui igne consumpsit duos Duces cum cohortibus Regis Acab. An autem fuerit violentia facta immediatè à Deo vel dæmonis ministerio, ut in aliis accidit animabus in dubio relinquitur.

52 Quando hæ violentiæ, etiam impuræ, veniunt sine mentis offuscatione, tunc anima potest se unire Deo, & re ipsa semper magis unitur.

53 Ad cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violenta, regula, quam de ea re habeo, non solùm est, quod protestentur hæ animæ, se non consensisse, vel quod non possint jurare, se consensisse, ad quod videamus, esse animas, quæ profectum faciunt in via interna; sed præsertim me dirigo lumine quodam actuali, & quod superius est cognitione humana, ac Theologica, quo cognosco certò cum interna securitate, operationem ejusmodi esse violentam. Et hoc lumen certus sum venire à Deo: quia mihi venit conjunctum cum securitate, quod veniat à Deo, neque mihi, vel umbram dubii in contrarium relinquit, eum in modum, quo interdum accidit, ut Deus revelando rem quampiam, eodem tempore animam securam reddat, se esse, qui eam revelationem facit, neque anima possit in contrarium dubitare.

54 Spirituales illi viæ ordinariæ in hora mortis se delusos, & confusos invenient cum omnibus passionibus in altero Mundo expurgandis.

55 Per hanc viam internam pervenitur, etsi cum multa tolerantia, ad expurgationem, & mortificationem omnium passionum, ita ut nihil amplius sentiatur, nihil, nihil planè, neque percipiat quis inquietudinem ullam perindè, ut corpus quoddam mortuum, neque anima se amplius in diversa transferri sinat.

56 Duæ leges, & duæ voluntates, altera animæ, altera amoris proprii, durant, quandiu amor proprius durat. Unde ubi hic expurgatus, & mortuus fuerit, uti fit per viam internam, non amplius ibi sunt illæ duæ leges, neque duæ voluntates, nec ultra fit ulla subreptitio, aut motus improvisus, neque aliquid porrò sentitur, ne ullum quidem veniale peccatum.

57 Per contemplationem adquisitam pervenitur ad statum non peccandi amplius, seu mortalitèr, seu venialitèr.

58 Ad ejusmodi statum pervenitur, non faciendo reflexionem ad operationes proprias, quia defectus nascuntur ex reflexione.

59 Via interna separata est à confessione, à confessariis, & à casibus conscientiæ : à Theologia, & à Philosophia.

60 Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt : quin & eo, ut mortuæ sint, jam pertingunt, Deus nonnumquam impossibilem reddit confessionem, ipseque supplet tantundem ipsis largiendo gratiæ præservantis, quantum reciperent ex Sacramento : ideòque his animabus non expedit eo casu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, quia non possunt.

61 Anima, cum ad mortem mysticam pertingit, non potest ultra velle aliud, quam vult Deus : quia non habet amplius voluntatem, & Deus illam ipsi ademit.

62 Per viam internam pervenitur ad continuè consistendum immobilitèr in pace quadam imperturbabili.

63 Pervenitur etiam mediante via interna ad mortem sensuum: imò signum, quod quis in nihilo illo consistat, id est, mortuus sit morte mystica est, si sensus externi non magis jam representent res sensibiles, quam si non existerent, quandoquidem non efficiant, ut intellectus se iis applicet.

64 Theologus minus est dispositus, quam simplex, & idiota ad hoc ut sit contemplativus : primò quia non habet fidem tàm puram : secundò quia non est tàm humilis : tertiò, quia non curat perindè de sua salvatione : quartò, quia habet caput plenum phantasmatibus, speciebus, opinionibus, & speculationibus, & in eum nequit verum lumen intrare.

65 Superioribus obediri debet in exteriore, & latitudo voti obedientiæ Religiosorum pertingit solummodo ad exterius : aliud est in interiore, quo solus Deus, & director intrant.

66 Risu digna est doctrina quædam nova in Ecclesia Dei : animam ad interna quod attinet, gubernari debere per Episcopum, etsi is idoneus non fuerit, eumdum animæ ab illo ad suum directorem. Dico, novam, quia nec Scriptura Sacra, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Authores unquam id dixerunt, nec dicere possunt : quia *Ecclesia non judicat de occultis*, habetque jus anima, ut eligat quem maluerit.

67 Dicere, opus esse, ut internum manifestetur Tribunali externo Superiorum, & esse peccatum, nisi fiat, ea est deceptio manifesta, quia *Ecclesia non judicat de occultis*, atque animabus suis damnum adferunt fraudibus hisce, & fictionibus.

68 In Mundo non est facultas, nec jurisdictio ad mandandum, aut manifestentur litteræ directoris circa internum animæ : & idcircò monitos esse oportet, esse hunc assaltum quemdam Satanæ.

129. *Propositiones damnatæ à Clemente XI. die 8. Septemb. 1713. in percelebri Bulla Unigenitus Dei Filius, contra Kesnel.*

1 QUID aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superbia paupertas, & segnis indigentia : hoc est, generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum.

2 Jesu-Christi gratia principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum : absque illa non solùm nihil fit, sed nec fieri potest.

3 In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das, quod præcipis.

4 Ita Domine, omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.

5 Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inserviunt nisi ad illud magis obdurandum.

6 Discrimen inter fœdus Judaicum, & Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum Legis á peccatore, relinquendo illum in sua impotentia : in isto verò, Deus peccatori dat, quod jubet, illum sua gratia purificando.

7 Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati imponendo ipsi suam Legem? Quæ verò felicitas non est admitti ad fœdus, in quo nobis Deus donat quod petit à nobis.

8 Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.

9 Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.

Gra-

10 Gratia est operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare.

11 Gratia non est aliud, quam voluntas Omnipotentis Dei jubentis, & facientis, quod jubet.

12 Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.

13 Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interioris gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit.

14 Quantumcumque remotus à salute sit peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ oportet, ut se dedat, accurrat, sese humiliet, & adoret Salvatorem suum.

15 Quando Deus mandatum suum, & suam æternam locutionem comittatur unctione sui spiritus, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.

16 Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ: quia nihil resistit omnipotenti.

17 Gratia est vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jesum-Christum: quicumque ad eum non venit postquam audivit vocem exteriorem filii, nullatenùs est doctus à Patre.

18 Semen Verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum.

19 Dei gratia nihil aliud est, quam ejus omnipotens voluntas: hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis.

20 Vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi à nobis obediri, & obeditur: imperat, & omnia fiunt: loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi sumissa sunt.

21 Gratia Jesu-Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpotè quæ est operatio voluntatis omnipotentis, sequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & resuscitantis filium sunt.

22 Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipsius voluntatis consensu demonstratur illicò nobis in incarnatione, veluti in fonte, atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ sunt, sicut ipsa originalis operatio.

23 Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, qua creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.

24 Justa idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei, & Jesu-Christi in sanandis corporibus solu motu suæ voluntatis est imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate.

25 Deus illuminat animam, & eam sanat æquè ac corpus: sola sua voluntate jubet, & ipsi obtemperatur.

26 Nullæ dantur gratiæ nisi per fidem.

27 Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.

28 Prima gratia, quam Deus concedit peccatori est peccatorum remissio.

29 Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.

30 Omnes quos Deus vult salvare per Christum salvantur infallibiliter.

31 Desideria Christi semper habent suum effectum, pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

32 Jesus-Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est, electos, de manu Angeli exterminatoris.

33 Proh! quantum oportet bonis terrenis, & sibimetipsi renuntiasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam appropriandi Christum Jesum ejus amorem, mortem, & mysteria, ut facit Sanctus Paulus dicens, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

34 Gratia Adami non producebat; nisi merita humana.

35 Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita naturæ sanæ, & integræ.

36 Differentia essentialis inter gratiam Adami, & status innocentiæ, ac gratiam christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepisset: ista verò non recipitur, nisi in persona Jesu-Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.

37 Gratia Adami sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata: Gratia christiana nos sanctificando in Jesu-Christo est omnipotens, & digna Filio Dei.

38 Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia liberatoris.

39 Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum: ardoris, nisi ad se præcipitandum;

dum : virium , nisi ad se vulnerandum, est capax omnis mali , & incapax ad omne bonum.

40 Sine gratia nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem.

41 Omnis cognitio Dei , etiam naturalis , etiam in Philosophis Ethnicis non potest venire , nisi à Deo , & sine gratia non producit , nisi præsumptionem , vanitatem , & oppositionem ad ipsum Deum loco affectum adorationis, gratitudinis , & amoris.

42 Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad sacrificium fidei : sine hoc nihil nisi impuritas , nihil nisi indignitas.

43 Primus effectus gratiæ baptismalis est facere , ut moriamur peccato : adeò ut spiritus , cor , sensus non habeant plus vitæ pro peccato , quam homo mortuus habeat pro rebus mundi.

44 Non sunt nisi duo amores , undè volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur : amor Dei , qui omnia agit propter Deum : quemque Deus remuneratur, & amor , quo nos ipsos , ac mundum diligimus , qui quod ad Deum referendum est , non refert , & propter hoc ipsum fit malus.

45 Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante , necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas , omnesque actiones ejus corrumpat.

46 Cupiditas, aut charitas usum sensuum bonum , vel malum faciunt.

47 Obedientia Legis profluere debet ex fonte , & hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius , & Dei gloria ejus finis , tunc purum est , quod apparet exterius , alioquin non est , nisi hypocrisis , aut falsa justitia.

48 Quid aliud esse possumus nisi tenebræ , nisi aberratio , & nisi peccatum sine fidei lumine , sine Christo , & sine charitate ?

49 Ut nullum peccatum est sine amore nostri , ita nullum est opus bonum, sine amore Dei.

50 Frustra clamamus ad Deum : Pater mi , si spiritus charitatis non est ille, qui clamat.

51 Fides justificat , quando operatur : sed ipsa non operatur , nisi per charitatem.

52 Omnia alia salutis media continentur in fide , tanquam in suo germine, & semine : sed hæc fides non est absque amore , & fiducia.

53 Sola charitas christiano modo facit (actiones christianas) per relationem ad Deum , & Jesum-Christum.

54 Sola charitas est, quæ Deo loquitur , eam solam Deus audit.

55 Deus non coronat nisi charitatem: qui currit ex alio impulsu , & ex alio motivo , in vanum currit.

56 Deus non remunerat nisi charitatem , quoniam charitas sola Deum honorat.

57 Totum deest peccatori , quando ei deest spes : Et non est spes in Deo , ubi non est amor Dei.

58 Nec Deus est , nec Religio , ubi non est charitas.

59 Oratio impiorum est novum peccatum , & quod Deus illis concedit , est novum in eos judicium.

60 Si solus supplicii timor animat pœnitentiam , quo hæc est magis violenta , eo magis ducit ad desperationem.

61 Timor non nisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur quamdiu ab amore justitiæ non ducitur.

62 Qui à malo non abstinet nisi timore pœnæ , illud committit in corde suo , & jam est reus coram Deo.

63 Baptizatus adhuc est sub lege , sicut Judæus , si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.

64 Sub maledicto legis nunquam fit bonum , quia peccatur , sivè faciendo malum , sivè illud non nisi ob timorem, evitando.

65 Moyses , Prophetæ , Sacerdotes, & Doctores legis mortui sunt absque eo, quod ullum Deo dederint filium , cum non effecerint nisi mancipia per timorem.

66 Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus , neque adduci per instinctum naturalem , aut per timorem sicuti bestiæ , sed per fidem , & per amorem sicuti filii.

67 Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum , imperiosum , injustum , intractabilem.

68 Dei bonitas abbreviavit viam salutis claudendo totum in fide , & precibus.

69 Fides, usus, augmentum, & præmium fidei totum est donum puræ liberalitatis Dei.

70 Nunquam Deus afligit innocentes , & afflictiones semper serviunt , vel

ad

ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.

71 Homo ob sui conservationem potest se se dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.

72 Nota Ecclesiæ Christianæ est, quod sit Catholica, comprehendens, & omnes Angelos Cœli, & omnes electos, & justos terræ, & omnium sæculorum.

73 Quid est Ecclesia, nisi cœtus filiorum Dei manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri sæculi?

74 Ecclesia, sivè integer Christus incarnatum Verbum habet, ut caput, omnes verò sanctos, ut membra.

75 Ecclesia est unus solus homo compositus ex pluribus membris, quorum Christus est caput, vita, subsistentia, & persona: unus solus Christus compositus ex pluribus sanctis, quorum est sanctificator.

76 Nihil spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes electi, & justi omnium sæculorum illam componunt.

77 Qui non ducit vitam dignam filio Dei, & membro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre, & Christum pro capite.

78 Separatur quis à Populo electo, cujus figura fuit Populus Judaicus, & caput est Jesus-Christus, tàm non vivendo secundum Evangelium, quàm non credendo Evangelio.

79 Utile, & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere, & cognoscere spiritum, pietatem, & mysteria Sacræ Scripturæ.

80 Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus.

81 Obscuritas Sancta Verbi Dei non est laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione.

82 Dies Dominicus à Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, & super omnia Sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere.

83 Est illusio sibi persuadere, quod notitia mysteriorum Religionis non debeat communicari fœminis lectione Sacrorùm Librorum. Non ex fœminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est Scripturarum abusus, & natæ sunt hæreses.

84 Abripere è christianorum manibus novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.

85 Interdicere christianis lectionem Sacræ Scripturæ, præsertim Evangelii est interdicere usum luminis filiis lucis, & facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis.

86 Eripere simplici Populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ est usus contrarius praxi Apostolicæ, & intentioni Dei.

87 Modus plenus sapientia, lumine, & charitate est dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minùs satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur.

88 Ignoramus, quod sit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem.

89 Quartusdecimus gradus conversionis peccatoris est, quod cum sit jam reconciliatus habet jus assistendi sacrificio Ecclesiæ.

90 Ecclesia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu, saltem præsumpto totius corporis.

91 Excommunicationis injustè metus numquam debet nos impedire ab implendo debito nostro: nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo Jesu-Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus.

92 Pati potius in pace excommunicationem, & anathema injustum, quam prodere veritatem, est imitari Sanctum Paulum: tantùm abest, ut sit erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem.

93 Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato. Jesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.

94 Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis: quam videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, & foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.

95 Veritates eo devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque christianis, & modus eas prædicandi est veluti idioma incognitum: adeò remotus est à simplicitate Apostolorum, & supra communem captum fidelium. Neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maximè sensibilibus senectutis Ecclesiæ, & iræ Dei in filios suos.

96 Deus permittit, ut omnes potestates sint contrariæ prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria atribui non possit, nisi Divinæ gratiæ.

97 Nimis sæpè contingit, membra illa, quæ magis sanctè, ac magis strictè unita Ecclesiæ sunt, respici, atque tractari tanquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tanquam ab ea separata: sed justus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.

98 Status persecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat tanquam hæreticus, flagitiosus, & impius, ultima plerumque probatio est, & maximè meritoria, utpotè quæ facit hominem magis conformem Jesu-Christo.

99 Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo, aut aliquid examinare, aut cognoscere se fuisse deceptum, mutant quotidiè, quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in sua Ecclesia possuit, ut in ea esset odor vitæ; v. g. bonos libros, instructiones, sancta exempla, &c.

100 Tempus deplorabile, quo creditur, honorari Deus, persequendo veritatem, ejusque discipulos. Tempus hoc advenit:: Haberi, & tractari à Religionis Ministris, tamquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in Societatem Sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, persequendo flamma, ferroque viros probos, si propria passione est excœcatus, aut abreptus aliena, propterea, quod nihil vult examinare. Frequentèr credimus sacrificare Deo impium, & sacrificamus diabolo Dei servum.

101 Nihil spiritui, & doctrinæ Jesu-Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere, ut nomen, & veritas Dei aliquando deserviant Consilio impiorum.

130 Vix quidem ab ingratitudinis, vel saltem stupiditatis nota excusari possem, si hic referre omitterem honorificentissimum Breve, quo hujus Bullæ occasione Supremus Ecclesiæ, Princeps Universitatem Salmantinam à calumnia sibi immerito inusta merito vindicavit.

DILECTIS FILIIS Rectori, Professoribus, ac Moderatoribus Universitatis Salmanticensis.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecti filii, salutem, & Apostolicam benedictionem. Etsi præclara, & sanè vetus animoque nostro altius infixa opinio, quam gerimus de syncera, incorruptaque celebris Universitatis Salmanticensis Religione, facile Nobis persuaserit, rumorem adversus illam à Novatoribus, quorum os felle, & amaratudine plenum est, impudentèr disseminatum, quoad Apostolicam nostram Constitutionem, cujus initium est, Unigenitus Dei Filius, omninò à veritate alienum esse: nihilominùs perlibentèr accepimus, ac legimus Epistolam vestram die 19. præteriti mensis Augusti ad Nos datam una cum illi adjectis documentis, quibus non modo calumniam vobis inustam perspicuè diluitis, verumetiam universo Catholico Orbi luculentèr testatam facitis ægregiam vestram in sana doctrina tuenda constantiam, inconcussamque obedientiam definitionibus Supremæ Cathedræ Beati Petri, in qua idem gloriosus Apostolorum Princeps vivit adhuc, & præsidet, præstatque quærentibus fidei veritatem. Repleti itaque sumus consolatione, & super abundavimus gaudio, cernentes vos firmitèr adeò illustribus majorum vestrorum vestigiis, ac exemplis insistere, quorum præstanti virtuti, perpetuoque in hanc Sanctam Sedem studio, satis constat, magnâ ex parte deberi singularem illam, & planè insignem prærrogativam inclytæ Hispanicæ Nationi concessam: quod scilicèt ipsa tot sæculorum decursu ab omni hæresis labe se immunem, inviolatamque servaverit: adeòque splendidum, & gloriosum Catholicæ titulum merito adepta fuerit. Debitis propterea

lau-

laudibus vos, dilecti filii, in Domino prosequentes, paternè vos adhortamur, ut avita decora, nominisque vestri dignitatem constantèr tueri pergatis, ac ab Academia vestra, quàm diligentissimè arcere curetis profanas vocum novitates, quibus iniquitatis filii miseris hisce temporibus vetustatem incessere omni ope nituntur, quasi Evangelium Christi, ut inquit Apostolus convertere paulatim vellent. Id porrò de perspecta pietate, eximiaque Sapientia vestra nobis abundè polliciti planè confidimus, fore, ut exempli vestri authoritate in dies magis confundantur, ac erubescant, qui supra ipsam Supremam Cathedram caput attollere procacitèr audent, nec intelligunt, se Magistros effici erroris, dum Christiana humilitate fieri indignantur discipuli veritatis. Omnipotens Deus dirigat vias vestras in beneplacito suo, ac omnia vobis læta, atque secunda largiatur, quibus Nos paternæ nostræ charitatis testem Apostolicam benedictionem permanenter impartimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annullo Piscatoris, die 12. Octobris 1716. Pontificatus nostri anno XVI.

Post sigillum.

Joannes Christophorus Archiepiscopus Amasiæ.

131 Demum quamvis propositiones à Summis Pontificibus damnatas nec docere, nec practicare possimus, eas tamen ad impugnandum adducere, vel ob oculos apponere, ut tanquam cibus prohibitus, & infectus vitentur, licitum, & laudabile est: quin & omninò licet eas in bono sensu, & juxta Doctorum sententias interpretari, ut aurum ab scoria separetur: ita tamen ut potius de mente Legislatoris, quam de verborum cortice curetur. Ipsæ namque tantùm prout jacent, sunt damnatæ: unde si aliquid addatur, vel detrahatur, adeò, ut sanus, verus, & Catholicus sensus maneat, sustineri utique debent. Et licèt solùm damnatæ sint propositiones prout jacent, ita ut earum sensus accipiatur cum proprietate Theologica, & ut sonat in communi vocum explicatione: tamen si fortiori ratione aliæ improbandæ veniant, impracticabiles profecto sunt: nam si marito uxorem in adulterio deprehensam occidere illicitum est: nonnè licitum erit sponso occidere sponsam sic deprehensam? Propositio, ex qua legitimè infertur damnata, manet antiquata; secus est si per varias tricas inferri videatur. Ad salvandam propositionis damnationem, sufficit, quod contradictoria ejus verificetur. Quando propositio est copulativa regulariter singula membra reprobantur, nisi alia sit Pontificis mens, & constet, quod potius copulatio, quam quodlibet membrum sigillatim, damnetur. Quando aliquid illicitum à Pontifice declaratur, debet attendi gravitas, vel levitas materiæ, ut secundum eam peccatum mortale, vel veniale adstruatur: nam aliquando veniale non excedet, si aliqua propositio in praxim deducatur: ut facilè ex Propos. 9. damnata ab Innoc. XI. liquet: quamquam semper grave sit authoritatem alicujus Pontificis Decreti contemnere. Et sic intelligitur, quod in ipsis habetur, quando prohibetur in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini judicii, ne quis prædictarum opinionum aliquam in praxim deducat. De justitia damnationis dubitare insanire profectò esset: nobis enim sat erit respondere: ille dixit, qui stateram veritatis in manu portat. Si de propositionis sensu dubites, consule Interpretes, qui de eis abundè scripserunt, scilicèt, *Castro*, *Cardenas*, *Gutierre Hurtado*, *Viva*, *Fontayne*, *&c.*

TIT. VIII.

De Schismaticis, & ordinatis ab eis.

132 SChisma, ait *Text. in cap.* 34. 24. *q.* 1. *quod Græcum nomen est, scissuram sonat.* Idem est juxta Nebrissensem, qui dicit schisma interpretatur *scissura. Hispanè*: *Cisma*, *divisio*, *seu discordia.* Sicque communitèr definitur: *Est divisio, seu discessio ab unitate Ecclesiæ, quatenùs hæc est Corpus mysticum constans ex Romano Pontifice, tanquam ex Capite, & universis fidelibus tanquam membris. D. Thom.* 2. 2. *q.* 39. *art.* 1. *Gonzalez in cap.* 2. *h. t. n.* 4. *& alii.* Et sanè schisma gravissimum peccatum est, quia quantum est ex se unitatem Ecclesiæ scindit: quæ malitia tota reperitur in quacumque re fiat recessus ab Ecclesiæ unitate, ac proindè materiæ parvitatem non admittit. Et quam detestabile sit hoc crimen satis colligitur ex pœnis, quas

quas Deus ob illud inflixit Chore, Datan, & Abiron, quos terras vivos absorbuit, quippè qui à Summo Sacerdote Aaron se abalienarunt. *Num.* 16. Et licèt schisma absolutè possit sine hæresi inveniri, si nempè solùm sit contra charitatem, & pacem, & non contra fidem: quando scilicèt aliquis ex sola malitia non vult Romano Pontifici obedire: regularitèr tamen cum hæresi conjungitur, *cap.* 26. 24. *q.* 3. ibi: *Cæterum nullum schisma non aliquam sibi contingit hæresim, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur.* Schisma enim est quasi hæresis inchoata, ita ut si inveterescat, in hæresim demum degeneret. Schisma ergo differt ab hæresi præcipuè in eo: quod hæresis per se, & directè fidei opponitur, aliquem articulum negando, vel de eo positivè dubitando. Schisma autem charitati opponitur Ecclesiæ tollendo unitatem, *cap.* 34. 24. *q.* 1. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 39. *art.* 1. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 7. Hinc est, quod si unitas non præcedit, non potest schisma sequi. Et hac ratione Judæi, & infideles non possunt in schisma incidere: quippè numquam habuerunt unitatem Ecclesiæ. Sicut enim seditio dissensionem in corpore Politico inducit, sic schisma in corpore Ecclesiæ mystico divisionem facere intendit. Hinc Schismaticus est qui pertinacitèr recedit ab odedientia Romani Pontificis, quem credit, esse Christi Vicarium, & Caput Ecclesiæ, ei quidem negando obedientiam, & reverentiam debitam, & ab aliis fidelibus Ecclesiæ membris se dividit, & sejungit. Et quamquam Ecclesia, quæ unica profecto est; revera non possit recipere divisionem in duas, *cap.* 18. 24. *q.* 1. possunt tamen Ecclesiæ membra se ab illa dividere, & hoc est facere schisma, ut ait Saurez. Schismatici equidem sunt, qui absque consensu R. Pontificis congregare Concilium Generale præsumunt; vel si illud prosequantur, postquam legitimè est disolutum. Schismatici similitèr sunt, qui appellant à Papa ad Concilium Generale, ut Superius Papa. Qui verò ad Concilium Generale, cui Papa præsit, ut ejus caput appellant, non sunt Schismatici, quia à Papa ad Papam appellant: hoc tamen prohibitum est *in Bull. Cœn. cas.* 2. Sic Catholici, qui in Anglia Regi exhibent obedientiæ signa, quibus eum esse Vicarium Christi in spiritualibus profitentur, sunt Schismatici licèt interius non credant, sic esse: quia schisma in opere externo consistit, quo quis ab unitate Ecclesiæ se sejungit. *Suar. de Cens. D.* 21. *sect.* 2. *n.* 13. *Sanch. in Decal. L.* 2. *cap.* 36. *num.* 14.

133 Qui ab obedientia unius Episcopi recedit, si adhuc in Pontificis obedientia perseveret, non dicitur Schismaticus, nisi impropriè, & lato modo ut *in cap.* 7. 7. *q.* 4. 1. Nec qui Papæ obediri recusat in temporalibus; quia ut Dominus temporalis non est caput Ecclesiæ. *Gonz. in cap.* 2. *h. t. num.* 4. Nec qui non præstat obedientiam, quando duo sunt Pontifices electi, & non constat, quis legitimus sit: dum sit paratus obedire, ei quem Concilium Generale, quod tunc congregandum est, esse Pontificem declaret. Nec qui ipsi Pontifici, non vult obedire, in odium, & vindictam illius, quia ejus persona ei videtur suspecta, vel odiosa. *Azor p.* 1. *L.* 8. *cap.* 20. *q.* 4. Qui contra Papæ præceptum, vel prohibitionem non obedit, inobediens, non tamen Schismaticus erit, alias violatio cujuslibet præcepti Ecclesiastici schisma esset: quod est falsum, quia adhuc potest Pontificem, ut caput Ecclesiæ recognoscere. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 39. *art.* 2. Qui peccat gravitèr, licèt sit membrum mortuum, non tamen se separat ab Ecclesiæ unitate, quæ in fide, & usu Sacramentorum cum debita ad Pontificem subjectione consistit. Qui excommunicatus est non se separat, sed separatur ab Ecclesia, ac proindè, nec peccator, nec excommunicatus sunt Schismatici. *Farin. Prax. q.* 184. *ex n.* 24.

134 Schismatici impropriè tales nullam pœnam incurrunt. Qui verò propriè Schismatici sunt, etiam si non sint hæretici, has pœnas incurrunt. 1. excommunicationem majorem, *cap.* 5. *D.* 19. quæ est ipso jure lata, & reservata Pontifici *in Bull. Cœn. cas.* 1. quæ non extenditur, quia constitutio odiosa est, ad fautores, defensores, & receptatores schismaticorum, quia de eis non loquitur expressè. *Suar. de Cens. D.* 21. *sect.* 2. *ex n.* 12. *Sanch. in Decal. L.* 2. *cap.* 36. *n.* 16. incurrunt tamen excommunicationem non reservatam, *cap. un. h. t. in 6.* 2. Schismatici incurrunt infamiam (& quidem tantùm facti) ob criminis enormitatem: non verò infamiam juris: quia in jure non exprimitur: ac proindè cessat, vel non inducitur crimine per pœnitentiam delecto. *Barb. in cap.* 1. *h. t. n.* 5. *Suar. de Cens. D.* 43. *sect.* 2. *n.* 7. *Sanch. in Decal. L.* 2. *cap.* 36. *n.* 20. 3. privantur jurisdictione Ecclesiastica, saltem post declaratoriam cri-

criminis sententiam, *cap.* 31. 24. *q.* 1. Sicque sunt invalidæ collationes beneficiorum, uniones Ecclesiarum, rerum Ecclesiasticarum alienationes, &c. à Schismaticis factæ, *cap.* 1. *h. t. D. Thom.* 2. 2. *q.* 19. *art.* 3. *Gonz. in cap.* 1. *h. t. num.* 2. 4. privantur beneficiis, officiis, & dignationibus Ecclesiasticis ante habitis, *cap. un. h. tit. in 6.* non tamen ipso facto, nisi quando schisma cum hæresi est conjunctum. *Gonz. de Benef. p.* 11. *cap.* 10. *n.* 151. *Sanch. in Decal. L.* 2. *cap.* 36. *num.* 19. & bona confiscantur. 5. Fiunt inhabiles ad obtinendum in posterum beneficia, & dignitates Ecclesiasticas, *cap. un. h. t. in 6.* Præcipuè Episcoporum, *cap.* 5. *de Elect.* & manet hæc inhabilitas etiam post pœnitentiam peractam, & adjurationem schismatis, ut contra alios tenent *Suar. de Cons. D.* 43. *sect.* 2. *num.* 7. si schisma publicum est, solus Pontifex, vel ab eo specialiter ad hoc delegatus dispensat in hac inhabilitate, ut tenent *Sanchez in Decal. L.* 2. *cap.* 36. *n.* 18. *Garc. p.* 11. *de Benef. cap.* 10. *n.* 164. contra *Abbat. Decium*, & *Lambertini.* Si schisma occultum sit dispensat Episcopus: *ex Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 6. imò tunc non esse necessariam dispensationem, tenent *Garc. p.* 11. *de Benef. cap.* 10. *num.* 162. 6. si Episcopus Schismaticus aliquem ad Sacerdotem ordinet, ordinatio quidem valida est, quia potestas ordines conferendi est Jure Divino annexa ordini Episcopali, & characteri impresso. Scienter tamen ordinatus ab Episcopo Schismatico, qui talis sit notoriè, & ut talis est nominatim denuntiatus, suspensus est ipso jure ab ordinum susceptorum exercitio: & ideò talis ordinatio dicitur irrita *in cap.* 1. *h. t.* non quia invalida, & irrita sit: nam Ecclesia nequit Episcopo auferre potestatem ordinandi, quæ à charactere indelebili procedit. Dicitur tamen irrita, quoad effectum tantùm: quia Ecclesia non permittit, ordines susceptos exerceri. Si verò Episcopus Schismaticus non sit, ut talis nominatim denuntiatus, qui ab eo ordinatur, probabiliter non incurrit suspensionem ab exercitio ordinum. Episcopus potest dispensare cum eo, qui ignoranter, non ignorantia crassa ordines ab Episcopo Schismatico suscepit. *Gloss. in cap. fin. h. tit.* V. *Potestatem. Barbos.* & *Gonz. in cap.* 1. *h. t.* Cognitio hujus criminis saltem in Hispania spectat ad S. Inquisitionis Tribunal. *Sousa in Aphorism. L.* 1. *q.* 20. *Gonz. in cap.* 2. *h. t. num.* 5.

TIT. IX.

De Apostatis, & reiterantibus baptisma.

135 *Apostasia* Græcè rebellionem, vel renuntiationem significat. Apostata ille dicitur, qui retrocedit ab eo, quod incæpit juxta Nebrissensem; *ex D. Aug. in cap.* 16. 26. *q.* 7. apostatam retroeuntem interpretatur. Apostasia est triplex. Apostasia à fide: 2. à Religione: 3. ab Ordine. Apostasia à fide, quæ etiam perfidiæ apostasia dicitur, est quædam totalis disertio fidei in baptismo susceptæ: cum quis; v. g. fit Judæus, Paganus, Maurus, vel Atheista, *cap.* 24. 2. *q.* 7. *cap.* 7. 3. *q.* 4. *L.* 1. & 2. *cap. h. t.* Hispanè dicitur: *Renegado.* Differt ab hæresi: nam hæc est recessus à fide in parte. Apostasia verò, est recessus in totum, ac proinde omnis Apostata hæreticus est, non verò è contra. Qui per vim præcisam, & absolutam circumcidatur, vel idolis sacrificat, non est apostata: quia ille potius patitur, quam agit, *capit.* 32. *D.* 50. Qui verò per metum, etiam mortis, à fide recedit, vel idolis sacrificat, grave peccatum committit contra fidem, quæ etiam exterius profiteri debet. *Matth.* 10. *n.* 33. ibi: *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo, & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis est.* Cum tamen corde fidem retineat, absitque error, & pertinatia, non est apostata in foro interno, nec excommunicationem apostatarum incurrit. *Azor, p.* 1. *L.* 8. *cap.* 21. *q.* 5. *Sanch. in Decal. L.* 2. *cap.* 7. *n.* 8. *Gonz. in cap.* 4. *h. t. n.* 5. in foro tamen externo habetur pro apostata, & ut talis punitur. *Can.* 61. *Apostolorum*, & alibi. Tales ergo apostatæ, & eorum fautores, receptatores, &c. excommunicantur, cæterisque pœnis in Hæreticos, & eorum fautores, &c. latis puniuntur, *cap.* 13. *de Hæret. in 6.* vivi in perpetuum possunt accusari, & post mortem usque ad quinquennium. *L.* 2. *L.* 4. *C. h. t. Azor, p.* 1. *L.* 8. *cap.* 21. *q.* 7. *Sanch. in Decal. L.* 2. *capit.* 7. *n.* 18. *Gonz. in cap.* 4. *h. t. n.* 6.

136 Apostatæ à Religionæ sunt, qui Religionem omninò deserunt sine animo ad eam redeundi, ut diximus *in tit. de Regular.* Nec mirum est, quod in domibus Religiosis, ubi sunt scholæ perfectionis, aliquis ab itinere recto in vitia declinet.

net. Nam inter Apostolos Judas: in Arca Noe, in domo Abraham, & in domo Jacob aliqui reprobi sunt inventi, *cap. 9. D.* 47. Religiosi apostatæ, ipso quidem facto excommunicantur post habitum dimissum, *cap.* 2. *Ne Cler. vel Monach. in 6.* qui verò habitum non dimisserunt, licet sint excommunicandi, non tamen sunt ipso jure excommunicati. *Greg. XIII. in Bull. Ascend. Sanch. in Decal. lib. 6. cap.* 8. *n.* 11. *&* 20. 2. Suspenduntur ab exercitio Sacrorum Ordinum, quos durante apostasia susceperunt, non verò eis interdicitur usus ordinis cujusque ante apostasiam recepti. Hæc suspensio perpetua est, nisi Papa dispenset, duratque etiam post pœnitentiam peractam, *cap. fin. h. t.* Si verò nullum ordinem in apostasia ipse recipiat, & posteà ad Religionem redeat, poterit ad omnes Ordines promoveri, & in susceptis ministrare. Si verò Minores Ordines suscepit in apostasia, poterit cum eo Episcopus dispensare. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap.* 8. *ex n.* 24. 3. Omnia Religionis privilegia amittunt: non tamen nisi dimisso habitu, & secuta sententia criminis declaratoria. *Trid. sess.* 25. *de Regul. cap.* 19. *Sanch. in Decal. lib. 6. cap.* 8. *n.* 34. possuntque Prælati apostatas, & fugitivos, ubicumque sint, persequi, & deprehensos capere, etiam brachio sæculari invocato, & hoc expressè est concessum nostræ Societati. Nec ob solam apostasiam subduntur Tribunali S. Inquisitionis, nisi matrimonium contrahant tales apostatæ. Nam tunc per Inquisitores poniuntur, ut ex Edicto Inquisitionis constat, *num.* 8. *Gonzal. in cap. fin. h. t. n. 6. in fin.* Deniquè debent Prælati apostatas, juxta uniuscujusque Religionis Constitutiones, punire, & sub gravi custodia incarcerare, ita quod *solummodo vita sibi misera reservetur, donec à suæ præsumptionis nequitia resipiscat, cap.* 5. *h. t.* & fortè sæpè erit necessarius hic rigor ad tàm improbos homines reprimendos, quia ut ait *August. in cap. 9. D.* 4. *Quomodo difficilè sum expertus meliores, quam, qui in Monasteriis profecerunt: ita non sum expertus pejores, quam, qui in Monasteriis ceciderunt.*

137 Apostata ab Ordine est non quidem ille, qui deserit Ordinem Religiosum: nam talis apostata à Religione dicitur: sed qui, Ordinem Clericalem deserit: ille scilicèt qui in Sacris Constitutus ad statum laicalem, matrimonium, vel militiam, propria authoritate transit, relicto ordine suo, & dimisso habitu, ac tonsura. Qui verò est in minoribus Ordinibus constitutus, etiam cum beneficio solum latè potest apostata dici: Tales apostatæ, quando constat de apostasia ab Ordine, & statu Clericali: 1. amittunt privilegium Canonis: sicque, si Clericus dimisso habitu, & tonsura ab Episcopo ter monitus non resipuerit, illum percutiens, non incurrit excommunicationem Canonis, *cap.* 25. *de Sentent. excommun.* 2. excommunicantur excommunicatione majori sententiæ ferendæ, *cap.* 3. *h. t.* nisi de facto contrahant matrimonium: nam tunc ipso facto excommunicantur. *Cl. un. de Consaguinit.* Nullibi tamen invenitur reservata hujusmodi excommunicatio: 3. fiunt infames, & irregulares, infamia quidem non juris, sed tantùm facti: quæ proindè per pœnitentiam tollitur.

138 Quando non constat de apostasia, sunt tamen aliqui gravitèr diffamati: tunc probatione deficiente, compelluntur tales se canonicè purgare, & si purgationem non præstent pro convictis habentur, *cap.* 3. *h. t.* Et habitum reassumere, etiam per incarcerationem; coguntur: donec resipiscant à suæ præsumptionis nequitia, *cap.* 5. *h. t.* In secunda parte Rubricæ agitur de reiterantibus baptisma. Hi enim variis pœnis puniuntur. Nam scientèr rebaptizans, & rebaptizatus, nullo dubio præcedente de baptismi valore, fiunt irregulares. *L.* 20. *tit. 6. p.* 1. Imò, & Acolytus, Subdiaconus, & Diaconus, qui baptizanti ministrant, fiunt irregulares, si crimen Acolyti sit publicum, *cap.* 2. *h. t.* si crimen publicum est, solus Papa: si occultum, etiam Episcopus in tali irregularitate dispensat. *Ttident. sess.* 24. *de Reform. cap. 6. Barbos. cap.* 2. *h. t. & alii com.* Jure Civili tàm rebaptizans, quàm rebaptizatus pœna capitali plectuntur. *L.* 2. *C. Ne Sanct. Baptism. iteretur.*

TIT. X.

De His qui filios occiderunt.

139 *Parricidium quasi parenticidium, vel parentum cædes* in genere est homicidium impiè commissum in personas conjunctas. Aliud est *propriè* tale, scilicèt, quando liberi, nepotes, aut alii descendentes per lineam rectam, etiam naturales tantùm, & illegitimi, aut spurii. (*Greg. Lop. in L.* 12. *h. t.* 8. *p.* 7. *& aliis.*) Occidunt parentes, avos, aut alios ascendentes per li-

neam rectam ; vel è contra, quando parentes, avi, vel alii ascendentes occidunt filios, nepotes, &c. *L. un. C. de His, qui parentes, vel liber occider.* quod etiam extenditur ad vitricum, & novercam occidentes: privignum, vel privignam, vel è contra *Farinac. Prax. Crim. quæst.* 120. *n.* 111. Licèt enim antiquitus ex Lege Regia liberam parentes, in filiorum vitam, potestatem haberent. *L. fin. C. de Patria potest.* Hæc lex, ut inhumana abrogata fuit. Patria enim potestas, non in authoritate, sed in pietate debet consistere. *L. 5. ff. ad Leg. Pompejam, de Parricid.* Jus enim vitæ necisque sibi soli Deus reservavit. Aliud est parricidium *impropriè* tale: quando scilicèt, occiditur consanguineus collaterallis, vel affinis, usque ad quartum gradum ; v. g. frater, soror, etiam ex parte patris, vel matris tantùm conjuncti, patruelis, consobrinus, patruus, avunculus, &c. Maritus, uxor, sponsus, vel sponsa, socer, aut socrus, gener, vel nurus. Etiam in Lege *Pompeja* comprehenditur libertus occidens patronum, vel patronam, &c. *L. 1. ff. ad Leg. Pompej. de Parricid. Jul. Clar. §. Parricidium. Farinac. Prax. Crim. q.* 120. *ex n.* 105. Non censetur parricidæ, nec ut tales puniuntur liberi, qui ad se defendendum, parentes occidunt cum moderamine inculpatæ tutelæ. *L.* 3. *ff. de Just. & jur.* Nec si ad patriam defendendam filius patrem per duellem, vel è contra occidat: nam Jus Commune patriæ prævalet particulari sanguinis, quinimò tales præmio sunt afficiendi. *L.* 35. *ff. de Religios. & sumpt. funer.* Nec sunt parricidæ filius expositus: nam tunc cessat patria potestas : nec adoptivus, quia cessat conjunctio sanguinis, vel si filius furiosus, vel patrem ignorans illum occidat *Farinac. q.* 120. *ex n.* 181. *Menoch. de Arbitr. cas.* 356. *n.* 28.

140 Parricidarum pœna olim ulla erat statuta, eo quod Solon non crederet quod tàm abominandum scelus, ab aliquo esset perpetrandum. *Senec. L. 1. de Clement. Gonz. in c. fin. h. t. n.* 2. Et ideò ob criminis immanitatem ejus accusatio perpetuatur : nec ullo unquam tempore etiam immemoriali ejus pœna præscribitur. *L. fin. ff. ad Leg. Pomp. de Parricid.* Hodie Jure Canonico est arbitratria : severius tamen, quam cæteri homicidæ puniendi sunt. *c. 19. de Pœnit. D. 1.* sed in hoc foro jam non solet puniri hoc delictum, sed reus Judici Sæculari traditur, premissa degradatione, si Clericus sit. *Farinac. Prax. Crim. q.* 120. *n.* 21. *justinianus. in §. 6. Inst. 1. de Publ. Judic.* ait: *Alia deindè Lex asperrimum crimen nova pœna persequitur, quæ Pompeja de Parricidis vocatur: qua cavetur, ut si quis parentis, aut filii, aut omninò affinitatis, ejus quæ nuncupatione parentum continetur, fata præparavit, sivè clam, sivè palàm, id ausus fuerit, necnon is, cujus dolo malo id factum est, vel conscius criminis existit, licèt extraneus sit, pœna parricidii puniatur, & neque gladio, neque ignibus, neque ulli alii solemni pœnæ subjiciatur, sed insutus culeo, cum Cane, & Gallo gallinaceo, vipera, & simia, & inter eas ferales angustias comprehensus (secundum quod Religionis qualitas tulerit) vel in vicinum mare, vel in amnem projiciatur, ut omninum elementorum usu vivus carere incipiat, & ei cœlum superstiti, & terra mortuo auferatur.* Posteà imperator subjungit pœnam parricidii improprii, ibi : *Si quis autem alias cognatione, vel affinitate personas conjunctas necaverit pœnam Legis Corneliæ de Sicarii sustinevit.* Idest pœnam capitalem *L. 9. §. 1. ff. ad Leg. Pomp. de Parricid.* & quidem eadem pœna, quæ filio patrem occidenti imponitur, imponenda est (quæ quidem est pœna ordinaria homicidii.) Parenti si filium occidat, abrogata antiqua impunitate, & potestate, qua liberè parentes de vita filiorum disponebant. *L. unic. C. de His, qui parent. vel liber. occider.* Hæc pœna adhuc est in usu in nostra Hispania, mitigata tamen ob ingentem nostræ Nationis pietatem: nam reus prius interficitur, & culeo inclusus, ubi animalia dicta depinguntur, projicitur à Ministris Justitiæ in flumen, sed vix cadaver aquam attingit, quando extrahitur, ut sepeliatur à Ministris misericordiæ, qui sunt Confratres variarum confraternitatum, & ragulariter tales sunt nobiliores equites Civitatum, qui opera misericordiæ cum magno Populi Christiani exemplo exercent. *Anton. Gomez Var. lib. 3. cap. 3. n.* 4. & sic vidi practicari Toleti. Quæ praxis potest fundari *in L. 46. tit. 13. lib. 8. R. C.* Ubi rei, qui sagitis debent occidi à Judicibus, quos *Hispanè* dicimus: *De la Hermandad.* Debent prius, quam sagittæ infigantur, suffocari. Et tunc in Hispania reus occiditur morte, quam dicunt: *De garrote*; & posteà sagittæ in cadaver emittuntur. Et sic etiam vidi practicari. Pœna autem parricidii in nostra Hispania plus extenditur, quam de Jure Communi; nam ea

tenentur ascendentes, qui occidunt descendentes, usque ad pronepotem inclusivè, & è contra: item frater fratrem, vel avunculus nepotem, vel è contra; vel conjux conjugem, aut socer generum, vel nurum, vel è contra: vitricus privignum, & è contra: & liberti patronum injustè occidentes armis, vel veneno. Dans consilium, vel adjutorium ad hos accidendos, licèt non sit mortus consanguineus: & emens venenum ad patrem occidendum, parricidarum pœna tenentur. *L.* 12. *tit.* 8. *p.* 7. Qui emit venenum, ut filius illud patri det, etiamsi filius illud ex aliquo occidenti dare non possit, ut parricida punitur. *C.* 7. *ff. ad Leg. Pomp. de Parricid.* Nam in atrocissimis criminibus, affectus, & conatus pro effectu punitur: quando conatus ad actum proximum accedit: ita ut non stet pro delinquente quominùs effectus sequatur, quod absdubio in nostra Hispania procedit. *L.* 12. *tit.* 8. *p.* 7. ibi: *E aun decimos, que si alguno comprare yervas, ò ponzoña para matar à su padre, è de que las hà compradas se trabajasse de gelas dàr, maguer non gelas pueda dàr, nin cumplir su voluntad, nin se le aguisasse, mandamos que muera por ello, tambien como si gelas oviese dado, pues que non fincò por èl.*

141 Procurantes abortum, sivè directè, sivè indirectè, sivè per se, sivè per alium, vel consilium, auxilium, vel favorem præstantes, si fœtus sit animatus has pœnas incurrunt, etiam ante omnem Judicis sententiam: & etiamsi delictum occultum sit. 1. Irregularitatem. 2. Excommunicationem. 3. Inhabilitatem ad beneficia obtinenda, & licèt Gregorius XIV. solùm Episcopo, vel confessario delegato ab ipso reservet in foro conscientiæ absolutionem ab excommunicatione, abrogando strictissimam reservationem, quam ex constitutione Sixti V. habebat. *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 51. *n.* 136. Tamen neque in inhabilitate, neque in irregularitate potest Episcopus dispensare, ne quidem *ex Trid. sess.* 24. *de Reform. cap.* 6. quia hæc irregularitas provenit, ex homicidio. Insuper, quando Clerici in hoc delinquunt, & delictum publicum est, & non alias, privantur Beneficiis Ecclesiasticis anteà obtentis, & privilegio Clericali, & deponuntur, & degradati traduntur brachio Sæculari puniendi, non expectata alia incorrigibilitate; *arg. c.* 10. *de Judic. c.* 6. *de Pœnis.* Pœnæ statutæ à Sixto V. *in Constit. Ad effrænatam* in procurantes abortum, quando fœtus nondum erat animatus abrogatæ sunt à *Greg. XIV. in Const. Sedes Apostolica, &c.* Fœtus, si masculus sit, quadragesimo, si fœmina, octogessimo die animatus ex communi Medicorum censetur. *Gomez Var. lib.* 3. *cap.* 3. *n.* 32. *Farinac. q.* 122. *ex n.* 139. *Menoch. de Arbitr. cas.* 357. *n.* 3. *& ideò Innoc. XI.* hanc propositionem, quæ est 35. damnavit. *Videatur probabile, omnem fœtum quamdiu in utero est carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere cum paritur, ac consequentèr dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.*

142 Mater, quæ abortum procurat, si fœtus est animatus, eumque interimit postquam in lucem editus est, verum parricidium committit; mitius tamen punitur si in utero neccavit, pœna tamen capitali semper plectenda est. *L.* 39. *ff. de Pœnis.* Si verò adhuc non est animatus pœna arbitraria; v. g. exilii, fustigationis, &c. punitur mater abortum procurans *Menochio de Arbitr. cas.* 357. *Clar.* §. *fin. q.* 68. *n.* 2. Nec licet abortum, quocumque casu, vel causa procurare. Et hinc *Innoc. XI.* damnavit hanc propositionem, quæ est ordine 34. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.* Si parentes non sine culpa, sine dolo tamen, filios occidunt opprimendo eos in somno, vel alias preter intentionem, si constet à quo ex parentibus est occisus infans, pœna ordinaria simplicis homicidii ipse plectitur. *c.* 20. 2. *q.* 5. quia infantem in communi lecto collocando parentes huic periculo eum exposuerunt. Si ignoretur, à quo sit occisus pœna est arbitraria, sublata jam pœnitentiam trium annorum, quorum unus erat in pane, & aqua transigendum: de qua *in c. fin. h. t.* in cujus locum hic casus in aliquibus Diœcesibus reservatur. Si oppressio careat culpa: quia infans alias implacabilis, vel aliter, à frigore nequeat defendi, quam si in communi lecto collocetur nulla pœna infligitur. *Navar. in Man. cap.* 15. *n.* 19. *Barbos. in c. fin. h. t. num.* 2.

TIT. XI.

De Infantibus, & Languidis expositis.

143 GRave peccatum, inhumanum, & parricidio proximum est, exponere casui, & fortunæ filios infantes, id est, septennio minores, vel languidos cujuscumque ætatis, id est laborantes gravi, & diuturna, præsertim incurabili, & perpetua infirmitate. Nam etiamsi hoc non fiat, ut infans pereat, sed ut ab alio alatur, & educetur: tamen mortis periculo exponitur, quia ignoratur, an aliquis eum assumet, antequam moriatur. Et sic contra pietatis officium deseritur, & quasi necatur. *L. 4. ff. de Agnosc. alend. liber. L. fin. C. h. t. c. un. h. t.* Nullam tamen culpam, nec pœnam incurrunt si pater, vel Dominus, qui ob egestatem nequeunt infantem, vel languidum sustentare, ad eos alendos, exponant in locis publicis, ad hoc destinatis, ut sunt Hospitalia, & Orphanotrophia. *Gonzal. in cap. un. h. t. n.* 10. *in fin.*

144 Si infans, vel languidus in loco solitario; v. g. in sylva exponatur, & ibi pereat à feris dilaniatus, vel fame, vel frigore, illum exponens capite plectitur; *arg. L. 4. ff. de Agnosc. & alend. liber. Gregor. Lop. in L. fin. tit. 20. p. 4. V. Echandolos.* Si verò in loco publico; v. g. foro, vel via exponatur, etiamsi ibi præter intentionem moriatur, illum exponens satis fustigatione, vel alia simili pœna plectitur. Si tamen expositus reperiatur vivus, sufficit, si exponenti sine necessitate, vel causa relegatio, vel alia mitior arbitrio Judicis pœna infligatur, si ex necessitate exponat; v. g. ob egestatem, non imponitur pœna, quia non datur culpa. *Menoch. de Arbitr. cas. 396. n. 5. Gonz. in cap. un. h. t. n. 10. Præterea in cap. un. h. t.* ait *Greg. IX. si à patre sivè ab alio, sciente ipso, aut ratum habente (relegato pietatis officio) infans expositus extitit: hoc ipso à potestate fuit patria liberatus. Nam & hoc casu in ingenuitatem libertus, & servus in libertatem eripitur. Quod & de prædictis cujuscumque ætatis languidis, si expositi fuerint, vel si alicui eorum alimenta impie denegari contigerit, est dicendum. Sanè qui hos suscipiunt, non possunt propter hoc, in eorum personis jus aliquod vendicare.* Et merito. Nam educatio non est adoptio, nec aliud jus dat, quam ad repetendum à parentibus expensas in alimenta, & educationem factas. *L. 3. tit. 20. p. 4. Barbos. in cap. un. h. t. n. 8.* nisi ex officio, pietate, vel liberalitate factæ sint. Et licet parentes exponentes filios patriam in eos potestatem amittant. *L. fin. tit. 20. p. 4.* Quatenùs filiis est onerosa: quia eos pro derelictis habent: quatenùs tamen filiis est favorabilis patria potestas eam retinent parentes, & ab eis alimenta possunt petere, eisque succedere valent. Non tamen parentes filiis sic expositis valent succedere, quia cum filium judicaverint indignum ipsi profectò indigni facti sunt, omnique utilitate carere debent, *cap. un. h. t. L. 2. L. 3. L. 4. C. Eod.* si invitis, vel ignorantibus parentibus infans sit expositus, non amittunt patriam potestatem, quia culpa carent, & eum ubicumque inveniant repetere valent, expensis tamen solutis: imò pater actione furti agere potest. *L. 14. §. 13. ff. de Furt.*

145 Expositi & alii, quorum parentes ignorantur, cum dubium sit, an legitimi, vel illegitimi sint: nam, & legitimi sæpè exponuntur, vel ob egestatem parentum, vel ob alias causas, ut de Moyse, Cyro Paride, Semiramide, & aliis constat, apud *Gonz. cap. un. h. t. n.* 8. pro legitimis habendi sunt. Nam in dubiis interpretatio favorabilior proli sumenda est. Sic *Menoch. de Præsumpt. lib. 6. q. 54. n. 20. Barb. & Gonz. hic n. 8. Ponc. & alii.* Pro illegitimis tamen habendos, tenent *Covar. in Clem. Si furiosus, p. 1. in pr. n. 9. Salcedo, & alii: sed Suar. de Censur. D. 50. sect. 4. n. 4.* utramque sententiam dicit probabilem. Tales ergo expositi non sunt cogendi suam legitimitatem probare, quia pro eis stat præsumptio possuntque ad ordines, etiam sine dispensatione, nisi fortè ad cautelam, promoveri. Non tamen possunt promoveri ad Dignitatem, Canonicatum, Officium Inquisitionis, Collegium, vel Officium, quod requirat nobilitatem: nam hæc cum non sit qualitas, quæ communiter inest, non præsumitur, nisi probetur, quam quidem expositi, qui certò parente carent, probare nequeunt. *Lara de Capel. lib. 2. cap. 4. Escob. de Purit. Sang. p. 1. quæst. 8. §. 3. Gonzal. in cap. un. h. t. num. 8.*

TIT. XII.

De Homicidio voluntario, vel casuali.

146 *Homicidium* est *violenta hominis occisio* ab homine facta, *cap.* 41. 23. *q.* 5. *L.* 1. *tit.* 8. *p.* 7. ibi: *Homicidium en latin, tanto quiere decir en romance, como matamiento de ome.* Hominis occisio à fera, vel bruto facta non homicidium, sed pauperies dicitur ex *Rubr. Inst. & ff. Si quadrupes pauperem fecerit.* Homicidium, aliud est *voluntarium*, aliud *casuale. Voluntarium est, quod ex voluntate, seu animo occidendi, quomodocumque committitur.* Et dicitur etiam *dolosum.* Et potest fieri, vel directè, & est, quod quis committit expressè volens, & intendens hominem occidere: v. g. si pugione aliquem hoc animo percutiat: vel indirectè, quod scilicèt, quis committit, non expressè intendens occisionem; sed ponendo causam propinquam moraliter certò, & non tantùm per accidens inferentem occisionem; v. g. si ubi multus populus est congregatus, aliquis scoplum splodat, vel sagittam emittat, & aliquis occidatur: vel si fœminam prægnantem quis gravitèr percutiat, & sequatur abortus. Rursus: homicidium *voluntarium*, aliud *est justum*, seu *licitum*: aliud *illicitum*, & *injustum. Justum*, & *licitum*, quod etiam dicitur *necessarium*, est quod quis ad sui ipsius necessariam defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, committit, *cap.* 18. *h. t. L.* 2. *L.* 3. *L.* 4. *C. ad Leg. Cornel. de Sicar.* vel quod fit publica authoritate Magistratus habentis jus gladii ad delicta punienda. Vel si in bello justo fiat; imò & quilibet privatus potest occidere bannitum seu proscriptum. *Hispanè*: *Encartado*, in territorio Principis proscribentis. Ille enim dicitur bannitus, qui publica authoritate est declaratus reus mortis: nec ipsis bannitis licitum est se defendere, sicut reis ad mortem damnatis, qui ad supplicium deferuntur non licet occidere Ministros justitiæ, filii parentes, nec è contra, etiam bannitos, non possunt occidere: quia hoc repugnat charitati ex Jure Naturale ortæ. Nec Clerici in Sacris possunt bannitos occidere, cum non possit, etiam justè in causa sanguinis, sententiam proferre. *Lacroix L.* 3. *p.* 1. *n.* 79. & 816. *Illicitum*, & *injustum* est homicidium, quod extra dictas circunstantias, cum animo occidendi committitur, vel in rixa subitu exorta, vel proditoriè, vel ex insidiis, vel per assasinium, vel per veneficium, hoc est per veneni prorrectionem, vel alio modo indebito. Homicidum *casuale* est, quod præter intentionem committentis fit. Et est *merè casuale*, si nullo modo sit voluntarium; v. g. si non fuit periculum prævisum, vel ad periculum præcavendum diligentia sufficiens fuit adhibita, & sequatur ex actione, alias licita, & honesta, quæ cum periculo homicidii nullam habeat connexionem, ut constat ex *c.* 13. *c.* 14. *c.* 23. *h. t.* sic præter omnem intentionem Cœphalus Procrim occidit: *Sum ratus esse feram telumque volatile misi. Procriserat.* Si verò homicidium sequatur ex actione, alias illicita, vel præviso periculo non sit sufficiens diligentia ad illud avertendum adhibita, dicitur *casuale culpabile*, ut in *cap.* 7. *cap.* 19. *h. t. cap.* 38. *D.* 50. prædictas distintiones afferunt. *L.* 13. *L.* 14. *tit.* 6. *p.* 1. *L.* 1. *tit.* 8. *p.* 7. & satis insinuantur *in cap.* 41. 23. *q.* 5. ibi: *Si homicidium est hominem occidere, potest tamen occidere aliquando sine peccato: nam & miles Hostem, & Judex, vel Minister ejus nocentem, & cui fortè invito, atque imprudenti telum manu fugit, non mihi videntur peccare, cum hominem occidiunt. Sed homicidæ isti appellari non solent. Cum homo justè occiditur. Lex eum cæcidit, non tu.*

147 Ad pœnas homicidii voluntarii injusti incurrendas, cum hoc odiosum sit, debet sequi mors in effectu; *arg. cap.* 4. *de Cler. non resid. Suar. de Censur. D.* 44. *sect.* 2. *Gonz. in cap.* 11. *h. t. n.* 5. Unde si mors per miraculum impediatur, vel postquam aliquis jam est mortuus, sæpius ex rabie ab inimico percutiatur, non erit homicidium, etiamsi truncet cadaver, & in partes secet. Deindè, est necessarium, quod simul cum morte, etiam animus occidendi conjungatur, ac proindè si præter intentionem sequatur mors: quia quis solùm intendebat percutere, vel vulnerare, cum animus occidendi desit, non est homicidium directè, ac perfectè voluntarium. *Suar. de Censur. D.* 44. *sect.* 1. *n.* 4. Cum tamen animus, & propositum præsumatur, prout verba, vel facta declarant, adesse animum occidendi præsumitur, nisi occidens probet, talem animum adfuisse. *L.* 1. *C. ad Leg. Cornel. de Sicar. Menoch. de Præsumpt. L.* 6. *p.* 5. *n.* 2. vel alia fortiori præsumptione ip-

ipse occidens juvetur; v. g. si consanguineum, vel amicum occidat, vel si instrumentum, quo occidit minùs aptum sit ad hunc effectum; v. g. si clavi, aut cucuma percusit. *L.* 1. §. 3. *ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* vel si manu occidat. *Gom. Var.* 3. *cap.* 3. *n.* 17. Tunc enim occidenti purgatio per juramentum indicitur. Licet enim antiquitus conatus, vel affectus ad occidendum, ut homicidium puniretur. *L.* 7. *L.* 8. *L.* 9. *C. ad Leg. Cornel. de Sicar.* Hodie tamen consuetudine universali conatus, etiam quando ad proximum actum pervenit, non ordinaria homicidii, sed alia extraordinaria pœna plectitur. *Clar.* §. *fin. q.* 92. *n.* 2.

148 Jure Civili homicidium, etiam si non sit qualificatum. Hodie pœna mortis plectitur, §. 5. *Inst. de Public. judic.* & quidem indistinctè, nulla habita ratione ad nobilitatem, sicut antiquitus *in L.* 3. §. 5. *ff. ad Leg. Corn. de Sicar. L.* 5. *tit.* 8. *p.* 7. hæc enim mortis pœna, etiam Jure Divino in homicidas pronuntiata est. *Gen.* 9. *v.* 6. *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Levit.* 24. *v.* 17. *Qui percusserit, & occiderit hominem morte moriatur. Matth.* 26. *v.* 52. *L.* 3. *tit.* 23. *lib.* 8. *R. C.* ibi: *Mandamos, que qualquier que matare á otro, aunque lo mate en pelea, que muera por ello, salvo si lo matare defendiendose.* Si aliquis alium vulneraverit, qui post aliquod intervalum est mortuus, si depositione Medicorum, vel Chirurgorum, qui sub juramento suam opinionem syncerè edicere tenentur, vulnus erat læthale, agressor, ut homicida punitur, nulla habita ratione malæ curationis, vel aliarum circunstantiarum, *cap.* 18. *h. t.* Si liquido constet, vulnus non esse læthale, sed ex imperitia, vel negligentia, vel alia causa vulneratum periisse, absolvitur agressor à pœna ordinaria. Idem est, si dubium sit, an vulnus sit læthale. Siquidem, quando de vita hominis agitur probationes dubiæ non sufficiunt ad mortis pœnam decernendam. *L. fin. C. de Prob.* & melius est in dubio absolvere nocentem, quam innocentem condemnare. *L. Absentem*, 5. *ff. de Pœnis.* Si plures ex conditio, & communi consilio ad homicidium concurrant, etiamsi unus tantùm occidat, omnes pœna ordinaria homicidii puniuntur. *L.* 3. *ff. ad Leg. Jul. d. Vi privat. Gonzal. in cap.* 18. *h. t. n.* 4. Si tamen in rixa subito exorta plures contra aliquem insurgant, si de occisore constet ipsæ pœna ordinaria, cæteri extraordinaria plectuntur. Si non constet, neque per tormenta, vel alias probationes veritas possit detegi, omnes attentis circunstantiis pœna extraordinaria punientur: nullus tamen propter incertitudinem pœna mortis plectendus est. *Gonz. in cap.* 18. *h. t. n.* 4. *Clar.* §. *Homicidium, n.* 38. *Covarr. in Cl. Si furiosus, h. t. p.* 2. §. 2. *num.* 5. Si homicidium sit omninò casuale, nulla pœna punitur. Si aliqua culpa fuit in causa pro qualitate culpæ imponitur pœna. *L.* 12. *L.* 13. *tit.* 23. *lib.* 8. *R. C.* Qui in ebrietate aliquem occidit cum prævisione talis occisionis pœna extraordinaria plectitur. *L.* 6. §. 7. *ff. de Re milit.* non verò pœna ordinaria Legis Corneliæ, quia hæc solùm homicidio commisso ex proposito, & dolo imponitur. *L.* 1. §. 1. & 3. *L.* 7. *ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* secùs est si animo occidendi, se in ebriavit. *L.* 6. §. 7. *ff. de Re milit. Covarr. in Cl. Si furiosis, h. t. p.* 3. *n.* 4. *Clar.* §. *fin. q.* 60. *n.* 12. *Menoch. de Arbitr. cas.* 326. *n.* 3. Qui calore iracundiæ alterum occidit, regulariter non liberatur à pœna ordinaria homicidii; *arg. L.* 16. §. 2. *ff. de Pœnis*: nisi ira usum rationis pervertat: quod rarò præsumitur: tunc enim pœna mitiori punitur. Pœna ordinaria homicidii punitur, qui Titium volens occidere, occidit Cajum: nam talis ignorantia non tollit malitiam respectu homicidii in genere. *Covarr. in C. Alma, p.* 1. §. 10. *n.* 4. *Gonz. in cap.* 11. *h. t. n.* 12.

149 Homicidium præmeditatum, quod cum deliberatione, & occidendi proposito fit, quia atrocius crimen, quam homicidium simplex est, ideò etiam gravius punitur. Tale potest fieri. 1. *ex insidiis*, quando scilicèt, ex dolosa machinatione, in necem alterius fit more latronis, qui improviso invadit prætereuntem. 2. *Proditoriè*, quando scilicèt, non precisè per insidias, & dolum occidit, quis eum, qui damnum non timet; sed occidit sub specie amicitiæ incautum, & nihil præcaventem. In nostra Hispania sic punitur. *L.* 10. *tit.* 23. *L.* 8. *R. C.* ibi: *Todo hombre, que matare á otro á traicion, ó aleve, arrastrenlo por ello, y enforquenlo: y todo lo del traidor ayalo el Rey, y del alevoso aya la mitad el Rey, y la otra mitad sus herederos: y si en otra guisa lo matare sin derecho, enforquenlo, y to sus bienes hereden sus herederos, y no che el homecillo. Et in L.* 10. *tit.* 26. *lib.* R. C. dicitur: *Otrosi, todo hombre, ficiere muerte segura, cae en caso de a le*

y la mitad de sus bienes pertenecen á nuestra Cámara: y toda muerte se dice segura, salvo aquella que fuere fecha en pelea, ó en guerra, ó en riña. Et in L. 15. tit. 23. lib. 8. R. C. dicit Rex: *Mandamos, que qualquiera persona que matare, ó hiriere á otro con arcabuz, ó pistolete, por el mismo caso sea avido por alevoso, y pierda todos sus bienes, la mitad para nuestra Cámara, y Fisco, y la otra mitad para el herido, ó herederos del muerto; y no entendemos en ningun caso remitir la dicha pena. Latè Acev. in ips. Leg. & alii.* 3. Fit per *Assassinium. Assassini* fuerunt quidam infideles, qui ex quibusdam falsis opinionibus movebantur ad occidendos Christianos. Hodie Assassinos vocamus etiam fideles, qui ob pecuniam quempiam interficiunt. Ad probationem adeò attrocis criminis probabilia argumenta sufficiunt, *cap. 1. h. t. in 6.* Etiam ad pœnam capitalem infligendam. *Farin. Prax. Crim. q. 123. num. 46. Barb. in cap. 1. h. t. in 6. n. 20.* De Jure Canonico Assassinus, etiam fidelis, imò defensores, fautores, receptatores excommunicantur. Item mandans alterum per Assassinum occidere, etiamsi mors non sequatur. *c. 1. h. t. in 6.* & quidem excommunicatio est latæ sententiæ, non tamen reservata. *Barb. in cap. 1. h. t. in 6.* Etiam infames fiunt post criminis declarationem. Tales etiam deponuntur à dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio post sententiam declaratoriam: amittunt privilegium Clericale, dummodò degradentur: diffidantur à toto populo Christiano, ita ut saltem post sententiam declaratoriam criminis à quolibet privato, impunè possint occidi: privantur immunitate Ecclesiastica asyli, præter irregularitatem, quæ est communis omnibus homicidiis. *Barb. cap. 1. h. t. in 6.*

150 Sicut alium non licet occidere, vel mutilare, sic ulli permittitur, se ipsum mutilare, vel occidere: quia nemo est Dominus membrorum suorum. *L. 13. ff. ad Leg. Aquil.* Et qui hoc facit privatur Ecclesiastica sepultura, si in statu peccati mortalis decessit, & bona confiscantur, nisi ex impatientia, vel tristitia, vel alia causa se occiderit. In nostra Hispania omnia bona ipsius confiscantur. *L. 8. tit. 23. lib. 8. R. C.* Aliquando potest excusari à peccato tale homicidium, si scilicèt ex speciali inspiratione oriatur, ut in aliquibus Martyribus, qui se flammis objecerunt. Et in Sansone, qui cum Philistæis, concussis columnis Templi se oppressit. Miles non potest etiam cum periculo vitæ stationem deserere. Damnatus ad mortem per famem potest abstinere, etiam à cibo clam sibi oblato. Condemnatus ad mortem per venenum, potest, & juxta aliquos, tenetur illud bibere. Miles potest ad turrim hostium evertendam, vel ad hostes destruendos, pulverem nitratum incendere, & si sciat se obruendum: sicut Eleazar, qui ut Regem occideret, elephanti se supposuit, illumque occidit occidendus ab ipso. *Machab. 1. 6. v. 43.* & potest quis mergere, vel incendere navem, ne cum gravi Reipublicæ damno ea hostis potiatur. In naufragio potest quis alii tabulam cedere, & ad servandam Principis vitam potest se ictui, vel telo objicere, & amici ad mortem injustè damnati vices subire. Mulier potest sectionem ventris permittere, ut infans baptizetur: non tamen ad hoc tenetur. Ad fugiendum incendium potest quis ex alto se præcipitare, multoque magis licet peste infectis servire. Catholico optanti martyrium licitum est non fugere è carcere: quamvis facilè possunt. Nam etiam si in his casibus propriæ vitæ periculum imminèat, tamen mors tunc præter intentionem sequetur. Similitèr est probabile, quod quis non teneatur sectionem rupturæ, vel tibiæ abscisionem pati, etiam cum periculo vitæ; nam ut alter dixit: *Non est tanto digna labore salus.* Fœmina ob pudicitiam tuendam licitè se exponit periculo mortis, non permittens curari ab homine in partibus verendis, ut fecit Regina Catholica Elisabetha. Licitum tamen est mutilationem procurare, quando hæc ad corporis conservationem, est necessaria: juxta illud: *Ut corpus redimas ferrum patieris, & ignem.* Et potest quis amputare sivè manus, ut liber à catena, evadat mortem. Etiam licitum, & meritorium est, carnem moderatè macerare, ut spiritui sit subjecta: modo non sit cum notabili periculo vitæ, vel membrorum: nam hoc peccaminosum esset. Non tamen licet prætextu castitatis servandæ, se mutilare: multoque minùs ob conservandam vocem, quamvis hoc praxis, & aliqui DD. pro servitio Ecclesiæ licitum censeant. Non tamen tenemur vitam positivè prolongare: & possumus respuere medicinas, citra mortis periculum. *Lacroix, L. 3. p. 1. ex n. 769.* alios citans pro utraque parte.

151 Homicida, vel mutilans, vel vulnerans aliquem, si hoc non faciat ad pro-

propriam defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, sed contra justitiam commutativam, pecat vulnerando, tenetur ad damna ipsi læso, vel suis parentibus filiis, consanguineis, vel suis hæredibus, vel creditoribus secuta. Et quidem, si dolosè, & cum peccato gravi hoc fecit, in conscientia tenetur ante omnem Judicis sententiam, restituere, sic obligante justitia commutativa. Si verò tantum culpa juridica intervenit, non tenetur ante Judicis sententiam. Hinc reficere debet vulnerator expensas in curatione vulnerati factas. *c.* 1. *de Injuriis*; & compensare tenetur lucrum, quod haberet, ex suo officio, si vulneratus non esset. Pro vita, vel pro membro nihil debet restitui: nam vita hominis, est altioris ordinis, quam pecunia. Si tamen ex cicatrice damnum aliquod resultaret; v. g. quia fœmina ob ejus fœditatem, vel deformitatem ex cicatrice provenientem nuberet dificilius hoc esset recompensandum. *Soto de Just. lib.* 14. *q.* 6. *art.* 3. *Navar. in Man. cap.* 15. *n.* 22. Si verò ex vulneratione nullum damnum sequatur, vel si damnum secutum sit condonatum à parte, nihil restituendum est: imò consuetudine plurium locorum, quando homicida ultimo supplicio damnatur, nihil ultra restituitur.

152 Nunc de irregularitate resultante ex homicidio agendum est: quia ea præcipuè ad nostrum Jus Canonicum spectat. Irregularitatem incurrit. 1. Qui homicidium voluntarium injustum etiam simplex comittit. Etiamsi in lucem nondum sit editus occisus; v. g. si quis abortum fœtus animati procuret. *c.* 5. *c.* 20. *h. t. L.* 14. *tit.* 6. *p.* 1. Qui volens occidere Titium occidit Cajum verè homicida, & irregularis est. *Suar. de Cens. D.* 45. secus si volens occidere feram, hominem occidat: nam tunc illa occisio respectu hominis est involuntaria. *Suar. de Cens. D.* 45. *sect.* 6. *n.* 18. 2. Qui dat causam propinquam, & efficacem mortis; v. g. si venenum propinet, etiamsi mors post longum tempus sequatur. Nam damnum censetur dare, qui illius causam dat. *c. fin. de Injur. L.* 15. *ff. ad Leg. Corn. de Sicar.* 3. Qui alium lethaliter percusit, vel vulneravit, etiamsi ab aliis sit omninò interemptus, est irregularis, & etiamsi non constet vulnus læthale esse, si constet de animo occidendi, qui ex qualitate armorum præsumitur, dum tamen ita vulneratus, posteà periisset, etiam ab alio percussus; *arg. c.* 18. *h. t.* Imò etiam quando non lætalitèr, quis alterum percusit, si hic postea ab alio, á quo propter vulnus fugere nequit sit occisus fit etiam irregularis nam qui primo percusit, causam, vel saltem occasionem dedit homicidio; *arg. c.* 18. *h. t.* Similitèr quis incurris irregularitatem, si occasione vulneris mors secuta sit, quamvis non immediatè ex vulnere; v. g. quia febris, vel inflamatio supervenit, quam non potuerunt Medici imperiti curare: quia rei illicitæ operam danti effectus imputatur. *c.* 11. *c.* 12. *h. t.* Secus est, si causa sit prorsus extrinseca, quia Medicus, vel ipse æger nocivum medicamentum adhibuit, cum vulnus fuisset leve, & nullomodo periculosum. *c.* 12. *h. t.*

153 Quartò: etiam fit irregularis, qui truncat, vel mutilat membrum alterius *c. fin. D.* 55. *c.* 8. *Ne Cler. vel Monac. c.* 4. *de Raptor. c. fin. h. t. in* 6. Ad hanc irregularitatem incurrendam requiritur amputatio membri. Nec enim sufficit, si vulnus infligatur, etiam cum sanguinis copiosa eflusione. *Suar. de Cens. D.* 44. *sect.* 2. *n.* 6. Membrum est illa pars corporis, quæ habet functionem, seu officium ab aliarum corporis partium officio distinctum: & est quasi integrum instrumentum proximum alicujus actionis, ut oculus, auris, nasus, lingua manus, pes, mammilla fœminarum, & similes: juxta illud *Apost. Rom.* 12. *v.* 4. *Omnia membra corporis non eundem actum habent. Gonz. in c.* 11. *h. t. n.* 6. quorum operationes sunt videre, audire, odorari, loqui, tangere, ambulare, &c. ut notat *D. Gregor. in c.* 1. *D.* 89. Varietas membrorum per diversa officia, & robur corporis, servat: & pulchritudinem repræsentat. Dentes verò, cartilagonasi, vel auris, vel pars carnis, non sunt membra: imò, nec digitus, juxta *L.* 1. *ff. de Ædilitio Edict. junct. Gloss.* sed quia hoc est dubium, petenda erit dispensatio ad cautelam. *Suar. de Cens. D.* 44. *sect.* 2. *n.* 9. & ita declaratum est *à Congreg.* 13. *Jul.* 1687. In dubio, an aliqua abscisio sit mutilatio declarat Ordinarius, qui in dubio in irregularitatem inclinavit, quia supponitur certa mutilatio. *Suar. de Cens. D.* 44. *sect.* 2. *n.* 8. Qui abscindit membrorum inutile aridum, vel impeditum ad suum officium, si est omninò mortum, nec amplius informatum anima, non est irregularis, quia est quasi non membrum: secus erit, si adhuc sit vivum, quia tunc abscindit, & mutilat quod verè est membrum humanum. *Suar.*

de

de Cens. D. 44. sect. 2. n. 11. Qui alium notabilitèr, citra mutilationem, deformat; v. g. vulnerando, ita ut ad ordines nequeat promoveri, non est irregularis: quia hoc non est in jure expressum. *c. 18. de Sentent. excommun. in 6. Suar. de Cens. D. 44. sect. 2. n. 12.* Imò, qui sine abscisione membrum alterius; ita debilitat, ut aridum, & inutile ad operationem reddat: quia hoc non est mutilare, proindè non incurrit irregularitatem. *Suar. de Cens. D. 44. sect. 2. n. 5.* Sic Judex, qui torquendo reum, membrum ejus inutile reddit, non est irregularis.

154 Non solùm qui per se occidit, vel mutilat est irregularis: sed etiam ille, qui est causa moralis efficax talis homicidii. Hinc irregularis est 1. mandans homicidium, mutilationem, vel abortum, si hæc ex mandato sequantur. *c. 8. D. 50. c. fin. h. t. in 6.* nam qui per alium homicidium facit, per se ipsum facere censetur. *c. 72. de Reg. jur. in 6.* Si verò non sit secutum homicidium, irregularitas non incurritur. Nec tunc incurritur, quando mandatarius, etiam sine mandato, erat occisurus quia mandans non fuit causa homicidii, licèt voluntatem habuisset in illud influendi: nisi suo mandato fuiset causa, ut saltem citius mandatarius occideret. Irregularis fit, etiamsi tantum tacitè mandet, imò etiamsi mandans protestetur, se nolle aliquem occidi, sed tantùm verberari, cum verberatio sit injusta, si ex tali verberatione, etiam ex malitia, mandatarii, qui fines mandati excesit, mors sequatur: imò etiamsi ipse mandatarius, præter mandantis intentionem occidatur: cogitari enim poterat, & debeat mandans, ex tali causa, talem occisionem, posse sequi. *c. fin. h. t. in 6.* ibi: *Is, qui mandat, aliquem verberari, licèt expressè inhibeat, ne occidatur ullatenùs, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens mutilet, vel occidat: cum mandando in culpa fuerit, & hoc evenire posse debuerit cogitare.* Si verberatio licita est, ut quando Pater, Filium, Dominus, Servum Magister, Discipulum mandat verberari, si mandatarius fines mandati excedendo occidat, vel mutilet, non imputatur mandanti, nec fit irregularis. Culpa enim cessante, etiam pœna irregularitatis cessat; *arg. c. 60. de Appellat.* Si mandans revocet expressè vel tacitè mandatum occidendi, ita ut ad notitiam mandatarii potuerit pervenire, etiamsi mandatarius occidat, non imputatur mandanti, siquidem revocata ejus voluntate, jam non est causa moralis homicidii, cum mandans solùm voluntate influat, tenetur tamen non solùm ex charitate, sed etiam ex justitia, hoc mandatum, quomodo possit impedire; v. g. monendo occidendum, saltem in communi, suæ vitæ insidias parari &c. Alias erit irregularis ob injustitiam alteri factam, cujus damna impedire ex justitia tenetur. *Suar. de Cens. D. 44. sect. 3. ex n. 6.*

155 Secundo: consulens homicidium est irregularis, si hoc in effectu sequatur, & consilium sit illius causa moralis: quia sine eo alter non erat occisurus. Si vero etiam sine consilio alter occisurus erat, consulens non fit irregularis, nisi tali consilio saltem influxerit in alterius voluntatem, ut citius, vel crudelius homicidium committat. *c. 8. D. 50. c. 6. h. t. L. 14. tit. 6. p. 1.* Nec sufficit revocare consilium, ut de mandato diximus: siquidem adhuc rationes quæ homicidium suadevant, sunt illius causa moralis, ac proinde consulens erit irregularis. Debet ergo, ut se ab irregularitate liberet, diluere, & enervare rationes, quibus homicidium suasit, vel saltem hoc pro viribus procurare: nam tunc ablata causa morali á consulente, amplius non debet ipsi imputari effectus. *Suar. de cens. D. 44. sect. 3. ex n. 11.* Qui auxilium, vel opem fert, si sit causa propinqua homicidii, vel cooperando directè; v. g. vulnerando: vel indirectè; v. g. occisorem comitando, & animando sua præsentia, vel detinendo occidendum, ne fugiat: cum in his casibus verè homicidio cooperetur, vel physicè, vel moralitèr, irregularitatem incurrit. *c. 6. h. t. L. 14. tit. 6. p. 1.* Quando plures ad aliquem occidendum concurrunt, omnes incurrunt irregularitatem, non solùm si ex condito, & communi consilio aliquem: ad ipsum occidendum, aggrediantur, etiamsi unus tantùm occiderit. *c. 6. h. t. c. 5. de Pœnis* Sed etiamsi in rixa subito extorta, contra aliquem plures insurgant: sivè aliquis eum certò occiderit, sivè ignoretur occidens, vel vulnerans, sivè vulnus sit læthale, sivè non omnes irregulares fiunt: quia omnes sunt veluti una causa moralis occisionis. Nam etiamsi aliqui non vulnerent, cooperantur occisioni, præstando auxilium, animum, & favorem occisori, vel impediendo occisum, ne se defendat; *arg. C. fin. 23. q. 8. Suar. de Cens. D. 45.*

sect.

sect. 3. *n.* 9. Si verò aliquis lapide projecto ex domo sit occisus, & ignorentur à quo ex habitantibus sit projectus, nullus fit irregularis in foro externo, sed unusquisque suæ conscientiæ est relinquendus: quia de nullo in particulari constat, deliquisse, nisi probetur: & melius est, nocentem dimittere quam innocentes punire. *L.* 5. *ff. de Pœnit. Suar. de Cens. D.* 45. *sect.* 3. *n.* 11.

156 Qui non impedit homicidium, cum possit, etiamsi ex odio interno faciat hoc, si solùm ex charitate illud impedire tenetur, non fit irregularis, cum hæc irregularitas in jure non sit expresa; *arg. cap.* 18. *de Sentent. excomm. in* 6. quia cum homicidium sit peccatum contra justitiam, non censetur moraliter occisioni cooperari, qui justitiam non violat. *Suar. de Cens. D.* 45. *sect.* 4. *n.* 3. Irregularis tamen fit, qui ex justitia tenetur homicidium impedire, ut Magistratus respectu suorum subditorum: Dominus respectu servorum: Pater respectu filiorum, & è contra: & non impedit, cum sine gravi incommodo impedire possit. Nam sic omittens peccat contra justitiam, & cooperari occidenti creditur, estque causa moralis homicidii, *cap. fin.* 23. *q.* 3. sic Judices non obviantes homicidia irregulares sunt, & qui se obligavit aliquem defendere, si non defendat, & filii, & vasalli si patrem, & dominum non defendant: Advocatus, & Procurator, qui dolosè defensionem omiserunt, ut reus ad mortem damnaretur, quia hi omnes ex justitia mortem alterius tenentur impedire, *cap.* 7. 23. *q.* 3. ibi: *Qui non reppellit à Socio injuriam si potest, tàm est in vitio, quàm ille, qui facit.* Hinc medicus culpabiliter omittens aliquem ægrotum curare, si is moriatur, erit irregularis, si stipendium à Civitate recipiat; si tamen nullum recipiat stipendium, irregularis non erit. Etiam irregularis erit Gubernator navis, qui post susceptum regimen, illud deseruit, & imperito commissit, si indè fuit secutum naufragium; vel si Pater filio, Dominus servo, maritus uxori alimenta negaverint, & fame pereant. Et quicumque eleëmosynam negent pauperi fame pereunti: qui scit homicidium occultè tractari, & illud non revelat: si ex justitia revelare teneatur, erit irregularis; secus si ex justitia non teneatur, *Gonz. in cap.* 11. *h. t. n.* 7. irregularis est ille qui parato sucurrere mandat, ne sucurrat, sed patiatur alterum occidi secuto homicidio, & si mandatarius, cui prohibet, ex justitia non teneatur sucurrere: quia talis mandans contra justitiam delinquit, & positivè consilio, vel mandato cooperator. Qui verò per fraudem, vim, aliamvè injuriam alterum à defensione occidendi retrahat fieret irregularis, quia contra justitiam occisi ageret. Nam licet defendere volens ad id solùm ex charitate teneatur, alter verò habet jus, ne ista defensio ab alio per injuriam impediatur. Similiter irregularis est ille, qui ramum abscindit illi, qui cum in flumine mergeretur, illum apprehenderat. *Gonzal. in cap.* 11. *h. t. num.* 7. *Suar. de Cens. D.* 45. *sect.* 4. *per tot.*

157 Licèt qui ratam habet percusionem Clerici suo nomine factam excommunicationem Canonis incurrat: quia sic est expressè dispositum, *in cap.* 23. *de Sent. excom. in* 6. cum è contrario expressum non sit, habentem ratum homicidium factum suo nomine irregularem fieri, non est censendus irregularis; *arg. cap.* 18. *de Sent. excom. in* 6. quia cum ratihabitio sit posterior homicidio, nequit esse ejus moralis causa; nec quoad hunc effectum ratihabitio æquiparatur mandato, licèt æquiparetur, quoad culpam, *cap.* 10. *de Reg. jur. in* 6. Hanc sententiam tenent, *Gloss. in cap.* 8. *D.* 50. V. *Aut consilio. Suar. de Cons. D.* 44. *sect.* 3. *n.* 24. *Covar. in Cl. Si furiosus, h. t. p.* 2. §. 1. *n.* 4. *Gonz. in cap.* 17. *h. t. n.* 2. contra *Sylv.* V. *Homicidium*, 1. *q.* 7. *Navarr. in Man. cap.* 27. *n.* 233. *& alios.* Imò nec fit irregularis etiam positivè consentiens in homicidium, etiamsi verbis consensum exprimat, si alitèr non concurrat, vel influat efficacitèr in illud animando, auxiliando, vel alitèr cooperando. *Suar. de Cens. D.* 44. *sect.* 3. *n.* 21.

158 Homicida, præter irregularitatem dictam, si laicus est, incurrit excommunicationem sententiæ ferendæ, *capit.* 20. 24. *q.* 3. si Clericus deponendus est ab ordine, & officio, *cap.* 12. *D.* 81. & in arctum Monasterium detrudendus est, *cap.* 6. §. *fin. h. t.* Hodie ejus loco, ad carceres, vel triremes damnatur: & si incorrigibilis sit, degradatus traditur brachio sæculari, *cap.* 10. *de Judic.* beneficiis anteà obtentis per sententiam privandus est. *Suarez, de Cons. D.* 44. *sect.* 4. *n.* 33. *Garcia de Benef. p.* 11. *cap.* 10. *n.* 39. *& alii.* Deindè, fit inhabilis, non tamen fit incapax: ad beneficia Ecclesiastica obtinenda: *Trid. sess.* 14. *de Reform. cap.* 7. ac proindè collatio beneficii facta Clerico homicidæ non est ipso jure irrita,

sed tantùm prohibita. *Suar. de Cens. D.* 44. *sect.* 4. *n.* 34.

159 Alia irregularitas ex homicidio etiam justo incurritur: non ex culpa: nam si justum supponitur, culpa carere debet, sed tantum ex inhabilitate, etiam sine culpa propria, ut accidit in irregularitate proveniente ex defectu natalium. Nam condemnare malefactorem ad mortem, vel mutilationem non est peccatum, quia ex præcepto justitiæ faciendum est. *Exod.* 22. *v.* 18. ibi: *Maleficos non patieris vivere*, *cap.* 45. *cap.* 46. *cap.* 47. 23. *q.* 4. *cap.* 21. *h. t.* Nam salus Reipublicæ exposcit, malefactores occidere, ne tamquam putrida membra reliquum corpus inficiant: imò, ut in *cap.* 47. 23. *q.* 4. dicit *D. Gregor. Si quos igitur violentos, si quos adulteros, si quos fures, vel aliis pravis actibus studere cognoscitis, Deum de eorum correctione placere festinate.* Hæc ergo irregularitas provenit ex defectu lenitatis, *cap.* 3. *cap.* 4. 23. *q.* 5. quæ Clericis adeò necessaria est. Quo enim pacto ille qui alienum sanguinem voluntariè, quamvis laudabiliter fudit, repræsentabit personam Christi mirissima, qui pro nobis, & sanguinem proprium fudit? Ideò Ecclesia judicavit, non esse tales ad incruentum Missæ Sacrificium admittendos. Nec enim in lege veteri Deus voluit Templum sibi ædificari à Davide, qui multum sanguinem fudit, sed à Salomone pacifico. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 40. *art.* 3. *Greg. Lop. in L.* 17. *tit.* 6. *p.* 1. *Gonzal. in cap.* 11. *h. t. n.* 10. etiam apud Gentiles effusores sanguinis ab altari arcebantur, & ideò, Æneas sic loquitur apud *Virgil. Æneid. L.* 2. *Tu genitor cape sacra manu patriosque Penates: me bello è tanto digressum, & cæde recenti, atrectare nefas, donec me flumine vivo abluero.* Ex defectu ergo hujus lenitatis sunt irregulares: 1. Judex sententiam sanguinis, vel mutilationis proferens, *cap.* 1. *D.* 51. *cap.* 29. 23. *q.* 8. *cap.* 5. *cap.* 9. *Ne Cleric. vel Monach.* vel aliam similem, ex qua mors rei sequatur; v. g. si deneget alimenta, vel in carcerem detrudat, in quo veri similiter ipse morietur. *Gonz. in capit.* 11. *h. t. n.* 10. 2. Assesores consiliarii, & alii, qui suo nauffragio, vel consilio, talem sententiam promovent. *Suar. de Cens. D.* 47. *sect.* 1. *n.* 4. *Gonzal. in cap.* 11. *h. t. n.* 10. 3. Accusator, vel denuntiator, si agat criminaliter, ad vindictam publicam coram Judice sæculari in causa mortis, vel mutilationis digna: etiamsi contra pœnam sanguinis protestetur: nam protestatio est contraria facto, si delictum pœnam sanguinis mereatur: 4. Advocatus accusatoris, si agat ad vindictam publicam, & non tantum civiliter: 5. Testes, qui deponunt in causa, ex qua ad mortem reus damnetur, etiamsi protestentur, nolle ad causam sanguinis concurrere. Nan revera influunt. Si tamen à Judice cogatur testis laicus deponens, etiam contra reum, benignior sententia tenet, eum irregularitatem non incurrere. Clericus tamen à nullo Judice potest cogi contra reum deponere: quia præciperet illicitum, & gravosum, pro reo benè potest Clericus deponere: 6. Notarius, seu Tabellio scribens, subscribens, dictans, vel recitans sententiam mortis, *cap.* 9. *Ne Cler. vel Monach.* 7. Ministri justitiæ sententiam sanguinis exequentes, & omnes reum ad mortem deferentes, & ad custodiam committantes Judicem. Denique, omnes, qui authoritate publica ad prolationem, vel executionem sententiæ actu concurrunt: ut scalam applicantes, qui campanam pulsat, ut reus capiatur, & omnes, qui ex parte occidentis concurrunt, active, & efficaciter ad sententiam mortis. *Navar. in Man. cap.* 27. *ex n.* 208. *Suar. de Cens. D.* 47. *sect.* 2. *& seqq.*

160 Non fiunt irregulares, etiamsi ad sententiam sanguinis concurrant 1. Summus Pontifex: siquidem, superior est, & non ligatur Jure Ecclesiastico, à quo hæc provenit irregularitas; *arg. cap.* 6. *de Elect.* adeò, ut etiamsi aliquem propriis manibus occidat, non est irregularis. *Suar. de Cens. D.* 44. *sect.* 3. *n.* 1. contra *Bald. & alios*: 2. Inquisitores, Comissarii, & Consultores, etiamsi apud Judicem sæcularem instet, ut reus comburatur. Sic ob favorem fidei dispensantibus. *Paul. IV. & S. Pio V.* Test. *Peñ. ad Eymer. in Direct. Inquis. p.* 2. *com.* 20. *Suar. de Cens. D.* 47. *sect.* 1. *& n.* 10. 3. Judex Ecclesiasticus, qui reum degradatum brachio sæculari tradit, si intercedat pro reo ne morte puniatur, *cap.* 27. *de Verb. signif. L.* 6. *tit.* 6. *p.* 1. ibi: *Pero el Perlado debe rogar por èl, que le haya alguna merced, si quisiere. Suar. de Cens. D.* 47. *n.* 12. 4. Prælati Ecclesiastici, vel Episcopi, qui sæcularem jurisdictionem, cum jure gladii exercent, si causas sanguinis in generali, imò & in particulari delegent adjecta clausula: ut causa cognita faciant justitiam *cap. fin. Ne Clerici, vel Monach. in* 6. nam tunc solùm remotè concurrerent, cum mandatum solùm ad administrationem dirigatur, ac proindè non habet locum,

cap.

cap. 72. de Reg. jur. in 6. ubi dicitur, quod per se facere censetur, quod quis per alium facit. Secus est, si jubeant determinatè, ut certæ personæ mors, vel mutilatio inferatur. Nam tunc concurrerent immediatè, imò si Judex appellationis sit si sententiam mortis severiorem à Judice inferiori latam mitiget, etiam mortem infligendo, probabilitèr non est irregularis, quia sententia tunc potius est actus misericordiæ, quam severitatis. 5. Advocatus rei, & Testes pro eo deponentes: quamvis accusator ex eorum depositionibus ad mortem condemnetur ob calumniam; quia hoc præter intentionem sequitur. 6. Advocatus rei, etiamsi eo in causa sucumbente reus ad mortem damnetur: nisi hoc ex imperitia, culpa, vel negligentia advocati proveniat, nam tunc fiet irregularis ex delicto injustitiæ commisso, non tamen ex defectu lenitatis. 7. Judex accusator, testis, &c. qui ad sententiam sanguinis concurrunt, si mors non sequatur, v. g. si Judex tantùm reum jussit flagellari, *cap. 4. de Raptor.* Vel etiamsi ad mortem damnavit, si ex indulgentia tamen Principis sententia non fuit executioni mandata. Nec est irregularis Judex, qui ad triremes damnavit reum, licèt hic ibi decedat; quia talis sententia nec mortem, nec membri mutilationem continet. *Gonz. in cap. 11. h. t. n. 10.* 8. Accusator accusans coram Judice Ecclesiastico, etiam criminalitèr, & sine protestatione, & etiamsi accusatus ob delictum debeat tradi brachio Sæculari non fit irregularis. Quia non censetur accusator magis ad mortem, quam Judex ipse Ecclesiasticus concurrere. 9. Accusans, etiam coram Judice Sæculari de crimine, quod pœnam mortis non meretur, etiamsi Judex ex sua malitia, vel forte, ex aliis delictis posteà detectis, reum ad mortem condemnet, quia hoc est præter accusantis intentionem, & ad talem mortem solùm remotè, & per accidens concurrit.

161 *Decimo*, quilibet Laicus, vel Clericus sine metu irregularitatis potest denuntiare, vel accusare coram Judice Sæculari, etiam sine protestatione, crímen nondum commissum, sed quod imminet ab alio faciendum in præjudicium Reipublicæ, vel Tertii: etiamsi accusans persona extranea sit. Dummodo hoc non aliter possit averti: ad hoc enim Lex charitatis, & Jus Naturale obligant, ac proindè nulla est irregularitas, à jure imposita; *arg. cap. 8. de Accusat.* ibi: *Accusasti aliquem, & per tuam accusationem occisus est, nisi pro pace hoc feceris, quadraginta dies in pane, & aqua pœniteas.* Si verò aliquis pro persona extranea, agat coram Judice Sæculari, etiam civilitèr de crimine commisso pœna mortis condigno, erit irregularis: etiamsi protestetur, se pœnam sanguinis non intendere; *arg. cap. 2. h. t. in 6. Suar. de Cens. D. 47. sect. 2. n. 16.* 11. Potest quis sine irregularitatis incursu alterum accusare civilitèr coram Judice Sæculari in causa propria, vel suæ Ecclesiæ, vel patriæ, vel parentum, vel conjunctorum: etiamsi aliud remedium subesset ad damnum recuperandum: & etiamsi tali accusatione facta, Judex pœnam mortis, vel mutilationis, utpotè condignam delicto, imponat: quin, & potest reum capere, & tradere judici; *arg. cap. 19. §. Ad ult. h. t.* Dummodò protestetur (expressè quidem, nec sat est, si tacitè fiat) se nolle pœnam sanguinis, vel mutilationis infligi, sed tantùm, se satisfactionem damni illati intendere, *cap. 2. h. t. in 6.* Hæc protestatio ab irregularitate liberabit accusatorem, Laicum, vel Clericum; etiamsi fictè fiat, vel cum interno desiderio supplicii sanguinis: quia Ecclesia non judicat de internis. Ita tenent *Covar. in Cl. Si furiosus, h. t. p. 2. §. 5. num. 2. Suar. de Cens. D. 47. sect. 2. Barbos. in cap. 2. h. t in 6. n. 9. Gonz. in cap. 11. h. t. n. 10. Syl. V. Homicidium, 2. q. 8. Nav. in Man. cap. 27. n. 226. & alii.* 12. Nec fiunt irregulares Princeps, etiam Ecclesiasticus, condens Leges infligentes pœnam mortis: nec Professor docens in Scholis Leges pœnales in genere, & quasi in abstracto: nec concionator, si Judicem hortetur, Leges servare, punire delicta in genere: secus in particulari, loquendo de certa persona: nec Jurisperitus, etiam Clericus, qui etiam de aliquo reo in particulari Consultus, an sit dignus morte, si tantùm explicèt, quid Leges statuant, nihil suadendo circa rei punitionem. Nec confessarius, qui cogit reum ad delictum morte dignum confitendum in judicio, quando juridicè interrogatur, nec si hortetur, ne appellet à sententia justa: neque si Judici negat absolutionem Sacramentalem, quia non punit morte reum ea dignum: quia hi omnes tantùm remotè, & præter intentionem concurrunt ad mortem. Siquidem eorum

rum intentio est, vel bona gubernatio Reipublicæ, vel conscientiæ pœnitentium, &c. 13. Nec irregulares fiunt opifices furcæ, scalæ gladii, & quia tantùm sunt causa remota mortis. Qui verò scalam applicant, vel laqueum afferunt: quia proximè ad mortem cooperantur, irregulares fiunt. Sicque fiunt irregulares, qui monent carnificem, ut citò amputet caput, vel reum hortantur scalam ad furcam ascendere, &c. Secus verò qui præter intentionem reum hortatur in via procedere, vel jumentum pungit: nam licèt indè mors acceleretur, parum pro nihilo reputatur, & per accidens sequitur 14. Nec irregulares fiunt Laici, vel Clerici, qui etiam ex vana curiositate supplicio sanguinis assistunt: nam licèt hoc non minùs ac sententiam sanguinis proferre Clericis prohibeatur. *In cap. 9. Nec Cler. vel Monach.* hoc præceptum, vel consuetudine est abrogatum, quoad spectatores tantùm, vel debet intelligi de præsentia authoritativa, & eorum, qui ad sententiam aliquomodo cooperantur. *Gloss. ibid. Navar. in Man. cap. 27. n. 214. Suar. de Cens. D. 47. sect. 4. n. 10. Gonz. in cap. 11. h. t. n. 10.* Deniquè Judæi, Pagani, vel alii quicumque infideles non baptizati, etiamsi Judices fuerint in causa sanguinis, non fiunt irregulares: quia cum sint extra Ecclesiam, hac lege non obligantur, *cap. 8. de Divort. Suar. de Cens. D. 40. sect. 7. n. 3.* Si verò posteà baptizentur, manet ille defectus lenitatis impediens, illos ordinari: quia cum hic defectus non oriatur ex culpa, & per baptismum solùm peccata deleantur, dicendum est, talem defectum manere. *L. 17. tit. 6. p. 1.* ibi: *Si alguno que fuesse de otra ley, se oviesse acertado en facer tal justicia como esta, ante que se tornasse Christiano embargarle, y á el homicidio que assi oviesse fecho, de manera, que se non podria despues ordenar: como quier que non lo embargaria la muerte, que huviesse fecho en otra guisa, como non debia, é non por razon de justicia, si despues quel fuesse baptizado quisiesse rescibir Ordenes, é esto tovo por bien Santa Eglesia, porque en matar omes por justicia non ya pecado ninguno, porque el Derecho lo manda; é pues que pecado, y non yace, non se tuelle por el baptismo, que lava todos los pecados.* Si verò occisus, sivè per homicidium injustum, sivè per justitiam sit infidelis, irregularitas contrahitur, *cap. 5. D. 50.* quia in occisionem cujuslibet hominis invenitur, vel eadem culpa, vel idem defectus lenitatis: ac proindè irregularis est, qui occidit infantem in utero matris, dum animatus sit, vel etiam excommunicatum, vel bannitum. *Suar. de Cens. D. 44. sect. 3. n. 4.*

162 Omnes, qui mutilantibus in bello injusto cooperantur, vel ad pugnam exhortando, vel arma præbendo, vel campanam pulsando ad seditionem, vel ad arma capienda, vel alio quocumque modo juvando: etiam sarcinas custodiendo, fiunt irregulares etiamsi ipsi nullum occidant: dummodo aliquis ex parte contraria, etiamsi sit unicus occidatur, vel mutiletur: quia omnes sunt veluti una causa moralis homicidii, *cap. 4. D. 51. c. 6. §. fin. h. t.* Hæc tamen irregularitas non ex defectu perfectæ lenitatis, sed potius ex homicidio injusto oritur. Et de bello injusto intelliguntur. *Textus in cap. 5. de Pœn. & cap. 6. §. fin. h. t.* Si verò nullus occidatur, irregularitas non contrahitur non solùm à Laicis, sed nec à Clericis: quamvis his specialius ad tale bellum concurrere prohibeatur. *In cap. 5. 23. q. 8. cap. 9. Ne Cleric. vel Menoch.* & ut in princ. *caus. 23. q. 8.* notatur, *quando Christus dixit Petro converte gladium tuum in vaginam, fuit idem ac dicere: In exemplum patientiæ gladium tuum, id est, hactenùs tibi concessum in vaginam converte: & tantùm spiritualem gladium, quod est Verbum Dei, in mactatione veteris vitæ exerce.* Item Ambrosius dicit: *Arma Episcopi lachrymæ sunt, & orationes.* Nec irregularitatem incurrunt, qui in talli bello assistunt tantùm ad milites in spiritualibus juvandos, vel pacem componendam. *Nav. in Man. cap. 27. num. 218. & 224. Suar. de Cens. D. 47. sect. 5. & alii.* Qui pugnant in bello justo offensivo, seu agressivo, quod scilicèt causa Reipublicæ indicitur publica, & suprema, authoritate ad vindicandam injuriam illatam, damna compensanda, vel res ablatas recuperandas, si non propria manu occidant, vel mutilent, etiamsi alii mutilent, vel occidant, non fiunt irregulares, *cap. 3. de Cler. percus.* arg. à contrario, *c. 24. h. t. Suar. de Cens. D. 47. sect. 6. n. 4.* licèt enim omnes velut una causa moralis homicidii censeantur, non omnes incurrunt irregularitatem: quia dant operam rei licitæ. Clerici, qui armati nomen militiæ dederunt accepto stipendio, etiamsi moraliter sit certum, nullum occidisse, vel mutilasse, fiunt irregulares ex *Declar. S. Cong. 18. Jan. 1703.* & ipso jure beneficium, etiam patronatum, amit-

amittunt. Extra hunc tamen casum non incurrunt irregularitatem Clerici in bello justo pugnantes, & nullum occidentes propria manu; *arg. cap.* 24. *h. t.* licèt talis pugna propria manu gravitèr, & sub variis pœnis Clericis prohibeatur, *cap.* 5. 23. *q.* 8. *cap.* 5. *de Pœnis.* Pugnantes verò in bello justo offensivo, si propriis manibus, aliquem occiderint, vel mutilaverint, etiamsi in hoc non peccent, fiunt irregulares, ex defectu lenitatis Christianæ, *c.* 1. *D.* 51. *c.* 24. *h. t. Navar. in Man. cap.* 27. *n.* 215. *Suar. de Censur. D.* 47. *sect.* 6. *n.* 6. *Barb. & Gonz. in cap.* 24. *h. t.* Qui pugnant, vel occidunt, vel mutilant in bello defensivo necessariò suscepto ad Ecclesiæ, vel Patriæ defensionem, & injuriam ipsis illatam repellendam, nullam irregularitatem incurrunt, *cap.* 2. *de Immunit. Eccles.* Siquidem magis favorabilis est Patriæ defensio, quam vitæ propriæ; *arg. L.* 3. *de Primipil. Suar. de Cens. D.* 47. *sect.* 6. *num.* 2. *Gonzal. in cap.* 24. *h. t. n.* 2. & Laicis non sufficientibus, etiamsi Clerici, vel Religiosi pugnent, non fiunt irregulares: secus si Laici sufficiant; *arg. cap.* 24. *h. t.* Laici tamen etiam liberè pugnantes in tali bello ab irregularitate sunt immunes: secus Clerici, vel Religiosi, exceptis equitibus Melitensibus, & aliis hujusmodi.

163 Ex homicidio merè casuali, quod omni culpa vacat, non nascitur irregularitas. Si enim caret culpa, non est infligenda pœna: qualis tunc esset irregularitas, *cap.* 9. *cap.* 13. *h. t. L.* 15. *tit.* 6. *p.* 1. Hinc si furiosus (perseverante furore: secus in lucido intervallo) infans, aut dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrunt. *Cl. Si furiosus, un. h. t.* Nec qui operam rei licitæ dat, si præter intentionem mors, aut mutilatio alicujus sequatur; v. g. si dum campana, ad populum convocandum, pulsatur, tintinabulum decidat, & aliquem occidat. Vel si in ludo pilæ, vel alio simili aliquis occidatur. Vel si ægrotus dum levatur, vel dum ipsi Medicina à Medico præscripta porrigitur, moriatur, *c.* 9. *c.* 13. *c.* 15. *c.* 16. *c.* 22. *c.* 23. *c. fin. h. t. L.* 15. *t.* 6. *p.* 1. ibi: *La segunda manera, que saca el homicero de culpa, ele escusa de pena, es assi como quando algun Clerigo face homicidio por ocasion, faciendo alguna labor, ó otra cosa que le convenga, guardandose de facer daño á otro quanto pudiere.* Incurrit tamen irregularitatem, qui dat operam rei licitæ, ex qua mors, vel mutilatio, alicujus secuta est, si non adhibuit diligentiam ad talem mortem, vel mutilationem impediendam. Nam talis effectus aliquomodo voluntarius est, nam licèt opus, ex quo sequitur sit licitum, tamen non licitè fit propter homicidii periculum, quod debuit, adhibita diligentia vitari. Sic irregularis est Presbyter, qui causa disciplinæ puerum in capite percusit, ex qua percusione occubuit, *cap.* 7. *h. t.* Item Clericus, qui à tergo falcem non removit, in quod alius ex more insiliens, vulneratus est læthalitèr, *cap.* 8. *h. t.* Similitèr, qui mandavit alterum verberare, etiamsi expressè præcipiat, ne occidatur, si verberibus occisus est à mandatario, qui fines excessit mandati: hoc enim posse accidere debuit cogitare, *cap. fin. h. t. in* 6. vel qui tectum reficiens regulam projecit, & ea hominem occidit: si non clamavit, vel signum de more non possuerit: secus si clamando, vel alio signo monuit, ad homicidium præcavendum. *L.* 15. *tit.* 6. *p.* 1. Ad hanc irregularitatem in foro interno incurrendam requiritur culpa Theologica: & quidem gravis, cum irregularitas, sit pœna spiritualis gravis, quæ peccatum grave debet supponere, ut inter culpam, & pœnam debita pro portio detur; *arg. cap.* 12. *de Pœnit. & remis. ita Sot. de Just. L.* 5. *q.* 1. *art.* 9. *Suar. de Cens. D.* 45. *sect.* 5. *n.* 8. contra *Cajet. & alios.* Pro foro externo negligentiam levissimam sufficere ad irregularitatem incurrendam tenent *Covar. in Cl. Si furiosus, p.* 2. §. 4. *n.* 9. *cum aliis. Avila tamen Laym. & alii*, latam culpam esse ad irregularitatem necessariam, tenent *ex cap.* 7. *de Pœnit. & remis. junct. Gloss.* V. *Negligentibus*, probabilius tamen est, culpam levem requiri, & sufficere ad irregularitatem incurrendam. *Ex cap.* 9. *h. t.* in cujus specie non potuit deficere culpa levissima. Nam cum quidam Clericus cum alio luderet, contigit, quod ille projecit istum ad terram, & tunc cultellus, quem ad latus suum habebat in alterum incidit, & fortuitò occubuit vulneratus. Et cum Clericus non irregularis declaretur ideò dicendum, quod, non sufficit culpa levissima ad irregularitatem. Sufficere tamen culpam levem, probatur ex specie, *cap.* 8. *h. t.* Ubi ex culpa levi irregularitas nascitur: & hanc sententiam tenent *Sylv. Angel. & alli*, & inclinat. *Suar. de Censur. D.* 45. *sect.* 5. *ex n.* 4. Ubi addit, quod licèt omnis cul-

culpa negligentiæ, de qua loquimur, consistat immediatè in omissione cavendi periculum homicidii, potest accidere, quod illud periculum sequatur ex alia omissione, non succurrendi periclitanti, vel non impediendi homicidium: ita, ut tota culpa consistat in omittendo; & tunc non tantùm levissima, sed etiam lata culpa excusat ab irregularitate, *cap. 7. de Pœnit. & remis.*

164 Irregularem esse illum, qui rei illicitæ operam dans aliquem occidit, etiam nulla omissa diligentia, ad homicidium præcavendum, indistinctè tenent. *D. Thom. 2. 2. q. 6. art. 8. Innoc. in cap. 19. h. t. Sylv. V. Homicidium, 2. Navar. in Man. cap. 27. ex n. 220. & alii.* Sed communis distinguit: an actio illicita ex se periculosa sit, & facilè, inductiva mortis, vel mutilationis, vèl non. Si enim actio est, ex se periculosa, & inductiva mortis: tunc irregularitas incurritur, etiam omni diligentia ad mortem præcavendam adhibita: siquidem homicidium est voluntarium, saltem in causa. Si verò actio non sit hujusmodi, tunc non incurritur irregularitas. *Covarr. in Cl. Si furiosus, h. t. p. 2. §. 4. n. 10. Suar. de Cens. D. 45. sect. 5. Soto de Justit. lib. 5. q. 1. art. 9. Barbos. in cap. 9. h. t. num. 3. & alii.* Hinc si imperiti exerceant Medicinam, Chirurgiam, artem ballistariam, vel torneamenta; fiunt irregulares. Si Clericus, etiam causa pietatis Chirurgiam exerceat per sectionem, vel adustionem, si mors, vel mutilatio sequatur: quamvis sit usus regulis artis irregularis fit, quia hoc ipsi specialitèr prohibetur, *cap. 9. Ne Cler. vel Monach.* Secus si mors, nec mutilatio sequatur: in dubio an mors sit secuta ex sectione, vel adustione pro irregulari habetur. Non tamen erit irregularis, etiamsi secet venam, & mors sequatur: quamvis alii hoc negant. Si utatur emplastro, vel alia medicina, non erit irregularis, quamvis mors sequatur: quia solum ipsi prohibetur uti sectione, vel adustione. Nec irregularis erit, si tantùm mandet, vel consulat sectionem, vel adustionem, si ipse non faciat per se ipsum, *cap. 9. Ne Cler. vel Monach. cap. 7. de Ætate, & qualitate. cap. 19. h. t. Vid. Lacroix, lib. 7. num. 526. L. 15. tit. 6. p. 1.* ibi: *Ca maguer el omecillo acaeciesse por ocasion, è se guardasse el facedor quanto pudiesse de facer daño, non se puede escusar que non sea en culpa.* Qui in ebrietate, non totali, alium occidit si usum rationis retineat, nec à culpa, nec à pœna, nec ab irregularitate liberatur: imò nec ab irregularitate erit immunis, licet se totalitèr, & culpabilitèr inebriet, & usum rationis amittat, si prævidit probabilitatem homicidii, vel mutilationis, ab ipso in ebrietate committendæ, eo quod soleat arma arripere, & ad stantes impetere. Si verò non prævidit homicidii periculum, etiamsi aliquem in ebrietate occidat, non erit irregularis. *Nav. Man. cap. 27. ex num. 230. Barbos. in Cl. un. h. t. n. 10.* Juxta plurium sententiam irregularis est, ille qui alium inebriavit, si ebrius aliquem occidat. Sed eum esse immunem, nisi prævidisset, illud periculum adesse, dicendum est. *Gonz. in cap. 11. h. t. n. 7.* Nec incurritur irregularitas, si Clericus venando, hominem, putans esse feram, occidat. Nec si ex alicujus adulterio mors adulteræ sequatur. Nam licèt tàm Clericus, quàm adulter opus illicitum faciant, tamen tales actiones ex se non habent connexionem aliquam cum morte secuta: ac proindè homicidium non imputatur ipsis. Ille, qui agitationem Taurorum procuravit, ex qua mors alicujus fuit secuta: nec ille, qui ludendi causa lapidem, in alium projecit, qui fuit vulneratus neutiquam fiunt irregulares. Nec si alius ex talis lapidis ictu fuit vulneratus, & propter Medicorum imperitiam postèa obiit, *cap. 22. h. t.*

165 Quando dubium intervenit, an alicui actui sit annexa irregularitas: qui sic dubitat, non est habendus pro irregulari: quia irregularitas solùm in casibus in jure expressis incurritur, *cap. 18. de Sentent. excom. in 6.* & casus, in quo de jure dubitatur non est casus expressus in jure. Si dubium facti intercedat, in quo, supposito corpore delicti, scilicèt homicidio (secus est de mutilatione) dubitetur, an culpa alicujus acciderit, ipse pro irregulari est habendus: nam in tali dubio, ex dispositione expressa juris, tutior pars est eligenda, *cap. 12. c. 28. h. t.* Si verò de corpore delicti dubitetur; an scilicèt, homicidium, vel mutilatio, re ipsa acciderit, irregularitas non incurritur. Nam tunc favor rei, & defectus probationis eum à tali pœna debent eximere; *arg. cap. 11. de Reg. jur. in 6.* ibi: *Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori. Item: in dubio melior est conditio possidentis, cap. 65. de Reg. jur. in 6.* Et ille possidet suam libertatem. *Suar. de Censur. D. 40. sect. 5. Sanch. in Decal. lib. 1. cap. 10. ex n. 42.*

Barb.

Barbos. & Gonzal. in cap. 12. *h. t.* Prætereà: pro irregulari est censendus, qui bello justo, in quo aliquis fuit occissus, interfuit, si dubitet, an propria ipsius manu sit occisus, *cap.* 24. *h. t.* dummodò dubium non sit leve.

166 Aliquando homicidium solet fieri ad defensionem vitæ, vel bonorum: & dicitur *necessarium*. Omni enim jure licet vim vi repellere: ac proindè, qui ad sui defensionem alterum occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ immunis omninò est à culpa, sic ipso Jure Naturali suadente. *Armaque in armatos sumere jura sinunt*. Nam talis occisio est defensio propria, quæ omnibus est permissa. *L.* 3. *ff. de Just. & jur. cap.* 18. *h. t. cap.* 6. *de Sentent. excom. in* 6. *L.* 2. *tit.* 8. *p.* 7. ibi: *Ca natural cosa es, è muy guisada, que todo ome haya poder de amparar su persona de muerte, queriendolo alguno matar à èl. L.* 1. *tit.* 23. *lib.* 8. *R. C.* ibi: *Salvo si fuese en su defension*. Nam alias viri justi, & innocentes facile à perversis, & malevolis, cum maxima Reipublicæ perturbatione invaderentur, *cap.* 2. *h. t. in* 6. ac proindè, qui injustum invasorem occidit, immunis est in utroque foro ab omni pœna, & onere. *L.* 2. *L.* 3. *C. ad Leg. Cornel. de Sicar.* & per consequens ab irregularitate. *Cl. un. h. t.* Ubi dicitur, quod nullam incurrit irregularitatem, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem, & consequenter non solùm potest in susceptis ministrare, ut planè conceditur in *L.* 16. *tit.* 6. *p.* 1. sed etiam ad superiores ordines ascendere, quamquam hoc negetur à prædicta Lege, ut ibid. notat *Greg. Lop. V. Sobir à mayores. D. Thom.* 2. 2. *q.* 64. *art.* 7. *Suar. de Cens. D.* 46. *sect.* 1. *Gonz. in cap.* 3. *cap.* 11. *cap.* 18. *h. t.* Non solùm potest quis ad sui defensionem invasorem injustum, sed etiam, & innocentem occidere: v. g. si quis à furioso, vel amente invadatur: vel si quis à Turcis impetatur, in quorum triremi inveniantur remiges Christiani, potest se defendere quamvis innocentes occidantur. Nam à natura habet quis jus ad se defendendum: etiamsi innocentes periculum per accidens patiantur.

167 Potest quis impunè occidere invasorem, non solùm ad defensionem propriam, sed etiam aliorum innocentium: quamvis extranei sint, *cap.* 5. *& seqq.* 23. *q.* 3. *cap.* 6. *de Sentent. excom. in* 6. Sic Moyses laudabilitèr occidit Ægyptium, ut Hebræum defenderet, ut habetur in *cap.* 7. 23. *q.* 3. & factum constat ex *Act.* 7. *v.* 24. Ad hoc enim charitas nos obligat: nam proximum, sicut nos metipsos, diligere debemus, *cap.* 5. *& seq.* 23. *q.* 3. Imò aliquando, justitia obligavit, ut si quis ex officio alterum defendere debeat, ut Principes, & Magistratus respectu subditorum: Milites respectu illorum, pro quibus militant: vassalli respectu Dominorum, à quibus habent feuda: filii respectu parentum. Et tunc etiam cum gravi damno proprio tenentur innocentem defendere: quod si culpabilitèr omittant, non solùm peccabunt, sed etiam ad damnum illatum reparandum tenentur; secus est, si tantùm ex charitate obligentur: nam tunc solùm sine magno sui periculo tenentur defendere innocentem: nec obligantur ad reparanda damna orta ob eorum omissionem, licèt peccent. Immunis ergo ab irregularitate est non solùm, qui occidit ad vitæ propriæ defensionem, quod est regularius. *Cl.* 11. *h. t.* sed etiam, qui occidit ob defensionem proximi: quia nec ex delicto potest oriri talis irregularitas, cum tunc licitè occidat, & aliquando ex obligatione Legis. Naturalis, & Divinæ, qua proximum innocentem defendere debet: nec ex defectu lenitatis, cum ad hoc ipsum obliget charitas christiana, & aliquando justitia, *cap.* 5. 23. *q.* 3. nec sic occidenti, est voluntaria occisio sicut est Judici, siquidem Judex officium spontè suscepit: secus qui occidit ad defendendum aliquem. Nam hoc necessitate cogente facit. *Sic D. Thom.* 2. 2. *q.* 40. *art.* 2. *Covar. in Cl. Si furiosus, h. t. p.* 3. §. *un. & alii, cum quibus hoc tenet Suar. de Cens. D.* 46. *sect.* 3. Et licèt olim *D. Thom.* 2. 2. *q.* 64. *art.* 2. *ad* 3. & plures Juristæ tenuerint, etiam ex homicidio facto à Clerico ob defensionem resultare irregularitatem, ex *cap.* 8. *D.* 50. Verius tamen est nunquam fuisse impositam irregularitatem homicidio ob defensionem facto, nisi in eo excederentur defensionis limites. *Suar. de Censur. D.* 46. *sect.* 1. *n.* 2.

166 An possit quis licitè, & sine incursu irregularitatis occidere invasorem præcissè pro defensione rerum temporalium, etiam quando nullum periculum imminet vitæ invasi, latè disputant DD. inter quos convenit, talem occisionem, quando est mixta pro vita, & bonis licere; *arg. cap.* 2. *cap.* 3. *h. t. L.* 9. *ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* Quando verò est pro solis bonis temporalibus; v. g. quia fur accepta, & ablata pecunia fugiat, quam ipsum

sco-

scoplo occidendo possum recuperare: tunc occisionem esse illicitam docent. *Gloss. in cap. 2. h. t. Sylv.* V. *Homicidium*, 2. *q.* 16. *n.* 11. *Nav. in Man. cap.* 27. *n.* 211. *Mol. tr.* 3. *D.* 72. *n.* 3. *Gutierr. Laym. & alii*, præcipuè ex *cap. 2. h. t.* ubi copulativè requirit Pontifex ad vitandam irregularitatem, quod defensio sit ad se, suaque liberandum: dicendum tamen est, hanc sententiam veram esse, quando res ablata alitèr potest recuperari; v. g. apud Judicem: nam tunc non servaretur moderamen inculpatæ tutelæ, vel quando res est parvi momenti: nam Innoc. XI. damnavit hanc propositionem, quæ est 31. *Regularitèr occidere possum furem pro conservatione unius aurei.* Arbitrio tamen Judicis est æstimanda quantitas sufficiens ad reddendam licitam talem occisionem, attenta necessitate subjecti. *Carden. Cris. Theol. dissert.* 21. *cap.* 4. *num.* 82. & 90. Hinc qui occidit alium ob defensionem rei magni momenti, & quæ alitèr nequit recuperari, nullam pœnam, nec irregularitatem incurrit; *arg. cap.* 38. *D.* 50. quia hæc non contrahitur ob delictum, siquidem licitè fit: nec ex defectu: quia sic occidens non authoritate publica, nec in bello, sed necessitate ad hoc cogente, occidit. Quia bona temporalia, aliquomodo æquivalent vitæ ob necessitatem ad illam conservandam; & sicut ob bona temporalia licitum est bellum defensivum: sic licèt private occidere: alias improbi facilè ad diripiendas res, & bona hominum allicerentur cum maximo Reipublicæ damno; *arg. cap. 2. h. t. in 6.* & sic docent *Cov. in Cl. Si furiosus, h. t. p.* 3. §. *un. num.* 6. *Suar. de Cens. D.* 46. *sect.* 2. *ex n.* 1. *Gonz. in cap.* 3. *h. t. n.* 11. *alios citans in cap. 2. h. t.* Et quod dicit Pontifex, se, *suaque liberando*, debet accipi disjunctivè sic: *se vel sua liberando*, ut notat cum aliis *Gonzal. ibid. n.* 4. quæ sententia meo videri expressè invenitur decisa *in cap.* 6. *de Sentent. excom. in* 6. vel saltem luculentèr comprobatur. Invasorem famæ, & honoris licitè occidi sine irregularitatis metu ex eo, quod fama, & vita, æquiparentur, *cap.* 56. 11. *q.* 3. *n.* 10. 12. *q.* 1. *L.* 8. §. 3. *ff. Quod met. caus.* tenent *Sot. de Justit. lib.* 5. *q.* 1. *art.* 9. *Azor, p.* 3. *L.* 2. *cap.* 1. *q.* 16. *& alii.* Sed cum fama, etiam amissa possit aliis mediis recuperari, quod non accidit in vita: ideò, licèt, quoad alia æquiparentur, quoad hoc est clara disparitas, ac proinde dicendum est, hoc non licere, ut tenent *Barb. in cap.* 10. *h. t. n.* 3. *Less. L.* 2. *de Just. & Jur. cap.* 9. *n.* 79. & 82. *Filiuc. Layman, Cardenas Cris. Theolog. dissert.* 21. *cap.* 2. quod roboratur ex propositionibus ab *Alex. VII.* damnatis, quæ sunt 17. *Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit: ut suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipse Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.* 18. *Licèt interficere falsum accusatorem, falsos testes, & etiam Judicem, à quo iniqua certè imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.* Et 30. damnata ab *Innoc. XI. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si alitèr hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fustè percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.* Fœmina potest occidere aggressorem suæ pudicitiæ, si alitèr nequeat defloration suæ virginitatis vitare: quia virginitas valdè æstimabilis est, & ejus jactura irreparabilis: imò & licitum est infamiæ realis aggressorem occidere; v. g. si alapam impingere tentet, vel fustè ignominiosè percutere, si invasus nequeat sine ignominia fugere. *Sot. Suar. de Censur. D.* 46. *sect.* 2. *n.* 6. Si verò in defensione bonorum, vel proximi: quin, & vitæ propriæ non servetur moderamen inculpatæ tutelæ, occidens, vel mutilans erit irregularis, *cap.* 18. *h. t.* ibi: *Tamen id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam. Cl. un. h. t. L.* 16. *tit.* 6. *p.* 1. & ex hujus moderaminis defectu est irregularitas incursa in casibus. *Text. in cap.* 10. *cap.* 18. *h. t. Suar. de Cens. D.* 46. *sect.* 2. *n.* 10.

169 Moderamen inculpatæ tutelæ hæc tria requirit: 1. causam justam, scilicèt quod aggressor injustè, saltem materialitèr invadat; v. g. si furiosus velit occidere, si enim offensio non esset injusta, non posset esse justa defensio. *Suar. de Cens. D.* 46. *sect.* 1. *n.* 7. Hinc non potest quis se defendere contra Ministros justitiæ eos occidendo, quia non sunt aggressores injusti, cum exequantur justum mandatum Judicis: 2. Requirit *modum*, scilicèt quod defensio proportionata sit offensioni, *cap.* 35. *de Sent. excom.* ibi: *Dum tamen non amplius eorum violentia se extendat; quam defensio, vel religio exigit Clericorum. L.* 5. *ff. ad Leg. Aquil.*

Hinc

Hinc non licet occidere, quando aliter potest averti invassio; v. g. si sufficiat mutilare, fugare aggresorem, illum exarmare, vel prosternere: vel si alter tantùm pugno, vel baculo invadat sine periculo vitæ, aut mutilationis. *Cl. un. h. t.* ibi: *Qui mortem aliter vitare non valens occidit, vel mutilat invasorem.* Si quis fugiendo possit periculum invasoris vitare, occidere, vel mutilare, non potest, nisi fortè fugiendo se exponeret periculo mortis: quatenùs posset cadere, vel sua fuga alterum animosiorem reddere, tunc enim etiamsi Clericus esset non teneretur fugere, nec quando magna ipsi ex fuga resultaret infamia; v. g. si esset miles, vel nobilis: nam non minor est respectu horum jactura famæ, quam vitæ, plebejus autem, Clericus, vel Religiosus sine dedecore possunt fugere. Sic Covarrub. *in Cl. Si furiosus, h. t. p.* 3. §. 1. *n.* 1. *&* 4. *Suar. de Cens. D.* 46. *sect.* 1. *n.* 5. *Gonz. in c.* 11. *h. t. n.* 9. *Nav. in man. cap.* 27. *n.* 211. *& alii* contra *alios*, qui indistinctè tenent, esse irregularem eum, qui occidit invasorem cum posset fugere. 3. *Tempus.* Scilicèt, quod defensio incontinenti, hoc est, ipsa invasione fiat. *L.* 3. §. 9. *ff. de Vi, & vi armat.* vel quando vis imminet; v. g. quando invasor ensem stringit, vel explodit sclopum. Nec enim tenetur quis ictum, vel explosionem expectare; sed potest prevenire occidendo: quia tunc occisio esset necessaria defensio. *L.* 5. *ff. ad Leg. Aquil. L.* 3. *ff. ad Leg. Cornel. de Sicar. L.* 2. *tit.* 8. *p.* 7. ibi: *E non ha de esperar, que el otro le fiera primeramente; porque podria acaecer, que por el primer golpe, que le diesse podria morir el que fuesse acometido, è despues non se podria amparar.* Si ex intervallo fiat; quando v. g. agresor nullam infert vim, nec aliud periculum imminet, magis esset vindicta, quam defensio. Nec possumus alium occidere; ob bona, quæ speramus, vel ad quæ jus habemus: nam *Innoc. XI.* has propositiones damnavit, quæ sunt 32. *Non solùm licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.* 33. *Licitum est tàm hæredi, quàm legatorio, contra injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se talitèr defendere, sicut & jus habenti in Catehedram, vel prævendam contra eorum possessionem injustè impedientem.* An moderamen sit servatum in foro conscientiæ, juxta propriam conscientiam, vel opinionem doctiorum, attentis circunstantiis eximinandum est. In foro esterno arbitrio, & prudentiæ Judicis relinquitur. *Suar. de Cens. D.* 46. *sect.* 1. *n.* 7.

170 R. Pontifex, quia supra omne jus Ecclesiasticum est, potest dispensare in quacumque irregularitate proveniente ex homicidio voluntario, vel ex mutilatione. *C.* 4. *de Conces. præbend. L.* 14. *tit.* 6. *p.* 1. ibi: *Qualquiera que haya hecho homicidio de voluntad, non puede rescebir Ordenes, nin usar de las que ante havia, fueras ende, si el Papa dispensasse con èl.* Irregularitate proveniente ex homicidio plene voluntario, sivè injustum illud sit, sivè etiam justum, etiamsi occultum sit, & non deductum ad forum contentiosum, nequit Episcopus dispensare, ut expressè decisum est in *Trident. sess.* 24. *de Ref. cap.* 6. E contra verò potest dispensare Episcopus. 1. In irregularitate orta ex homicidio casuali occulto, quamvis hoc ex opere illicito sit secutum. 2. In irregularitate orta ex homicidio occulto, non ex propositio, & directè; sed indirectè, & in causa intento; v. g. si quis in rixa subito exorta authorem rixæ occidat, ne ab eo occidatur. *Suar. de Cens. D.* 44. *sect.* 1. *n.* 4. *& com. Doctor.* 3. In irregularitate ex homicidio occulto ad defensionem sui facto, etiam si non servetur perfectè moderamen inculpatæ tutelæ. 4. In irregularitate proveniente ex mutilatione voluntaria, quando hæc est occulta, ut contra *Mendin. Henriq. & Sanch. in Dec. L.* 1. *cap.* 10. *n.* 46. tenet *Nav. Man. cap.* 27. *n.* 240. *Suar. de Cens. D.* 44. *sect.* 4. *n.* 35. *Barb. in Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 6. *n.* 36. *& alii*, qui in his casibus homicidium, quamvis illicitum, non est perfectè, & directè voluntarium, quod tantùm excluditur à dispensatione Episcopi. *Trident. sess.* 24. *de Ref. cap.* 6. ibi: *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario:::: dispensare.* Quando verò delictum ex quo resultat irregularitas est ad forum contentiosum deductum, non potest Episcopus in ea dispensare. *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 6. cujus decisio extenditur ad delictum deductum ad forum contentiosum, etiam finito judicio per sententiam condemnatoriam: siquidem jam delictum notorium factum fuit. Sic *Barb. de Offic. Episcopi, alleg.* 39. *n.* 35. *Garcia de Benef. p.* 7. *cap.* 11. *num.* 30. *& est declaratum à Sacra Congr.* contra *Laym. L.* 1. *tr.* 5. *p.* 5.

cap. 9. n. 5. Sanch. in Dec. L. 2. cap. 11. n. 21. & alios. Potest etiam Episcopus dispensare in foro conscientiæ in irregularitate orta ex homicidio, etiam plene voluntario, quando hoc est occultum, si difficilis sit ad Papam recursus, scandalum, infamia, vel aliud grave peccatum timeretur: ut possit irregularis celebrare in ordinibus, etiam sacris, quandiù culpa est occulta & donec Papa dispenset Delictum censetur deductum ad forum contentiosum quoad dispensationem irregularitatis, quando super eo lis contestatur: & insuper requiritur, quod cum effectu potuerit probari in judicio. Hinc, si sententia absolutoria super delicto sequatur, vel si solùm fuit posita accusatio, denuntiatio, vel citatio delinquentis, potest Episcopus dispensare. *Barb. de Offic. Episcop. alleg. 39. ex n. 29. Sanch. de Matr. L. 8. D. 34. n. 57.*

171 Delictum enim occultum, quoad dispensationem, manere censetur, quando neque est evidens ex sua natura, seu quando probari nequit: ac proindè non obstat, quod de eo detur suspicio, vel diffamatio, vel coram aliquibus, quibus testimonium dicere esse prohibitum, sit patratum: imò, nec sufficit, quod probari possit, si tergiversando, vel aliter possit excusari. Nam notorium non est, quod aliqua excusatione, vel tergiversatione potest celari. In nostra Societate Præpositus Generalis potest cum suis subditis Regularibus in irregularitatibus ortis ex delicto occulto, etiam homicidii, mutilationis, & enormis sanguinis effusionis dispensare. Et hæc facultas communicatur omnibus superioribus, & confessariis, quibus ipsi eam commiserint, exceptis casibus bigamiæ; homicidii, mutilationis, & enormis effusionis sanguinis, qui Præposito Generali reservantur, *ut Const. ex Comped. Privil. Societ.* V. *Dispensatio.* §. 5. & 6. quoad alias Religiones statuta specialia attendantur. Comissarius Cruciatæ, vel delegati ab ipso possunt in irregularitatibus omnibus dispensare, nisi procedant ex homicidio voluntario, simonia, apostasia à fide, hæresi, aut mala ordinum susceptione, aut ex celebratione Missæ, & aliorum Divinorum officiorum. Ad materiam homicidii, prout respicit actus internos, pertinent hæ propositiones damnatæ ab *Innoc. XI.* scilicèt 10. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.* 11. *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.* 13. *Si cum debita moderatione facias, potest absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere: illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.* 14. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem, ut malum patris, sed ut bonum cupientis: quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.* 15. *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis, à se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias, indè ex hæreditate consecutas.*

TIT. XIII.

De Torneamentis.

172 TOrneamenta, quæ detestabiles nundinæ, vel feriæ in *c. 1. h. t.* nuncupantur, sunt hastiludia vel pugnæ equestres, in quibus milites, & nobiles congredi solent ad virium, & audaciæ ostentationem. *L. 10. tit. 3. p. 1.* ibi: *Torneamento es una manera de uso de armas, que facen los Cavalleros, è los otros omes en algunos logares, è acaesce à las vegadas, que mueran algunos de ellos.* Dicitur *Torneamentum* à quodam verbo Græco, quod circuire significat juxta *Covarr. in Thesaur. Ling. Hisp.* V. *Tornèo.* Vel juxta vulgare Italicum, à circuitu, & regressione pugilum, ut ait *Greg. Lop. in L. 10. tit. 13. p. 1.* vel à ludò *Trojano*, quasi *Trojamentum.* Sic Virgil. postquam latè hos ludos retulerat Æneid. 5. concludit: *Trojaque tunc pueri, Trojanum dicitur agmen. Vid. Dictionar. de Trevoux.* V. *Tournoy.* Aliquando significat bellum cruentum, ut in *L. 18. tit. 26. p. 2. L. 27. tit. 23. p. 2.* Sed regulariter est quædam representatio, vel figura belli, & cujus in Hispania satis frequens est usus, & vocatur *Tornèo, Justas, Cañas, Alcanzias, &c.* Sed quia ex his torneamentis periculum animæ, & corpori potest imminere, prohibentur Jure Canonico sub privatione Ecclesiasticæ sepulturæ si quis ibi occidatur. *c. 1. c. fin. h. t.* Non tamen sunt neganda Sacramenta, si ea moriens pœnitentia ductus petat, *c. 6. 26. q. 6. L. 10. tit. 13. p. 1. Barbos. & Gonz. in c. 1. h. t.* In his torneamentis infaustè fuit occisus Henricus II. Rex Galliæ à Comite de Montgomery. Jure Civili antiquo absolutè torneamenta, etiam periculosa, permittebantur. *L. 7. §. 4. ff. ad Leg. Aquil.* Secus de Jure

Ci-

Civili novo. *L. un. C. de Gladiator.* ibi: *Cruenta spectacula judicio Civili, & domestica quietè non placent, qua propter omninò gladiatores esse prohibemus.* Hodie verò, si torneamenta, ita moderatè fiant, ut per se non detur periculum cædis, vel vulnerationis, nisi fortè per accidens: omni jure licita sunt Laicis, secus Clericis, quorum statum non decent teste Orbis Christiani universali consuetudine. *Barbos. in cap. 1. h. t. Gonz. in cap. fin. h. t. in 6.* Ob idem periculum corporis, & animæ est prohibita agitatio taurorum, vel ferarum à S. Pio V. ann. 1567. & imposita excommunicatio major in Dominos, qui eas permittunt: & qui ibidem decedunt privatur Ecclesiastica sepultura. In Hispania tamen nostra ob dexteritatem, audaciam, & inclinationem gentis, tales agitationes permittuntur laicis à *Greg. XIII. & Clem. VIII.* dummodo non fiant in die festo, & provideatur, ne alicujus mors, in quantum fieri possit, sequatur. *Azor, p. 3. lib. 2. cap. 15. Gutier. Canon. QQ. lib. 1. cap. 7. Barb. in cap. 1. h. t. n. 3. Gonz. in cap. fin. eod. n. 7.*

TIT. XIV.

De Clericis pugnantibus in duello.

173 AGitur in præsenti de pugnantibus in duello, tàm Clericis, ut Rubrum expressè docet, quàm Laicis ut continetur in Nigro: quod in hac parte latius patet, quam Rubrum. *Duellum igitur est, quasi duorum bellum: & ideò Græcè dicitur Menomachia, cap. 22. 2. q. 5. Est etenim singulare certamen duorum inter se ex condicto susceptum.* Aliquando solemnitèr fiebat, scilicèt per litteras provocatorias, seu charthulam denuntiationis *Hispanè: Cartèl*, adversario missas, assignando locum securitatis: quem campum francum appellant, & testes adhibendo: quos patrinos, seu secundantes vocant. Quod si hæ solemnitates desint privatum duellum dicitur. In nostra Hispania erat olim valdè frequens duellorum usus, de quibus, & eorum solemnitatibus latè agitur in *tit. 3. & 4. p. 2. & in tit. 8. lib. 8. R. C.* Et quidem *in L. 2. tit. 3. p. 2.* dicitur: *E debese facer el Riepto ante el Rey, é por Corte, é non ante Rico-Home, nin Merino, nin otro Oficial del Reyno. Et in L. 2. tit. 4. p. 2.* dicitur: *E debeles el Rey dar plazo, é señalarles dia que lidien, é mandarles con que armas se combatan, é darles Fieles que les señalen el campo, é le amojonen, é gelo demuestren; porque entiendan, é sepan ciertamente por qué lugares son los mojones del campo, de que non han de salir si non por mandado del Rey, ó de los Fieles. E despues que esto hobieren fecho, hanlos de meter en el medio del campo, é partirles el Sol, é debenles decir, ante que se combatan, como han de facer, é ver si tienen aquellas armas, que el Rey mandó, ó mas, ó menos::: é debe el reptador acometer primeramente al reptado; pero si el reptador non lo acometiese, puede el reptado acometer á él si quiere.* Duellum igitur omni jure est prohibitum: 1. *Jure Naturali*, siquidem cum nullus privatus sit Dominus membrorum suorum, nec vitæ alterius, nullomodo est illi liberum, nec permissum, in periculum tale suam, vel alterius vitam, vel etiam salutem æternam, præcipitare: 2. *Jure Divino*: quia Dominus in sua Lege præcipit: *Exod. 20. & Deut. 5. Non occides.* Et Christus Dominus apud *Matth. 5. v. 21.* ait: *Audistis, quia dictum est antiquis: non occides, qui autem occiderit, reus erit judicio.* Nam sibi Deus reservavit Dominium in hominum vitas. *Deut. 32. v. 39. Ego occidam, & ego vivere faciam.* 3. *Jure Civili, in L. un. C. de Gladiat.* Cujus decisio, licèt tantùm sit erga congredientes in ludo Gladiatorum, vel qui se ad pugnandum cum bestiis pretio locabant, tamen extenditur ad duellentes, juxta communem sensum *DD.* 4. *Jure Ecclesiastico in toto hoc titulo, & Trid. sess. 25. de Reform. cap. 19. & ex Const. Pii IV. ann. 1560. Gregor. XIII. ann. 1582. Clem. VIII. ann. 1592.* Denique jure nostro Hispano hodierno est omninò prohibitus usus duellorum sub gravibus pœnis. *L. 10. tit. 8. lib. 8. R. C.* & adhuc severius, & enixius jubentur puniri duellentes à nostro vigilantissimo Catholicoque Monarcha Philippo V. in speciali Decreto, quo duellorum usus à nostra Hispania exterminatur. Illicitum ergo est duellum ad vindicandam injuriam illatam: quia non licet authoritate privata vindictam sumere, cum ad hoc sit constitutum judicis officium. *L. 14. C. de Judæis*, nec ad virium, & peritiæ militaris vanam ostensionem: siquidem ex tàm vana causa, non est sumendum adeò periculosum medium; *arg. cap. 1. de Torneam.* Antiquitus pluries duellum indicebantur ad manifestationem veritatis, innocentiæ, aut justitiæ. Sed cum

hoc medium ad tales fines consequendos, non solùm sit periculosum, sed fallax, & superstitiosum, cum Deus non promiserit victoriam foventi justam causam, innocenti, vel veritatis assertori: ideò etiam in his casibus prohibetur, *cap.* 22. 2. *q.* 5. *cap.* 1. & 2. *de Purg. Vulgar. L.* 8. *tit.* 14. *p.* 3. ibi: *Pero los sabios que ficieron las leyes, non la tovieron por derecha prueba, è esto por dos razones: la una, porque muchas vegadas acaesce, que en tales lides pierdese la verdad, é vence la mentira: la otra, porque aquel que ha voluntad de se aventurar á esta prueba semeja, que quiere tentar á nuestro Señor Dios.* Etiam prohibetur duellum, quamvis fatale non sit, sed fictum, quando scilicèt non fit animo se vulnerandi gravitèr, sed tantùm levitèr, ad honorem, & famam conservandam, & ne credatur, eos duellum ex timiditate fugisse. Nam finis adæquatus Legis non tantum est cædes impedire; sed usum detestabilem duellorum tollere, & in hoc casu istud duellum scandalum apud populum generaret, cum verum duellum crederetur. Præterquamquod, si hoc permitteretur, facilè posset accidere, quod animis utrimque excitatis, verè ad cædem perveniretur. Ideò tale duellum intelligi prohibitum tenendum est cum *Mendo L.* 3. *de Jure Academico*, *q.* 29. *Append. de Duell.* §. 4. contra *Pignat. t.* 9. *cons.* 88. *n.* 92. *Trull. in Decal. tit.* 2. *lib.* 5. *cap.* 2. *dub.* 13.

174 Licita tamen est acceptatio, vel oblatio duelli: 1. Ad vitam, vel bona temporalia defendenda, saltem contra injustum invasorem, si alio modo defendi nequeant: quia tunc minùs malum, ad majus malum avertendum eligitur: nec mortis periculum eligitur absolutè, sed tantùm gravissimum mortis periculum certum, in dubium, & incertum commutatur. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 39. *n.* 8. *Less. de Just. lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 49. Etsi tunc injustus invassor succumbat, nec adhuc à vexatione injusta velit desistere, circunstantes tenentur ei non sucurrere: nam hoc esset injusto duello ex parte illius cooperari. Si verò succumbat injustè invasus, tenentur circunstantes ei sucurrere, etiamsi adjecta esset conditio, quod nullus succumbenti succurrat: nam hæc esset illicita, & contra Jus Naturale, quo innocenti sucurrendum est: 2. Licitum est etiam ad duellum provocare, quando causa, quæ in bello justo erat terminanda reducitur ad particulare certamen duorum, vel plurium: quia consultius est aliquorum dumtaxat vitam, quam vitas totius exercitus in periculum adducere: dummodo victoria alias satis certa non reddatur dubia per tale duellum. Et hac ratione admissit David duellum, ad quod Goliat Exercitum Israel provocabat. Et tunc, etiam non adjecta conditione de non succurrendum succumbenti, circunstantes tenentur non succurrere, etiamsi succumbat miles justam habens causam bellandi: nam bonum commune prævalere debet particulari. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 39. *n.* 12. 3. Milites publica authoritate suorum Ducum licitè acceptant duellum, non ob vanam curiositatem, sed ad conservandam bonam existimationem exercitus apud hostes. *Navar. in Man. cap.* 15. *n.* 28. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 14. *Azor*, *p.* 3. *lib.* 2. *cap.* 5. *q.* 3. 4. Similitèr authoritate publica Judicis potest reus ad mortem condemnatus, adversus alium reum mortis pugnare zelo, quod exequatur justitia, & propriæ vitæ servandæ causa. Nam talis occisor, ut Minister Justitiæ sententiam mortis in alterum exequitur: 5. Adversus accusatorem potest accusatus duellum iniri, interveniente authoritate Judicis, si alitèr non possit sententiam mortis, vel mutilationis, vel accusationem vitare: vel si inique à Judice condemnetur, ut duellum acceptet, vel mortem subeat: eam tunc esset potius defensio, quam duellum. *Azor*, *p.* 3. *lib.* 2. *cap.* 5. *q.* 3. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 39.

175 Non tamen licèt etiam virò equestri, & nobili duellum acceptare, ne timiditatis notam incurrat. Ideò *Alex. VII.* damnavit hanc propositionem, quæ est: 2. *Vir equestris ad duellum provocatus potest, illud acceptare ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Quia ad honorem defendendum non est necesse tàm periculosum medium eligere: posset enim sic provocatus respondere: se duellum non acceptare in reverentiam Dei, Pontificis, & Regum nostrorum suis Legibus tale medium prohibentium: minimè tamen ex timore, seque esse promptum, & paratum, ad se ubique, & à quocumque defendendum, si aggrediatur, vel invadatur injustè, vim repellendo vi: posset enim suo modo respondere, sicut Turnus Aneæ apud *Virgil. lib.* 12. *Ille caput quassans, non me tua fervida terrent dicta, ferox: Dii me terrent, & Jupiter hostis.* Et sic nullam incurreret infamiam, quin, & laudem mereretur. Nec sic respondens excluderetur ab Ordine Militari

ri D. Jacobi in nostra Hispania, nam solum constitutionibus hujus Ordinis excluditur, qui provocatus ad duellum, illud ex timiditate non acceptat, præcipuè si à Mauris provocetur, & ita jam in Hispania declaratum est in *Pragmatica contra duellantes.* Si in duello occiderit provocans provocatum pœna ordinaria Legis Corneliæ, mortis scilicèt, punitur occisor. Quod si provocatus occiderit, cum difficilimum sit injuriato temperare dolorem. *L.* 4. *C. ad Leg. Jul. de Adulter.* mirius, & pœna extraordinaria puniri solet. *L.* 14. §. 6. *ff. de Bon. libert.*

176 Pœnæ Ecclesiasticæ in duellantes statutæ inveniuntur *in Trid. sess.* 25. *cap.* 19. *de Reform.* ibi: *Detestabilis duellorum usus, fabricante Diabolo, introductus, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano Orbe pœnitùs exterminetur: Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ad jurisdictione, & Dominio Civitatis, castri, aut loci, in quod, vel apud quem duellum fieri permisserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur, & si feudalia sint directis Dominis statim adquirantur. Qui verò pugnam commisserint, & qui eorum patrini vocantur excommunicationis, ac omnium bonorum suorum in proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & ut homicidæ juxta Sacros Canones puniri debeant, & si in ipso conflictu decesserint, perpetuò careant Ecclesiastica sepultura. Illi etiam, qui consilium in causa duelli, tàm in jure, quàm in facto dederint, aut alia quacumque ratione, ad id quemquam suaserint, nec non spectatores excommunicationis, ac perpetuæ maledictionis vinculo teneantur: non obstante quocumque privilegio, seu prava consuetudine, etiam immemorabili.* Hinc est quod excommunicatio, quæ ab his incurritur est latè sententiæ. *Suar. Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 39. *n.* 26. Princeps, & Magistratus, qui post duellum condonant, seu non puniunt duellantes, excommunicationem incurrunt: quin, & incapax absolutionis est, qui non punit valdè gravitèr provocantem ad duellum, etiamsi pugna non sequatur, cum superior ex suo officio debeat à Republica crimina exterminare. *Lacr. lib.* 3. *p.* 1. *numer.* 855. Hæ pœnæ, quæ à Trident. in publica, & solemnia duella sunt statutæ, extenduntur à *Gregor. XIII. in Bulla Ad tollendam.* Ad duella privata, quæ ex condito statuto tempore, & loco, quamvis sine patrinis, vel sociis, & aliis solemnibus fiant: & in Dominos ea permittentes, & omnes mandantes, instigantes, auxilium, vel consilium dantes, vel aliter cooperantes: item, in spectatores ex proposito, & in socios: etiamsi illi qui accedunt ad locum destinatum in effectu non pugnent, si per ipsos non steterit, quominus pugna committatur. *Clem. VIII. in Bull.* quæ incipit: *Illius vices.* Extendit dictas pœnas ad milites duellantes ex inimititia privata, ac ad Duces ea permittentes, & subjicit interdicto Ecclesiastico Civitates, & Loca, in quorum territoriis duellum, scientibus, & non contradicentibus Dominis, vel Magistratibus committitur, & Sedi Apostolicæ reservat absolutiones talis interdicti, & excommunicationis. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 39. *ex n.* 19. ab ea tamen, si est occulta, potest Episcopus absolvere, imò, & quilibet confessarius virtute Bullæ Cruciatæ.

177 Non incurruntur hæ pœnæ: 1. Si effectus non sit secutus, licèt verè se aliqui provocaverint: quin etiamsi comparuerint tempore, & loco constitutis, si pugna non sequatur, non incurruntur pœnæ. Sic probabiliter *Hurtado, Diana, Barbos. Fagundez, Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 28. contra *Filiucium, Bonac. Escob. Tambur. & alios cum Lacr. lib.* 3. *p.* 1. *n.* 849. Nam pœnæ prædictarum constitutionum ferunt in provocantem, & provocatum, qui pugnam, vel Monomachiam commiserit. Patrini tamen, & socii excommunicationi subjiciuntur à Papa, etiam non secuta pugna, quam promovere sunt conati: 2. Si arma pugnantium ex se non sint destinata ad mortem inflígendam; *arg. cap.* 1. *de Torneam. Trid. sess.* 25. *de Reform. cap.* 19. Sic si viri pugnis, vel baculo, vel mulieres evulsione capillorum pugnent, etiamsi per accidens mors inferatur, non incurrunt pœnas duellantium. *Pignat. tit.* 9. *cons.* 88. *n.* 92. 3. Si ad pugnam non præcedat pactum, vel conventio, qua locus, & tempus simul, & copulativè statuantur, non incurruntur pœnæ duellantium: quia pugna non fit ex condito; v. g. si aliqui calore iracundiæ in loco minùs apto ad pugnandum, se provocent, & nullo facto intervallo, ad locum aptum exeant ad pugnandum: quia tunc provocatio, & pugna non sunt duæ, sed una moralitèr actio. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 39. Nec item pœnæ incurruntur, si in provocatione

ne præfiniatur tempus sine loco, vel locus sine tempore: vel etiam si tempus, & locus assignentur, si provocatio sit ad pugnandum, non armis, sed pugnis, vel etiam, si prædicta concurrant, si provocatus, non accesit ad locum. Nec incurrunt excommunicationem Principes, qui ad minora mala vitanda, vel ex alia justa causa, permittunt duellum: nec illi, qui locum ad duellum concedunt infidelibus: siquidem *Trid.* expressè dicit: *Inter Christianos.* Si verò concedat locum ad duellum ineundum inter Christianum, & infidelem, excommunicationem incurrunt. *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 39. n. 29. Lacr. lib. 3. p. 1. n. 856.* Consulentes duellum, non aliter incurrunt excommunicationem, nisi verè in duellum suo consilio influant. Secus si jam erat alius absolutè determinatus ad duellandum, vel si quis consulat duellum cum minori damno; v.g. ei qui volebat in duello contrarium occidere, consulat, quod solùm usque ad vulnerationem, vel mutilationem pugnet: nam cum consulens minùs malum non peccet, consequenter non incurreret duellantium pœnas. *Sanch. de Matrimon. lib. 7. D. 11. n. 15.* Imò excusari ab his pœnis consulentem duellum, qui ante duellum, vel saltem ante provocationem ad illud, efficacitèr revocavit consilium faciendo, quantùm potuit, ne provocatio sequeretur, tenent *Bonacin. de Excom. D. 2. q. 6. p. 1. n. 35. Diana, Pereg. Pignat. Lacr. lib. 3. p. 1. n. 852.* Similiter non incurrunt, qui approbant duellum suo nomine factum. Incurrit tamen ille, qui non impedivit duellum, cum posset, etiamsi pugna non sequatur, quando per ipsum non stetit, quominùs iniretur. *Ex Constit. Gregor. XIII.* Spectatores solùm quando ex proposito, vel data opera hoc faciunt, quasi duellum approbando incurrunt pœnas *Trid.* Secus Sacerdotes, si ibi sunt, ut audiant confessionem illorum: nec Medici, vel Chirurgi, qui ibi assistunt, ut medeantur vulneratis: nec illi: qui per transitum sistunt, ut obiter videant: vel si ex occulto duellum, quis aspiciat, non enim est propriè spectator, nec sua præsentia cohonestat duellum: vel si aliqui solùm ex curiositate, vel casu spectent, vel animo impediendi. *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 39. n. 31. Lacr. lib. 3. p. 1. ex n. 858.* Ab hac excommunicatione potest absolvere Episcopus, si delictum sit occultum, & non deductum ad forum contentiosum. *Ex Trid. sess. 24. de Reform. cap. 6.* Et quilibet Confessarius virtutæ Bullæ Cruciatæ, & Mendicantes ex suis privilegiis ex declaratione *Clem. VIII.* qui ab hoc beneficio excepit Italos extra Urbem commorantes. *Lacr. L. 3. p. 1. n. 861.* In nostra Hispania novissimè declaratum est, quod rixa facta, etiam post aliquod tempus elapsum in campo, vel loco occulto, pro duello habeatur, & arbitrio Judicis relinquitur moderare pœnam.

178 Clerici ineuntes duellum (de quibus specialis loquitur præsens Rubrica) Jure Canonico antiquo *in cap. 1. h. t.* sivè ipsi provocaverint, sivè provocati acceptent, sunt deponendi, vel perpetuo suspendendi, per sententiam Judicis, ab officio, & beneficio, ut Interpretes dictum text. intelligunt. Si tamen mors, vel mutilatio non esset secuta, poterat Episcopus in suspensione dispensare. *Gloss. in cap. 1. h. t. V. Deponendus.* Si Clericus in duello pugnans, per se, vel per alium occidat, vel mutilet, irregularis fit, *cap. fin. h. t.* in qua irregularitate nequit dispensare Episcopus. Prætereà: *Pius IV. ann. 1560.* statuit in Clericum pugnantem in duello privationem beneficiorum, & inhabilitatem ab illa. Denique, Clericus in duello pugnans punitur pœnis statutis in alios pugnantes Jure novo *Trid.* nam cum delictum Clericorum duellantium gravius sit, quam laicorum, non debent pœnæ in ipsos esse leviores. *Sanch. in Decal. L. 2. cap. 29. Suar. de Cens. D. 31. sect. 4.* Et prædictis pœnis absque ulla sententia, etiam criminis declaratoria, incurruntur illæ, quæ nullo jure quæsito privant: ut excommunicatio, interdictum, irregularitas, & probabiliter, etiam inhabilitas ad beneficia obtinenda: quia cum sint latæ sententiæ statim ligant. Illæ verò, quæ jure nam quæsito privant, ut privatio beneficiorum, quæ jam obtinentur, amissio jurisdictionis, confiscatio bonorum, amissio dominii loci concessi ad duellandum, &c. indigent, ut incurrantur, sententia declaratoria criminis: siquidem valdè durum, & difficile est, reum obligare, eas in se ipso exequi. *Sanch. in Decal. L. 2. cap. 3. n. 32. Lacr. lib. 3. p. 1. n. 862.* Ut sepultura Ecclesiastica privetur occumbens in duello, non requiritur sententia condemnatoria, ut deducitur ex *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 19.* ubi utitur verbo: *Careat.* Et *Clem. VIII.* in *Constitut. Illius vices*, dicit: *Sepulturæ privatos esse volumus. Pignat. t. 9. cons. 88. num. 84.* imò nec sententia declaratoria

ria criminis opus est, ut quis privetur sepultura Ecclesiastica, quando est notorium, reum in duello commisso contra *Trident.* & *Constitutiones Apostolicas* esse occisum, Teste ipsius Ecclesiæ usu. *Pignatel. t. 9. cons.* 88. *n.* 162. Si verò non sit notorium ad Episcopum, vel ejus Vicarium casum referri oportet, ut hic, si plenè probetur duellum, saltem summariè, reum condemnet ad privationem sepulturæ, & suffragiorum Ecclesiæ, si tamen hæc probatio nequeat haberi adhibitis diligentiis debitis, poterit in loco sacro sepeliri, secreto tamen, & sine pompa. *Pignatel. t. 9. cons.* 88. *n.* 162. Si tamen longè absit Ordinarius, potest Parochus defunctum in duello, quando delictum non est notorium, sepelire, & posteà Ordinarius, publicato crimine, posset in ejus penam præcipere exhumari cadaver. *Lacr. lib.* 3. *p.* 1. *n.* 863. Occumbens in duello privato datis pœnitentiæ signis, ex consuetudine solet in loco sacro sepeliri. Si verò in duello publico decedat, ei denegatur sepultura Ecclesiatica, ut patet ex *Rituali Rom. edito jussu Pauli V. In Titulo de Exequiis*, ibi: *Negatur sepultura Ecclesiastica morientibus in duello, etiam si ante obitum dederint signa pœnitentiæ.* Aliàs numquam, vel raro huic pœnæ locus esset, cum plerumque vulnerati, si aliquantulum supervivant, aliqua dent signa pœnitentiæ. *Gonzal. in c. fin. h. t. n.* 10. *Pignatel. t. 9. cons.* 88. *n.* 166. Si verò vulnere accepto in duello post unum, vel alterum diem, duellans obiisset, pœnitens tamen, & à peccatis absolutus, cum non in ipso conflictu decedat, de quo loquuntur Constitutiones Apostolicæ, & *Trid.* non est talis à sepultura Ecclesiastica excludendus, ut tenent *Trullench. de Jur. Parochi. cap. 9. dub.* 7. *n.* 7. *Lezan. t.* 2. V. *Duellum, n.* 14. *Diana, Lacr. lib.* 3. *p.* 1. *n.* 884. contra *Thom. Hurt. t.* 2. *tr. ult. res.* 5. §. 6. *num.* 196. *Pignat. t. 9. cons.* 88. *n.* 164. Qui mortuum in duello sepeliunt in loco sacro non excommunicantur, cum nullibi hæc pœna statuta inveniatur.

TIT. XV.

De Sagitariis.

179 CHristiani, quando bellum justum est, possunt quibuscumque armis, & modis bellum gerere. *c.* 2. 23. *q.* 2. atque adeò per sagittarios, hoc est, per eos qui ex arcubus simul, & semel plures sagittas in hostem dexterè jacerè sciunt, & per ballistarios, id est, per eos, qui strage plurium hostium, ex ballistis, seu catapultis saxa in hostes mittunt. Sed cum hodie prædictorum usus jam defecerit, & in eorum locum tormentarii, & bombardarii, successerint, qui glandes, globos plumbeos, pilas ferreas, vel lapideas ex tormentis, & aliis machinis bellicis in hostes ejaculant, eorum usus in bello justo, etiam inter Christianos initio, licet, dum non exerceatur incantantionibus, aut aliis malis artibus. Prædicta tamen arte nequeunt uti Christiani pro hostibus Christiani nominis contra fideles, & Catholicos sub anathematis pœna. *c. un. h. t.* & quidem talis excommunicatio est latæ sententiæ, & reservata Pontifici. Nec item possunt fideles dictam artem ballistariam, vel tormentariam Infideles docere; *arg. c. 6. de Judæis.*

TIT. XVI.

De Adulteriis, & stupro.

180 ADulterium, de quo prima pars præsentis Rubricæ, licèt aliquando sumatur latè pro quacumque conjunctione carnali non conjugali. *c.* 4. 32. *q.* 4. tamen *propriè est violatio alieni thori*: vel fidei, & thori conjugalis, *ex D. Aug. de Bon. Conjug. cap.* 4. & dicitur *adulterium*, quia adulter præter suam *ad alteram* accedit. *cap.* 15. 32. *q.* 5. *L.* 1. *tit.* 17. *p.* 7. ibi: *Adulterio es yerro, que ome face à sabiendas, y haciendo con muger casada, ò desposada (de præsenti) con otro: è tomò este nome de dos palabras de latin: alter, y thours, que quiere tanto decir, como ome, que và, ò fue al lecho de otro* Potestque committi, vel à marito alieno cum soluta, vel è contra ab uxore aliena cum soluto, & dicitur adulterium simplex, vel unilaterale, vel potest committi à marito alieno cum aliena uxore, ac proindè bilaterale dicitur, estque duplex adulterium: & cum utroque modo fides conjugalis violetur, utrumque est verè, & propriè adulterium. *c.* 15. & 16. 32. *q.* 5. Adulterium autem bilaterale seu duplex gravius est, siquidem non tantum lædit adulter propriæ uxoris fidem, sed etiam alteriùs mariti jus, & aliquando, etiam liberorum. Siquidem si-

filius ex adulterio natus percipit alimenta, & postea legitimam à patre putativo cum præjudicio legitimorum. In adulterio duplex invenitur malitia, una luxuriæ, quia vir extra conjugium accedit ad fœminam: alia injustitiæ, quia læditur jus, quod ad se invicem conjuges habent, obligans ad carnem suam cum alio non dividendam. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 154. *art.* 8. & licèt maritus in adulterium consentiat adhuc manet adulterii malitia, licèt maritus tunc non possit actionem pro tali injuria instituere. Deo enim Authori naturæ infertur injuria, etiam marito consentiente, cum Deus utrumque conjugem indisolubili vinculo adstringit, imò & ipsi matrimonio infertur injuria. Hinc est damnata ab *Innoc. XI.* hæc propositio, *quæ est.* 50. *Copula cum conjugata consentiente marito non est adulterium, ideòque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.* Qui ad sponsam alterius accedit, licèt peccatum injustitiæ committat, non tamen ex propriè adulter; nisi sit sponsa de præsenti, quæ verè conjux est. Ut communius habetur. Nec adulter est, qui accedit ad uxorem putativam alterius, quia non intercedit vinculum, quod adulterio violetur, licèt pro adultero, quoad pœnas in jure habetur. *L.* 13. §. 1. *ff. ad Leg. Julian. de Adulter.*

181 Ex adulterio duplex actio oritur, alia Civilis, alia Criminalis. Civili potest innocens 1. agere ad divortium, seu separationem, quoad torum, & cohabitationem *c.* 5. *de Divort.* 2. ad restitutionem dotis, seu donationis propter nuptias: nam hæc debet restitui innocenti cum omnibus, quæ nocenti atulit. *L.* 8. §. 4. *& C. de Repud. c.* 4. *de Donat. inter.* 3. Maritus potest petere ab adultera, & adultero alimenta pro prole adulterina, imò uterque adulterans, nata prole, tenetur damna illata compensare, quantum fieri potest sine detrimento boni altioris, & causatione majoris mali: singuli adulterantes, si dubium sit, quis sit pater, secundm dubii proportionem tenentur restituere, & prolem alere; & quidem adulter ordinariè post annum tertium tenetur prolem alere, adultera, usque ad annum tertium inclusivè *Lacroix L.* 3. *p.* 2. *ex n.* 332. Item liberi legitimi possunt petere exclusionem filii adulterini à successione in bonis paternis, & suo modo etiam à maternis. Etiam actione criminali potest adversus adulterum agi, non ad interesse, sed ad publicam vindictam, ut pœna legitima ipsi infligatur: & quidem in Lege veteri pœna adulterii erat mors per lapidationem infligenda. *Joann.* 8. *v.* 5. ibi: *In Lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare.* Jure Civili prius erat deportatio, vel exilium. *L.* 5. *ff. de Quæst.* posteà à Constantino in *L.* 30. *C. ad Leg. Jul. de Adult.* pœna gladii fuit statuta, quam pœnam, quoad fœminas ob sexus fragilitatem ad verberationem, & detrusionem in Monasterium reduxit *Justin. in Auth. Sed hodie. C. ad Leg. Jul. de Adulter.* ferè idem fuit statutum *à R. N. Alph. in L.* 15. *tit.* 17. *p.* 7. sed hodie hæc dispositio cessat, & pœna utriusque adulteri est æqualis, scilicet utriusque mors. *L.* 1. *tit.* 7. *lib.* 4. *For. Leg. L.* 1. *tit.* 20. *lib.* 8. *R. C. & ibid. Aceved. num.* 5. *& notat Greg. Lop. in d. L.* 15. V. *Morir.*

182 Jure Canonico Laici adulteri olim excommunicabantur. *c.* 6. *h. t.* adulteræ tamen, si mariti nolebant eas recipere, perpetuò detrudebantur in Monasterium ad agendam pœnitentiam. *c.* 19. *de convers. Conjugat.* Sed hodie regulariter Judici sæcularis relinquitur adulterorum punitio. Si Clericus tantùm diffamatus est, vel suspectus de adulterio, ei indicitur purgatio Canonica, in qua si defecerit, est suspendendus ab officio. *c.* 5. *h. t.* Si est convictus, vel confessus in judicio debet suspendi ab officio, & beneficio, & ad pœnitentiam agendam detrudendus est in Monasterium toto vitæ tempore. *c.* 10. *&* 11. *D.* 81. Hodie pœna carceris, vel pecuniaria solet imponi, exoleta jam tali detruxione, & si fortè in adulterio, vel strupo deprehensus à marito, patre, filio, vel fratre fœminæ percutiatur, si incontinenti hoc fiat, non incurrit sic percutiens excommunicationem Canonis, quia non suadente diabolo, sed doloris vehementia impellente creditur percussisse; licèt talis percussio peccaminosa sit. *c.* 3. *de Sent. excom. Nav. in Man. cap.* 27. *num.* 4. §. 7. 84. *Covarrub. de Sponsal. part.* 2. *cap.* 7. *num.* 12. Maritus, quī uxorem pater, qui filiam adulteram in adulterio deprehendit, impunè occidit, quoad forum externum siquidem Leges tale delictum non puniunt. *L.* 20. *L.* 24. *ff. ad Leg. Jul. de Adulter.* quod etiam in nostra Hispania servatur. *L.* 13. *L.* 14. *tit.* 17. *p.* 7. *L.* 3. *tit.* 20. *lib.* 8. *R. C. L.* 4. *tit.* 23. *lib.* 8. *R. C.* Quoad forum tamen internum sic occidens læthalitèr peccat: nam Ecclesia non alium gladium ha-

habet, quam spiritualem, & quidem non ad occidendum, sed ad vivificandum, *cap.* 6. 33. *q.* 2. *D. Thom. in* 4. *D.* 37. *q.* 2. *art.* 1. Hinc *Alex. VII.* hanc propositionem, quæ est 19. damnavit: *Non peccat maritus occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Potest tamen eam occidere tanquam Minister Justitiæ, si ipsi à justitia hæc facultas committatur, ut in Hispania committitur in *L.* 1. *tit.* 20. *lib.* 8. *R. C.* ibi: *Si muger casada ficiere adulterio, ella, y el adulterador ambos sean en poder del marido, y faga de ellos lo que quisiere; y de quanto han ansi, que no pueda matar al uno, y dexar al otro: pero si hijos derechos huvieren ambos, ó el uno de ellos, hereden sus bienes; y si por ventura la muger no fue en culpa, y fuere forzada, no haya pena. Et in L.* 5. *tit.* 20. *lib.* 8. *R. C.* additur: *El marido que matare por su propria autoridad al adultero, y á la adultera, aunque los tome en fragante delito, y sea justamente hecha la muerte, no gane la dote, ni los bienes del que matare; salvo si los matare, ó condenare por autoridad de nuestra justicia, que en tal caso mandamos, que se guarde la Ley del Fuero, que en este caso dispone, que es la Ley primera de este titulo. Et ibid. Acevedo.* Adulterium, quod sub matrimonii specie committitur, & dicitur polygamia, quando scilicèt conjugatus, adhuc ejus conjuge vivente, secundas nuptias scientèr contrahit, ob gravissimam irreverentiam Sacramento illatam gravius punitur: & quidem in nostra Hispania, hoc delictum ad Inquisitores pertinet, & quidem privativè, ita ut non solùm Judices Laici, sed etiam Ecclesiastici excludantur. Hujus quidem criminis rei ducuntur in publicum suggestum, ubi abjurant de levi, mitra infami eorum capiti imposita. *Hispanè*: Coroza, & fustibus cæduntur, & ad triremes per quinquennium damnantur. *Sousa in Aphor. Inquis. L.* 1. *cap.* 2. *n.* 7. *Carena, & alii.* Vid. *L. fin. tit.* 17. *p.* 7. *L.* 8. *tit.* 20. *lib.* 8. *R. C.*

181 Ad accusandum criminalitèr adulterium, ante omnes, admittitur maritus innocens adulteræ. Illius enim maximè interest, fidem conjugalem sibi servari, ac proindè præfertur etiam patri adulteræ, etiam si hic in accusando prævenerit. *L.* 2. §. 8. *ff. ad Leg. Jul. de Adult.* nisi pater maritum infamiæ arguat, aut doceat colludere magis cum uxore, quam ex animo accusare: nam tunc pater marito præfertur. Si maritus nolit, vel omittat accusare adulteram, pater adulteræ admittitur ad eam accusandam: post patrem cæteri cognati adulteræ admittuntur, scilicèt frater, patruus, avunculus, & alii, quos verus dolor ad accusandum impellit. *L.* 30. *C. ad Leg. Jul. de Adult. L.* 2. *tit.* 17. *p.* 7. Hodie tamen in nostra Hispania solùm admittitur maritus ad accusandum uxoris adulterium. *L.* 2. *tit.* 19. *lib.* 8. *R. C.* & nullus alius, etiam data negligentia mariti: & etiam si adulterium esset mixtum cum incestu, ut ex generalitate Jurium deducit. *Greg. Lop. in L.* 2. *tit.* 17. *p.* 7. V. *Tan negligente.* Et licèt olim facto divortio, quilibet de populo poterat adulteram accusare ob mariti, vel parentum negligentiam. *L.* 3. *tit.* 17. *p.* 7. Hodie verò nec facto divortio, nec etiam mortuo marito, aliquis admittitur ad adulterium accusandum; *ut ex d. L.* 2. *tit.* 19. *lib.* 8. *R. C.* tenent *Greg. Lop. in L.* 3. *tit.* 17. *p.* 7. *Aceved. in L.* 1. *tit.* 20. *lib.* 8. *R. C. n.* 6. Maritus tamen, quando accusat adulteram, debet etiam, & adulterum accusare, si uterque vivat: ac proindè, vel utrumque, vel nullum debet accusare. *L.* 2. *tit.* 20. *lib.* 8. *R. C.* de Jure Civili uxor non potest criminalitèr maritum accusare. *L.* 1. *C. ad Leg. Jul. de Adulter. L.* 1. *tit.* 17. *p.* 7. Siquidem in uxore adultera gravius est adulterium, quam in marito ob incertitudinem prolis, & suppositionem alieni partus. Deindè: quia uxor majorem reverentiam debet marito, tanquam suo capiti, quam maritus uxori. *Covar. de Spons. p.* 2. *cap.* 7. §. 6. *n.* 5. *Sanch. de Matrim. lib.* 10. *D.* 8. *n.* 33.

184 De Jure Canonico etiam uxor ad accusandum adulterum admittitur. *C. fin.* 32. *q.* 5. *L.* 1. *in fin. tit.* 17. *p.* 7. *E esto fue establecido por las Leyes antiguas, como quier, que segun el juicio de Santa Eglesia non seria assi.* Et deprehensi in adulterio non debent ad imparia judicari, quoad debitum reddendum, quoad divortium, & quoad accusationem. *Gloss. in cap.* 4. 32. *q.* 1. V. *Ad imparia. Farin. Prax. Crim. q.* 141. *n.* 105. *& alii.* Maritus, ut talis potest adulteram accussare intra 60. dies utiles à tempore matrimonii per divortium soluti computando: Patri adulteræ idem tempus 60. dierum conceditur: sed ipsi non currit, marito accusante: quod si uterque accusare intra hoc tempus omittat, utrique hoc tempus currit. *L.* 4. *ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Elapsis 60. diebus, etiam extranei admittuntur intra quatuor menses utiles, & tunc possunt

admitti, maritus, & pater, si suo tempore omiserunt; sed tantùm tanquam extranei. *L.* 4. §. 1. *L.* 11. §. 6. *ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Elapso tamen quinquennio, & quidem continuo computando, à tempore commissi criminis jure speciali, non est locus hujus criminis accusationi: sicut nec stupri, lenocinii, & aliorum Legis Juliæ. *L.* 5. *C. ad Leg. Jul. L.* 4. *tit.* 17. *p.* 7. licèt alia crimina solùm 20. annis extinguantur. *L.* 12. *ad L. Cornel. de Fals. Gonz. in cap.* 4. *h. t. n.* 3. *& alii com.* Possunt accusari tàm adulter, quàm adultera, dummodo adulterium sit commissum per dolum, quia sine eo adulterium non committitur. *L.* 43. *ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Si mulier conjugata sit publica meretrix, licet de rigore, ut rea adulterii possit accusari, & puniri. *L.* 13. §. 2. *ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Hodie tamen in praxi non solet accusari, vel puniri tanquam adulter, accedens ad meretricem, etiam conjugatam. Etiam possunt accusari, qui cooperantur adulterio; v. g. facientes questum ex adulterio, exercentes lenocinium, prostituentes uxores suas. *L.* 29. §. 3. *ff. ad Leg. Jul. de Adult.* præbentes domum scienter ad adulterium. *L.* 8. *ff. eodem.* In nostra Hispania mariti consentientes suarum uxorum adulteria puniuntur, sicut lenones. *Hispanè: Alcahuetes, ó Rufianes. L. fin. tit.* 20. *lib.* 8. *R. C.* ibi: *Que es por la primera vez verguenza pública, y diez años de galeras; y por la segunda cien azotes, y galeras perpetuas.*

185 Quando tantùm agitur civilitèr ex adulterio ad divortium, solus Judex Ecclesiasticus de eo cognoscit: quia cum agatur de solvenda obligatione, quoad cohabitandum, resultante ex Sacramento matrimonii, censetur causa spiritualis, *c.* 3. *c.* 4. *de Divort. Covarr. de Spons. p.* 2. *cap.* 7. §. 6. *num.* 8. *Sanch. de Matr. L.* 10. *D.* 8. *n.* 15. Si criminalitèr ad pœnam sanguinis agatur, solus Judex sæcularis cognoscit: siquidem Ecclesiasticus causas sanguinis tractare non potest, *cap.* 9. *Ne Clerici, vel Monach.* quoad alias pœnas, adulterium, quia injuriam infert Sacramento matrimonii est mixti fori, *cap.* 1. *de Offic. Ordin.* & datur locus præventioni inter Ecclesiasticum, & sæcularem. *Clar.* §. *fin. q.* 37. *n.* 3. *& alii com.* si de restitutione dotis, vel donationis propter nuptias principalitèr agatur, solùm sæcularis cognoscit, quia est causa profana. Si de his agatur incidentèr, potest cognoscere etiam Ecclesiasticus, ut de causa accessoria divortio, *cap.* 3. *de Donat. inter.* Potest quis simul agere criminalitèr ad vindictam publicam ob adulterium, & civilitèr, ad interesse particulare restitutionis dotis, vel donationis propter nuptias, vel compensationes damni: at verò non æquè principalitèr, quia actio criminalis, ut dignior non potest æquè principalitèr cum civili cumulari; sed ita ut actor criminalitèr agens accessorie possit interesse particulare petere. *Sanch. de Matr. lib.* 10. *D.* 8. *n.* 19. & potest etiam finito judicio criminali intentari actio civilis ad interesse, vel è contra; *arg. L. un. C. Quando civilis actio.* Non tamen potest finito judicio criminali, quoad publicam vindictam intentari, quoad divortium, vel è contra: quia causa divortii non est purè civilis, sed etiam est criminalis ad vindictam privatam tendens. *Sanch. de Matr. lib.* 10. *D.* 8. *n.* 19. Adulterium potest probari, si filius nascatur ex muliere, de cujus marito constat fuisse absentem ultra annum, vel esse impotentem ad coitum. Et cum hoc delictum, sine testibus, & in locis secretis fiat, ac proindè sit difficilis probationis, sufficiunt præsumptiones, si violentæ sint, & vehementes, quæ scilicèt oriuntur ex actibus, & indiciis proximis delicto, & cum eo regularitèr conjunctis. Nam tunc jam habetur, ea moralis certitudo delicti, quæ attenta ejus qualitate haberi potest, ac proindè nullum restat morale periculum damnandi innocentem, *cap.* 4. *h. t. Menoch. de Præsumpt. L.* 1. *q.* 58. *n.* 3. *Mascard. de Probat. concl.* 57. *num.* 6. *Sanch. de Matr. L.* 10. *D.* 12. Tales præsumptiones sunt, si solus cum sola, nudus cum nuda, in eodem lecto jacere visus est, vel si in locis secretis, & latebris, ad hoc commodis, & horis electis soli reperiantur, quando mulier alias suspecta est, *cap.* 12. *de Præsumpt. L.* 11. *L.* 12. *tit.* 17. *p.* 7. judicare tamen, quænam præsumptiones sunt hic, & nunc vehementes, & sufficientes ad pœnam ordinariam, arbitrio Judicis relinquitur. Et quamvis adulterium plenè non possit probari, attamen conjecturæ, & præsumptiones violentæ, quibus probandum est, plenè probandæ sunt per testes non singulares, sed omni exceptione majores. Et quidem viro suspicanti uxoris adulterium, licitum est, illam observare cum testibus idoneis, ut eam de adulterio convincat; quia hoc non est ejus peccato cooperari: (hoc enim non licet) sed uti ejus malitia ad pro-

prium

prium commodum. *Sanch. de Matr. lib.* 10. *D.* 12. *n.* 51. & 52. Si mulier discedat à marito, & adhæret viro de incontinentia diffamato, vel suspecto, eique cohabitet, vel si invito, aut inscio marito per noctes in domo viri suspecti, vel litteræ amatoriæ inhonestam consuetudinem declarent, vel ipsa eam consuetudinem, & amicitiam jactet, vel si absente, vel ignorante marito, à juvenibus clàm, & noctu frequentetur; vel si vir, & mulier in loco abdito soli inveniantur se mutuo osculantes, & amplexantes, & in aliis casibus similibus, si alia non concurrant adminicula, licèt possit agi ad divortium, & ad pœnam extraordinariam, non tamen ad ordinariam adulterii, nisi reus adulterium in judicio sit confesus: ne fortè contingat, inocentem sine sufficiente probatione condemnari. *Sanch. de Matr. lib.* 10. *D.* 12. *ex num.* 46.

186 Si uxor est violentèr oppressa per vim præcisam, & absolutam: vel si ab alio viro credens inculpabilitèr esse suum maritum, cognita fuit: vel si nubit alieno viro, putans probabilitèr maritum suum esse mortuum; cum tunc non detur culpa, nec datur adulterii pœna. *L.* 13. §. 7. *L.* 39. *ff. ad Leg. Jul. de Adulter.* Si per gravem metum sit cognita, pœna extraordinaria, non ordinaria punietur: quia & si metus non tollat, minuit tamen voluntarium, & adulterium sine dolo malo, à quo excusat metus, non comittitur in ordine ad penam ordinariam. *L.* 43. *ff. ad Leg. Jul. de Adulter.* Si uterque conjux adulterium commissit, crimen pro crimine compensatur, quoad restitutionem dotis, vel donationis propter nuptias, imò & quoad divortium, quod neuter petere potest. *c.* 6. *c. fin. h. t.* Secus se habet, quoad vindictam publicam: nam uterque puniri potest Siquidem per alterius adulterium Reipublicæ non satisfit, imò gravius offenditur. *Covar. de Sponsal. p.* 2. *cap.* 3. §. 6. *n.* 5. *Sanch. de Matrim. lib.* 10. *D.* 8. *n.* 36. *Barb. in c.* 6. *h. t. n.* 5. *Gonz. in C. fin. eod.* Non habetur in foro externo pro adultero, qui accedit ad solutam, credens esse conjugatam, quia magis factum, quam animus attenditur: secus est in foro interno. Siquis accedat ad mulierem alteri nullitèr conjugatam, quia matrimonium fuit invalidum ob consanguinitatem; v. g. adhuc uterque delinquens subjacet pœnis adultetorum, ut pro nostra Hispania est decisum in *L.* 4. *tit.* 20. *lib.* 8. *R. C.* Si verò quis accedat ad conjugatam credens esse solutam, ab adulterii pœna excusatur, cum sine dolo malo, à quo excusat ignorantia, adulterium non commitatur. *L.* 43. *ff. ad Leg. Jul. de Adult. L.* 5. *tit.* 17. *p.* 7. *Azor, p.* 3. *L.* 3. *c.* 8. *not.* 8. *Far. Prax. Crim. q.* 141. *n.* 97. & *alii* contra *Diaz, Pract. Crim. Canon. c.* 85. V. *Adulter. n.* 5. Qui in effectu cum aliena uxore non commiscetur, licèt ad actus valdè propinquos perveniat pœna extraordinaria carceris, vel fustigationis, vel alia simili punietur, non tamen pœna ordinaria adulterii: siquidem tunc cessat confusio sanguinis, & incertitudo prolis, quæ causam pœnæ ordinariæ statuendæ dederunt; præterquamquod conatus ad delictum generali consuetudine non punitur pœna ordinaria delicti quamvis valdè proximus sit delicto, nisi specialitèr hoc in Lege notetur. *Clar.* §. *fin. q.* 92. *n.* 1. & *alii.*

187 Stuprum, de quo secunda pars præsentis Rubricæ propriè est *illicita virginis defloratio, non præcedente pacto conjugali. c.* 2. §. *Cum ergo*, 36. *q.* 1. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 154. *art.* 6. latè tamen sumitur *pro quolibet illicito concubitu cum virgine, vel vidua honestè vivente; imò etiam cum puero. L.* 34. §. 1. *ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Stuprum est triplex: aliud est *violentum absolutè*: quando, scilicèt, virgo invita, id est retinens manibus, & pedibus, imò, & clamore implorans auxilium, per vim præcisam opprimitur. Aliud *voluntarium*, quando ipsa virgo in sui defloration consentit. Aliud denique est *violentum secundum quid*, quando, scilicèt, per metum, dolum, vel fraudem virgo stupratur. Quando omninò voluntarium est stuprum non habet novam malitiam supra simplicem fornicationem, ac proindè non est necessè hanc circunstantiam in confenssione declarare: nam nec virgini fit injuria, quia volenti, & consencienti injuria non fit. *L.* 145. *ff. de Regul. jur. c.* 27. *eod. in* 6. nec parentibus, quia in ejus defloratione non violatur Patria potestas, sicut violatur per raptum. Et quidem ipsa habet usum sui corporis, & membrorum independentem à Patria potestate, non minus, ac si corrupta esset. *Sanchez de Matr. lib.* 7. *D.* 14. *n.* 5. & *alii com.* contra *Sylv. Azor, Tolet.* & *alios.* Quando stuprum per violentiam, metum, dolum, vel fraudem fit, in eo committitur injustitia, auferendo violentèr à fœmina virginitatem, cujus circunstantia in con-

fessione declaranda est. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 14. n. 7.* Stuprum vi præcisa completè commissum pœna capitali plectitur. Quando stuprum non est completum, nec virgo in effectu defiorata, licèt ad actum proximum vi adhibita pervenisset stuprator, solùm deportatione, vel fustigatione punitur. *L. 1. §. fin. ff. de Extraord. Crimin.* Si puella blanditiis, promissionibus, muneribus, vel aliis fraudibus, vel fallaciis in sui defiorationem consentit, tunc stuprator non punitur pœna ordinaria mortis: alias ferè semper capitalis pœna stupratori esset infligenda, cum ferè numquam tales promissiones, & persuasiones desint. *Sic cum aliis Thomàs Sanchez, de Matrim. lib. 7. D. 14. n. 8.* Quando in stupro nulla vis intervenit, si stuprator sit vilis conditionis, verberatur, & relegatur. Si honestæ sit conditionis, publicatur media pars bonorum ejus §. 4. *Inst. de Public. judicis.* Si servus ejus Dominam corrumpebat, *ipse comburebatur, L. un. C. de Mulieribus, quæ se propr. serv.* Idem in nostra Hispania disponitur in *L. 2. tit. 19. p. 7.* Sed hodie generali consuetudine, & praxi hujus pœnæ loco servatur pœna Juris Canonici obligantis stupratorem contrahere cum stuprata, vel eam dotare, *c. 1. h. t. ut ex Gom. in L. 80. Taur. & Julio Claro affert. Gonz. in c. 2. h. t. n. 6.* Qui aliquam fœminam veste meretricia indutam defloravit, non est ut stuprator condemnandus, siquidem deest propositum, & animus fœminam honestam corrumpendi, quod ad stuprum requiritur. *L. 15. §. 15. ff. de Injur.* Deindè requiritur, quod delictum sit consummatum: conatus tamen solùm pœna extraordinaria punitur, etiamsi ad actum proximum pervenerit, nisi ubi aliud expressè disponitur. Clericus stuprator puellam dotare tenetur. *c. 1. h. t.* & olim ab officio deponebatur, *c. 44. 2. q. 7.* Hodie præter præstationem dotis, punitur, vel incarceratione, vel depositione, vel suspensione, vel alia pœna arbitraria: Et si vi stuprum fiat, perpetuo carceri Clericus mancipatur loco pœnæ capitalis, quæ Laicis infligitur, *Menoch. de Arbitr. cas. 88. n. 6. Farin. Prax. Crim. q. 147. n. 65.* Laicus stuprator, Jure Canonico attento, tenetur ducere stupratam, vel eam dotare: nam licèt utrumque simul, & copulativè injungatur *in Cl. 1. h. t.* Consuetudine tamen inductum est, ut hodie conjunctiva in disjunctivam resolvatur; *arg. L. 53. ff. de V. S.* ac proindè hodie sufficit, vel eam ducere, vel si hoc nolit, eam juxta ejus qualitatem dotare. *Gonzal. in c. 2. h. t. n. 3. & 8. Gomez in L. 8. Taur. n. 6. Barb. & alii.* Non tamen tenetur stuprator ante sententiam condemnatoriam, vel stupratam ducere, vel eam dotare, si aliundè reparavit damnum stupro illatum, ita ut ipsa æquè benè nubat, ac si corrupta non esset. *Covarrub. de Sponsal. p. 2. cap. 6. §. 8. n. 16.* post sententiam tamen condemnatoriam, statim eam dotare tenetur stuprator, etiam non spectato tempore nuptiarum, & potest stuprata, si non nubat, jus transmittere ad hæredes. Si verò stuprator de pretio convenit cum puella, ante, vel post concubitum, vel de pœna transegit, solùm ad hoc tenetur, licèt alias uterque possit à Judice ob delictum puniri. *Clar. §. fin. q. 58. n. 14.* Virgo corrupta, non solùm, quando est superioris conditionis, quoad nobilitatem, & divitias; sed etiamsi sit æqualis conditionis cum stupratore, non tenetur nubere stupratori, etiam si hic in satisfactionem matrimonium offerat, sed potest augmentum dotis petere, ne privetur libertate, quam habuit ante stuprationem nubendi cui velit. Et etiam si puella, & ejus pater in matrimonium consentiat, non tenetur stuprator ad illud ineundum, sed tunc est apud ipsum electio, an contrahere, vel dotare velit, quod si non possit pecunia, vel dote compensare damnum stupro illatum, adhuc non tenetur eam ducere, si puella sit longè inferioris conditionis. Siquidem nequit obligari, tale damnum reparare cum majori damno proprio; tunc sufficiet, si compensare damnum procuret meliori modo, quo possit. *Lugo de Just. & jur. D. 12. sect. 1. num. 18. Less. eod. lib. 2. cap. 10. n. 13.* Quando puella consentit in sui violationem sub promissione seria, quam ipsi fecit stuprator de ducenda ea in uxorem, tenetur determinatè stuprator eam ducere, nec habet locum alternatio. Si verò promissio sit ficta, satisfaciet saltem in foro conscientiæ, si reparet pecunia, vel dote, damnum stupro illatum. Si stuprator non possit stupratam ducere, quia Ordine Sacro, vel alio matrimonio sit ligatus, tunc determinatè tenetur eam dotare. Similitèr tenetur determinatè dotare, quando puella ex juxta causa non vult stupratori nubere, vel parentes ejus eam ipsi nolint dare. *Gom. in L. 80. Taur. n. 6. Barb. & Gonz. in c. 1. h. t. n. 7.*

Stu-

188 Stuprator, qui nullam injuriam, nec damnum aliquod in re, & effectu causavit suo stupro, ad nihil tenetur. Sicque nec ad contrahendum matrimonium, nec ad dotem constituendam tenetur stuprator. 1. Si fœmina sponte, & sine vi, vel fraude in sui violationem consensit: nam consentienti non fit injuria. *L.* 145. *ff. de Regul. jur. c.* 27. *eod. in 6.* Nisi ipse posteà ejus fragilitatem publicando, dis-famaverit eam: nam tunc damnum reparare tenetur. *Mol. de Just. tr.* 3. *D.* 104. *n.* 13. *Laym. L.* 3. *tr.* 3. *p.* 3. *c.* 13. Consentiente puella in stuprum, nihil est restituendum ejus patri, etiam si hac causa dotem auxisset: quia ipsa est suæ virginitatis Domina, & etiam invito patre potest nubere cui velit, etiam si inferioris esset conditionis. *Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.*14. *n.*11. *Soto de Just. & jur. L.*4. *q.*7. *art.* 1. *ad* 2. *Suar. Mol. Vazq. & alii*, contra *D. Anton. p.* 2. *tit.* 5. *c.* 6. *Bernard. Diaz. Pract. Canon. cap.* 83. *Gutier. & alios.* 2. Si etiam post damnum, vi vel faude causatum ipsa fœmina stuprata, etiam sine consensu patris stupratori remittat obligationem. *Lugo de Just. & jur. tom.* 1. *D.* 12. *sect.* 1. *n.* 9. *&* 10. *Less. eod. lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 9. *&* 19. *Vazq. & alii.* 3. Si ipsa etiam post defloratione inveniat maritum ejusdem conditionis, ac si non esset corrupta: quia stuprum, etiam ipsi marito fuit occultum: tunc enim in re nullum damnum passa est mulier. 4. Si mulier jam erat inhonestæ vitæ: nam huic nullum damnum fit: vel si ab alio erat jam corrupta: secus est si habebatur publicè pro virgine, licèt verè corrupta esset: nam tunc eam per vim cognoscens, & diffamans arbitrio Judicis satisfacere tenetur. Qui metu gravi injustè incusso stupravit virginem, tenetur eam ducere, vel dotare: quia injuriam, & damnum illatum hoc modo reparare debet: si verò stuprator justè incutiat metum; v. g. dicendo, quod eam accusabit apud Judicem, vel patrem quando hoc justè fit, non tenetur ad restitutionem. Similiter non tenetur, ducere, vel dotare stuprator, qui blanditiis, precibus, vel muneribus puellam ad concubitum induxit, quia tunc voluntariè ipsa consensit: nisi preces adhibitæ sint à persona, cui magnam reverentiam debeat fœmina; v. g. à Principe, vel habeant metum admixtum. *Molin. de Just. & jur. tr.* 3. *D.* 106. *Less. eod. lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 14. *Lugo de Just. D.* 12. *sect.* 1.

189 Stuprum à Laico commissum est mixti fori, ac proindè, tàm à Judice Sæculari, quàm Ecclesiastico puniri potest. *c.* 2. *h. t.* ubi *Greg.* præcipit Episcopo Sipontino, quod Laicus, qui virginem stupravit excommunicetur, vel corporaliter castigetur, & in Monasterium detrudatur, si eam ducere in uxorem renuat: quod si cum ea matrimonium contrahat, ab omnibus pœnis sententia comprehensis liberatur. Et idèm est de sententia lata à Judice Sæculari, qui stupratorem in pœnis corporalibus condemnat, casu quo non contrahat matrimonium. *Gonz. in c.* 2. *h. t. n.* 6. Si stuprator sit Clericus, solum à judice Ecclesiastico punitur. Mulieri asserenti cognitam, & impregnatam esse ab aliquo, incumbit probatio, ex eo quod affirmet. Si nihil probet ipsi etiam cum juramento non creditur, qui uni testi non creditur. *c.* 23. *de Testib.* præcipuè in causa propria. Et reus absolvitur, etiam si nihil probaverit. *c. fin.* §. *Sanè de Jur. jur.* Si aliquid probet, non tamen quod sufficit ad plenam probationem, viro defertur juramentum ad ejus innocentiam purgandam, & tali juramento standum est; *arg. c.* 5. *h.t.* stuprum, sicut, & simplex fornicatio ferè eisdem modis, præsumptionibus, & conjecturis, quibus adulterium probatur, & poterat aliquando probatio per inspectionem fieri. *c.* 4. *c.* 5. 27. *q.* 1. *c.* 6. *C. fin. de Frigid. c.* 4. *c.* 14. *de Probat. L.* 3. *tit.* 8. *p.* 4. Ad quod notandum est, quod quamvis virginitas juxta aliquos, consistat in quadam membranulla; quæ est orificio vasis, & dicitur hymen, tamen plures hoc negant, & dicunt claustrum virginale consistere in membranis carnosis, illud constrigentibus, ita arctè, ut appareat, esse quasi ligamentum cutaneum, ac proindè, quod virginitas amittitur per apertionem, seu distensionem partium, quæ vas fœmineum claudunt. *Sanch. de Matr. lib.* 7. *D.* 14. *n.* 1. *Lesius, & alii* cum *Lacr. L.*3. *p.* 1. *n.* 917. Hæc autem inspectio debet fieri per obstetrices, & majori decentia possibili. Si fœmina, quæ sit honestæ famæ cognoscatur à viro, & hic fateatur, se eam cognovisse, neget tamen eam esse virginem, vel etiamsi asserat, esse virginem, neget, vi vel dolo esse corruptam: ipsa tamen è contra virginem esse, & vi, vel fraude cognitam fuisse asserat; cum pro puella stet præsumptio, quod fuerit virgo, & seducta à stuprature, ideò ipsi probare suum intentum incumbit; quod si in probatione deficiat,

cre-

creditur puellæ etiam sine juramento: ac proindè stuprator condemnatur, ut eam ducat, vel dotet. Si verò constet, etiam per testes singulares, esse corruptam ab alio: vel saltem ipsa sit malæ famæ, & pasim pro virgine non habeatur, ipsi etiam cum juramento non creditur: nam ejusmodi mulieres facile juramenti Religionem contemnunt. *Mascard. de Prob. concl.* 1237. *n.* 6. *Barb. in c.* 1. *h. t.*

190 Præter has duas species luxuriæ, de quibus expressè rubrica loquitur, agendum nobis est in presenti, pro pleniori materiæ inteligentia, de cæteris luxuriæ speciebus, notando in omnibus, quod in re venerea non datur parvitas materiæ, ac proindè ex hoc capite nullum peccatum erit veniale, nisi fortè veniale evadat ex defectu advertentiæ, vel deliberationis. *Fornicatio* ergo, sic dicta *à fornicibus*, sub quibus Meretrices Romæ habitabant, & concubere solebant, teste Isidoro, *lib.* 10. *de Origin.* latè sumpta significat quemcumque concubitum extra matrimonium. *c.* 2. §. *Cum ergo*, 36. *q.* 1. Strictè significat coitum soluti à conjugio, & omni impedimento dirimente, cum soluta ab eisdem impedimentis, & sic comprehendit stuprum. Strictissimè est concubitus soluti cum fœmina jam deflorata. Quod si absque consuetudine fiat, simplex fornicatio dicitur, si consuetudo accedat, dicitur concubinatus. *c.* 2. §. *Cum ergo*, 36. *q.* 1. Concubinatus tamen in Jure Civili significabat conjuntionem, & consuetudinem cum muliere soluta domi retenta, tanquam si esset uxor. In Jure Canonico, si quis cum soluta consuetudinem habeat, etiamsi in domo eam non retineat, concubinarius appellatur. Aliquando in Jure Canonico dicitur concubina uxor de præsenti desponsata, cum minori tamen solemnitate. *c.* 4. *& seqq. D.* 34. Prætereà Conc. Vien. *in Cl.* 3. *de Hæreticis.* Damnat, ut erroneam, & hæreticam propositionem dicentium: quod actus carnalis, cum ad hoc natura inclinet, peccatum non sit maximè cum tentatur exercens. Et Innoc. XI. damnavit hanc propositionem, quæ est ordine 48. *Tàm clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam: & solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur.* Ac proindè dicendum est, fornicationem etiam simplicem, esse intrinsecè malam, & Jure Naturali, & Divino prohibitam, ut deducitur ex *D. Matth.* 15. *v.* 27. *ex D. Paul.* 1. *ad Cor.* 6. *v.* 9. & 18. *ad. Galat.* 5. *v.* 19. *Rom.* 1. *ex v.* 18. *c.* 10. *D.* 88. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 153. *art.* 5. *& communitèr* tenent *Doctores*: Siquidem cum matrimonium sit institutum, & intentum ad rectam prolis educationem, & huic fini in genere, & regularitèr opponatur fornicatio, & vagus concubitus, cum frequentèr malè hujusmodi proles educetur, licet in aliquo casu particulari, hoc inconveniens cessaret, hinc talis fornicatio censetur Jure Naturali prohibita, & intrinsecè mala: nec unquam fuit approbata fornicatio, sed ad summum tantùm fuit permissa, vel tolerata. *L.* 13. §. 2. *ff. ad Leg. Jul. de Adult. L.* 1. *& per tot. ff. de Concubin.* ut hodie permittuntur lupanaria in aliquibus Regnis ad graviora vitanda peccata, & olim in nostra Hispania permissa videntur. Hodie tamen omninò prohibita sunt. *L. fin. tit.* 19. *lib.* 8. *R. C.* vel si Leges Civiles fornicationem approbarunt, illæ, quia pecatum fovent, sunt abrogatæ à Sacris Canonibus. *c.* 10. *D.* 88. *c.* 20. 27. *q.* 1. *Cl.* 3. *de Hæret.* Nec Osseas fuit jussus fornicari in illis verbis *Osseæ* 1. *v.* 2. *Sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum*: nam solùm jubetur sumere in uxorem mulierem, quæ antecedentèr erat fornicaria, ex qua habuit filios, legitimos quidem, & ex verò matrimonio, proclives tamen fornicationi. In confessione debet copula explicari; ideò *Alex. VII.* hanc propositionem, quæ est 25. damnavit. *Qui habuit copulam cum soluta satisfacit confessionis præcepto, dicens, commissi cum soluta grave peccatum contra castitatem explicando copulam.* Jure civile nulla pœna erat statuta fornicationi, nec concubinatui *L.* 13. §. 2. *ff. ad Leg. Jul. de Adult. L.* 1. *ff. de Concubin.* Jure tamen Canonico non solùm concubinatus, qui ob sui ob diuturnitatem pecatum auget. *C. fin. de Consuetud. c.* 5. *de eo, qui duxit.* sed etiam simplex fornicatio punitur. Cujus animadversio non solùm in Clericos, sed etiam in Laicos, quia delictum est mixti fori, commendatur Ordinario Ecclesiastico in *Trid. sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 8. & hodie in utroque foro pœna ferè est arbitraria. *Menoch. de Arbitr. cas.* 289. *& alii com.* In nostra Hispania pœna concubinatus, etiam quando concubinæ sunt Clericorum, vel Regularium, aliquando est pecuniaria, aliquando est exilii, & aliquando fustigationis pro varietate, gravitate, & duratione delicti. *L.* 1. *& seqq. tit.*

tit. 19. lib. 8. R. C. Comercium Christiani cum muliere Judæa, vel infideli, vel è contra, licèt simplex fornicatio sit, gravius tamen punitur, ex eo quod magna irreverentia, & injuria nomini Christiano inferatur, minori tamen, quam capitali pœna plectitur. In nostra Hispania Judæus cum Christiana peccans punitur morte, secus si Maurus cum Christiana peccet, sed hodie hoc vix servatur. *L. 9. tit. 24. L. fin. tit. 25. p. 7. & ibid. Greg. Lop.*

191 Incestus est concubitus inter personas consanguineas, vel affines intra quartum gradum, *cap. 2. §. Cum ergo, 36. q. 1. lib. 1. tit. 18. p. 1.* ibi: *Incestus quiere tanto decir, como pecado, que es fecho contra castidad, é cae en este pecado el que yace á sabiendas con su parienta fasta el quarto grado, ó con su cuñada, que fuesse muger de su pariente fasta en esse mesmo grado.* Non tamen committit incestum. 1. Qui peccat cum consanguinea, vel affine in quinto, vel ulteriori gradu conjuncta; *arg. cap. 8. de Consang. & affin.* 2. Qui cognovit duas fœminas inter se conjunctas tertio, vel ulteriori gradu cum affinitas ex copula illicita solùm ad secundum gradum se extendat. *Trident. sess. 14. de Reform. Matrim. cap. 4. ibid. Barbos. n. 12. Gutier. QQ. Canon. cap. 23. n. 3. cum aliis.* 3. Qui cognoscit consanguineam suæ sponsæ, quam nondum carnalitèr cognoverat, quia adhuc non contraxerat cum ea fœmina affinitatem. *Covar. de Spons. p. 2. cap. 6. §. 8. n. 4.* 4. Qui delinquit cum cognata legali per adoptionem, vel arrogationem: quia hic non est consanguinitas. 5. Ex eadem ratione, qui rem habet cum cognata spirituali ex baptismo, vel confirmatione. *Farinac. Prax. Crim. q. 149. Azor, p. 3. lib. 3. cap. 9. q. 4. & alii com.* Incestum inter ascendentes, & descendentes commissus morte punitur de Jure Civili. Eadem pœna in aliquibus Provinciis infligitur incestui commisso cum sorore. Clericus incestum, præcipuè cum adulterio committens, & deponendus, & beneficio privandus; *arg. cap. 10. & seqq. D. 81. Covar. de Sponsal. p. 2. cap. 6. §. 8. n. 3. Farinac. Prax. Crimin. q. 149. n. 34.* Laicus qui incestas nuptias contraxit scientèr, invalide contrahit, excommunicatur ipso facto. *Cl. un. de Consang.* & habet impedimentum impediens, etiam ad contrahendum cum quacumque alia, *cap. 4. 35. q. 2.* Si vir cum uxoris propriæ consanguinea rem habeat, vel uxor, cum consanguineo mariti, olim etiam mortuo conjuge, impedimentum impediens ad contrahendum novum matrimonium habebant, *cap. 5. 35. q. 2.* Sed hoc impedimento per desuetudinem ablato, sic peccans solum privatur jure petendi debitum conjugale, *cap. 1. cap. 4. De eo, qui cognovit.* Deniquè quicumque in incestu contumacitèr perseverat excommunicari jubetur, *cap. 9. 35. q. 2.* Proli ex quocumque comercio illegitimo natæ debet pater, quando de eo constat, alimenta præstare, si habeat undè præstare valeat, cum non aliter inter ipsos sit pactum, cui standum est; *arg. cap. 85. de Reg. jur. in 6.* quod si non possit pater ea præstare, mater ad hoc tenetur, & in ejus defectum avi, &c. Mater solùm tenetur ad alimenta lactis triennio præstanda infanti; *arg. cap. 5. De eo, qui duxit. L. 9. C. de Patr. potest.* Si ipsa, vel ob infirmitatem, vel nobilitatem, vel ob patriæ consuetudinem nequeat sine de decore lactare infantem, patris expensis debet nutrix conduci. *Molin. de Justit. tr. 2. D. 168. ex n. 11.* Si mulier de fornicatione cum aliis est suspecta debet ei juramentum purgationis indici, ut patrem declaret, quod si de duobus constet, alterum esse patrem, si uterque poterat matrimonium cum matre contrahere uterque ad alimenta pro sua portione tenetur, si unus tantum poterat contrahere matrimonium, ille tantùm tenetur, quia præsumitur, quod honestius, vel proli favorabilius est, scilicèt, esse naturalem, non verò spuriam.

192 Sacrilegium est, quando locus sacer violatur seminis effusione, & Ecclesia polluitur: de quo *in tit. 40. lib. 3. Decret.* vel quando persona Deo dicata per votum castitatis, vel Sacros Ordines peccatum carnale committit. Et quidem Clericus Monialem corrumpens privatur beneficio, & ad pœnitentiam agendam in Monasterium detruditur depositus ab ordine, *cap. 6. cap. 28. 27. q. 1.* Similitèr Monialis, quæ in sacrilegium consensit, vel debet detrudi in arctius Monasterium cum rebus suis, vel in perpetuum carcerem, *cap. 11. cap. 25. cap. 26. cap. 30. 27. q. 1.* Laicus verò corrumpens Monialem excommunicatur de Jure Canonico, *c. 6. 27. q. 1.* de Jure Civili plectitur pœna capitali. *L. 5. de Episc. & Cler.* Hodie tamen non applicantur, ut olim bona delinquentis Monasterio, in quo erat corrupta. *Menoch. de Arbitr. cas. 389. n. 27. Farinac. & alii.* Sacrilegium commissum

à Religioso, vel Clerico in sacris constituto cum soluta in foro externo tantùm, ut simplex fornicatio punitur: in foro tamen pœnitentiali debet hæc circunstantia aperiri, quia mutat speciem. Qui in Ecclesia existens desiderat concubitum fornicarium, exercendum tamen extra Ecclesiam, vel si in Ecclesia videat fœminam, quam concupiscat, vel turpitèr aspiciat non committit sacrilegium, nec ea circunstantia est necessario in confessione aperienda, imò nec tactus impudici, & turpes in Ecclesia habiti, sine periculo tamen pollutionis, habent novam speciem sacrilegii, quia solùm seminis effusio, est quæ violat locum sacrum, & facit sacrilegium. *Sanch. de Matrim. lib. 9. D. 15. ex n. 18.* Nec tempus sacrum variat speciem peccati carnalis; v. g. si quis rem habeat in die Veneris Sancto, vel alio. *Caram. Theolog. Regul.* Circa prædicta crimina sic disponit nostra Regia. *L. 7. tit. 2. lib. 8. R. C. Grave crimen es el incesto, el qual se comete con parienta hasta el quarto grado, ó con madre, ó con cuñada, ó con muger Religiosa professa; y esto mismo es de la muger, que comete maldad con hombre de otra ley, y qualquier que lo cometiere, allende de las otras penas en Derecho establecidas, pierda la mitad de sus bienes para la nuestra Cámara.* Hodie, quod alias pœnas arbitrio Judicis punitur incestus. *Aceved. ibidem, n. 100.*

193 Peccatum contra naturam est triplex. *Bestialitas, Sodomia, & Mollities.* Hinc *Alexand. VII.* hanc propositionem damnavit, quæ est 24. *Mollities, sodomia, & bestialitas, sunt peccata ejusdem speciei infimæ, adeòque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.* Bestialitas est coitus cum bruto. Nec est necessè exprimere in confessione cujus speciei sit brutum, v. g. canis, nam licet bruta inter se specie differant, peccatum cum ipsis ejusdem speciei est, quia eadem est turpido, quæ consistit in eo quod, coitus sit cum animali diversæ speciei. Hoc turpissimum crimen igne punitur; & ipsa bestia comburitur, ne tantæ turpitudinis memoria apud homines exstet. Sic in lege veteri fiebat *Levit. 20. v. 15. cap. 4. 15. q. 1.* ibi: *Quæritur quomodo sit reus pecus, cum sit irrationale, nec ullo modo Legis capax. Pecora indè credendum est jussa interfici, quia tali flagitio contaminata indignam refricant facti memoriam. L. fin. tit. 21. p. 7.* ibi: *E deben demás matar la bestia, para amortiguar la remembranza del fecho.* Nec est necessarium, ut dixi, in confessione exprimere speciem animalis, an sit canis, vel ovis: nec item an sit mas, vel fœmina: nam quamvis differant in specie physica, vel in genere entis, non tamen in genere moris. *Potestas. t. 1. p. 2. n. 21. 82.* Licet esse explicandum, an sit mas, vel fœmina, & an in vase naturali, vel etiam præposterè, teneant. *Alii cum Lacroix, L. 6. p. 2. n. 1083.* Concubitus cum Dœmone, vel incubo, vel succubo reducitur ad bestialitatem, cui peccato superadditur malitia contra Religionem, & præterea, etiam sodomiæ, adulterii, vel incestus, si affectu viri, vel mulieris sodomitico, adulterino, vel incestuoso quis coeat cum Dœmone, qui fortè sub specie fœminæ, vel viri appareat. *Lacroix, lib. 6. p. 2. n. 1084.*

194 Sodomia est coitus cum alio ejusdem speciei, non tamen servato debito, & naturali sexu; v. g. Si mas cum mare, vel fœmina, cum fœmina coeat, ut ait *Apost. ad Rom. 1. ex v. 26. c. 14. 32. p. 7.* Et tunc dicitur sodomia perfecta, imperfecta tamen est, quando mas coit cum fœmina etiam propria uxore, non tamen servato debito vase, scilicèt ad generationem apto, sed in alio; v. g. præpostero coxendice, &c. ec potest habere alias malitias adjunctas, ut incestus, adulterii, vel sacrilegii. Et quidem juxta *Lugo de Pœnit. D. 16. n. 423.* Explicari debet pœnitens, an fuerit agens, vel patiens, quod negat *Diana tom. 2. tr. 4. res. 159. & p. 6. t. 6. res. 36.* Laicus hujus criminis reus excommunicatur, & à fidelium communione excluditur, donec condignam egerit pœnitentiam, *cap. 4. de Excessibus Prælat.* & si conjugatus sit potest conjux innocens ab eo divertere, non secus, ac si esset adulter; *arg. cap. 7. 32. q. 7.* etiamsi sodomia imperfecta, vel bestialitas à conjuge commissa sit. *D. Th. in 4. D. 35. q. un. art. 1.* Si mulier invita cognoscatur sodomiticè à suo conjuge, potest saltem ad tempus, scilicèt donec vir emmendetur, divortium petere. *Sanch. de Matrim. lib. 10. D. 4. n. 8.* licet *alii cum D. Antonino* perpetuum divortium hoc casu concedant, debet in confessione explicari an talis conjunctio sit habita cum fœmina in vase præpostero, vel cum mare: quia læditur diversa honestas, & an complex sit consanguineus, conjugatus, vel habens votum castitatis: quia diversæ species constituuntur. Non tamen, ut dixi est necessè

ex-

explicare, an quis si agens, vel patiens, ut tenent *Dian. in Compend.* V. *Sodomia, cum pluribus*, contra *Tambur. Lug. Mend. & Lacr. lib. 6. p. 2. num.* 1080. Si tamen patiens polluatur, hoc debet exprimere. Quando sodomia reservatur, intelligitur de perfecta, ac proindè de ea, quæ est inter duos masculos cum effusione seminis intra vas præposterum: ac proindè non censetur reservata sodomia habita inter duas fœminas, nec viri cum fœmina. In hac reservatione, non solùm agens, sed & patiens comprehenditur, quamvis *Tamburin. & alii* non extendam reservationem, quia odiosam, ad patientem, nisi in ea exprimatur. Complexus duorum masculorum, quorum unus incubet supra alium, sicut supra mulierem cum seminis effusione, etiam cum affectu ad indebitum sexum non est sodomia, juxta *Dian. Caram. Mastr. & alios*, sed mollities, ac proindè sufficiet dicere pollutus sum tactibus impudicis alterius masculi, & illum pollui feci: quia circunstantia incubandi non mutat speciem. *Mendo.* V. *Luxuria, n.* 10. *Potestas, t. 1. p. 2. n.* 2172. sed contrarium videtur certius. *Lacr. L. 6. p. 2. numer.* 1082. Si quis se polluat inter coxendices, brachia, seu alias partes fœminæ, quæ non sint vas præposterum, est tantùm mollities, sufficietque dicere pollutus sum tactibus impudicis mulieris, contra *aliquos.*

195 Clericus sodomita beneficio privatus, & depositus ordine Clericali, debet in arctum Monasterium ad agendam pœnitentiam detrudi. Prætereà, *S. Pius V. in Const. Horrendum, die* 3. *Sept. ann.* 1568. decernit, quod Clerici tale crimen exercentes omni Clericali privilegio, officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico privati, & degradati, per Judicem Ecclesiasticum brachio sæculari tradantur pœnis laicorum puniendi, debet tamen præcedere sententia condemnatoria, vel saltem criminis declaratoria, cum nemo in se ipsum pœnam adeò acerbam exequi teneatur, nec alitèr pœna à S. Pio V. statuta incurritur, quam si sodomia sit consummata, eaque non semel, sed iterato, ut innuitur per verbum *exercere. Suar. de Cens. D.* 31. *sect.* 4. *n.* 21. *Barb. in cap.* 4. *de Excessib. Prælat. Azor, p.* 3. *L.* 3. *capit.* 19. *q.* 2. Hæc constitutio *Pii V.* non est usu recepta, *ut ex Suar. Henriq. Dian. Matth. & aliis*, affert *Torrecill. tom.* 1. *tr.* 3. *d.* 2. *cap.*3. *sect.*10. *num.* 24. *fol.* 595. contra *Navar. & alios.* In nostra Hispania ex speciali privilegio contra sodomitas procedunt Inquisitores Lusitaniæ, Valentiæ, Aragoniæ, & Cathaloniæ, non verò in aliis Provinciis. *Cæsar Carena de Offic. Inquisit. p.* 2. *tit.* 6. §. 16. *n.* 84. Pœna de Jure Civili in sodomitas statuta, præter infamiam, quam etiam ante accusationem, & condemnationem ipso jure incurrunt, est pœna mortis. *L.* 31. *C. ad Leg. Jul. de Adulter.* ibi: *Ubi Venus mutatur in alteram formam jubemus, insurgere Leges, armari jura gladio ultore, ut exquisitis pœnis subdantur infames, qui sunt, vel qui futuri sunt rei.* Et sicut Sodoma, & aliæ Civitates, in quibus hoc nefandum delictum committebatur, & undè nomen Sodomia accepit igne de Cœlo descendente combustæ sunt. *Genes.* 19. *ex v.* 24. Hodie hoc crimen committentes igne comburuntur. In pluribus Regnis hoc delictum quando præcisè attentatur, sed non consummatur, etiamsi ad actum proximum perventum sit, non pœna ordinaria, sed extraordinaria punitur; *arg. L.* 1. §. 2. *ff. de Extraord. crim. Farinac. Prax. crim. q.* 148. *n.* 54. *Clar.* §. *Sodomia, num.* 8. *Menoch. de Arbitr. cas.* 286. *n.* 28. In nostra tamen Hispania ob specialem detestationem adversus tàm horrendum, & nefandum crimen, conatus, etiam si sodomia non sit consummata morte ignis punitur. *L.* 1. *tit.* 21. *lib.* 8. *R. C.* ubi rationem assignat. *Porque entre los otros pecados, y delitos, que ofenden á Dios nuestro Señor, é infaman la tierra, especialmente es el crimen cometido contra órden natural, contra el qual las Leyes se deben armar para el castigo de este nefando delito, no digno de nombrar, destruidor de la órden natural, castigado por el Juicio Divino, por el qual la Nobleza se pierde, y el corazon se acobarda, y se engendra poca firmeza en la Fe, y es aborrecimiento en el acatamiento de Dios, y se indigna á dar al hombre pestilencia, y otros tormentos en la tierra, y nace del mucho oprobrio, y denuesto á las gentes, y tierra donde se consiente, y es merecedor de mayores penas, que por obra se pueden dar, &c. Mandamos, que qualquier persona, de qualquier estado, condicion, preeminencia, ó dignidad que sea, que cometiere el delito nefando contra natura, seyendo en él convencido por aquella manera de prueba, que segun Derecho, es bastante para probar el delito de heregia, ó crimen* lesæ

Majestatis, *que sea quemado en llamas de fuego::: Y mandamos á las nuestras Justicias de todos nuestros Reynos, y Señorios, que con toda diligencia hagan guardar, y executar lo de suso contenido; sobre lo qual les encargamos sus conciencias, y que sean obligados á dar quenta á Dios de todo lo que por ellos, ó por su culpa, ó negligencia quedare de castigar: allende de la otra pena, que por Nos se les mandare dar, y hagan juramento especial de lo cumplir así, al tiempo que fueren recibidos en los Oficios.* Latè *ibidem Acev. & alii.* Et certè hæ Leges in toto suo rigore servantur, non solùm in nostra Hispania, sed etiam eas vidi practicari in his Insulis ann. 1732. in quodam homine, cujus confessionem generalem excepi, illique astiti, usque ad supplicium, & post ejus mortem, ad Populum concionem feci. Quid ergo mirum, quod aliæ Nationes tot laudibus supra nubes extollant gentem Hispanam, eo quod hoc vitium, tàm acritèr detestetur, & puniat. Audiamus *Hieronym. Basilicum in suis Decission. decis. 4. inf. f. 56. Illud hic retinendum non puto, quod inter alias dotes, ac virtutes, quibus Hispana Natio supra cæteras eminet, non infimum sibi locum vendicat, quod hoc crimen (sodomiæ) adeò apud omnes in odio, atque abominatione est, ut nihil detestabilius possit apud eos audiri: detestantur, aversantur, exhorrescunt. Beata, ac condigna gens, cujus imperio geminus Orbis deserviat.* Ad probandum corpus delicti in hoc crimine solent Judices decernere inspectionem stuprati per Chirurgos faciendam.

196 Mollities, seu pollutio est, quando vir, vel fœmina voluntariè se polluit per seminis effusionem: sed cum clam, & sine testibus fiat, rarò, vel numquam punitur in foro externo. Si tamen in eo de tali delicto constaret, pœna extraordinaria; v. g. relegationis, aut fustigationis puniretur. Grave enim peccatum est omnis pollutio voluntariè habita, ipsa natura, & Deo eam prohibentibus, 1. *Cor. 6. v.* 10. Hinc Innoc. XI. hanc absurdissimam propositionem, quæ est 49. damnavit. *Mollities jure naturæ probita non est, undè si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.* Copula cum fœmina mortua, si affectus dirigitur ad ipsam ut erat viva, tunc erit eadem species peccati, quæ esset si ipsa esset viva, ac proindè erit, vel fornicatio, vel adulterium, &c. at verò independentèr ab hoc affectu, erit mollities, seu pollutio cum instrumento inanimato, ut esset cum statua, nec instrumentum, quo quis se polluit, mutat speciem, consequentèrque non est necessarium id in confessione exprimere: sed sat erit dicere, se habuisse pollutionem. *Caramuel, Dian. Tambur. Potest. t. 1. p. 2. n.* 2184. *Destillatio* est fluxus humoris viscosi, quasi medii inter semen, & urinam, sine ingenti illa delectatione, quæ est in pollutione, si fiat cum carnis sensu, & commotione spiritum servientium generationi, aliquando est veniale, aliquando mortale illi cooperari, seu causam præbere, sicut in pollutione accidit. Si verò proveniat sine omni commotione sensus venerei, ut quandoque fit, de ea non magis, quam de sudore curandum est, ut dicit *Cajetan.* Tactus impudici sunt illi, qui de se ad Venerem ordinantur: tales sunt tactus partium inhonestarum, vel mamillarum, & cum ex se ad Venerem disponant, non excusantur à peccato mortali, nisi fortè gravissima causa talem tactum exigat. Tactus verò, qui fiunt ex jocositate, levitate, vel petulantia, etiam in parte nuda alieni corporis, sed tamen ejusdem sexus, vel super vestes alterius sexus, vel in animalibus, etiam ad genitalia, si absit periculum proximum consensus in delectationem veneream, si fortè indè oritur, peccatum erunt, sed ordinariè veniale tantùm. Si tactus sint in parte honesta, vel proprii, vel alieni corporis, & non fiant malo fine, sed ex causa rationabili, vel naturali, vel juxta morem Patriæ, nullum erunt peccatum, etiamsi commotiones turpes præter intentionem, & sine periculo consensus oriantur. Hinc amplexus, compressiones manuum, oscula non obscæna, quæ fiunt benevolentiæ causa, vel juxta morem Patriæ, etiamsi per accidens oriatur commotio, & delectatio venerea, dum in illam non detur consensus, non sunt peccata. At verò oscula, quæ directè intendunt delectationem veneream, etiamsi nil ultra intendant, sunt peccata gravia: ideò *Alex. VII.* damnavit hanc propositionem, quæ est 40. *Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.* Erunt tamen venialia, si fiant ex joco, levitate,

vanitate, petulantia, vel etiam ex sensualitate, prout hæc dicit, non delectationem veneream, sed naturalem affectum. Tactus pudici in partibus honestis liciti sunt sponsis, si tantum delectationem sensitivam intendant: secus si veneream, numquam tamen ipsis licent tactus impudici. Conjugibus tamen licet, se tactibus ad copulam excitare. Si tamen alio fine; v. g. causa voluptatis habeantur, sunt peccata venialia, siquidem à matrimonio cohonestantur, & defectus finis debiti non est mortalis. Si tamen adsit pollutionis periculum, erunt mortalia, quia & ipsis illicita est pollutio. Aspectus objecti valdè turpis, qui per se gravitèr ad libidinem provocaret quemlibet; v. g. partis inhonestæ alieni corporis, præsertim alterius sexus, etiam si delectatio non intendatur directè, erunt peccata gravia. Si verò ex justa, gravi, & suficienti causa, vel utilitatis, vel necesitatis, talis aspectus poneretur etiam si gravitèr ad commotionem carnalem provocaret, si periculum consensus abesset, nula esset culpa, vel saltem non esset mortalis, si fortè causa non esset plenè sufficiens, vel aliqua negligentia in reprimendo consensu daretur. Similitèr nulla invenitur culpa in aspectu rerum de se non inhonestarum, etiam si præter intentionem turpis oriatur motus, dùm tamen periculum absit consensus. Aspectus mulieris pulchræ cum sola complacentia de ejus pulchritudine ex se non est peccatum, nisi ad malum finem ordinetur, quia pulchritudo est donum Dei naturale. *Cajetan. lib.* 1. *opuscul.* 14. *q.* 3. *Sayro*, *Navarro. Trullenc in Dec. L.* 6. *c.* 1. *& alii.* Quando verò tales aspectus ponuntur sine animo venereo absque causa, sed ex levitate, vel curiositate tantum, & sunt tales, qui per se possunt, vel solent excitare motus leves, si periculum consensus in delectationem inde subortam absit, erunt peccata venialia: uti sunt aspectus comixtionis animalium, vel proprii corporis, vel etiam fœminarum in partibus non inhonestis. Lectio rerum obscænarum, cantiones inhonestæ, gestus, litteræ, dona amatoria, & verba turpia sunt peccata garvia, si animo impuro fiant, & cum delectatione turpi intenta directè, vel admissa deliberatè, vel cum gravi scandalo. Si ex vanitate fiant, erunt culpæ veniales. Choræ secundum se sunt actus lætitiæ, non libidinis; sed possunt esse venialiter peccaminosæ propter verba amorosa, gestus, petulantiam, vel vanitatem; imò & gravitèr peccamino sæ erunt, si ex intentione, se, vel alios provocandi ad libidinem, vel cum tactibus impuris fiant. Et de hujusmodi choreis inteligun tur Sancti Patres, qui eas condemnant.

197 Grave sanè peccatum est ponere actiones, vel cogitationes practicas, quæ influunt, & provocant vehementèr ad commotionem, vel delectationem veneream, aut pollutionem, ad quam per se, & sua natura tendunt, quamvis absit periculum consensus in delectationem, vel pollutionem, quæ secutura prævidetur. Sic grave peccatum est osculum lascivum, aspectus, vel tactus valdè impudicus, vel nudus, cogitatio practica vehemens, &c. excusarentur tamen à peccato hæ actiones, si deficient periculo consensus daretur urgens necessitas eas exercendi. Veniale tantùm peccatum erit ponere actiones, etiam quæ pertinet ad genus luxuriæ, si tantùm levitèr influant in commotionem carnalem, & pollutionem. Similitèr tantùm veniale erit in genere luxuriæ ponere actiones de se illicitas, etiam mortalitèr, non pertinentes ad luxuriam, si absit periculum consensus, licèt indè prævideatur commotio carnalis, seu pollutio; v. g. edere calida, vel bibere vinum, etiam usque ad ebrietatem, cum prævisione pollutionis. Nullum autem erit peccatum ponere actiones de se bonas vel saltem indifferentes, suadente aliqua necessitate, utilitate, vel etiam aliqua naturæ convenientia, quamvis prævideatur secutura commotio, delectatio, vel etiam pollutio, si absit periculum consensus in illam; v. g. audirì confessiones de rebus obscænis, studere casibus conscientiæ, loqui cautè cum fœmina ob aliquam necessitatem, vel utilitatem: equitare, cubare supinum, tangere proprium corpus, bibere, ac edere temperatè, & alia hujusmodi. Ac proindè nullum committetur peccatum, etiamsi timeatur pollutio, si quis fricet, vel scalpat verenda: ad abigendum molestisimum pruritum, non venereum ad tollendam immundiciam, & fetorem ex scabie, impetigine, vel ex lanugine, vel sanguine menstruo, vel aliundè provenientem: quia illæ actiones ex se licitæ sunt, vel necessariæ, uti applicatio medicamenti ad illas partes malè habentes, & per accidens est, sequi pollutionem. Item potest Chirurgus causa medicinæ adihibendæ aspicere, & atrectare non solùm verenda alterius viri, sed etiam

& fœminæ. *Sanch. de Matrim. L. 9. D. 45. n. 6.* qui insuper dicit, quod licitè talis se exponit periculo consentiendi firmitèr proponens, non consensurum, quia cum necessitate compulsus in illud periculum se conjiciat, meritò de Divina misericordia majus auxilium potest sperare. Vid. *Sanch. de Matr. lib. 9. D. 17. & D. 45. & 46. Torrecilla, tom. 2. tr. 3. præcept. 6. sect. 9. num. 75. & 88. f. 591. Joan. Sanch. in Select. D. 21. præcipuè n. 29.* ubi plures citat. *Lacr. lib. 3. p. 1. ex n. 920. facit D. Thom. in 4. D. 34. q. 1. art. 2. ad 5.* ibi: *Tunc medicinaliter aliquo instrumento posset claustra pudoris frangere, nec esset hoc contra matrimonium, quia non fieret ad delectationem, sed ad medicamentum.* At verò nostra Catholica Regina Isabella, pudicitiæ exemplar, cum morbum secretum contraxisset, maluit mori, quam à Chirurgo curari, cum pudoris detrimento, quod sanè licuit ipsi, vel aliis fœminis, etiam ignobilibus licet, etiamsi aliter non possint curari: nam mors tunc sequitur præter intentionem. *Less. de Just. L. 4. c. 3. dub. 8. n. 60. Sanch. Caramuel, & alii;* nam molestisimum est fœminæ pudicæ nudam coram viro apparere. Sic de Nimphis sociis Dianæ, quando visæ fuerunt ab Actæone loquitur Poeta: *Sicut erant nudæ, viso sua pectora Nimphæ percusere, viro, subitisque ululatibus omne implevere nemus.* Pollutio in somnis habita est mortalis, si ante directè, vel formalitèr est procurata, & causa non est retractata, vel si post somnum placuit, vel approbata est propter delectationem veneream, quia tunc satis voluntaria est, ut sit peccatum: secus est, si omninò est involuntaria. Ob finem honestum; v. g. sanitatis, vel tranquilitatis animi, vel minuendæ tentationis licitum est simpli affectu optare naturæ exonerationem, dummodò illud desiderium non influat efficaciter in pollutionem. Similiter, licet de ea gaudere via naturali, & sine peccato habita, cum istius desiderii, & gaudii objectum non sit malum, melius tamen est ab his desideriis abstinere, cum rarò careant periculo. Deniquè plures DD. hanc regulam in hac materia designant: scilicèt, pollutionem in causa volitam, tantùm esse peccatum, quantùm est ipsa, ita ut si causa peccatum mortale sit peccatum itidem mortale erit ipsa pollutio, si sit veniale, venialis & ipsa erit, quod si causa nullum sit peccatum, nec ipsa peccatum erit, dum tamen semper periculum consensus absit. Nec tenetur quis impedire pollutionem spontè sua venientem, nec reprimere jam cœptam; v. g. in somno dummodo absit periculum consensus in voluptatem, nec eam voluntariè promoveat, sed potest sanitatis causa sinere, ut natura se exoneret, quia hoc non est procurare pollutionem, sed pati, ut effluat, quod aliàs cortuptum læderet sanitatem. Expedit tamen munire se cruce, & sine alio attactu, quietis manibus, Deum rogare, ne permittat lapsum in delectationem. *Delectatio* ergo in genere est simplex complacentia in aliquo objecto. Delectatio *venerea* carnalis, seu turpis est, quæ percipitur circa partes genitales per seminis commotionem, vel spiritum deservientium generationi, seu qua commoventur partes corporis obscænæ, vel saltem spiritus genitales circa illas, ut deducitur ex *Galeno, lib. 14. de Usu partium, cap. 6. & 10.* Hæc aliquando dicitur *sensualis*, imò & *sensibilis*, vel *sensitiva*, sed verè in alio sensu sumitur delectatio *sensibilis*: hæc enim percipitur sine ulla commotione circa partes genitales, sed tantùm ex proportione, seu connaturalitate quam res habet cum organo alicujus sensus qualis est delectatio, quæ percipitur ex auditione musicæ, visu picturæ, odoratu floris, gustu sacchari, vel tactu holoserici, vel rei mollis, vel felis blandæ. Aliquando hæc delectatio, etiam dicitur sensùalis in bono sensu, sicut etiam aliquando sensibilis in malo sensu sumitur pro venerea. *Delectatio morosa* est delectatio deliberata de actu turpi, quæ præcisè consumatur interius: à desiderio differt: quippè desiderium est voluntas efficax ad copulam, vel actum externum tendens. Delectatio verò sistit tantum in cogitatione interna, quin transeat ad volendum exequi id, de quo delectatur. Dicitur *morosa*, non à mora temporis, siquidem in instanti potest consummari, sed ex mora deliberationis, & advertentiæ sufficientis, ut sit peccatum. Quod sì quis non plenè advertat ad malitiam cogitationis turpis, nec plenè consentiat, non erit delectatio morosa. Omnis delectatio morosa est peccatum mortale: nam ut Christus Dominus *apud Matth. 5. v. 28.* dicit *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœcatus est eam in corde suo.* Nec in re venerea datur parvitas materiæ, quando delectatio est plenè deliberata, & ista sententia est probata à *Clem. VIII. & Paul. V.* & pro

nos-

nostræ Societate N. Gen. Claudius Aquaviva die 24. *April.* 1612. sic decrevit: *In virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis, &c. præcipitur, ne quis in Societate publicè, vel privatim, non modo, ut veram, & probabilem, sed ne ut tolerabilem quidem, ulla ratione doceat, opinionem eorum, qui tradunt in re venerea exiguam aliquam delectationem, deliberatè quæsitam, propter levitatem materiæ excusari à mortali, aut placere sibi significet, aut secundum illam consilium cuiquam det. Lacr. L. 3. p. 1. ex num. 910.* sed adhuc latè propugnat *Torrecill. t. 2. tr. 3. præcept. 6. sect. 1. conclus. 1. f. 514.* dari talem materiæ parvitatem. Et quamvis in tactibus impudicis, in osculis illicitis, & in desiderio, & gaudio copulæ illicitæ debeat explicari circunstantia personæ tactæ, vel desideratæ, quia mutat speciem, & contrahitur peccatum adulterii, sacrilegii, &c. at verò in delectatione morosa, quæ precisè sistit, & consummatur in cogitatione interna, quin tendat in circunstantiam personæ, non est necessarium explicare circunstantiam: sufficietque dicere: *Delectatus sum de copula illicita, illam cogitando, non desiderando.* Alii verò dicunt, circunstantiam personæ, de qua quis delectatur, mutare speciem, ac proindè esse in confessione explicandam. Qui verò ligatus est voto castitatis, hoc debet exprimere, si morosè delectetur: item debet addi, si delectatio morosa sit circa copulam sodomiticam, quia talis copula est extra genus copulæ naturalis.

198 Ut cognoscamus quando detur peccatum grave in his moribus internis libet transcribere optimum. *Text. in c. 2. D. 6.* ibi: *Sed pensandum est ipsa cogitatio utrum in suggestione, an delectatione, vel quod majùs est peccati consensu acciderit. Tribus enim modis impletur omne peccatum, videlicèt, suggestione, delectatione, consensu. Suggestio quippè fit per Diabolum, delectatio per carnem, consensus per spiritum: quia & primo culpam Serpens suggessit, Eva velut caro delectata est, Adam velut spiritus consensit. Et necessaria est magna discretio, ut inter suggestionem, delectationem, & consensum judex sui animus præsideat. Cum enim malignus spiritus peccatum suggerit in mente, si nulla pecati delectatio sequatur, peccatum omninò perpetratum non est: cum verò caro delectari cœperit, tunc peccatum incipit nasci. Si autem etiam ad consensionem ex deliberatione descendit, nunc peccatum cognoscatur perfici. In suggestione igitur peccati semen est, in delectatione fit nutrimentum, in consensu perfectio. Et sæpè contingit, ut hoc, quod malignus spiritus seminat in cognitione, caro in delectationem trahat, nec tamen animus eidem delectationem consentiat. Et cum caro sine anima delectari nequeat, ipse tamen animus carnis voluntatibus reluctans in delectatione carnali aliquomodo ligatur invitus, ut ei ex ratione contradicta, nec consentiat, & tamen delectatione ligatus sit, sed ligatum se vehementer ingemiscat. Verè, & ille cœlestis exercitus præcipuus miles gemebat dicens: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Si autem captivus erat minimè repugnabat, quapropter, & captivus erat; & repugnabat: igitur legi mentis ejus lex, quæ in membris est, repugnabat, captivus non erat. Ecce itaque homo est, ut ita dixerim, captivus, & liber: liber ex justitia, quam diligit, captivus ex delectatione, quam portat invitus.* Facit illud carmen quod solent dicere, Hispani: *El sentir no es consentir — ni el pensar mal es querer — consentimiento ha de haber - junto con el advertir — no peco yo en admitir pensamiento, que no advierto — y si advertido, y despierto — estoy, y no asiento al mal: de que no hay culpa mortal — puedo estár seguro y cierto.* Hinc est, quod non erit peccatum mortale, quamvis objectum circa quod delectatio habetur, gravitèr illicitum sit, nisi accedat consensus perfectus, prævia advertentia, seu cognitione malitiæ, & plena deliberatione; sed erit veniale ex actus imperfectione: quia desit plena advertentia, vel deliberatio: vel quia fortè detur negligentia in resistendo. Si post advertentiam, quis se habeat negativè, nec positivè resistat, nec consentiat positivè, si motus, & delectatio sit vehemens, & summa peccabit mortalitèr, saltem ille, qui venereis est asuetus ob periculum consensus. Ille verò, qui timoratæ conscientiæ est tantùm venialiter peccavit. Ut si curiosæ studeat Arti Medicæ, vel Anatomicæ, cui displicet delectatio, & si non reprimat positivè, vel cessando. *Less. L. 4. de Just. cap. 3. n. 113.* Imò nullum erit peccatum se habere premissivè, si probabilitèr quis timeat, ne magis augeatur tentatio positive resistendo, ut sæpè accidit, si jam conatus est resistere, & nihil profecit juxta illud: *Quin etiam accendas vitia, irritesque vetando.*

Lacr. L. 5. n. 110. Idem dicit, si nimis molestum foret continuo positivè resistere: quod utique esset, quando diu tentatio durat, vel si ideò esset necessarium omittere actionem aliquam honestam, v. g. studium, confessionis auditionem, &c. maxime, si opus agendum esset natura sua talis concupiscentiæ excitativum: nam tunc non teneretur quis illud omittere propter concupiscentiam suborituram. *Sanch. Suar. Taner. & alii apud Lacroix, L. 4. n. 110. & seqq.* ubi videri oportet.

199 Sed quia ejusmodi motus, & delectationes *nobis illam retributionem impendunt, quam (juxta vulgare probervium) mus in pera, serpens in gremio, & ignis in sinu suis consueverunt hospitibus exhibere.* Ut de Judæis dicitur *in c. 13. de Judæis.* Ideò castitatis amator non solùm culpam, sed etiam ejus umbram in hac materia perhorrescere debet: ac proindè cum vehemens urgeat tentatio non debet eam gestu faciei, nec vocis strepitu; nec distorsione vultus repellere, sed corde ad Deum, B. Virginem, & Sanctos erecto clamare humiliter debet dicendo: *Domine vim patior: Deus adjuva me: Et ne nos inducas in tentationem: ne permittas, me separari à te. Confige timore tuo carnes meas: In te Domine speravi, non confundar in æternum.* Et simul ad B. Virginem se convertendo dicat. *Virgo singularis, inter omnes mitis, non culpis solutos, mites fac, & castos. Sub tuum præsidium, &c. Memorare ò piissima Virgo, non esse auditum à sæculo, quemquam ad tua currentem præsidia, tua implorantem suffragia esse derelictum. Ego tali animatus confidentia, ad te Virgo Virginum ad te curro, ad te venio, coram te gemens peccator assisto, noli Mater Verbi verba mea despicere, sed audi propitia, & exaudi.* Debetque imaginationem ad alia divertere, aliquam occupationem suscipere, ut otium, quod est harum cogitationum infelix sentina, fecundissimumque Seminarium, avertatur; imò, & oportet, & aliqua macerationè quasi fræno indomitum carnis equum cohibere. Denique optimum remedium est occasiones vitare. *Contra libidis impetus,* ait *Augustinus, apprehende fugam si vis obtinere victoriam.* Ita omnes Sancti Patres, quin & etiam Ethnici clamant.

Dùm licet, & modici tangunt præcordia motus,
Si piget, in primo limine, siste pedem,
Principiis obsta, serò medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras,
Sed propera, nec te venturas differ in horas.
Qui non est hodie, cras minùs aptus erit.
Intereà tacitæ serpunt in viscera flammæ,
Et mala radices altius arbor agit.
Dura aliquis præcepta vocet mea, dura fatemur,
Ecce: sed ut valeas, multa dolenda feres.
Ut corpus redimas, ferrum patieris, & ignem,
Arida nec sitiens ora lavabis aqua.
Ut valeas animo, quidquam tolerare negabis?
At pretium pars hæc corpore majus habet.

Sanè in hanc materia nulla cautella est nimia, præcipuè ei, qui in utriusque Indiæ Regnis residet: *Nam & hunc innata libido stimulat, pronumque genus Regionibus istis in venerem est flagrat vitio gentisque, suo quo.*

TIT. XVII.

De Raptoribus, Incendiariis, & violatoribus Ecclesiarum.

200 INter Raptores, de quibus in præsenti, alii sunt, qui mulieres rapiunt: alii, qui res, & bona surripiunt. Et quidem mulieres rapiunt, vel causa libidinis, vel matrimonii, & eorum delictum dicitur *raptus*, qui inter impedimenta matrimonii dirimentia numeratur: & de tali impedimento egimus *in tit. de Spons. & Matr.* & potest definiri sic: *Est violenta abductio mulieris honestæ cujuscumque status sit: vel etiam masculi, de loco in locum moraliter diversum causa exercendi libidinem, vel etiam contrahendi conjugium. L. un. C. de Rapt. Virg. L. 1. tit. 20. p. 7.* Hinc est, quod si mulier rapta sit vitæ inhonestæ; v. g. publica meretrix, & quidem soluta, non committitur raptus: nam hic requirit violentiam, & publica meretrix non præsumitur violentiam pati: potest tamen fieri raptus consentiente puella, si fiat, invitis ejus parentibus, & causa libidinis exercendæ, & quamvis copula posteà non sequatur cum rapta, adhuc crimen raptus committitur, si abducatur de loco in locum moraliter diversum. Quod si de uno cubiculo ad aliud, vel de via publica per aliquot passus abducatur, non raptus, sed stuprum erit, quoad pœnas incurrendas. *Sanch. de Matrim. lib. 7. D. 12. n. 20.* Raptus pœna mortis punitur: imò si in raptu deprehendebatur raptor à cognatis puellæ poterat impune occidi. *L. un. C. de Rapt. Virg.* In nostra Hispania rapiens viduam honestam, aut Virginem, aut nuptam, aut Religiosam: imò & propriam sponsam de futuro pœna quidem mortis plectitur, quam etiam incurrunt scienter auxilium præstantes: quod si rapta erat Monialis, etiam bona rapientis applicantur Monasterio undè raptor eam extraxit. Rapiens autem aliam à prædictis punitur arbitrio Judicis juxta temporis, loci, & personarum circunstantias. *L. fin. tit. 20. p. 7. & ibid. Greg. Lop.* Si raptus in eremo committatur pœna sagittæ punitur, nam pertinet ad Judices, quos dicimus *de la Hermandad. L. 2. tit. 13. lib. 8. R. C.* quæ pœnæ locum habent in solo conatu ad actus externos deducto, etiamsi raptus non perficiatur. *L. 2. tit. 13. p. 7. Gonzal. in C. fin. h. tit. num. 5.*

201 Alii sunt raptores rerum: & eorum delictum dicitur rapina, quæ latè accepta significat quamcumque usurpationem illicitam, *cap. 10. 14. q. 4.* Sed propriè accepta sic definitur: *Est ablatio injusta rei alienæ mobilis, aut se moventis per vim facta. L. 1. C. de Vi bonor. rapt. L. 1. tit. 13. p. 7.* ibi: *Rapina en latin tanto quiere decir en romance, como robo, que los homes facen en las cosas agenas, que son muebles.* Dicitur 1. *ablatio*: hinc, qui nihil aufert, licet alteri damnum in bonis inferat ea destruendo, non committit rapinam: 2. *Injusta*: nam si quis authoritate legitimi Magistratus, vel in bello justo, vel in necessitate extrema rem capit alienam, etiam violenter, cum non auferat injustè, rapinam non committit: 3. *Rei*: nam qui mulierem honestam libidinis causa abducit, non rapinam, sed raptum committit. Similiter, qui personam liberam, vel servam, ex alia causa furantur, talesque personas vendunt, vel fugere à suis parentibus, vel Dominis suadent, plagium, non rapinam committunt: 4. *Alienæ*: in rapina enim duplex infertur injuria: nam res propria alicui aufertur, & aufertur violenter. Hinc, qui rem apud alium consistentem violenter aufert, si in ea dominium habeat, illud amittit, si non habet dominium, rem, & ejus æstimationem tenetur præstare, §. 1. *Inst. de Vi bonor. raptor. L. 7. C. Undè vi*, quia nulli licet propria authoritate jus sibi dicere, & rem, etiam propriam, usurpare spretis juris ordine, & authoritate publica: nam ex hoc publica pax, & tranquilitas turbaretur. *L. 176. ff. de Reg. jur. Molin. de Just. tr. 2. D. 683. n. 3. Gonz. in cap. 2. h. t. 5. Mobilis, aut se moventis*, sivè talis res sit pecunia, vel vestis, vel alia, magni, vel parvi pretii: nam in rapina, non tàm noxa, quàm violatio publicæ securitatis attenditur. Nec sufficit, res ablatas suo domino restituisse: nam jam, est violata publica securitas. Qui alium à suo prædio dejicit, non rapinam committit, cum res sit immobilis, sed invasionem, daturque contra ipsum, non actio vi bonorum raptorum, sed interdictum: *Undè vi, vel condictio triticaria*, vel judicium publicum Legis Juliæ. *L. 1. C. Vi bonor. raptor. L. 1. §. 3. ff. de Vi, & vi armat. Gonz. in cap. 2. h. t. n. 10. 6. Per vim factæ*

per

per hoc differt rapina à furto, cui rapina vim superaddit, sivè vis fiat armis, sivè sine illis, sivè fiat in publica via, sivè in domo; imò etiamsi nulla vis actu inferatur, si raptor paratus sit eam inferre, si resistatur, nam semper publica violatur securitas. *L.* 2. §. 2. *ff. de Vi bonor. raptor.*

202 Rapinam committens, de Jure Canonico, excommunicatur, *cap.* 1. *h. t.* & quidem ab Episcopo loci, ubi delictum est commissum, etiamsi delinquens sit alterius Diœcesis: nam cum in loco delicti maximè Respublica lædatur, ibi læsio reparanda est per inflictionem pœnæ. *Gonz. in cap.* 1. *h. tit.* Nec à tali excommunicatione per judicem lata est reus absolvendus, nisi plenè satisfecerit, vel de satisfaciendo caveat, *cap.* 1. *h. t.* Si enim satisfaciat, vel de satisfaciendo caveat in vita, vel in morte admittitur, ad pœnitentiam, & sepulturam, *cap.* 2. *h. t.* quia Ecclesia numquam gremium claudit redeunti, *cap.* 1. 23. *q.* 6. si raptor non satisfaciat, vel in ipsa deprædatione occidatur, sepultura Ecclesiastica, & suffragiis publicis fidelium, tamquam in peccato mortali decedens, privatur, *capit.* 2. *h. t. cap.* 2. *de Furt.* Si verò in vita noluit satisfacere, cum posset, & in morte, cum vellet, non posset satisfacere, ad pœnitentiam admittitur, sepultura tamen Ecclesiastica, vel absolutè negatur, ad aliorum terrorem, & exemplum, vel saltem negatur solemnitas in sepeliendo, ita ut Clerici nequeant assistere: quod si Clerici intersint sepulturæ, vel contra hanc dispositionem pœnitentiam injungant, ab officio, & beneficio deponuntur, *cap.* 2. *h. t.* ut puniantur in quo delinquerunt. *Barb. & Gonz. in cap.* 2. *h. t.* Latrones publici, & Grassatores viarum, tamquam indigni sacro asylo privantur: Undè si ad Ecclesiam confugiant, possunt indè vi extrahi, *cap.* 6. 17. *q.* 4. *cap.* 6. *de Immunit. Eccl. Greg. XIV. in Const. Cum alias* 28. *Maii* 1591. *L.* 5. *tit.* 2. *lib.* 1. *R. C. & ibid. Acevedo.*

203 De Jure Civili contra raptorem civilitèr conventum datur actio Prætoria vi bonorum raptorum, quæ est personalis, & mixta, qua quis persequitur rei violentèr ablatæ quadruplum, cui simplum inest: itaque quoad rei persecutionem, quæ ad simplum terminatur, est perpetua, quoad triplum, simplo superadditum, est pœnalis, & anno finitur. *Princ. Inst. de Vi bonor. raptor. L.* 3. *tit.* 13. *p.* 7. In foro conscientiæ rem violentèr auferens, etiam intra annum, solùm ad simplum restituendum tenetur, si res extet, vel si non extet æstimationem præstabit, cum refussione damni emergentis, & lucri ex ablatione cessantis. Ad quadruplum verò, solùm post sententiam tenetur, & quidem tunc, etiam in foro conscientiæ. Pœna criminalis in raptores rapinam cum armis exercentes erat deportatio ex Lege Julia de vi publica: si exercebant rapinam sine armis, puniebantur Lege Julia de vi privata amissione tertiæ partis bonorum, & dignitatis, honorisque omnis cum infamia. §. 8. *Inst. de Publ. judic.* Jure Hispano pœna criminalis rapinæ est eadem, qua latrones malæ famæ puniuntur, ut notat *Greg. Lop. in L.* 3. *tit.* 13. *p.* 7. In Bulla Cœnæ ipso facto excommunicantur Pyratæ, præcipuè, qui mare ad Ditionem Pontificis pertinens infestant animo prædandi; non verò si animo bellum, etiam injustum, faciendi authoritate alicujus Principis discurrant, etiamsi casu, & incidenter aliquando prædantur. Nam Pyratæ dicuntur, qui sine alicujus Principis authoritate prædantur: in qua constitutione comprehenduntur omnes Pyratæ, etiam in aliis maribus animo prædandi discurrentibus, ut contra aliquos tenent *Suar. de Censur. D.* 21. *sect.* 2. *ex n.* 18. ubi concordat litteram *Bullæ Greg. XIII. & Clem. VIII.* Latrunculi enim marini, qui etiam vocantur Cursores, *Hispanè: Corsarios*, dicuntur Græcæ Pyratæ à verbo *Pyr*, quod ignem significat, quia Pyratæ solent comburere Naves, quas capiunt. Hac sanè censura non ligantur Cursores, seu Pyratæ, qui bona diripiunt Maurorum, Turcarum, Infidelium, vel Hæreticorum: quia tales, cum sint Ecclesiæ hostes, non sunt digni, ut ab Ecclesia protegantur, *cap.* 3. *h. t.* Nec talis censura comprehendit consulentes, vel præbentes auxilium Pyratis, si ipsi, non subripiant: nam cum de eis nihil exprimat Bulla, & sit Constitutio pœnalis, non debet extendi. Sic *Suar. de Censur. D.* 21. *sect.* 2. *ex n.* 18. contra *alios.*

204 Qui bona Christianorum, quĩ passi sunt naufragium, subripiunt, & cum possent ea non restituerint, ipso jure excommunicantur, *cap.* 3. *h. tit.* quin, & hæc excommunicatio est, Pontifici reservata. Iniquum est enim, quod quis, etiam fiscus, de aliena calamitate lucrum sectetur. *Leg.* 1. *C. de Naufragiis.* Nec enim fas est, quod afflictis addatur afflictio, *cap.* 5. *de Cler. Ægrot.*

L.

L. 7. tit. 9. p. 5. ibi: *Mandamos, que todas las cosas, que assi fueren echadas, que quien quier que las falle, que sea tenudo de las dar á aquellos, cuyas fueren, ó á sus herederos: é esso mismo decimos, que debe ser guardado si acaesciesse, que la Nave se quebrantasse por tormenta, ó de otra manera, que todo quanto pudiere ser fallado della, ó de las cosas, que eran en ella, ó quier que lo fallassen, que debe ser de aquellos, que lo perdieron: fueras ende si tales cosas fuessen de los enemigos del Rey, ó del Reyno: Ca estonce, quien quier, que las falle, deben ser suyas.* Idem dicitur *in L. 9. tit. 10. lib. 7. R. C.* nec ulla Lege nostri Regni fuit unquam jussum, naves fractas occupare, ut ex ignorantia, vel invidia hanc notam nostris Regibus impingit. *Gloss. in cap. 16. 1. q. 7.* Talis autem censura non comprehendit accipientes bona naufragantium. 1. Si res sit parvi momenti. 2. Si naufragantes sint hostes illius Nationis, à qua spoliantur: nam hæc occupatio jure belli cohonestatur. 3. Si ea acceperint, non animo usurpandi, sed animo ea restituendi Domino, quam primum, & sine mora; nam in mora constituti excommunicantur, *cap. 3. h. t. 4.* Si ea bona sint à Domino pro derelictis habita: secus, si tantùm animo levandæ navis in mare sint projecta. 5. Si ignoretur, talia bona esse naufragantium. 6. Si tales res de sui natura statim periisset. *Suar. de Censur. D. 21. sect. 2. ex n. 26. Gonz. in cap. 3. h. t. n. 9. & seqq. Greg. Lop. & Acev. in dict. Legib.*

205 Incendium, à quo incendiarii dicuntur, & de quibus agit secunda Rubricæ pars, est damnum, quod igne causatur, & potest hoc accidere. 1. Casu, & tunc quia culpa caret nullam meretur pœnam, nec inducit obligationem damnum reparandi. 2. Potest accidere incendium, præcedente culpa lata, levi, vel levissima, & licèt incendium, etiam culpa lata contingens pœna ordinaria non puniatur, sed tantùm extraordinaria; v. g. Relegationis, fustigationis, mulcta pecuniaria, vel alia pœna arbitrio Judicis, siquidem in delictis culpa lata non æquiparatur dolo. *L. 7. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* illud tamen causans tenetur in utroque foro ad reparationem damni, *capit. fin. de Injur.* Si verò culpa levi, vel levissima contingat, cum tunc non detur culpa Theologica, non tenetur illud causans, ante Judicis sententiam ad inter esse: secus post illam. *Molin. de Just. tr. 2. D. 698. num. 6.* 3. Potest incendium dolo alicujus causari, quando scilicèt, quis animo doloso, & deliberato, vel odio, vel desiderio vindictæ, vel alicujus commodi consequendi, incendit oppida, ædificia, domus, segetes, vel bona aliena, vel ad hoc scienter præstat consilium, vel auxilium. Qui rem suam incendit, etiam si fortè peccet, quia ea abutitur, non est incendiarius, nec pœnis incendiariorum subjacet, nisi hoc faciat animo vicinorum ædes incendendi, nec qui in bello justo, vel authoritate Judicis domum alienam incendit, tenetur pœnis in incendiarios statutis.

206 De Jure Canonico Laicus incendiarius dolo incendens Ecclesias, cæmeteria, aliaque sacra loca: & religiosa excommunicatur: non ipso jure, ut aliqui tenent; *arg. cap. 5. 17. q. 4.* Sed excommunicandus est. *Gonz. in cap. 5. h. t. num. 5.* Episcopus potest ab hac censura, ante denuntiationem, absolvere: post denuntiationem tamen ab Ecclesia factam solus Papa absolvit, *cap. 19. de Sent. excom. Vid. Suar. de Cens. D. 22. ex n. 15. Gonz. in cap. 5. h. t.* Aliqui etiam tenent, quod incendens loca profana, ipso jure excommunicatur: sed verius est, quod, per sententiam sit excommunicandus, *cap. 31. cap. 32. 23. q. 8. Suar. & Gonz. ubi supr.* Sed sivè incendat loca sacra, sivè profana, debet damna resarcire, vel cautionem de eis resarciendis præstare, nec alitèr admittitur ad pœnitentiam, nec ad sepulturam Ecclesiasticam, *cap. 32. 23. q. 8.* & hæredes tenentur ad reparationem damnorum, quantùm facultates defuncti patiantur, *cap. 5. h. t.* In Clericos incendiarios nullam determinatam pœnam Canones statuerunt: quia fortè non credebant, tale crimen ab ipsis committi posse: & hinc hodie pœna arbitraria infligetur. *Diaz Pract. Crim. capit. 109. & alii com.* Jure Civili antiquo incendium dolo commissum pro qualitate incendii, damni, & personarum plectebatur, vel exilio, vel verberatione, vel deportatione: imò, & morte delinquentis. *L. 9. L. fin. ff. de Incend.* In nostra Hispania incendiarius, ultra damni satisfactionem, morte punitur. *L. 6. tit. 12. lib. 8. R. C.* ibi: *Y si quemare casas, ó mieses á sabiendas, que muera por ello, y padezca la muerte, que debe padecer aquel, que mata á otro sin razon.* Imò, & olim, si incendiarius erat plebejus comburebatur, & quidem si in loco incendii erat apprehensus, ibidem vivus projiciebatur in ignem: si erat nobilis in perpe-

tuum exilium mittebatur. *L. 9. tit.* 10. *p.* 7. sed hodie hæc lex est abrogata per Leges Novæ Recopilationis, ut notat *Aceved. ibid. n.* 15. & insuper, non gaudet incendiarius immunitate Ecclesiastica. *L.* 3. *tit.* 2. *lib.* 1. *R.C. Gonz. in cap.* 5. *h. t. n.* 5. *& alii com.*

207 Quando incendium in aliquo loco, vel æde repente exurgit, de cujus authore non constat postquam fiat inquisitio, casu fortuito exortum præsumitur. *L.* 23. *ff. de Reg. jur.* nec dolo excitatum censetur, cum hic non præsumatur. *L.* 51. *ff. Pro socio*, nisi perspicuis indiciis probetur. *L.* 6. *C. de Dol. mal.* nec culpa præsumitur excitatum, sed necessaria est aliqua probatio certa verè, vel præsumptivè; quæ saltem resultet, ex præsumptionibus, vel conjecturis moralem certitudinem facientibus; *arg. cap.* 9. *de Præsumptien.* Paterfamilias, in cujus æde incendiarius habitabat; v. g. famulus, uxor, filius, vel extraneus, ad nihil tenetur, si talis famulus communitèr erat habitus pro diligente, & fideli: vel si non fuit usus opera illius incendiarii, sed ipse extra officium sibi commissum causavit incendium, nam ex culpa famuli solùm tenetur Paterfamilias, quando famulus in suo officio delinquit, & Paterfamilias sciens, illum esse negligentem, ad officium assumpsit. *Mascard. de Probat. concl.* 894. *n.* 19. *Farinac. Prax. Crim. q.* 100. *n.* 115.

208 *Violatores Ecclesiarum*, de quibus agit tertia Rubricæ pars, dicuntur, *qui Ecclesias, vel alia loca Religiosa, & sacra violentèr effringunt, ac spoliant.* Hi enim excommunicationem latæ sententiæ ipso facto incurrunt; *arg. cap.* 22. *de Sententia excommunic.* ibi: *Excommunicatos nuntietis.* Et est Pontifici reservata. *Suar. de Censur. D.* 22. *sect.* 2. ad quam excommunicationem incurrendam debet simul, & copulativè fieri violentia, & spoliatio: nec sufficit violentia sine spoliatione, nec spoliatio sine effractione. Alii violatores sacrilegi citra effractionem; v. g. qui calicem furantur, sine violenta tamen effractione, non sunt ipso facto excommunicati, sed excommunicandi sunt, *cap.* 16. *de Foro compet. Suar. de Cens. D.* 22. *sect.* 2. Nec aliter ad pœnitentiam admittuntur, quam si satisfacerent: quod si jam non possint satisfacere quamvis velint, ad Sacramenta admittuntur. Sed eorum sepulturæ Clerici prohibentur interesse, *cap.* 2. *h. t. ibidem, Barbos. & Gonz.* Jure Civili antiquo tales violatores pro delicti qualitate, aliisque circunstantiis puniebantur deportatione, exilio, damnatione ad metalla, vel ad bestias, vel morte: imò aliquando vivi comburebantur. *L.* 9. *L.* 10. *ff. ad Leg. Jul. Pecul. L.* 10. *& Auth. Sed novo, C. de Episc. & Cler. Et in L. fin. tit.* 12. *lib.* 8. *R. C.* dicitur: *Que les fagan pagar con el doblo lo que assi tomaren, y forsaren.* Et notat *ibid. Aceved.* Quod hæc lex loquitur, cum deest effractio, & violentia: aliter enim non loqueretur, tàm humanitèr.

TIT. XVIII.

De Furtis.

209 *Furtum* sic dicitur, vel *à furvo*, quod nigrum significat, quia clàm, & frequenter nocte fit, vel *à fraude*, quæ in furto intervenit, vel *à ferendo*: quia fur alii aufert, & sibi affert, vel à Græco sermone, quo Phor appellant fures, §. 2. *Inst. de Obligat. quæ ex delict. nascuntur. L.* 1. *ff. h. t.* in rebus immobilibus, & incorporalibus, ut sunt agri, jura, actiones, & servitutes, cum non possint aufferri, non committitur propriè furtum. *L.* 25. *ff. h. t.* Sed potius vi, vel dolo occupari dicuntur à TT. quidem sic definitur: *Est occulta acceptio rei alienæ rationabilitèr invito Domino. D. Thom.* 2. 2. *q.* 68. *art.* 3. Juriste cum Justiniano *in* §. 1. *Inst. de Obligat. quæ ex delict.* sic definiunt: *Furtum est contrectatio fraudulosa lucri faciendi gratia*, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessionisvè, quod *Lege Naturali prohibitum est admittere. L.* 1. *tit.* 14. *p.* 7. ibi: *Furto est malfetria, que facen los homes, que toman alguna cosa mueble agena encubiertamente, sin placer de su Señor, con intencion de ganar el Señorío, ó la possession, ó el uso de ella.* Ut furtum commissum dicatur, hæc debent concurrere. 1. Ut res ablata sit corporalis, & mobilis. 2. Ut sit aliena. 3. Ut auferatur verè, & in effectu. 4. Ut ablatio fiat animo fraduloso, & lucri faciendi causa. 5. Ut Dominus sit rationabilitèr invitus. Hinc, furtum non committitur in re purè incorporali: nequit enim contrectari, cum tangi non possit, §. *Incorporales. Inst. de Reqns, corporal. & incorpor.* Jure Canonico, qui sine legitima institutione possidet beneficium Ecclesiasticum, vel retinet beneficium, quod per alterius adeptionem vacavit: quasi furtum committit.

cap.

cap. 54. *de Elect.* Qui verò mala fide fructus beneficii percipit, verè furtum committit. Præterea rei corporalis immobilis non potest fieri furtum. *L.* 25. *ff. h. t.* nam licet tangi possit, non tamen potest contrectari, nec de loco in locum moveri. Ancilla verò à suo Domino fugiens, licèt ab alio non contrectetur, furtum committit sui, & partus sui, si fortè prægnans sit: nam fuga sua lædit jus sui Domini, & ipsa fuga quasi contrectatio, vel ablatio habetur. *L.* 60. *ff. h. t.* Nec in re propria, ut talis est, furtum potest committi: quilibet enim suæ rei est moderator, & arbiter. *L.* 21. *C. Mandat.* Eaque uti, vel abuti potest. *L.* 25. §. 11. *ff. de Hæred. petit.* si verò alter jus aliquod in ea habeat, quale habet creditor in re sibi oppignorata, usufructuarius, usuarius, depositarius, commodatarius in rebus sibi concessis: Dominus, qui horum jus lædit, usum, vel possessionem contra illorum voluntatem auferendo, furtum committit, non quidem rei, sed possessionis, vel usus, §. 14. *Instit. de Oblig. quæ ex delict. L.* 12. *L.* 15. *L.* 40. *L.* 66. *L.* 79. *ff. h. t.* Qui rem alienam bona fide, & probabili ratione credens, esse propriam, accepit, non committit furtum: imò, nec erit furtum, etsi sciat, alienam esse, credat tamen, Dominum contentùm forè, etsi eam accipiat: quia talis contrectatio sine fraude, imò bona fide fit. *L.* 46. §. 7. *ff. h. t. L.* 1. *tit.* 14. *p.* 7. Etiamsi Dominus verè invitus sit: tenetur tamen restituere rem ratione rei acceptæ, vel quantùm ex illa factus est ditior. *Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 684. *n.* 6. Si tamen quis aliquid accipere, credens Dominum forè invitum, cum verè invitus non esset, in foro conscientiæ reus est furti, secus in foro externo, §. 8. *Inst. de Oblig. quæ ex delict.* Qui rem accipit Domino vidente, & non contradicente, cum possit, furtum non committit: siquidem Dominus non est invitus; *arg. cap.* 3. & 5. *D.* 83. Si tamen taceat ex metu, vel reverentia, vel ex alia causa, furtum committitur. *L.* 9. *ff. h. t.* Qui animo furandi arcam effregit, si nihil abstulit, licèt ex sola intentione reus furti coram Deo fiat, *cap.* 29. *de Pœnit. D.* 1. in foro tamen externo non habetur ut fur ex sola voluntate, vel conatu furandi, si in effectu non sequatur furtum. *L.* 21. §. 7. *ff. h. t.*

210 Occupans rem, quæ nullius est, vel, quæ est habita à Domino pro derelicta, non committit furtum: quia talis res primo occupantis fit, sicque talis occupatio non est fraudulosa, nec fieri potest Domino invito, quia non est Donus, qui invitus esse possit. *L.* 43. §. 5. *ff. h. t.* Si tamen auferatur res in mare ob vim tempestatis à Domino ejecta, furtum committitur: quia eam non habuit Dominus pro derelicta. Quia invenit rem in itinere, vel alibi, debet prius inquirere diligentèr, quisnam sit Dominus rei inventæ, eam per præconem, vel ex Catedra, vel alitèr juxta morem loci publicando, & spectare tempore debito per arbitrium viri prudentis taxando juxta circunstantias. Quod si his diligentiis adhibitis non compareat Dominus, tanquam si res esset pro derelicta habita, potest inventor licitè eam distrahere, & consumere. *Soto de Just. & jur. lib.* 5. *q.* 3. *art.* 3. *Castrop. tr.* 31. *D. un. p.* 19. *n.* 4. Si verò, diligentia debita non facta, inventor sibi rem inventam appropriavit, ut malè fidei possessor furtum committit, & sic sunt intelligendi. *Textus in L.* 43. §. 4. *ff. h. t. cap.* 6. *cap.* 814. *q.* 5. Si quis accipiat rem hæreditatis jacentis, hoc est, tempore, quo adhuc hæreditas, vel non est addita, vel etiamsi addita sit, non est possessa ab hærede, furtum vere committit in foro conscientiæ: in foro tamen externo, ob Juris Civilis subtilitatem, hoc crimen dicitur: *Expilatæ hæreditatis, ex tit. ff. & C. de Expil. hæred.* Si uxor de rebus mariti aliquid fraudulentèr accipiat furtum committit, licèt non actio furti, sed rerum amorarum ob reverentiam, & honestatem matrimonii detur. *L.* 1. *L.* 2. *ff. de Action. rer. amot.* Similitèr liberi rem patris fraudulentèr occupantes furtum committunt, licèt actio furti patri adversus liberos non competat. *L.* 16. *ff. h. t.* qui non magis cum his, quos in potestate habemus, quam nobiscum ipsis agere possumus. Sed cum animus, & intentio distinguat delicta, qui causa joci aliquid usurpat, imò, & qui animo damnum, vel injuriam faciendi januam alicujus effringat, vel pecus occidat, vel comburat fructus, vel abducat ancillam, ad libidinem exercendam: si hæc non faciat animo lucri faciendi, non comittet furtum, licèt alia delicta committat. *L.* 39. *ff. h. t.*

211 Furti tenentur, non solùm, qui per se ipsos furantur, sed etiam illi, qui sunt causa moralis efficax furti: tales sunt, qui mandant furtum, vel præstant auxilium furi effectu secuto, & non alitèr, §. 11. *Inst. de Obligat. quæ ex delict.*

L. 50. §. 1. *L.* 52. §. 19. *ff. h. t.* Si jam determinatus, aliquis erat ad furandum, tunc consulens non ordinaria furti, sed extraordinaria pœna punitur. Similitèr pœna extraordinaria, & mitiori puniuntur recipientes, & occultantes scientèr furem, cum rebus furtivis. *L.* 48. §. 1. *ff. h. t.* Etiam rei furti fiunt, qui rem furtivam scientèr à fure emunt; *arg. L.* 2. *C. h. t.* vel eam in solutum accipientes; *arg. L.* 3. *ff. Pro emptor.* Qui verò ignorantèr furem, vel rem furtivam recipiunt, vel eandem emunt à fure furti non tenentur. Sciens ubi est res furtiva, si quærente possessore, non indicat, actione furti concepti, aut non exhibiti tenetur, §. 4. *Inst. de Obligat. quæ ex delict. cap.* 4. *h. t.* Non tamen tenetur, quis furem detegere, quin rectius supprimitur, si ejus supplicium grave timeatur, *cap.* 14. 22. *q.* 2. nisi urgente superioris præcepto, vel charitate proximi, qui alitèr rem ablatam recuperare nequeat. Similitèr furem indicare tenetur, ille qui ex justitia, & officio publico crimina debet impedire. *L.* 48. §. 1. *ff. h. t.*

212 Qui extrema necessitate laborat: quando, scilicèt, imminet moralitèr periculum vitæ, vel membri, vel morbi incurabilis, non solùm potest auferre commestibilia aliena, sed etiam pecuniam, vel alienam quamcumque rem, etiam Domino invito, quin per hoc, tanquam fur habeatur, siquidem necessitas, natura sic dictante, cui jus humanum nequit resistere, facit illas res communes, ac proindè res ablata in necessitate desinit esse aliena, *cap.* 26. *de Consec. D.* 5. ibi: *Discipulus cum per segetes transeundo vellerent spicas, & ederent, ipsius Christi vox innocentes vocat: quia coacti fame hoc fecerunt.* Et quamvis dicatur in *cap.* 3. *h. t. Quod si quis pro necessitate furatus fuerit cibaria, vel vestem, vel pecus per famem, aut per nuditatem, pœniteat hebdomadas tres.* Debet intelligi, vel quia necessitas non erat adeò gravis, ut à peccato excusaret, vel quatenùs hæc pœnitentia non tàm pro culpa, quàm pro culpæ suspicione imponebatur. *Mendoza in Concil. Illiber. L.* 2. *cap.* 15. *Gonz. in cap.* 3. *h. t. n.* 5. Non solùm potest ille, qui re indiget eam in extrema necessitate subripere, sed alius, qui de suo non habeat potest etiam aliquid subripere, ad eam sublevandum: quia tunc subripit nomine indigentis, velut ejus procurator. Non tamen licet accipere sibi, etiam in extrema necessitate rem alterius, qui æqualem patitur necessitatem: quia in necessitate æquali melior est conditio possidentis. *L.* 154. *ff. de Reg. jur. cap.* 65. *eod. in* 6. Si quis justè sit condemnatus, ut fame pereat probabile est, non posse subripere necessaria ad conservandam vitam, quamvis extremè indigeat: nam suo delicto, & justa sententia videtur jus amisisse ad vitam hoc modo conservandam. *Lacr. L.* 3. *p.* 1. *n.* 954. Si quis tamen constitutus in necessitate communi, seu triviali, qua pauperes, & mendici laborant, aliquid auferat Domino invito, certè furtum committit: quia nec res communes facit talis necessitas, nec tribuit jus, in re aliena, *cap.* 3. *h. t.* Imò idem dicendum est de necessitate gravi: quando scilicèt, imminet periculum alicujus mali gravis; v. g. Captivitatis, jacturæ bonorum, aut status: quia nobilis; v. g. nequeat juxta sui status conditionem vivere, sed famulari obligetur vel vir honestus mendicare teneatur, ut constat ex propositione damnata ab Innocent. XI. quæ est 36. *Permissum est furarè non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Nisi talis necessitas gravis sit quasi extrema; v. g. Si periculum moralitèr certum notabiliter vitæ abbreviandæ immineret, vel gravis morbi, vel calamitatis, aut gravissimi dedecoris: tunc enim omnia bona restituuntur ad eorum pristinum statum; in quo erant communia ante divisionem, Jure Gentium factam: justa illud: *Communemque prius seu lumina Solis, & Auræ cautus humun longo signavit limite mensor.* Quæ quidem divisio præjudicare nequit Juri Naturali, quo quis sibi prius prospicere debet. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 66. *art.* 7. *Less. de Just. & jur. lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 71. si ipse posteà locupletior sit factus, tenetur rem in extrema necessitate acceptam restituere, si extet in specie. Si verò accepit, & consumpsit rem usu consumptibilem, etiam postquam necessitas transiit, non tenetur restituere: ne quidem ex acceptione injusta, cum justè fuisset res accepta, tempore scilicèt, quo cessante divisione Juris Gentium, bona erant communia: nec ex re accepta, cum res sit bona fide consumpta: neque ex contractu, quia nullus contractus celebratus fuit: & nulla alia radix talis obligationis excogitari potest. *Sylv.* V. *Furtum. q.* 5. *n.* 10. *Azor, Tamb. Barb. in cap.* 3. *h. t. n.* 3. contra *Navar. in Man. cap.* 17. *n.* 6. *Covar. & alios.*

213 Debitum (si hoc sit sine contro-

troversia, & liquidum) quod non potest alia via creditor à debitore obtinere, potest ipse creditor occultè accipere ab ipso debitore: sed debet consuli debitoris saluti spirituali, & commodo temporali, ei significando nihil amplius ab ipso deberi. *Nav. in Man. cap.* 17. *n.* 112. *Sylv. V. Furtum, q.* 13. *Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 691. Quando verò debitum est incertum, compensatio occulta est illicita: quia tunc melior est possidentis conditio. Hinc *Innoc. XI.* hanc propositionem damnavit, quæ est 37. *Famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte suis heris subripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* Siquidem standum est conventioni factæ inter ipsos, vel si famulus credat majus stipendium sibi deberi, debet coram Judice comparere, & non fieri Judex in causa propria.

214 Furtum dividitur (omissis aliis divisionibus) 1. in *manifestum, & non manifestum. Manifestum est, quando fur deprehenditur, sivè à Domino, sivè ab alio in ipso furandi actu, vel in loco, sivè publico, sivè privato, in quo factum est furtum: vel extra locum furti, si adhuc res furtiva non est allata ad locum, ad quem fur destinaverat perferre.* Hujus furti pœna erat quadrupli. *Furtum non manifestum est quando fur in ipso furandi actu non est deprehensus cum re furtiva, vel etiamsi deprehensus cum ea fuerit, jam est in loco, ad quem perferre destinaverat.* Et ejus pœna erat dupli, §. 3. *Inst. de Oblig. quæ ex delict. L.* 3. *L.* 5. *ff. h. t. L.* 2. *tit.* 14. *p.* 7. Sed hodie hæc differentia est ablata, siquidem in locum pœnæ pecuniariæ dupli, vel quadrupli pœna corporalis est subrogata. 2. Dividitur in *Diurnum*, quod scilicèt, diu, & *Nocturnum*, quod scilicèt, noctu fit. Furem nocturnum potest quis impunè occidere, secus diurnum, *cap.* 3. *de Homic.* 3. *Furtum simplex* est, quod nulla alia circunstantia aggravante est affectum. *Qualificatum*, quod circunstantiam aggravantem vis, effractionis, vel violentiæ seditiosæ, & cum armis habet annexam. Pro veritate autem circunstantiarum, quæ furto adjunguntur, hoc varia nomina sumit, & variis pœnis punitur. Furtum ergo erit sacrilegium, quando res sacra contrectatur, vel quia res sacra è loco sacro, vel res sacra de non sacro, vel res non sacra de sacro auferatur, *cap.* 21. 17. *q.* 4. Sed res non sacra aliquomodo ad Ecclesiam, saltem quoad custodiam debet pertinere: si verò ibi casu inventa, vel posita sit, non erit sacrilegium eam subripere. *Azor, p.* 1. *L.* 9. *cap.* 27. *q.* 6. *Less. de Just. & jur. L.* 2. *cap.* 45. *n.* 14. Erit *Peculatus*, quando subripitur pecunia publica, vel res sacra, vel religiosa, vel alia res pertinens ad Ærarium Principis, vel Reipublicæ non recognoscentis Superiorem. *L.* 9. §. 2. *ff. ad Leg. Jul. Peculat.* §. 9. *Inst. de Public. Jud.* Ubi dicitur, quod si Judices tempore administrationis publicas pecunias subtraxerint Capitali animadversione puniuntur, & non solùm hi, sed etiam qui ministerium suum ad hoc exhibuerint, vel qui subtracta ab his scientes susceperint. Alii verò, qui in hanc Legem inciderint pœnæ deportationis subjicientur. Etiam pœna capitali, & confiscatione omnium bonorum puniuntur Regii Officiales in Indiis, si aliquid subripiunt ex Arcis Regiis ipsorum custodiæ commissis. *Solorz. Polit. Ind. lib.* 6. *cap.* 15. *Escalona Gazof. Reg. Per. lib.* 1. *p.* 2. *cap.* 7. *n.* 8. Erit *Crimen de residuis*, si furtum committitur ab eo, cujus fidei, & periculo pecunia publica concredita est, si eam in usum proprium convertat, vel saltem si non convertat in usum destinatum, sed eam retineat. *L.* 9. §. 6. *ff. ad Leg. Jul. Peculat. Molin. de Just. trat.* 2. *D.* 684. *n.* 5. Qui hoc crimen committit in nostra Hispania ultra restitutionem rei, debet ut pœnam solvere triplum. *L.* 14. *tit.* 14. *p.* 7. Regii Officiales, qui Regia pecunia negotiantur, ipso facto incurrunt confiscationem omnium bonorum: perpetuam officii privationem, & insuper exilium per deccennium ab omnibus Regnis Indiarum. *L.* 45. *tit.* 4. *lib.* 8. *R. Ind. Crimen sepulchri violati* committitur, quando quis dolo demolitur sepulchri structuram, vel marmora, vel imagines furatur. Etiam committitur hoc crimen ædificium non sepulchri causa, ibi extruendo, vel illegitimè inferendo cadaver, vel cadaver ibi sepultum extrahendo, vel illud mutilando, vel illius vestes auferendo. *L.* 3. §. 6. *ff. de Sepulchr. violat. L.* 2. *L.* 4. *L.* 5. *C. eod.*

215 Etiam furtum dicitur *termini amotio*; quando, scilicèt, quis dolo aufert, aut mutat terminos, seu lapides finales, *Hispanè: Mojones*, vel ut sibi adjiciat, quod de fundo detrahit alieno, vel præcisè, ut noceat, etiam sine commodo proprio. *L.* 1. *L.* 2. *L.* 3. *ff. de Termino moto.* In nostra Hispania limites amovens amittit jus, si quod habebat in illo prædio, quod sibi ex commutatione adqui-

re-

rere intendit: quod si jus nullum habeat, restituet duplum, & pro quolibet termino moto quinquaginta aureos Regi solvet, ut Lege Agraria olim fuit stabilitum. Eadem est pœna, si termini Civitatum, vel Oppidorum mutentur, seu evellantur. *L. fin. tit.* 14. *p.* 7. *& ibid. Greg. Lop. Plagium* est, quando quis hominem, præcipuè liberum, etiam Patrem familias clam abducit animo celandi, detinet in vinculis, occultat, vendit, vel emit, vel alitèr alienat. *L.* 6. §. *fin. ff. ad Leg. Fabiam, de Plagiar.* Vel qui servum alienum scientèr alienat, vel emit, vel si servum fugitivum cum rebus furto ablatis scientèr recipiat, vel si ipsi servo persuadeat, ut fugiat à Domino, vel illum invito Domino occultat, vel in vinculis retinet. *L.* 6. §. *fin. ff. ad L. Fabium, de Plagiar.* ejus pœna erat Capitalis. *L.* 1. *ff. ad Leg. Fabiam, de Plagiar.* Similitèr plagium in Lege Veteri morte puniebatur. *Exod.* 21. *v.* 16. ibi: *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum convictus noxæ morte moriatur*: quod est transcriptum in *cap.* 1. *h. t.* In nostra Hispania hoc crimen punitur in Nobili damnatione perpetua ad Regis opera, in plebejo pœna capitis. *Leg.* 22. *tit.* 14. *p.* 7. *Abigeatus* est deprædari pecora ex pascuis, vel jumentis, vel armentis. *L.* 1. §. 1. *ff. de Abigeis.* Qui hoc crimen committit *Abigeus*, seu *abactor* dicitur, *Hispanè*: *Ladron quatrero*: quamvis *D. Franciscus Sobrinus in Diction. Hispano Gallico*, hoc nomen *quatrero* restringat ad fures equorum. *Voleur de Chevaux.* Ut quis Abigeus dicatur, non sufficit, si ex minoribus unum animal subripiat, nisi fortè ter, vel sæpius, quasi artem exercens, unum abigat, sed est necesse, quod gregem ovium caprarum, porcorum, vel baccarum subripiat, grex censetur abactus, quando decem ad minùs oves, vel quinque, aut quatuor porci, vel animal unum, saltem ex majoribus; v. g. equus, vel mulus, vel bos ex pascuis, vel ex stabulo abducitur. *L. fin. ff. de Abigeis. Molin. de Just. trat.* 2. *D.* 684. *n.* 6. *Gom. Var.* 3. *cap.* 5. *n.* 13. Crimen *expilatæ hæreditatis* est, quando quis extraneus, qui non fit cohæres, vel hæredis uxor, subripit aliquam rem mobilem ante aditam, vel post aditam hæreditatem, nondum tamen possessam ab hærede. *L.* 2. §. 1. *Leg.* 5. *ff. de Expilat. hæred.* Contra cohæredem aliquid ex hæreditate jacente usurpantem datur actio *familiæ erciscundæ. L.* 3. *C. Famil. ercisc.* Contra uxorem ex ipsa hæreditate aliquid subripientem, si res ablata extet, datur vindicatio, si non extet, datur condictio ex Lege. In nostra Hispania hoc crimen committens tenetur rem ablatam cum fructibus perceptis restituere, & si est Nobilis in Insulam relegatur ad tempus, vel alia pœna Judicis arbitrio punitur: si verò plebejus sit, damnatur ad Regis opera pro tempore assignando à Judice. *L.* 21. *tit.* 14. *p.* 7. *Furtum tigni* dicitur, quando quis subripit materiam alieni ædificii, ut suo jungat ædificio; v. g. lapidem, columnas, regulas, & alia, quæ nomine tigni comprehenduntur. *L.* 1. *ff. de Tigno injunct.* Quod si ligna subripiens suæ domui affligit, tenetur ad duplum æstimationis: non verò obligatur restituere ligna jam affixa: tenebitur tamen ea restituere, si nondum sunt affixa. Et insuper pœna furti tenetur. *L.* 15. *tit.* 14. *p.* 7. Actio *arborum furtim cæsarum* competit ex Prætoris Edicto contra eum, qui arbores, vires, virgulata, &c. furtim cædit. *L.* 1. *& per tot. ff. de Arbor. furt. cæsar.* Tandem specialis actio datur adversus subripientem res ex naufragio, vel incendio liberatas. *L.* 4. *ff. de Incend.*

216 Furtum non solum Jure Humano, sed etiam Naturali, & Divino prohibitum est. Nam ipsa natura prohibet, quod quis cum alterius jactura locupletur. *L.* 14. *ff. de Condict. indebit. cap.* 48. *de Reg. jur. in* 6. Lex enim naturæ jubet, honestè vivere, alterum non ledere, & jus suum unicuique tribuere, §. 2. *Inst. de Just. & jur.* Item Jure Divino prohibetur in 7. Decalogi præcepto. *Exod.* 20. *v.* 14. *Deuter.* 5. *v.* 18. *Matth.* 19. *v.* 18. ibi: *Non facies furtum.* Nam ut ait *R. Noster Alphonsus in Prœm. tit.* 14. *p.* 7. *Furtar lo ageno es mal fetria, que es defendida á los homes por ley, ó por derecho, que lo non fagan.* Furtum ergo est peccatum, & quidem grave, si materia gravis est; leve verò, si parva sit materia furti. Quantitas furti non mathematicè, sed moralitèr metienda est, non tantùm ex rei ablatæ valore, sed etiam ex circunstantiis. Sic erit grave peccatum auferre rem parvam, suo Domino valdè necessariam, & proficuam; v. g. acum sartori, si aliam non possit habere ad se alendum. E contra verò, si Dominus sit valdè Dives, vel Princeps, major quantitas requiritur ad peccatum grave, quam si mediocritèr Dives sit. Similitèr plus requiritur in rebus, quæ ultrò proveniunt, & sunt valdè expositæ; v. g. fruc-

fructus ad viam publicam. Idem est, quando à diversis, vel ab uno interpolatim parva, & plura subripiuntur. Etiam plus requiritur, quando furtum fit ab uxore, vel filiofamilias, vel servis, vel aliis domesticis: quia Dominus, pater, vel maritus, vel non est absolutè invitus, vel tantùm invitus est ratione modi, non verò ratione rei ablatæ. Et pro regula in communi tenendum est, (præscindendo à circunstantiis minuentibus, vel aggravantibus in casu speciali) quod materia gravis furtis regularitèr est valor requisitus ad sustentationem pro uno die congruam respectu illius, cui aufertur: quia tunc ipsi grave damnum fieri censetur. *Lacr. L. 3. p. 2. n. 985. & seqq.* Et licèt parva sint furta cum perventum sit ad magnam quantitatem, erit peccatum grave, ut constat ex propositionem damnata ab *Innoc. XI.* quæ est 38. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* Ex duplici ergo radice obligat Jus Naturale furem, etiam in conscientia, & ante omnem omninò sententiam, ad rem furtivam restituendam. 1. Ex re accepta. 2. Ex injusta acceptione. Si enim res furtiva periit, vel in alium est translata, quin fur sit ditior factus, restituere tenetur ex injusta acceptione. Si verò res furtiva, vel in se, vel in æquivalenti sit apud furem: hic ex duplici capite tenetur: ex re, scilicèt, accepta, & ex acceptione injusta. Similitèr possidens mala fide rem furtivam, ex hoc duplici capite tenentur. Si verò bona fide possideat, ex re accepta tenetur restituere, etiamsi emisset rem in publicis nundinis, & etiamsi venditor nolit pretium rei refundere. *L. 2. C. h. t.* imò etiamsi ipse sit protestatus eam emere, ut Domino restituat: nisi fortè modico emisset pretio, *cap. 5. 14. q. 5. Menoch. de Præsump. L. 5. præsumpt. 29.* Tenetur ergo quis rem alienam restituere: quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, *cap. 4. de Reg. jur. in 6.* Si verò non possit quis restituere, quia non habeat undè restituat, pro tunc non tenetur: quia nemo potest ad impossibile obligari. *L. 185. ff. de Reg. jur. cap. 6. eod. in 6.* sed suspenditur obligatio, quousque fur ad pinguiorem pervenerit fortunam. Ad restitutionem tenentur omnes illi, qui quoquomodo fuerunt causa efficax damni secuti. Et illi, qui ex obligatione justitiæ, & ex officio, quod gerunt tenentur damnum cavere, si non caverunt, ut Princeps, Magistratus, belli Dux, Custodes Montium, Vinearum, Agrorum, &c. Hinc *Innoc. XI.* hanc propositionem damnavit, quæ est 39. *Qui alium movent, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.* Et sic concurrentes his versiculis comprehenduntur.

Jussio, Consilium, consensus, palpo,
recursus,
Participans, mutus, non obstans, non
manifestans.

Quod latius explicatur *à Lacr. L. 3. p. 2. ex n. 20. & aliis Moralistis.*

217 In nostra Hispania, quando ignoratur Dominus, cui debeat fieri restitutio: facta tamen sufficienti diligentia, sivè res sit ablata, sivè malè adquisita ex usuris, ludo, turpi quæstu, vel malè utendo officio, arte, judicatura, tabellionatu, &c. potest compositio virtute Bullæ Cruciatæ fieri, ut constat *ex quadam ejus clausula: De qualesquier bienes, y hacienda mal habida, y mal ganada, y adquirida, de que fueren á cargo, no sabiendo los dueños á quien se pueda, y deba legitimamente restituir.* Et possunt in quolibet anno quinquaginta Bullæ accipi, & per quamlibet Bullam componuntur quinquaginta argentei, & 28. marapetini, ac proindè per 50. Bullas potest componi quantitas duorum millium nongentorum, quadraginta, & unius argenteorum cum sex marapetinis. Quod si major quantitas componenda sit, debet ad Comissarium recurri, ut compositio fiat, siquidem in quolibet anno solùm possunt accipi 50. Bullæ. Pro qualibet Bulla datur eleëmosyna duorum argenteorum. Sed si compositio fiat de bonis, quæ pro omissione Divini Officii debentur, erogandi sunt, & duo alii argentei ad fabricam ejus Ecclesiæ, in qua beneficium habet Clericus, qui omissit officium. In Indiis per quamlibet Bullam potest componi summa triginta ducatorum. Et solùm possunt accipi 30. Bullæ: ac proindè solùm 900. ducatorum summa potest componi in quolibet anno, quæ summa continet 1237. *pesos, y 4. tomines.* Nam quælibet Bulla continet 41. *pesos, y dos tomines*: quæ summa correspondet *à* 30. *ducados de Castilla, á once reales ducado.* Pro qualibet Bulla datur eleëmosyna 12. regalium. Quod si major sit quantitas componenda ad subdelegatum Cruciatæ recurrendum est, ut compositio fiat, & solet decima pars summæ componendæ pe-

peti, debetque in subsidium Cruciatæ applicari. Latè de his *P. Mendo*, *Alloza*, *& alii*. Bulla autem non prodest eis, qui in fiducia Bullæ bona aliena usurparunt, ita ut quis non usurpasset bona, si non speraret, se compositione usurum: benè verò prodest illis, qui cum fiducia Bullæ talia bona usurparunt, hoc est, quod semper aliquis erat ea ablaturus, quamvis solamen haberet, eo quod per Bullam erat ablata compositurus, si post compositionem factam compareat Dominus bonorum, de quibus quis fecit compositionem, nihilominus bonorum Dominus potest illa coram Judice petere, & Judex tenetur alterum ad restitutionem condemnare: siquidem compositio tantùm valet pro foro interno.

218 In foro externo variæ ex furto resultant actiones. Aliæ enim sunt rei persecutoriæ, ut rei vindicatio, & condictio furtiva: aliæ actiones pœnales, ut actio furti, & accusatio criminalis. Rei vindicatio competit Domino rei furto ablatæ adversus quemcumque illius possessorem, etiam si non sit fur, sed etsi bona fide emisset: nam est actio realis quæ rem, ubicumque sit, etiam pretio non refuso, vindicat Domino suo. *L.* 3. *L.* 23. *C. de Rei vind.* atque adeò res furtiva à Judice apud furem reperta non fisco, sed Domino, si certus est, debet restituere sine diminutione non obstante contraria consuetudine. *Condictio furtiva*, est actio civilis, personalis, & perpetua, extraordinaria tamen, qua petitur res ipsa, si extet, & dicitur *condictio certi*, vel petitur interesse rei, si non extat res, vel illius possessio, vel usus, & dicitur *condictio incerti*. Actio furti est purè pœnalis, quia tantùm ad pœnam, non ad rei persecutionem tendit. Prætereà est personalis, perpetua, & famosa. Et si ex furto manifesto consurgat est Prætoria, & in quadruplum datur, si ex non manifesto oriatur est civilis, & in duplum datur. §. 5. *& fin. Inst. de Obligat. quæ est delicti.* §. 18. *Inst. de Action. L.* 18. *tit.* 14. *p.* 7. Competitque Domino rei ablatæ, & alii, quorum interest, rem ablatam non esse. *L.* 10. *L.* 11. *ff. h. t.* Datur contra furem, etiam contra impuberem doli capacem, & contra ei cooperantes auxilio, vel consilio, ut si quis tibi numos excussit, ut alius reparet, aut tibi obstiterit, ut alius rem tuam exciperet, aut oves tuas, vel boves fugaverit, ut alius eas exciperet, & hoc veteres scripserunt de eo, qui panno, rubro fugavit armentum; vel qui scalas fenestris supponit, aut ipsas fenestras, vel ostium effringit, ut alius furtum faceret, quivè ferramenta ad effringendum, aut scalas, ut fenestris supponeretur, commodaverit, sciens, cujus rei gratia commodaverit. §. 11. *Inst. de Oblig. quæ est delict.* & quidem si plures sint, contra singulos insolidum datur: nec unius solutione cæteri liberantur. *L.* 21. §. 9. *ff. h. t.* Sicut liberantur quando unius condictione furtiva conventus, solidum solvit: nam condictio furtiva est rei persecutoria, quæ cessat, si id, quod abest, restituatur: nam bis idem peti non valet. *L.* 57. *ff. de Reg. jur.* Actio verò furti est pœnalis ligans omnes, qui delictum commisserunt, & quidem etiam re furtiva extincta permanet furti actio adversus furem. *L.* 46. *ff. h. t.* Sed cum hæc actio sit pœnalis non datur contra furis hæredes, nisi jam cum defuncto lis contestata sit. §. 1. *Inst. de Perpet. & tempor. L.* 1. *ff. de Privat. delict.* Hæc actio dicitur famosa: quia ea conventus, etiam tantùm civiliter, & ad pœnam dupli, vel quadrupli; v. g. condemnatus, saltem, quando furtum est alinquantulum notabile, fit infamis. *L.* 4. §. *fin. ff. de His, qui notant.*

219 Etiam contra furem datur actio criminalis, ut ipsi infligantur pœnæ à jure statutæ, quæ etiam locum habent, & si per viam Inquisitionis procedatur, & quidem de Jure Canonico fur notorius notorietate facti, vel si actione furti, & quidem pœnali, & famosa (secus si conditione furtiva) conventus, & condemnatus sit, fit infamis, *cap.* 17. *6. q.* 1. & consequenter irregularis, *cap.* 5. *D.* 51. *cap.* 8. *de Reg. jur. in 6. Diaz Prax. Crim. Canon. cap.* 94. *n.* 2. Si furtum occultum sit, nec infamia, nec irregularitas incurritur. Si Clericus sit deprehensus, vel convictus de furto magno, vel iterato deponendus est ab ordine, & officio Clericali, *cap.* 12. *D.* 81. Quod si adhuc non resipiscat, debet excommunicari. Si tandem incorrigibilis sit tradi debet brachio sæculari, *cap.* 10. *de Judic.* Episcopi, vel eorum Vicarii ad instantiam partis læsæ solent concedere litteras monitorias generales, sub excommunicatione contra eos, qui rem alienam, non quidem modicam, injustè retinent, ut eam restituant: & adversus scientes, rem ab alio detineri, ut revelent: quod si non faciant, excommunicationem ipso facto incurrant; *arg. Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 3.

Ju-

Jure Civili variis pœnis furtum puniebatur pro ejus circunstantiis, sed non extendebantur ad mortem. *Auth. sed novo C. de Serv. fugit.* ibi: *Sed pro furto nec morietur, nec aliquod membrum abscindetur, sed aliter castigabitur. In L.* 18. *tit* 14. *p.* 7. dicitur quod fur flagelletur, sed non occidatur, nec mutilletur, nisi publicus latro sit, vel pyrata, aut per vim cum armis deprædetur in aliena domo, vel loco: vel nisi in Ecclesia, vel loco Religioso furetur, rem sanctam, aut sacram: vel si Officiales Regis furentur aliquid de pecuniis, vel rebus sibi commissis, vel si Judex, durante officio, aliquid furetur de pecunia Regis, vel communitatis. Isti enim occidentur, & eis dantes consilium, vel auxilium, vel eos celantes. Si tamen Rex, vel communitas tale frutum Officialis non petat infrà quinquennium, posteà non punietur corporaliter sed tantùm pœna quadrupli. Sed quamvis de jure scripto non possit quis pro furto simplici morte puniri, tamen jam generali consuetudine servatur quod saltem pro tertio furto, dum res non sit parvi momenti, possit fur puniri morte, & sua causa suspendi. Vid. *Greg. Lop. in L.* 17. *tit.* 14. *p.* 7. V. *Matar.* Et etiam sunt videndæ. *L.* 7. *L.* 9. *tit.* 11. *L.* 8. *R. C. L.* 4. *tit.* 23. *L.* 8. *R. C.* Pro coronide tamen hujus materiæ venit explicandus difficilis *Text. in c.* 2. *h. t.* ibi: *Fures, & Latrones, si in furando, & deprædando occidantur, visum est pro eis non esse orandum. Sed si comprehensi, aut vulnerati Presbytero, vel Diacono confessi fuerit, communionem eis non negamus.* Quod intellige, non quatenùs Latrones possint peccata sacramentaliter confiteri Diacono, ut ab eo absolutionem accipiant, sed quatenùs in præsenti specie Sacerdos, vel Diaconus tanquam testes signorum pœnitentiæ adfuerint, ut sic posint Latrones, ad communionem Ecclesiæ admitti, & Ecclesia possit pro illis orare, & sacrificium offerre.

TIT. XIX.

De Usuris.

220 *Usura*, quæ sic ab *usu* dicitur, aliquando significat quodlibet lucrum, seu fructum ex rei usu resultantem. Sic *Matth.* 25. *v.* 37. & *Luc.* 19. *v.* 23. ait Christus Dominus: *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego cum usuris exegissem eam.* Sed in præsenti sumitur 1. pro lucro resultante ex mutuo ultra sortem principalem. 2. Pro contractu, quo convenitur de hoc lucro. *c.* 2. *c. fin.* 14. *q.* 3. Si enim Titius Sempronio mutuavit centum aureos, vel centum cados vini ea conditione, ut singulis annis, donec eosdem restituta, reddat quasi ex justitia decem aureos, vel cados vini, ita ut unò, vel pluribus annis elapsis, adhuc restituere debeat eos centum aureos, vel cados vini (quæ summa dicitur capitale, seu sors principalis) & insuper debeat decem aureos, vel aliam rem pretio æstimabile singulis annis dare, tunc committetur usura: quidquid enim ultra sortem principalem in mutuo datur, dicitur usura, fænus, & lucrum. Si non interveniat mutuum, saltem virtuale, non datur usura. Hinc usurarius non est, qui certò pretio petito alteri suam pecuniam concedit ad pompam, & ostentationem: quia hic non mutuat pecuniam cum dominium ejus non transferat, sed locat. Et in contractu locationis, & conductionis justè potest pretium, vel merces à locante peti. Qui verò à depositario pro usu pecuniæ depositæ apud ipsum aliquid petit usurarius est: nam exigit aliquid ultra sortem pro concessione, quæ verè mutuum est. Idem est, si quis vendat aliquam rem ex pacto: ut eadem sibi restituatur, aliquid recipiendo ultra sortem *c.* 4. *de Pignor.*

221 *Mutuum* sic dictum, quod ex *meo tuum* fiat, est contractus Juris Gentium, re perficitur, nominatus unilateralis, & stricti juris, quo res fungibilis, seu consistens in pondere, numero, & mensura in alium transfertur ex Lege, ut res ejusdem generis, quantitatis, & qualitatis restituatur. *L.* 2. *ff. de Rebus Credit. princ. Inst. quib. modis re contrahitur oblig.* Res mutuata debet reddi in eadem specie, mensura, ac vanitate; v. g. si decem scaphæ tritici fuerunt mutuatæ decem reddendæ sunt, & si prætium posteà creverit, si mutuans nihil circa augmentum, vel diminutionem pretii prævidit. *L.* 22. *ff. de Reb. cred.* si tamen mutuans prævidit, pretium minuendum esse cum ejus damno sufficit si triticum in eadem mensura reddatur. Si prævidit, pretium augendum esse sufficit, si mutuatarius reddat triticum in ea mensura, ut æquet pretium accepti, licèt si minor, quam mensura accepta, siquidem mutuans prævisо pretii aug-

mento, non potuit licitè petere, quod eadem mensura redderetur: nam esset lucrum suprà sortem intendere, quod certè est usura. *Lugo de Just. D. 25. sect. 7. n. 121.* Potest tamen mutuans prævidens certo, vel probabilitèr minuendum esse tritici pretium, licitè, & sine usura pacisci, quod mutuatarius non solùm reddat, id quod æquet numerum accepti, sed id quod æquet illius valorem, sivè mutuans esset aliunde venditurus, sivè consumpturus, sivè in tale tempus servaturus. Hinc si mutuavit quis decem scaphas tritici potest obligare mutuatarium ad reddendum viginti, si tot sint necessariæ ad æquandum pretium decem acceptarum. Sed non debet obligare mutuaturiam, ne anteà restituta, sed in ejus arbitrio hoc debet relinqui, quod si pretium tritici creverit pauciores quam dedit, debet exigere; v. g. si quinque scaphæ nunc tantum valeant quantum decem tempore mutui, quinque tantùm petere debet. *Molina de Just. tract. 2. D. 311.*

222 Actio, quæ ex mutuo datur mutuanti, seu creditori adversus mutuatarium, seu debitorem, dicitur condictio certi ex mutuo. *Princ. Inst. quib. modis re contrahit. obligat.* El licèt nulla lege teneamur mutuum dare, si tamen ex misericordia velimus dare mutuum, præcepto tamen tenemur gratis illud dare juxta illud Christi D. *Luc. 6. v. 35. Mutuum date nihil indè sperantes.* Si in hoc contractu aliquid ultra sortem exigatur, illud usura est. Et quidem hæc alia est interna: quæ consistit in solo animo lucrum capiendi ex mutuo: alia externa, quæ subdividitur in mentalem, & realem, seu conventionalem. Mentalis est, quando quis dat mutuum ea mente, nullo tamen explicata pacto, ut aliquid ultra sortem, tanquam debitum ex justitia solvatur ipsi. Erit conventionalis si pactum accedat: tale vero pactum contractu alias licito adjectum pro non adjecto habetur, contractu in suo robore manente: quia utile per inutile non vitiatur, maximè si dividi possit utile ab inutili. *c. 37. de Reg. Jur. in 6.* Si contractus est illicitus, eo ut principali corruente corruit pactum accessorium. *L. 178. ff. de Reg. jur. c. 42. eod. in 6.*

123 Esse peccatum, & illicitum usuras exercere, certissimum est ex *Conc. Vinens. in Cl. un. §. fin. h. t.* ibi: *Si quis in illum errorem inciderit, ut pertinacitèr affirmare presumat, exercere usuras, non esse peccatum, decernimus eum, velut hæreticum puniendum. Lugo de Just. & jur. D. 25. sect. 2.* Usuræ etenim de Jure Canonico, & quidem antiquissimo sunt prohibitæ. *Can. 43. Apost. c. 1. c. 2. 14. p. 3.* quinimò, & Jure Divino. *Deuter. 23. v. 19. Ezech. 18. v. 10. & 13.* ibi: *Quod si genuerit filium ad usuram dantem, & amplius accipientem, numquid vivet? non vivet, cum universa hæc detestanda fecerit morte morietur. Luc. 6. v. 35.* ibi: *Mutuum date nihil indè sperantes.* Hinc Pontifex *Alex. III.* ait in *c. 4. h. t. Respondemus, quod cum usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus. c. 10. h. t.* Etiam Jure Naturali sunt illicitæ usuræ, & hæc est communis persuasio gentium: nam ut ait *Cicer. L. 3. Offic. Illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, & opes augeamus.* Et meritò quidem: nam ipsa natura prohibet, aliquem lucrum capere ex re aliena, & cum per mutuum transferatur dominium rei mutuatæ in mutuatarium, non potest mutuans lucrum percipere ex tali re: hoc enim iniquum esset, sicut esset iniquum, venditorem equi lucrum captare ex usu equi, quem jam in emptorem transtulit. Nullus enim justus titulus invenitur ad lucrum percipiendum ex re mutuata. 1. Non pro usu: nam cum in rebus fungibilibus, in quibus mutuum consistit, dominium ab usu non separetur, post dominium translatum pertinet ad mutuatarium usus, & commodum talis rei. 2. Non pro ipsa dominii translatione: nam hæc sufficientèr compensatur, si eadem res, vel sors principalis restituatur ad equalitatem mutuanti. 3. Non pro obligatione non repetendi pecuniam, nisi post certum tempus elapsum: nam hæc obligatio est intrinseca mutuo, & si hæc via posset aliquid peti, facile hoc modo omnis usura paliaretur. Prætereà talis obligatio solùm est pretio æstimabilis, quando talis dilatio affert mutuanti damnum, vel facit lucrum cessare, & tunc ratione lucri cessantis potest aliquid peti, secus si nullum lucrum cessaret: quia illa pecunia; v. g. si non esset mutuata deberet otiosa in arca manere, & sufficientèr mutuum compensatur per integram solutionem accepti. 4. Non pro labore mutuandi: quia hic, vel est intrinsecus mutuo, vel in favorem utriusque, vel non est considerabilis, vel si notabilis est, potest pretium exigi, non tamquam

ex

ex mutuo, sed tamqum ex opera locata mutuatario. *Navar. Man. cap.* 17. *n.* 209. Insuper: hanc prohibitionem usurarum à Jure Naturali descendere agnoscunt Summi Pontifices, dum in *cap.* 4. & 10. *h. t.* eam adstruunt ex Veteri Lege, ex qua solum in Lege gratiæ vigent præcepta Moralia fundata in Lege Natura. *Div. Thom.* 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. *Covar. Var.* 3. *cap.* 1. *Less. de Just. lib.* 2. *cap.* 20. *Laym. Castrop. & alii.* Et Jure Regio Hispano omninò prohibitæ sunt usuræ. *L.* 46. *tit.* 6. *p.* 1. ibi: *Mercadurías son de muchas maneras, é algunas, y á, que non puede ningun home usar de ellas sin pecado mortal, porque son málas en sí, como usuras, é simonía, é estas son vedadas tambien á los Clérigos, como á los Legos. L.* 1. *tit.* 6. *lib.* 8. *C.* ibi: *Porque se halla, que el lógro es muy gran pecado, y vedado, asi en la Ley de Natura, como de Escritura y de Gracia.*

224 Hinc est, quod nullus Princeps, ne quidem Pontifex, potest per suas Leges, vel permissionem, facere usuras licitas esse, *cap.* 4. *h. t.* ibi: *Super hoc dispensationem aliquam posse fieri, non videmus: quia cum Scriptura Sacra prohibeat pro alterius vita mentiri: multò magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita captivi usurarum crimine involvatur. Covar. Var.* 3. *ex n.* 8. *Molin. & alii communitèr.* Imò Principes, Respublicæ, Consules, vel Magistratus suis Legibus, vel statutis approbantes usuras, gravitèr peccabunt, & excommunicationem ipso facto incurrent, *cap.* 1. *h. t. in* 6. *Clem. un. eod.* Cum enim usuræ ex se illicitæ sint, nec consuetudine possunt induci, talis enim consuetudo, utpotè Jure Naturali, & Divino contraria non esset rationabilis, ac proindè esset corruptela; *arg. cap. fin. de Consuetudine.* Et hac ratione nec in favorem causæ piæ, vel etiam pro redemptione captivorum possunt exigi, vel accipi, *cap.* 4. *h. t.* Illicitus tamen est. *Anatocismus*, sivè usuræ usurarum; v. g. Titius sub uxoris mutuavit mille argenteos Sempronio ut pro ipsis redderet 50. & in anno sequenti intendit non solum ex sortè principali, quæ sunt mille, sed etiam ex usuris nondum solutis, quæ sunt 50. novas usuras, scilicèt duos argenteos cum dimidio lucrari. *L.* 3. & 28. *C. h. t.* Si verò jam sunt solutæ usuræ aliundè licitè, vel ut melius dicam, lucrum, quod ex justo titulo honestum sit, potest in eo novam sortem constituendo mutuans aliquid etiam lucrari, quia esset novum mutuum. *Leg.* 3. *C. de Usuris rei judicat.* Quando tamen usuræ, etiam licitæ, nondum sunt solutæ, Jure Naturali non repugnat, quod ex eis novum lucrum, honestum quidem, caperetur, prohibetur tamen Jure Positivo. *L.* 29. *ff. h. t. l.* 28. *C. eod.* quia in jure non datur accessio accessionis, nec fructus fructuum, nec servitus servitutis, nec lucrum lucri: adeò ut etsi permittatur, non debentur: & si solvantur, condictione indebiti repeti possunt. *L.* 26. §. 1. *ff. de Condict. indebit. Rodrig. de Reddit. ann. l.* 3. *cap.* 7. *n.* 27.

225 Potest tamen Princeps usuras permittere impunè, certam quantitatem determinando, & non puniendo, eas exercentes in ea quantitate: quod si eam excesserint, puniantur: quando hoc medio majora vitarentur peccata. Sic usuræ permissæ fuerunt Jure Civili. *Tot. tit. ff.* & *C. h. t.* & sic Deus permissit Hebræis usuras. *Deuter.* 23. *v.* 20. Sicut alibi tolerantur Lupanaria ad majus malum vitandum. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. *ad* 2. *Azor, p.* 1. *tit.* 8. *cap.* 22. *q.* 13. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 304. & sic potest intelligi difficilis. *Lex* 22. *tit.* 12. *p.* 5. ubi videtur Regem Judæis usuras permittere, & actionem ad eas concedere. Sed hodie hoc omninò prohibitum est in nostra Hispania *ex L.* 1. *tit.* 6. *lib.* 8. *R. C.* etiam consuetudine potest induci hæc usurarum impunitas. *C. fin. de Consuetudine.* Et justa causa necessitatis, vel utilitatis potest etiam privatus sine peccato, & suo jure utendo petere mutuum ab alio sub usuris, quando jam est determinatus non alitèr quam sub usuris dare, cum tamen posset, si vellet dare sine usuris; quippè qui usuras solvere juravit tenetur implere juramentum, *cap.* 6. *de Jure jur.* ac consequentèr non est peccatum solvere usuras: cum sit certum juramentum illicitum, non esse servandum. *C.* 18. *de Jure jur. D. Thom.* 2. 2. *q.* 78. *art.* 4.

226 Licèt nullum lucrum ultra sortem possit accipi in mutuo, precisè ratione mutui, potest tamen, ex aliis titulis accipi: 1. Ratione damni emergentis: 2. Ratione lucri cessantis: 3. Ratione periculi sortis à mutuante in se suscepti: 4. Ob periculum ammittendi sortem in naufragio, itinere, &c. 5. Ratione culpæ, quam mutuatarius commissit, differendo restitutionem mutui ultra tempus præfixum, si tali moræ culpabili in solvendo, certa sit imposita pœna, vel à Lege, vel etiam ex conventione partium. Quando creditor ratione mutui dari jac-

jacturam in rebus, quas jam habet, patitur, dicitur damnum emergens; v. g. Si Titius mutuet Sempronio centum aureos, quos destinarat ad ædificii refectionem, quod minabatur ruinam, vel ad frumentum tempore messis emendum: & posteà, vel ædificium corruat, vel majores impensæ in refectione domus sint necessariæ, vel majus pretium pro frumento requiratur: Tunc enim ratione damni emergentis aliquid sine usuræ metu peti valet. Et quidem adjecto pacto expresso: quia illud non est lucrum ex mutuo proveniens, sed tantùm est ad vitandum damnum, & ut mutuans servetur indemnis, ne ipsi suum beneficium damnosum sit. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. *ad* 1. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 314. *n.* 7. & 8. Ut ratione damni emergentis possit mutuans aliquid recipere, requiritur: 1. Ut mutuum sit causa illius damni, & hoc non eveniret, nisi mutuans dedisset in mutuum eas pecunias, quibus ejus domus reparanda erat, ex cujus defectu passa est ruinam: si enim aliundè pecuniam haberet; etiam præstitam ab amico ad domum reparandam, mutuum non esset causa talis damni: 2. Non potest exigi ratione damni emergentis plusquam quod est necessarium, & æquale damno, vel periculo damni: 3. Mutuans debet mutuatarium de damno emergente monere: quia fortè cum tali onere nollet accipere; nisi mutuans sit coactus ad mutuandum: nam tunc teneretur mutuatarius damna compensare. Potest quidem mutuatarius, si vult, pacisci cum mutuante ratione periculi damni ad certam quantitatem: & quamvis posteà damnum non eveniat, tenetur illam quantitatem solvere mutuanti, quia illud periculum, quod in gratiam mutuatarii subiit, est pretio æstimabile: sed non potest obligare mutuatarium, ut paciscatur de hoc periculo: sed sufficit si paciscatur compensare damnum, si quod eveniret mutuanti: nam sic mutuans servatur indemnis. Si damnum contingat postquam mutuatarius in mora restituendi est constitutus, quia terminus est elapsus, ad damni compensationem tenetur, etiam si nullum pactum præcessisset, qui dies interpellat pro homine, nisi forte absque omni culpa impotens factus est ad solvendum. *C. fin. de Locat.* Si verò antequam esset in mora constitutus, accidit damnum, nam tenetur mutuatarius illud compensare, si de eo non fecit pactum, vel nisi mutuans coactus est mutuare. *Soto de Just. & jur. lib.* 6. *q.* 1. *art.* 3. *Molin. eod. tr.* 2. *D.* 314. *n.* 11. & 12.

227 Si Titius ratione mutui, quod præstitit amittat aliquid lucrum, quod posset obtinere, si non mutuasset; v. g. mutuavit centum, cum quibus decem posset lucrari, si non dedisset in mutuum: tunc dicitur lucrum cessare, & tunc aliquid peti potest, etiam expresso pacto adjecto, ratione lucri cessantis: quia hoc non ratione mutui petitur, sed ne illud lucrum cesset: quod quidem pretio æstimabile est: nam lucri carentia, ut aliquod damnum censetur. *Navar. Man. cap.* 17. *n.* 211. *Covar. Var.* 3. *cap.* 4. *n.* 5. *Less. Azor, & alii com.* Ut ergo ex hoc titulo aliquid accipi possit, necesse est: 1. Quod mutuum sit causa effectiva cessationis lucri: eo quod quis pecuniam negotiationi destinatam, in mutuum dedit: 2. Quod sit spes certa, vel valdè probabilis talis lucri: ac proinde mutuans debet probare, se lucraturum forè ea pecunia, quam in mutuum dedit: sed cum spes non valeat tantum, quantum res ipsa, non debet exigi integrum lucrum, quod probabiliter speratur: sed prudentis arbitrio spes lucri æstimabitur, deductis tamen expensis, quas mutuans in negotiatione erat facturus, & considerata incertitudine lucri, tàm ob periculum negotiationis, quàm ob dubium, an esset certò negotiaturus, & an brevi, vel longiori tempore: 3. Debet mutuans tempore contractus cum mutuatario pacisci de eo, quod mutuanti præstabitur lucrum cessans. Si hoc pactum à principio non est adjectum, nihil potest peti, quia fortè noluisset mutuatarius cum tali onere accipere mutuum: nisi mutuans cogeretur mutuare, nam talis coactio est implicitus consensus ad compensanda mutuanti omnia damna ei provenientia ex mutuo: quia injustè causans damnum, illud reparare tenetur. Si verò mutuum ad certum tempus concessum est, eo elapso, & si nihil creditor petat in mora constituitur debitor, quia dies interpellat pro homine. Præterea: ad lucrum sine usuræ labe assecurandum, solent celebrari *tres contractus*, in quorum primo initur societas cum mercatore cum lucri, & damni communi periculo, in secundo emitur securitas sortis, quasi Dominus dicat: pro securitate sortis ad me attinentis, quam possum perdere ex lucro, quod ad me aliàs attineret, retine novem partes, & mihi da, ex decem unicam, hac lege, ut mea sors debeat semper esse integra, & secura,

sed

sed quia hoc lucrum est incertum, fit alius contractus sic : lucrum indeterminatum, quod spero, volo tibi vendere pretio determinato, da ergo mihi quinque, aut sex certos, sivè plus, sivè minus obtineas. Et hic dicitur communitèr contractus trium contractum. ☞ Quem alii impugnant, alii defendunt probabilitèr utrumque, ut testatur Bened. XIV. *de Synod. Diœces. l.* 7. *cap.* 50. * Et hac ratione possunt cohonestari contractus, qui frequentèr Manilæ ineuntur cum sinis *Vulgò Sangleyes*, quibus aliquas quantitates pecuniæ tribuunt Mercatores sub certa summa quotannis, vel singulis mensibus solvenda, & appellant *usuras pupillares*, etiamsi ipse sine periculum sortis in se suscipiant: quinimò, & aliquando ipsam sortem pignoribus assecurent: sed certè quo major est securitas dantis pecuniam, tanto decrescere debet lucrum, quod in contractu debet ipse percipere. Et hujus contractus justificatio comprobatur *ex cap.* 7. *de Donat. inter Gonzal. ibid. n.* 14. de quibus sic loquitur. *Fr. Joannes de Paz in suis Cons. clas.* 1. *cons.* 6. *parecer* 7. *n.* 27. *f.* 16. *Lo mas que se han estendido los Theologos en los tratillos de la tierra, es, que puedan llevar á quatro reales cada mes por el capital de veinte pesos, si tienen totalmente asegurado el capital y ganancias con prendas suficientes : si no tienen esta seguridad, que puedan llevar de veinte, uno.* Mutuans si à mutuatario non est mutuum assecuratum pignoribus, vel fidejussoribus, potest ab eo petere aliquid ultra sortem ratione periculi in recuperanda sorte, quod subit ipse, cum non debeat: cum enim habeat jus, ut illa pecunia fidejussoribus, vel pignoribus assecuretur eorum loco aliquid potest accipere : hoc enim periculum subire in gratiam mutuatarii pretio æstimabile est, & comprobatur ; *arg. L.* 5. *de Naut. fœnor. cap.* 6. *h. t.* Ubi pro periculo, quod res sit minus valitura tempore solutionis, permittitur de aliquo augmento pacisci, sicut etiam fidejussor potest aliquid petere ratione periculi, quod subit. *L.* 19. §. 1. *ff. de Donat.* & hanc sententiam tenent. *Div. Thom. opusc.* 73. *de Usur. q.* 10. *Sylv.* V. *Usura.* 1. *q.* 34. *Bonav. Laym. Castrop. tr.* 30. *D.* 4. *p.* 17. *Azor, & alii, cum Molina de Just. & jur. tr.* 21. *D.* 318. *n.* 4. contra *Navar. in Man. cap.* 23. *n.* 81. *Soto de Just. q.* 14. *art.* 1. *ad* 1. *Gutier. Reginal. & alios.* Si mutuatarius fidejussoribus, vel pignoribus sufficienter assecuret sortem, & ejus solutionem tempore debito, non potest mutuans aliquid ultra sortem petere præcisè ratione mutui, nisi alius contractus modo dicto accedat. ☞ Quæ omnia clarè licèt sub terminis generalibus confirmantur Constitutione Pontificia à Bened. XIV. *Vix pervenit*, pro conscientiarum indemnitate, edita ann. 1745. *

228 Mutuans potest aliquid accipere, & petere, à mutuatario ultra sortem, si in se suscipiat periculum sortis eam dando eunti ad nundinas per loca infesta latronibus, vel transmare navigaturo : nam cum mutuatarius deberet sortem assecurare ipsi mutuanti, si mutuans in se hoc periculum suscipiat, si sortè sors pereat, potest pro eo aliquid accipere, & petere, siquidem pretio æstimabile est, & sicut pro tali assecuratione præstanda potest aliquid à tertio exigi, etiam licet ab ipso mutuatario: nec in hoc casu exigitur aliquid ultra sortem ratione mutui, sed ratione hujus assecurationis, ac proindè tale pactum non est usurarium. *D. Thom. opusc.* 73. *de Usur. q.* 9. *Sylv.* V. *Usura*, 1. *q.* 35. *Covar. Var.* 3. *cap.* 2. *Molin. de Just. trat.* 2. *D.* 318. *n.* 4. *Lugo eod. D.* 25. *sect.* 6. *n.* 77. *Castropal. tr.* 30. *D.* 4. *p.* 18. *n.* 2. *Barbos. in cap. fin. h. t. n.* 2. Sic in his Insulis à labæ usuræ immunis est frequentissimus contractus, quem *correspondencia* vocant. Mercatores enim præstant pecuniam navegantibus Acupulcum, suscipiendo in se periculum, naufragii, & pro talis periculi susceptione, & etiam pro maximo lucro, quod possent percipere, si suo nomine mitterent merces vendendas Acupulci, exigunt quinquaginta pro centum, eo pacto, ut si navis in mari eundo, vel redeundo, pereat, ita, ut verificetur ex integro navem periisse, etiam quoad merces, vel pecuniam ex mercium venditione ortam, hoc accidat Mercatoris dantis pecunias periculo. Si verò in aliquo Portu Novæ Hispaniæ in eundo, vel harum Insularum in redeundo Navis ancoram figat, & merces, vel pecunia legitimè exoneretur, & postea pecunia pereat, non Mercatori, qui eam dedit, sed ei qui eam accepit pereat, & pro singulis centum argenteis quinquaginta reddere teneatur. Et sic in scripturis habetur : *En el qual Galeon ha de ir corriendo los riesgos ordinarios de quilla, costado, y pérdida general el dicho Capitan* (id est qui pecuniam dedit) *desde el dia que se hiciere á la vela del Puerto, y ribera de Cavite, hasta dar fondo en el de Acapulco, ó otro*

qualquiera de dicho Reyno, en que hiciere su derecha descarga, y de tornavuelta en el mismo Galeon, ó otro que en su lugar venga con el Real situado, y permisso de estas Islas, el qual llegado á qualquiera de sus Puertos, en que hiciere dicha derecha descarga, ha de ser visto haberse vencido dichos riesgos. Hic quidem contractus, qui non solùm in his Insulis, sed in toto Orbe, habita proportione lucri, & damni servatur, videtur *improbari á Gregor. IX. in celeberrimo Text. in cap. Naveganti fin. h. t.* ibi: *Naveganti, vel eunti ad nundinas, certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod suscepit in se periculum, accepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus.* Hic Text. qui verè Doctorum ingenia torquet, variè solvitur ab ipsis: dicendum tamen est cum ipsius textus littera, quod talis est *censendus usurarius*, hoc est, quod regularitèr talis præsumitur in foro externo, licèt verè usurarius non sit in foro interno, imò, neque in externo, si de periculo constet. Sic *Covar. Tolet. Gonz. in C. fin. h. tit. n. fin.* Sic *in cap.* 1. 30. *q.* 5. Matrimonia, in quibus desunt solemnitates, dicuntur adulteria, etiamsi verè matrimonia sint, quia ex defectu solemnitatum præsumuntur adulteria in foro externo, nisi voluntas propria suffragaverit, & vota sucurrerint legitima. Similitèr in *cap.* 3. *de Furt.* imponitur pœnitentia accipienti rem alienam, in necessitate, quia culpa aliqua præsumitur, licèt verè sine peccato fortè fuit accepta, quia necessitas erat extrema. Comprobatur insuper nostri contractus justificatio ex casu proposito à Missionariis Chinensibus, nam in præfato Regno est stabilitus, ut in mutuo triginta pro centum accipiantur à Mercatoribus absque respectu lucri cessantis, vel damni emergentis. Sed quia aliquod periculum aderat in recuperanda pecunia: scilicèt, quod ille qui accepit pecuniam mutuatam, fugiat, vel quod tardet in solvendo, vel quod necessarium sit coram Judice repetere, vel propter alia hujusmodi, & cum hic casus Romano Pontifici proponeretur Sacra Congregatio de Propaganda Fide de mandato *Innoc. X.* convocata respondit: *Censuerunt, ratione muti immediatè, & præcisè nihil esse accipiendum ultra sortem principalem, si verò aliquid accipiant ratione periculi probabilitèr emergentis, prout in casu, non esse inquietandos, dummodò habeatur ratio qualitatis periculi, & probabilitatis ejusdem, ac servata proportione inter periculum, & id quod accipitur. Lacr. lib.* 3. *p.* 2. *n.* 856.

229 Mutuans usque ad certum tempus, quia non sit nimis breve, potest à mutuatario, etiamsi nullum emergat damnum, aliquid ultra sortem petere, si eo termino transacto, culpabilitèr non solvat: hæc enim pœnæ appositio nullo jure est prohibita: imò satis clarè permissa invenitur in *L.* 23. *ff. de Obligat. & action. cap.* 7. *de Pignorib.* Et meritò, nam cum mutuatarius contra justitiam retineat debitum, culpabilis est, ac proindè pœna non solùm lege, statuto, vel consuetudine, sed etiam ex conventione utriusque imponi potest, dum non imponatur in fraudem usurarum ad eas hoc pallio obtegendas, & licèt statim termino præfixo, dum sit sufficiens, elapso, posset creditor petere pœnam, tamen regularitèr mora, aut dilatio unius diei, vel etiam hebdomadæ, non est mora notabilis, ut pœna exigatur. Si pars debiti sit soluta, non tota pœna, sed tantùm correspondens, & proportionata parti debiti non soluti est petenda. Si mutuatarius differat restituere, etiam post tempus præfixum, quia solvere nequit, nec potest exigi pœna: nam hæc sine culpa nequit exigi, *cap.* 2. *de Const. l.* 22. *C. de Pœnis.* Si verò in eam impositam sua culpa devenit mutuatarius, pœnam solvere tenetur. *Gloss. fin. in cap.* 8. *h. t. Azor, p.* 3. 15. *de Usur. cap.* 6. *Molina, de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 317. Quando à Lege, vel à Judice est imposita aliqua pœna non solvendi tempore debito hujusmodi pœna, quæ usura moratoria appellatur, sivè pœna sit conventionalis sufficit, quod debitor requiratur à creditore, etiam ante Judicis sententiam, ut eam solvere teneatur. *Sylv.* V. *Pœna, n.* 14. *Less. lib.* 2. *de Just. & jur. cap.* 20. *n.* 136. *Covar. Azor, & alii.*

230 Lucrum constituens usuram est quidquid pretio æstimabile in mutuo ultra sortem exigitur, vel accipitur, sivè sit pecunia, sivè triticum, sivè obsequium, alias indebitum, dum interveniat pactum, vel obligatio de novo mutuatario imposita, *cap.* 1. *& seq.* 14. *q.* 3. Siquidem reddente mutuatario tantum quantum à mutuante accepit, ad æqualitatem satisfacit: ac proindè, quidquid ultra sortem exigitur, injustè exigitur. *Lugo, de Just. & jur. D.* 25. *sect.* 5. Hinc usurarium est exigere à mutuatario aliquod munus, vel beneficium, quo compenset beneficium præstitum in dando mutuo, vel

quo

quo mutuatarius speciali modo benevolentiam mutuanti præstare teneatur. Ideò *Innoc. XI.* damnavit hanc propositionem quæ est 42. *Usura non est dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed tantùm si exigatur tanquam ex justitia debitum.* Siquidem esset ex pacto, & consequentèr ex justitia obligationem imponere mutuatario ultra sortem: nam gratitudo, nec ex justitia obligat, nec ad aliquem actum determinatum in specie, sed tantùm in genere, ut quis respondeat beneficio. Secus est, si mutuatarius ad suam gratitudinem ostendendam ex mera liberalitate aliquid mutuanti retribuat: tunc enim nulla committitur usura. Nec mutuans, eo quod beneficium contulerit, debet fieri pejoris conditionis, quam alii, quibus liberè posset mutuatarius donare, ac consequentèr potest mutuans sine timore usuræ intendere, etiam principalitèr, lucrum, non tanquam debitum, sed tanquam beneficium gratis dandum, & à fortiori potest per mutuum, intendere amicitiam, & benevolentiam mutuatarii. *Sot. de Just. L. 6. q. 1. art. 2. & 4. Molin. eod. tract. 2. D. 305. num. 5. & seqq. Laym. L. 3. tr. 4. cap. 16. n. 1. Lugo de Just. D. 25. sect. 4. num. 28.*

231 Si mutuans mutuatarium obliget ad aliquod obsequium, aliàs indebitum, præstandum; v. g. ad intercedendum apud Principem pro aliquo obtinendo officio, vel quod mutuatarius deferat aliquem honorem ipsi mutuanti non debitum antecedentèr ab ipso mutuatario, vel quod ipse remittat injuriam antecedentèr mutuanti illatam, vel obligationem, quam habebat mutuans restituendi famam mutuatario: in his enim casibus usura committeretur. Nec potest mutuans cum mutuatario convenire, ipsumque obligare, ut sibi remutuet, quando indigeat, pro eo fidejubeat, vel aliam rem; v. g. frumentum mutuatarius vicissim mutuet: vel potius mutuanti, quam aliis, suas ædes, vel opera locet: vel mutuantis ædes conducat: vel ipsi prædium vendat etiam justo pretio: vel quod ex sua officina merces emat, vel quod accedat suas cholas, vel molendinum, vel furnum ad molendum triticum, vel panem coquendum: & alia hujusmodi. Siquidem ista omnia pretio æstimabilia sunt, ac proindè est nova obligatio, & onus ultra sortem ea præstare, consequentèrque á labe usuræ nequeunt liberari. *D. Thom. 2. 2. q. 78. & alii com.* secus esset, si ista omnia non peterentur tanquam pretium, sed tanquam condictio *sine qua non* quis mutuaret de presenti: siquidem non tenetur quis beneficium præstare, quale esset dare mutuum est, quem videt ingratum esse, & nolle vicissim beneficium præstare. Qui in mutui compensationem exigit tanquam ex justitia aliquid spirituale, vel spirituali annexum; v. g. Missæ Sacrificium, vel Beneficium Ecclesiasticum, præter simoniam, etiam usuram committit. Nam obligatio conferendi beneficium est pretio æstimabilis. Qui mutuatario aliquid dat ea conditione, ut rem aliundè debitam restituta, non committit usuram: siquidem nullum novum onus imponit, sed petit antecedentèr debitum; v. g. si mutuum det ea conditione, ut res ablata, vel deposita, vel mutuata antecedentèr restituatur: vel si Dominus, vel Parochus dent frumentum pro semine, vel pecuniam pro rebus necessariis ad culturam in mutuum Colono, vel Parochiano ea conditione, ut solvant sine diminutione, & citò pensionem, aut decimas. Hos casus aliosque plures hujusmodi latius explanant *D. Thom. 2. 2. q. 78. Covarr. Var. 3. cap. 2. n. 5. Less. de Just. & jur. L. 2. cap. 20. Molin. eod. tr. 2. D. 307. & seqq. Lacr. lib. 3. p. 2. ex num. 835.*

232 Aliquando committitur usura palliata, quando scilicet operitur pallio alterius contractus, & non ostenditur clarè contractus mutui: & hac ratione non facilè in foro externo tale pactum de usura condemnatur, nisi de usuraria intentione per confessionem contrahentium, vel scripturam, vel aliundè constet. Et sic venit intelligendus *text. in c. 6. h. t.* pro foro, scilicet, externo: non verò pro foro conscientiæ, & interno. Ideò usurarium habetur pactum *Anticriseos*, quando, scilicet, creditor, qui apud se habet fundum oppignoratum pro centum aureis; v. g. illius fructus lucratur: & posteà exigit sortem principalem, scilicet debitum integrum centum aureorum: nam tales fructus, deducendo prius expensas, & laboris æstimationem, debent in sortem principalem imputari: imò si centum valeant, & debitum integrum adæquent, debitum omninò extinguitur; & prædium restitui debet: etiamsi in favorem causæ pia tales fructus percipiantur. Nec enim sunt largiendæ eleemosynæ ex fœnore: alias pa-

pallio talis pignoris vera usura, & lucrum ultra sortem tegeretur. *c. 6. de Pignor. c. 1. c. 2. c. 8. h. t. Covarr. 3. Var. cap. 1. Laym. Lacr. L. 3. p. 2. n. 1115.* Nec obstat *text. in c. 1. de Feud. c. 8. h. t.* ubi Ecclesia lucratur fructus feudi oppignorati pro mutuo à Vassallo: nam hoc est speciale in feudo, in quo Dominus non tenetur fructus compensare in sortem, si Vassallus interim servitia debita non præstet: imò ipsis fructibus servitia debita compensantur. Similiter maritus non compensat in sortem principalem fructus prædii pro dote oppignorati, dum dos non solvitur: sed ipsis fructibus onera sustinet matrimonii, quæ dote sustinere debeat. *c. 16. h. t.*

233 Vendere rem majori pretio, quam merx valet, præcise ob dilatam solutionem, vel eam minori pretio emere præcisè ob solutionem anticipatam est usura palliata nomine emptionis, & venditionis. Nam in venditione, quæ fit credito, vel in anticipata solutione est mutuum virtuale, ac proindè usura quidquid ultra principalem sortem exigitur. Ideò *Innoc. XI.* damnavit hanc propositionem, quæ est 41. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem, à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.* Hinc usuram committit, qui domum; v. g. cujus pretium est centum, vendit pro centum, & viginti, præcisè ob dilatam solutionem. Nam in hac solutionis prorogatione mutuum latet: nam idem est, ac si venditor recepisset centum pro domo, & ea posteà mutuasset emptori eo pacto, ut posteà ultra sortem, quæ est 100. reddat viginti, tanquam lucrum. *c. 10. h. t.* nisi ratione damni emergentis, vel lucri cessantis ex defectu pecuniæ, hoc pactum ab usura excusetur. *Gonzal. in c. 6. h. t. n. 6.* Si verò dubitetur, an res vendita; v. g. triticum, plus sit valitura tempore solutionis faciendæ: cum eo casu, tàm emptor, quàm venditor ob contingentiam eventus lucrum, vel damnum æqualitèr expectent, & aliundè venditor non esset eam anteà venditurus, potest aliquid ultra justum pretium, quod tunc habet sine timore usuræ, nec injustitiæ petere. *c. fin. h. t.* ubi ratione hujus dubii etiam excusatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, & alias merces vendit, ut amplius quam tunc valeant in certo termino recipiat pro eisdem, si tamen ea tempore contractus esset venditurus. Usura etiam intervenit casu, quo quis rem cujus infimum pretium sunt 120. emat pro centum præcisè ob anticipatam solutionem: nam tunc palliatur usura. Idem enim est, ac si emptor mutuasset centum venditori, ut posteà reddat 120. nisi ab usura ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, vel alio justo titulo excusetur; v. g. quia dubitatur, an res, quæ emitur de præsenti minori pretio plus vel minùs esset valitura tempore traditionis, ex eo quod venditor rei traditionem differat *Sylv. V. Usura, 2. q. 1.*

234 Contractus, qui *Hispanè Mohatra; Italicè*: *Stocco* dicitur, continet palliatam usuram; & ideò *Innoc. XI.* hanc propositionem, quæ est 40. damnavit: *Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis prævià inito, cum intentione lucri* Mohatra enim fit, quando Sejus petit à Titio Mercatore centum aureos in mutuum: qui respondet Sejo: tibi dabo centum aureos mutuos, & per annum credam, & expectabo, dummodo istud pallium emas centum, & decem aureis, quod est pretium justum, quamvis summum, statimque mihi idem pallium revendas centum aureis, quod est infimum ejus pretium, tibique hanc summam pecuniæ numerabo. Hic latet usura pallio venditionis contecta: siquidem Titius pro centum aureis, quos Sejo dat, recipit ab ipso centum, & decem, cum venditio ad creditum sit mutuum virtuale. Si verò pactum non sit initum, & post absolutam perfectè venditionem, mutuatarius minori pretio ipsi Titio rem vendere velit, benè potest, sicut posset alii extraneo, quia Mercator vendens illas merces summo pretio non privatur jure emendi ipsas infimo pretio, quia adhuc justum est. *Navar. Molin. Card. Lacr. L. 3. p. 2. n. 904.* Non est usura triticum, aut vinum in autumno mutuare, adjecto pacto, quod in verè tantumdem tritici, vel vini restituatur, vel pretium correspondens in tempore verno, quando incertum est, an in utroque tempore idem erit pretium quia nulla est in hoc contractu inæqualitas, cum idem sit respectu utriusque contrahentis periculum damni, & spes lucri. *c. fin. h. t.* ibi: *Ille quoque qui dat decem solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur, quæ licèt tunc plus valeant, utrum plus, vel minùs solutionis tem-*

tempore fuerint valituræ verisimilitèr dubitatur, non debet ex hoc usurarius reputari. Secus est, quando est certum, vel probabilius, quod pretium erit majus tempore verno, & aliundè mutans triticum, vel vinum non esset illud in tale tempus servaturus. Siquidem tunc ultra sortem exigeretur excessus pretii, quod tunc habebat. Si tamen in tempus vernum servaturus erat, poterit, deductis expensis, quas in ejus conservatione facturus erat, accipere pretium, quod tunc haberet, licèt majus, quam tempore mutui dati esset. *Gloss. in c. fin. h. t. V. Dubitatur. Azor. p. 3. l. 5. c. 7. q. 5. Lugo de Just. & jur. D. 25. sect. 7. & n. 112. Molin. eod. tr. 2. D. 311.* Mutare triticum vetus adjecto pacto, quod posteà reddatur novum, non est usura, si quoad valorem non detur excessus, licèt aliundè cedat in mutantis commodum, eo quod facilius novum conservetur: quia in contractu datur æqualitas, quoad pretium, & nullum damnum sequitur mutuatario. Si verò triticum vetus minus sit valiturum, quia v. g. est semicorruptum, erit usura illud cum novo mutuare: quia ille excessus pretii est supra sortem principalem. *Sylv. V. Usur. 1. q. 17. Navar. in Man. cap. 27. n. 224. Lugo de Just. D. 25. sect. 7. n. 117.*

235 Emere minori pretio Chirographum, seu debitum centum argenteorum: v. g. quando hoc est liquidum, & sine aliqua molestia repeti potest, est ustura palliata. Nam est idem, ac si emptor mutuasset venditori 80. ut ab eo centum reciperet: potest tamen minoris emi, quando debitum est litigiosum, vel quando in ejus repetitione aliqua molestia experienda esset, saltem ab ipso venditore, licèt aliundè emptor ob ejus industriam facilè repetere posset: quia in omnium æstimatione minus valet illud debitum, quam si liquidum esset. Quando debitor est Princeps, non potest minori pretio Chirographum emerè ille Officialis, qui ex officio solutionem ex Principis ærario debet præstare: quia hæc emptio usuraria, vel saltem injusta esset, sicut esset, si Princeps vellet solvere 90. pro centum, eo quod anticipatè solvat. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 361. ex n. 10.*

236 Montes pietatis sunt quædam æraria aliquorum pietate constituta ad sublevandum indigentium necessitates: nam solet acceptis pignoribus aliqua quantitas pecuniæ, aut frumenti mutuari indigentibus, ea conditione, ut si tempore statuto non solvant debitum pignora majori, quo possint pretio vendantur, ex quo mons pietatis suum debitum recipiat, & aliquid ultra illud, tum pro conservatione ipsius montis, tùm pro sustentatione illius ministrorum, & si quid residuum est debitori restituitur. Hos esse licitos, & ab usura immunes est declaratum in *Concil. Later. sub Leone X. Et Trid. sess. 22. de Reform. cap. 8. & 9.* inter causas pias hos montes recenset, eosque approbant. *Paul. II. Sixt. IV. Innocent. VIII. Alex. VI. & alii. Defenduntque Navarr. Man. cap. 17. n. 123. Molin. tr. 2. D. 325. n. 3. Castropal. tr. 30. D. 4. p. 14. n. 2. Azor, Toled. Valent. Laym.* contra *Cajet. & Sot. de Just. & jur. lib. 6. q. 1. art. 6.*

237 Etiam hic venit examinandum, an lucrum cambiorum licitum, vel usurarium sit? Cambium enim est negotiatio, quia pecunia pro pecunia cum lucro moderato permutatur. Qui dat cambium campsor: qui accipit, campasarius dicitur. Cambium est duplex: aliud reale, locale aliud. *Reale* dicitur, quando pecunia unius generis pro alterius generis pecunia numeratur: v. g. si aurei pro argenteis permutantur, & dicitur *manuale*, quia pecunia de manu in manum traditur. *Locale* est, quando pecunia præsens in uno loco pro absenti in alio loco permutatur: v. g. si quis det Manilæ mille argenteos, ut Mexici, vel Matriti ipsi reddantur: vel si Manilæ accipiat, ut Mexici, vel Matriti, ejus negotiorum gestor eos reddat. Et quia regulariter per litteras celebratur, *cambium litterarium* dicitur. Hoc lucri genus licitum est, & immune ab usura: quia & magna utilitate commerciorum ubique est introductum: tunc ob periculum trajiciendi pecuniam de uno in alium locum: nam campsor in se suscipit periculum, si fortè pereat pecunia: tum ob sumptus, & impensas faciendas in famulos, & Officiales peritos: & ob laborem semper habendi monetam diversarum specierum: tum & ob laborem in pecunia numeranda, litteris scribendis, faciendis rationibus: tum ob majorem commoditatem unius pecuniæ præ alia ad negotiandum, qua sæpè se privat campsor, ob alios titulos. *Sylvest. V. Usura, 4. q. 7. & 8. Nav. Man. cap. 17. ex n. 282. Mol. de Just. & jur. tr. 2. D. 399.* Licitum etiam est lucrum, quod quis solet percipere ex olla quam dicunt fortunæ. *Hispanè: Rifa*: nam

solet accidere, quod Titius: v. g. una schedula in ollam immissa, cujus valor sit unus argenteus, lucretur horologium maximi pretii: fortuna tamen adeò varia, & incerta, aliquando, etiam centum schedulis immissis, nihil capiat. Hinc: talis contractus non potest tanquam injustus ob pretii inæqualitatem, nec usurarius ob lucrum supra sortem, damnari: quia non est mutuum, sed emptio, ubi non res extracta, sed spes emitur cum æquali jacturæ periculo. Sic potest quis jactum retis emere cum periculo pretium totaliter emittendi, & cum spe lucrandi capturam decuplo majorem pretio. *L.* 11. *tit.* 5. *p.* 5. In Hispania sortes, quæ *Rifas*, dicuntur, sunt prohibitæ *L.* 12. *t.* 7. *lib.* 8. *R. C.* Quod intellige, quando uniuscujusque periculum excedit lucrum, & correspondens: vel quando inter pretium, & valorem rei datur improportio: secus aliter.

238 Mutuatarius solvens usuras mutuanti, etiamsi expressum animum habeat transferendi illarum dominium in mutuantem, adhuc usurarius non adquirit illarum dominium: nec revocabile quidem, nisi fortè per comistionem, qua res ex usuris perceptas in numero, pondere, vel mensura consistentes, cum aliis suis ejus generis commisceat. §. 27. *Inst. de Rer. divis.* Nam ad transferendum dominium, non sufficit traditio, sed justus titulus est necessarius. *L.* 31. *ff. de Adquirend. rer. domin.* Et hic deest in præsenti casu. Et quidem non esset justus titulus contractus mutui: nam hic non extenditur ultra sortem principalem non promissio mutuatarii: siquidem invalida est *c.* 6. *de Jur. jur.* non denique voluntas tradentis usuras nam hæc solum ad solutionem debiti dirigitur; non tamen ad donationem liberalem extenditur. Et cum non debeat ex justitia usuras, non est credendum, eas donare velle *arg. L.* 19. *ff. de Reb. cred. D. Thom.* 2. 2. *q.* 78. *art.* 3. *ad* 3. *Covar. Variar.* 3. *cap.* 3. *n.* 6. *Less. de Just. lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 158. *Mol. eod. tr.* 2. *D.* 326. *num.* 7. *Castropal. Gloss. in c.* 10. 14. *q.* 4. *Nav. M. cap.* 17. *n.* 265. *Lugo de Just. D.* 25. *sect.* 11. *n.* 106. Hinc est, quod mutuatarius etiam si permisisset usuras, non tenetur eas solvere, nisi fortè juramentum accedat, nam tunc obligatur ex Religione, & juramento: tale enim juramentum, eo quod non cedit in detrimentum animæ, vel tertii servandum est. *c.* 28. *de Jur. jur.* Licet enim accipere, vel exigere usuras sit peccatum, eas solvere peccatum non est: siquidem justa causa necessitatis urgente petiit mutuatarius mutuum, quod sine usuris concedi deberet, & ipse tantum promisit usuras ex malitia dantis: nam ad hoc jam determinatus supponitur, & ideo juramento, per solutionem usurarum adimpleto, potest mutuatarius eas repetere. *c.* 6. *de Jur. jurand.* Usurarius autem, cui factum est tale juramentum, potest cogi, ut juramentum remittat, si nondum usuræ solutæ sint, vel ut eas restituat, si jam solutæ erant: in utroque enim foro usuras restituere tenetur. *c.* 5. *c.* 13. *h. t.* quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. *c.* 4. *de Reg. jur. in* 6. Usurarius enim tanquam fur, & raptor habetur. *c.* 10. 14. *q.* 4. Si usurarius contra usurarium agat, & reus hanc opponat exceptionem in foro externo actor non auditur, quosque usuras restituat. *c.* 14. *h. t.* Nam frustra legis auxilium invocat, qui committit in Legem. *c.* 17. *h. t.* vel donec se ab hoc crimine purgaverit: vel si solvendo non sit saltem de eis solvendis cautionem idoneam pignoribus, vel fidejussoribus præstet. Si mutuatarius juravit, non repetere usuras, adhuc usurarius compellendus est eas restituere. *c.* 13. *h. t.* Nam licèt mutuatarius, juramento obstante, non possit eas repetere, potest tamen eas accipere si restituantur. Quando usuræ sunt solutæ in pecunia, si usurarius aliquid emat tali pecunia, vel aliter negotiando lucretur, licèt semper obligetur ad pecuniæ restitutionem, & lucri cessantis, & damni emergentis, non tamen ad rei sic emptæ, vel adquisitæ restitutionem. Siquidem Dominus illius fit, nisi fortè non habeat aliundè undè restituerè possit. *c.* 5. *h. t.* quia talis res empta, vel acquisita non est fructus pecuniæ, quæ ex se sterilis est, sed negotiationis, & industriæ usurarii. Sicut Depositarius fit Dominus rei emptæ pecunia deposita *L.* 6. *C. de Rei vindicat.* Imò, & fur fit Dominus rei furtiva pecunia adquisitæ *L.* 48. §. *fin. ff. de Furtis.* Quando verò res usuraria non est pecunia, sed alia res frugifera, fructus ex ea percepti mutuatario, utpote rei Domino adquiruntur §. 35. *Inst. de Rer. division.* Si res usuraria vendatur mala fide ex parte emptoris, qui sciat alienam esse, contractus esset irritus, ac proindè usurarius pretium rei non adquiret. Si tamen emptor bonam fidem habeat, usurarius adqui-

quirit dominium pretii pro re vendita accepit: tenetur tamen emptori ad evictionem. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 78. *art.* 3. *Cov. var.* 3. *cap.* 3. *Molin. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 327. *Less. eod. lib.* 2. *cap.* 20. *& n.* 161.

239 Cum usuræ Jure Naturali, & Divino sint prohibitæ etiam Judæi, & alii, qui Jure Ecclesiastico non ligantur, tenentur usuras, etiam in quantitate modica acceptas, restituere. *c.* 12. *h. t.* Nam quidquid ultra justum accipitur, licèt parvum sit in quantitate, potest dici gravis, & immoderata usura, ut dicitur in hoc sensu *in c.* 18. *h. t.* Item eorum testamenta nulla sunt: siquidem ipsi subjiciuntur Legibus temporalibus Principum, in quorum dominio sunt. *Covar. var.* 3. *cap.* 3. *n.* 9. *Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 334. *n.* 12. Hæredes usurariorum ad usurarum restitutionem, saltem juxta vires hereditarias; tenentur: quippè cum res usuraria non fuisset defuncti, nec hæredum potest esse. *c.* 9. *h. t.* Et quidem si hæredes fecerunt inventarium, non possunt nec in foro conscientiæ, nec in foro externo, ultra vires hæreditarias obligari. *Sylvest.* V. *Usura*, 6. *q.* 10. *dict.* 4. *Azor p.* 3. *lib.* 5. *cap.* 18. *q.* 11. contra *Covar. var.* 3. *c.* 3. *n.* 7. Obligantur quidem juxta vires hereditarias, etiamsi res usuraria ad eos non pervenerit, nec hæres factus sit ditior, nec hæreditas sit aucta ratione rei usurariæ: sed quia cum representent defunctum, ejus conscientiam exonerarè tenentur. *c.* 5. *de Raptor.* Quando plures sunt hæredes si non sunt delicti participes non tenentur singuli in solidum: sed inter omnes pro rata dividitur obligatio restituendi usuras, sicut pro rata commodum hæreditatis dividitur: adeò ut uno tantùm manente, non teneatur in solidum, etiam aliis deficientibus, ut contra *Gloss. in c.* 9. *h. t.* V. *Cogendi. Navar. in Man. cap.* 17. *n.* 278. tenent *Sylv.* V. *Usura*, 6. *q.* 10. *dict.* 2. *Less. de Just. & jur. lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 175. *Molin. eod. tr.* 2. *D.* 332. *n.* 4. Si tamen res in specie apud aliquem extet, ille eam restituet, nam res ubicumque est pro suo Domino clamat: ipse tamen potest petere, ut à suis cohæredibus pro rata ipsi satisfiat. *Molin. de Just. tract.* 2. *D.* 332. *n.* 4. Tertius ille ad quem res usuraria pervenit quocumque titulo, si hæc extet, eam tenentur restituere: nam res ut diximus, ubicumque sit pro suo Domino clamat. Si usurarius res propria alicui donavit, vel alio titulo lucrativo alienavit, sciens, se hoc modo reddi impotentem ad usuras restituendas, tunc donatarius, vel alius, qui eas accepit, tenetur in utroque foro accepta, si extent, restituere, vel si bona fide consumpsit, quatenùs est factus ditior: modo, hæc petantur à creditoribus intra annum à die scientiæ factæ alienationis in ipsorum fraudem *Molin. de Just. & jur. tract.* 2. *D.* 329. Bona verò usurarii, quæ ad alium titulo oneroso, vel lucrativo, & quidem particulari emptionis, vel donationis pervenerunt bona fide, quin accipiens sciret, ex hoc usurarium fieri impotentem ad solvendas usuras etiamsi talia bona essent adquisita ex pecunia usuraria, non sunt restituenda mutuatario: siquidem usurari bona non sunt pro usuris tacitè hypotheca, neque ex natura rei, nec Jure Civili, vel Canonico. *Sylv.* V. *Usura*, 6. *q.* 5. *Covar. Var.* 3. *cap.* 3. *n.* 6. *Less. de Just. lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 167. *Molin. eod. tr.* 2. *D.* 329. *n.* 6. Bona autem, quæ usurarius habet in sua potestate obnoxia sunt restitutione, non ratione hypothecæ, sed actione personali, quæ in alium, nisi hæres sit non transit *c.* 9. *h. t.*

240 Cooperantes ex parte mutuantis, ad exigendas usuras, quando sunt illarum causa efficax peccant, & ad restitutionem tenentur, saltem, si usurarius restituere nequeat, vel nollit. Sic tenentur Princeps, Magistratus, Advocati, tutores, procuratores, consulentes, vel alitèr efficacitèr cooperantes: quia cum sint causa injusta damni illati, ad ejus reparationem tenentur. Qui verò ex parte mutuatarii cooperantur, nec peccant, nisi fortè ratione scandali, nec ad restitutionem usurarum tenentur ut famuli pecuniam pro usuris destinatam numerantes, vel qui pecuniam sub usuris in obsequium mutuatari procurant, dum non suadeant mutuanti, ut eam sub usuris det. *Less. de Just. & jur. lib.* 2. *c.* 20. *ex n.* 178. *Molin. eod. tr.* 2. *D.* 331. *& alii.* Usurarius ergò debet restituere omne lucrum, quod suprà sortem accepit ratione mutui, & non ex alio justo titulo, ut damni emergentis, vel lucri cessantis, &c. Et si res usuris data est fructifera, etiam fructus percepti ab usurario restituuntur, etamsi à Domino, ob negligentiam, vel ob casum fortuitum, non fuissent percepti. *Azor Inst. p.* 3. *lib.* 5. *cap.* 15. Sed sunt restituendi, deductis impensis in perceptione, & conservatione fructuum factis: non tamen restituuntur qui percipi potuerunt, si in

effectu non sunt percepti. Debet denique usurarius restituere omne damnum obveniens, imò, & lucrum cessans, si fortè Dominus, ut usuras solveret, aliquam jacturam est passus.

241 Hæc usurarum restitutio mutuatario per illas læso debet fieri, vel post obitum ejus, ipsius hæredibus, sive ex testamento, sive ab intestato. Si hæredes non extent, vel ignorentur, tunc quidem aliis pauperibus, Ecclesiis, vel aliis causis piis debet fieri restitutio. *c.* 4. 14. *q.* 5. *c.* 5. *h. t.* Etiam pauperibus possunt restitui, quando licèt sciatur quisnam læsus est, non possunt ad eum miti: *arg. c.* 16. *de Judæis.* In nostra Hispania potest fieri compositio virtute Cruciatæ de illicitè adquisitis per usuras, ut ex Bulla ipsa constat. Usurarius, qui inopiam patitur non potest obligari, ad usuras restituendas. *c.* 5. *h. t. Quia inanis est actio, quam inopia debitoris excludit. c.* 16. *de Restitut. spoliat.* quousque ad pinguiorem fortunam deveniat; *arg. C. Oduardus*, 3. *de Solution.* potest etiam creditor hanc obligationem usurario remittere totalitèr, cum sit suæ rei moderator, & arbiter. *L.* 21. *C. Mandat.* Et à fortiori consentire in cautionem, quam usurarius pignoribus, vel fidejussoribus præstet: nam sic satisfactum censetur. Si usurarius velit uti beneficio cessionis bonorum, tunc reliquenda sunt ipsi alimenta, ne egeat, & expressari debet, quousque habeat, undè solvendo.

242 Ultra restitutionem variis pœnis usurarii puniuntur, quæ sunt sequentes. 1. enim usurarii fiunt infames. C. 11. *de Excess. Prælator.* ac Proindè irregulares, nec valent ad ordines promoveri *c.* 8. *D.* 46. nec ad beneficia, vel officia Ecclesiastica. *c.* 11. *de Excess. Prælat.* quod si Clerici sint, suspendunt: & si adhuc in crimine persistant, omninò à beneficio, & officio Ecclesiastico obtento deponuntur. *c.* 7. *h. t.* Si pœniteant, & restituant usuras, potest Episcopus dispensare cum tali Clerico, ut possit beneficia obtenta retinere, & obtinere alia, non tamen potest recuperare ea, quibus privatus est, si alii jam sint collata. *c.* 4. §. *de Adulteriis, de Judiciis.* Si Laici sint, excommunicantur, imò hodie excommunicationem ipso facto incurrunt. *c.* 1. *h. t. in 6.* Usurariis negatur Sacramentalis absolutio, & Sacramentum Eucharistiæ, nec eorum oblationes admittuntur, præsertim, quæ intra Missarum solemnia fiunt, & in morte sepultura Ecclestastica denegatur ipsis, nisi usuras restituant, vel saltem de restituendo caveant. *c.* 3. *h. t. c.* 2. *eod. in 6. l.* 9. *tit.* 13. *p.* 1. ipsoque facto excommunicatur Clericus illos ad sepulturam Ecclesiasticam admittens, nec ab excommunicatione absolvitur, quosque arbitrio Episcopi satisfaciat. *Clem.* 1. *de Sepult. Greg. Lop. in l.* 9. *tit.* 13. *p.* 1. V. *Manifiestamente.*

243 Item usurarii non possunt facere testamentum, nec aliam ultimam voluntatem, nisi restituant usuras, vel cautionem de eis restituendis præstent. Nec ulli licet eorum testamentis conficiendis interesse: quod si testamentum faciant, & adhuc impœnitentes in restituendis usuris sint, testamentum est irritum. *c.* 2. *h. t. in 6.* Etiam si talis usurarius desisset usuras exercere. Nam dum non restituit, vel de restituendo cavet, testamentum est nullum. *Covar.* 3. *Var. c.* 3. *n.* 9. Si dedit signa pœnitentiæ, & decessit, nec restituit, nec de restituendo cavit: quamvis quoad relicta profana testamentum sit nullum, sustineri tamen ex æquitate, quoad relicta ad pias causas, tenent *Sylv.* V. *Usura*, 9. *q.* 7. *Covar.* 3. *Var. cap.* 3. *Mol. de Just. & jur. tr.* 2. *D.* 334. *n.* 11. *Lug. eod. D.* 24. *sect.* 4. *n.* 70. *Vazq. Opusc. de Testament. cap.* 9. §. 1. *dub.* 8. *n.* 32. Si tamen potest testamentum nullitèr conditum, restituant, vel cautionem præstant usurarii, tale testamentum convalescit, non præcissè tractu temporis *L.* 210. *ff. de. Regul. jur.* sed quasi confirmetur nova voluntate, quæ deambulatoria est usque ad mortem. Sic alienatio á minori nullitèr facta, judicis Decreto superveniente, majori ætate confirmatur, si minor eam ratam habeat *L.* 2. *C. Si major fact.* quod à fortiori in testamento tenendum est ob causæ favorem. *C. fin. de Sent. & re judic. Cov. Var.* 3. *cap.* 3. *n.* 9. *Lug. de Just. D.* 24. *sect.* 4. *n.* 71. Has pœnas incurrunt usurarii: sed quidem manifesti tantùm. *c.* 15. *h. t. Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 334. *n.* 5. *Castrop. tr.* 30. *D.* 4. *p.* 30. *n.* 16. *L.* 9. *tit.* 13. *p.* 1. ibi: *Usurero siendo alguno manifiestamente en su vida.* Debet tamen præcedere sententia Judicis declaratoria, quod ille sit usurarius manifestus, vel notorias; *arg. c.* 19. *de Hæretic. in 6.* Præter has pœnas potest Judex alias suo arbitrio infligere, præcipuè pecuniarias, ut ipsi, in quo peccant, puniantur. Vel etiam Carceris, relegationis, vel fustigationis *Menoch. de Arbitr. cas.* 398. In nostra Hispania sic puniuntur usurarii. *In L. fin. tit.* 6. *lib.* 8.

R.

R. C. Mandamos, que qualquier Christiano, que diere à usuras, ò hiciere qualesquier contratos en fraude de usura, que caya en las penas, que en las dichas Leyes, y Ordenanzas son contenidas: de las quales la suerte principal sea para la parte contra quien se exercitaren las usuras, y de las penas la mitad sea para la Camara ::: y demàs que el tal Usurario, ò logrero quede, y sinque inhabil, è infame perpetuamente.

244 De usurarum crimine contra Laicum cognoscere potest Judex Ecclesiasticus. *c.* 2. *c.* 7. *h. t.* Vel etiam Laicus, *c.* 12. *eod.* ad preventionem cum delictum sit mixti fori: & non solum quando quæstio facti vertitur, sed etiam, quando quæstio est de jure, v. g. An hic contractus sit usurarius vel non? Siquidem utroque jure vindicatur hoc delictum, & ab utroque Judice, teste praxi, punitur. Nec usura plus spiritualitatis habet, quam homicidium, & alia crimina justitiæ: & Juri Naturali repugnantia. *Sylv.* V. *Usur.* 9. *Covar. Var.* 3. *cap.* 3. *n.* 1. *Farinac. Prax. Crimin. q.* 8. *n.* 140. *Menoch. de Arbitr. cas.* 398. *Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 333. *Gonzal. in c.* 3. *h. t. n.* 11. contra *Glos. in c.* 8. *de Foro comp.* V. *Malefactores. Clar.* V. *Usura*, *n.* 8. *Azor*, *& alios*, qui ad Ecclesiasticum privativè pertinere, tenent. Quando verò statuendum est perpetua, & Legali Sanctione, an aliquis contractus usurarius, injustus, vel peccaminosus fit, hoc ad solum Rom. Pontificem spectat. Nam ipsi tantum est concessum à Christo D. declarare doctrinam ad fidelium mores spectantem juxta illud Christi D. *Pasce oves meas. Joan. c. fin. v.* 17. Aliquem esse manifestum usurarium, probatur per facti evidentiam, si aliis frequenter mutuum sub usuris dedit, vel si publicè eas exercuit. Et sufficit unus actus. Etiam probatur per evidentiam juris, si usurarius est condemnatus, judicialiter confessus, vel legitimè convictus, vel per confessionem extrajudicialem usurarii coram Notario, vel duobus testibus factam, vel per duos, vel tres testes (non quidem de fama deponentes) sed qui testentur, illum vidisse sæpius mutuum sub usuris dare: vel per conjecturas vehementes, & indicia evidentia, quæ cum delicto moralem connexionem habeant. *c.* 15. *h. t.* Denique ex libris rationum, qui licèt non pro ipsis, contra ipsos scribentes probant. *L.* 5. *l.* 6. *l.* 7. *C. de Probat.* ad quos exhibendos possunt per censuram cogi. *Clem. un.* §. *Ceterum*, *h. t.* imò, & vi adhibita frangendoque arcam, extrahi possunt. De quibus latius *Sylv.* V. *Usura*, 9. *Covar. Var.* 3. *cap.* 3. *Menoch. de Arbitr. cas.* 235. *Azor*, *p.* 3. *lib.* 5. *c.* 19. Usurarius manifestus condemnatus, ut usuras restituat, non auditur, si appellet. *c.* 11. *h. t.* Sicut nec alii notorii criminosi à condemnatione criminis appellantes audiuntur. *c.* 5. §. *fin. de Appellat.* nisi appellatio ex justa causa interponatur, v. g. si reus neget, se usuras recepisse: quia defensio naturalis, qualis est appellatio, nulli denegatur. *c.* 59. *de Appellat. c.* 11. *de Excessib. Prælat.*

TIT. XX.

De Crimine Falsi.

245 *Falsum*, aliquando dicitur, quidquid verum non est, etiam si fraus, vel dolus non commitatur. *L.* 13. §. *ff. de Rebus dub.* Aliquando insuper addit dolum, etiam sine alterius præjudicio, & tunc coincidit cum mendacio. *L.* 20. *ff. ad Leg. Cornel. de Fals.* Sed in præsenti falsum tria complectitur: 1. Immutationem veritatis. 2. Dolum committentis falsum. *L.* 20. *C. ad Leg. Cornel. de Fals.* 3. Quod talis immutatio afferat damnum tertio, vel saltim, quod ex se possit afferre; licèt fortè impediatur. *L.* 6. *l.* 8. *C. ad Leg. Cornel. de Fals.* Hinc falsum definitur *Fraudulosa immutatio veritatis in alterius præjudicium facta. L.* 1. *tit.* 7. *p.* 7. ibi: *Falsedad es mudamiento de la verdad.* Falsum est grave crimen, & publicum, de quo quilibet de populo, etiam si nihil ipsius intersit, potest accussare: & quidem usque ad 20. annos accusatio fieri valet. *L.* 5. *tit.* 7. *p.* 7. estque crimen exceptum, quod non venit in generali dispositione, vel remissione: Nec falsarius liberatur à carcere, ut alii rei ob publicam lætitiam. *Menoch. de Arbitr. cas.* 306. *n.* 11. *Aceved. in l.* 3. *tit.* 17. *lib.* 8. *R. C. n.* 2. Et sanè pluribus, & variis modis falsi crimen committitur. *L.* 1. *tit.* 7. *p.* 7. ibi: *E puede facer la falsedad en muchas maneras. L.* 1. *& sequentib. ff. ad Leg. Cornel. de Fals.* falsum igitur committitur. 1. facto ipso. 2. verbo, & dicto. 3. scripto.

246 *Facto* ipso quis falsi crimen committit. 1. Quando admiscet mercibus materiam adulterinam: & arbitrariè punitur. Item Medici, vel Pharmacopolæ, qui

qui loco unius medicamenti aliud apponunt. *L. 4. tit. 7. p. 7.* 2. Qui eamdem rem duobus vendit diversis contractibus. *L. 21. ff. ad Leg. Cornel. de Fals.* & de Jure Hispano venditor primo emptori rem, secundo pretium restituet, & ipse ad tempus relegabitur. *L. 7. tit. 7. p. 7.* qui verò rem oppignoratam alteri oppignorat, vel vendit, cum non sufficiat ad utrumque debitum, committit stelionatum, non tamen crimen falsi, nisi falsum dicat, v. g. non esse rem alteri oppignoratam. 3. Qui terminos agrorum dolosè mutat, & hic quidem arbitrariè punitur *L. 8. tit. 7. p. 7.* 4. Qui corrumpit pondera, & mensuras publicè probatas. Et hic Insulam relegabatur. *L. 32. §. 1. ff. ad Leg. Cornel. de Fals.* Jure tamen Canonico punitur 30. dierum pœnitentia in pane, & aqua. *c. 2. de Empt.* De Jure Hispano, qui falsis ponderibus, vel mensuris utitur emendo, aut vendendo restituet damna duplicata, & in Insulam relegatur ad tempus, Regis arbitrio, & pondera, & mensuræ frangi debent coram damnificantium januis. *L. 7. tit. 7. p. 7.* Hodie tamen pœna relegationis ad pœnam arbitrariam reducitur. *Aceved. in l. 2. tit. 13. lib. 5. R. C.* In quo titulo latè agitur de ponderibus, & mensuris, quibus in Hispania uti debemus. *Hevia 2. p. Cur. Philip. lib. 1. cap. 7. & 9.* 5. Qui alienum partum alicui in alterius præjudicium supponit. *L. 3. tit. 7. p. 7.* Cujus pœna olim erat capitalis. *L. 1. C. ad Leg. Cornel. de Fals.* Hodie erit fustigatio. *Menoch. de Arbitr. cas. 306. 6.* Etiam si per Alchimiam verum aurum confici absolutè posset, ut tenent *Alb. Magn. L. 3. de Mineral. cap. 9. Martin Delrio, lib. 1. Disquis. Mag. cap. 5. q. 1.* quod negant *D. Thom. in 2. D. 7. q. 3. art. 1. ad 5.* tamen severè prohibitum est *à Joan. XXII.* tali auro uti, & ex eo monetam cudere. Et Laici Alchimia utentes fiunt infames, & regulariter pœna arbitraria puniuntur. Clerici beneficiis habitis privantur, & ad alia habenda inhabiles efficiuntur. Et dat rationem Pontif. *In Extr. un. h. t. inter commun. Spondent, quas non exhibent. divitias, pauperes Alchimistæ ::: iidemque verbis disimulant falsitatem, ut tandem, quod non est in rerum natura, esse verum aurum, vel argentum sophistica transmutatione confingant. L. 9. tit. 7. p. 7.* Ubi arbitrio Regis jubet punire Alchimistas, ibi: *O que ficiessen alquimia, engañando los omes en facerles creer lo que non puede ser segun natura.* 7. Qui corrumpit dolo malo edicta proposita. *L. 32. ff. ad Leg. Cornel. de Fals.* qui falso diplomate vias commeant *L. 27. §. fin. ff. eod.* qui dolosè alegant authoritates, Constitutiones, vel Leges falsas, vel jam abrogatas. *Leg. fin. ff. eod. l. 1. tit. 7. p. 7.* qui nomen, cognomen, genus, parentes, familiam dolosè mutat in alterius præjudicium. *L. 13. ff. ad Leg. Cornel. de Fals. l. 2. tit. 7. p. 7.* qui alienæ familiæ insignibus utitur. *L. 27. §. fin. ff. ad Leg. Cornel. de Fals.* Non tamen prohibetur, quod quis sine fraude, vel alterius præjudicio mutet nomen. *L. un. C. de Mutat. nomin. Menoch. de Arbitr. cas. 318. n. 2. Gonzal. in c. 3. h. t. n. 5.* In nostra Hispania, qui fingit sibi alienum nomen, quando merces manifestat apud Ministros Regios, morte punitur, & ipse Tabellio, si fortè ad hoc malitiosè concurrat. *L. 14. tit. 18. lib. 6. R. C.* Qui falso sibi aliquos honores, vel titulos attribuit in aliorum præjudicium: v. g. si se fingat Doctorem, Advocatum, Nobilem, vel Sacerdotem. *L. 2. tit. 7. p. 7.*

247 Denique, & precipuè grave falsi crimen committit, qui monetam falsificat, vel cudendo ex materia adulterina, vel admiscendo veræ materiæ aliam inferioris valoris: v. g. Si monetæ auri, vel argenti materia cupri, plumbi, vel stanni adjungatur: vel etiam minuendo justum pondus monetæ jam casæ: vel radendo, tondendo, vel scindendo monetam. *L. 8. ff. ad Leg. Cornel. de Fals.* Etiam si his modis moneta ad justum pondus reducatur: vel ipsam tingendo, ut tecto cupro, appareat aurea: vel monetam adulterinam dolosè expendendo: vel etiam monetam justi ponderis, & veræ materiæ cudendo: Nam monetam cudere inter Regalia numeratur. *L. 2. c. de Fals. monet. l. 9. tit. 7. p. 7.* ibi: *Non ha poderio de la mandar facer algun ome, si non Emperador, ò Rey.* Et cum in Jure Canonico nulla certa pœna in falsarios monetæ sit statuta, arbitraria imponenda est: quæ usque ad depositionem potest pervenire; *arg. c. 3. h. t.* Nam excommunicatio reservata *in Extr. un. h. t. Joan. XXII.* est pœna specialis pro Regno Galliæ. Qui numos falsa fusione, id est, ex materia adulterina formaverit, flammarum exustionibus mancipatur. *L. 2. C. de Fals. monet.* Eadem pœna tenentur cooperantes, v. g. qui concedit domum, stat in excubis, vel alitèr promovet. *L. 1. & 2. C. de Fals. monet. l. 1. tit. 7. p. 7.* ibi: *Qualquiera que diesse ayuda, ò*

con-

consejo porque sea fecha falsedad en alguna de estas maneras sobredichas, ò en otras semejantes, face falsedad, è merece pena de falso. In nostra Hispania monetam falsans cumburiunt. *L. 9. tit. 7. p. 7.* ibi: *Mandamos, que qualquier que ficiere falsa moneda de oro, ò de plata, ò de otro metal qualquier, que sea quemado por ello, de manera, que muera.* Idem dicit de dantibus consilium, vel auxilium. Huc etiam potest reduci crimen illorum, qui epistolas, vel litteras alicujus privati desigillant, & aperiunt: quorum pœna est arbitraria. Si verò publicas litteras alicujus Magistratus sigillo publico munitas quis aperiat, gravius punitur. Pro Indiis habetur in *L. 7. tit. 16. lib. 3. R. Indiar.* quod aperientes Epistolas ad Regem Missas ex Indiis perpetuo exilio ab his Provinciis plectantur, & perpetua Officiorum privatione. Quod si viles sint, fustigantur, & in triremes mittuntur. Et addit Lex: *Y que los Virreyes tengan particular cuidado de executarlo, y por ningun caso, que no sea de manifiesta sospecha de ofensa de Dios Nuestro Señor, ò peligro de la tierra, no abran, ni detengan las Cartas, ni Despachos. Solorz. Politic. Ind. lib. 2. cap. 14. in fin.* Possunt tamen sine injuria alterius litteræ aperiri jure belli, vel ad propriam, & justam defensionem, vel ad vitandum peccatum, vel à Superiori, præcipuè, quando huic juri cessum est à partibus, ut sit in societate. *Sylv.* V. *Falsarius, q. 1. Molin. de Just. tr. 4. D. 36. Laym. lib. 3. tr. 3. p. 1. c. 4.*

248 *Verb.* falsum committit 1. testis, qui dolose in judicio falsum testimonium dicit, vel qui veritatem, quam declarare oportebat, occultat. *c. 1. h. t. l. 16. ff. de Testib. l. 1. tit. 7. p. 7.* v. g. Si rogatus de certo articulo dicit, se nihil scire, vel non recordari: vel æquivocè loquitur, ita ut veritas non detegatur. Etiam falsi crimen committit, qui falsi testis depositione utitur, vel qui illum ad falsum dicendum, vel verum occultandum, pretio corrumpit, vel subornat. *L. 1. tit. 7. p. 7.* In Lege enim Veteri pœna talionis erat imposita falso testi: qui proindè subibat pœnam, quam acusatus, probato crimine, pateretur. *Deut. 19. & fin.* ibi: *Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente exiges.* De Jure Canonico testis falsus, etiam non juratus, si dolose circa substantialia causæ falsum dixit, vel ocultavit verum, & quidem in tertii præjudicium, fit infamis. *c. 9. 3. q. 5.* & si Clericus sit debet deponi, & ad pœnitentiam agendam in Monasterium detruendus est. *c. 7. D. 50.* vel condemnandus est ad carcerem, seu triremes. Si tantum circa accidentalia falsum dixit, vel sine tertii præjudicio pœna est arbitraria. *Clar. §. Falsum, n. 9. Diaz Pract. Crim. Canon. cap. 97.* Ut tamen pœna ordinaria testi infligatur, debet testis directè de hoc crimine accusari, & convinci, vel in jure illud confiteri. Nam si est opposita tantum civiliter per exceptionem falsitas, etiam ea probata, nullam pœnam, nec infamiam testis icurrit; sed tantum à testimonio dicendo repellitur. *Diaz Pract. Crimin. Canon. cap. 97. n. 1.* Hodie Jure civili, derogatis per Legem, vel consuetudinem contrariam pœnis antiquis *in §. 7. Inst. de Public. Judic.* ibi: *Ejusque Legis* (Corneliæ de Falsis) *pœna in servos ultimum supplicium est* (*quod etiam in Lege de Sicariis, & veneficis servatur*) *in liberos verò deportatio.* Falso testi imponitur pœna arbitraria: ac proindè pro casuum varietate potest esse pecuniaria, vel corporalis, etiam & capitalis. *L. 22. C. ad Leg. Cornel. de fals. Clar. §. Falsum, n. 5. & 31.* In nostra Hispania olim quinta pars dentium extrahebatur testi falso, sed nunc ad triremes per decem annos damnatur, & publicæ ignominiæ exponitur. *L. fin. tit. 17. lib. 8. R. C.* Si tamen reo erat imponenda pœna capitalis, testis falsus morte punitur. *L. 4. tit. 17. lib. 8. R. C. Gonzal. in c. 1. h. t. n. 5.* Testis falsum deponens potest puniri à Judice coram quo deponit, licèt alias, non esset de ejus jurisdictione. *L. 14. C. de Testibus.* Dum testis non sit Clericus, qui coram Laico Judice deponant: Nam tunc Judex solùm cognoscit civiliter de falsitate ad repellendum Clerici testimonium, non tamen criminalitèr ad eum puniendum. Judex falsi crimen committit quando odio, precibus, donis, vel gratia corruptus, ex malitia dolosè injustam sententiam contra jus, & propriam conscientiam profert. *L. 1. §. 3. ff. ad Leg. Cornel. de Fals. l. 1. tit. 7. p. 7.* De Jure Canonico talis Judex incurrit suspensionem à Divinis, & si his se inhesserit, durante suspensione, fit irregularis. *c. 1. de Sent. & re jud. in 6.* de Jure Civili olim exilio, vel capite plectebatur ex Lege Repetundarum. *L. 7. §. fin. ff. ad Leg. Jul. Repet.* Hodie pœna arbitraria exilii, confiscationis, amissionis officii, & etiam mortis punitur. *Menoch. de Arbitr. cas. 342. n. 7.* ferè idem est in nostra His-

Hispania *L. 52. tit. 14. l. 24. tit. 22. p. 3. lib. 5. tit. 9. lib. 3. R. C. Pichardo in princ. Inst. de obligat. quæ ex quasi delict. n. 16.* Advocatus falsi crimen committit, si partem contrariam juvat, & suam vinci patitur, vel prodita causa sui clientis, vel proprias probationes omittendo, & admittendo probationes, & exceptiones falsas contrarii. *L. 1. tit. 7. p. 7.* Olim talis S. C. Turpillano puniebatur. *L. 1. ff. ad. S. C. Turpil.* Hodie verò pœna arbitraria, vel carceris, vel mulctæ pecuniariæ, vel fustigationis punitur. *L. 1. ff. de Prævaricat.*

249 Denique falsi crimen *scripto* committitur circa testamenta: nam ut ait *Justin. in §. 7. Inst. de public. Judic. Item Lex Cornelia de Falsis, quæ etiam testamentaria vocatur, pœnam irrogat ei, qui testamentum, vel aliud instrumentum falsum scripserit, signaverit, recitaverit subjecerit, vel signum adulterinum fecerit, sculpserit, expresserit sciens dolo malo, l. 1. tit. 7. p. 7.* vel qui sibi tali instrumento legatum, vel fideicommissum falso adscribit: qui alienum Chirographum, manum, vel sigillum imitatur: vel qui in sui favorem, & alterius detrimentum debitum, vel quid simile scribit, vel nomen alienum assumit, vel proprium supprimit, vel mutat in præjuditium tertii: qui testamentum, vel aliud instrumentum vitiat, lacerat, supprimit, vel in parte substantiali, & considerabili radit, vel immutat. *L. 1. cum seqq. ff. ad Leg. Cornel. de Fals.* Etiam falsum committit, qui corrumpit edicta Magistratus. Et præcipuè, qui litteras Apostolicas falsificat: si litteras falsas conficiat, vel confectis sigilla falsa, vel etiam vera apponit, sine consensu tamen ejus, ad quem spectat. Vel si in litteris veris aliquid radatur, vel abluatur, tollatur, vel addatur in parte notabili non quidem secundum quantitatem, sed secundum sensum, etiam si immutatio fiat in una littera, vel puncto. Vel si aliter corrumpatur, ita ut sensus earum immutetur. Si verò ex rasura sensus non immutetur radens à falsari pœnis omninò liberatur. Et ideò in Bulla Cœnæ nunc omittitur clausula, quæ ante *Clement. VIII.* solebat inseri: *Excommunicamus eos, qui mutant punctum, aut litteram.* Deindè *in c. 5. & fin. h. t.* continentur plures modi litteras falsificandi, qui hoc versu continentur. *Forma, stylus, filum, membrana, litura, sigillum.* Et quidem falsi crimen committit, qui rescripta justitiæ, vel gratiæ immutat, etiam si levè, vel nullum damnum inferat parti, vel fisco: quippè falsificatio prohibetur non tàm propter damnum, quod sequitur, quàm propter contemptum, & injuriam, quæ Pontifici fit. Ille verò, qui corrigit Litteras Apostolicas juxta mentem Papæ, v. g. si dispensatio in affinitatis impedimento petatur, & errore Notarii Litteræ in consanguinitate dispensent, & corrigat dispensationem in affinitate non, non potest dici falsarius: cum talis immutatio sit justa concedentis intentionem, & nihil ponat falsum, imò veras Litteras reddat: debet tamen caveri, ne correctio fiat propria, sed Notarii, vel Officialium Curiæ authoritate. *Suarez de Cens. D. 21. n. 47.* qui docet id non licere privatis: quod si fiat talis mutatio validæ erunt Litteræ, & sæpè ob bonam fidem talis mutatio à culpa, & censura excusabitur. Si racio fiat in curia ab Officialibus, etiam si in loco suspecto sit, non reddit Litteras falsas: debet tamen fieri mentio de correctione facta. Nomine autem Litterarum Apostolicarum intelliguntur Bullæ, Brevia, & Rescripta ipsius Pontificis, sive gratiæ, sive justitiæ: item supplicationes oblatæ Pontifici, & ab eo signatæ, vel à Vice-Cancellario, aut alio de Pontificis mandato. Non tamen Litteræ Episcoporum, vel inferiorum; imo nec Legati à Latere, vel Nuntii missí à Papa, vel Congregationis Cardinalium, Pœnitentiariæ, Datarii, &c. *Navar. in Man. cap. 27. n. 62. Suarez de Cens. D. 21. sect. 2. n. 42.*

250 Falsificantes etiam occulti, & etiam unica tantum vice falsantes Litteras Apostolicas, excommunicationem Papæ reservatam incurrunt. *c. 7. h. t.* & in *Bullæ Cœnæ, Can. 6.* fautores, & defensores illorum excommunicationem, quamvis non reservatam, ipso facto incurrunt *c. 7. h. t. & ibid. Barbos. n. 4. Suar. de Censur. D. 21. sect. 2. n. 48.* Si sint Clerici perpetuò privantur omni officio, & beneficio Ecclesiastico, & si dictas litteras falsificant per se ipsos (secus si per alium) degradantur, & debent tradi Curiæ Sæculari, ut juxta ejus leges puniantur. *c. 7. h. t.* & consequenter pœna capitali. *L. 22. C. ad Leg. Cornel. de Fals.* Clerici vero falsantes Principis Sæcularis Litteras non incurrunt has pœnas impositas falsantibus Pontificis Litteras. *c. 7. h. t.* ac proindè non traduntur Curiæ Seculari: sed deponuntur, notantur stigmate, vel caractere,

&

& in exilium mittuntur, *cap.* 3. *h. t.* Laici, qui scienter impetrant litteras falsas, vel eis utuntur ipso facto excommunicantur. Clerici officiis, & beneficiis privandi sunt, *cap.* 7. *h. t.* Imò, etiamsi illis non utantur, si intra 20. dies litteras falsas, quas scienter habent, non destruant, aut resignent, per sententiam excommunicatur, sed postquam lata est, Papæ reservatur, *cap.* 4. *h. t. Gonz. in cap.* 3. *h. t. ex n.* 3. *Barbos. in cap.* 7. *eod.* Episcopi, & alii Prælati superiores falsantes Litteras Apostolicas incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ, quæ fertur generaliter in omnes. *Suar. de Cens. D.* 21. *sect.* 2. *n.* 44. non verò comprehenduntur aliis pœnis: tùm, quia non fit de iis specialis mentio, *cap.* 4. *de Sentent. excomm. in* 6. tùm quia privari nequeunt sine mandato Papæ, *cap.* 9. 3. *q.* 6. De Jure Hispano circa falsarios sic disponitur in *L.* 6. *tit.* 7. *p.* 7. *Vencido seyendo alguno por juicio, ó conociendo sin premia, que habia fecho alguna de las falsedades, que diximos en las leyes ante de ésta, si fuere home libre, debe ser desterrado para siempre en alguna Isla, é si parientes hobiere de aquellos que suben, ó descienden por la linea aerecha fasta el tercero grado, deben heredar lo suyos mas si tales herederos non hobiese, estonce los bienes suyos deben ser de la Cámara ael Rey, sacando ende las debdas, que debia, é la dote, é las arras de su muger; é si fuere siervo, debe morir por ello; pero qualquier que falsa carta, ó Privilegio, ó Bula, ó moneda, ó Sello de Papa, ó de Rey, ó lo ficiere falsar á otro debe morir por ello. E si Escribano de algun Concejo ficiere carta falsa, cortenle la mano con que la escritió, é finque infamado para siempre.* Deindè, qui sigillum, vel chartam Regis falsat, vel alicujus Prælati, amittit medietatem bonorum, & fisco applicantur. *Leg.* 3. *tit.* 17. *lib.* 8 *R. C. & ibid. Acev. Vid. Pichard. in Manud. ad Prax. part.* 3. §. 4. V. *Falsi crimen.*

TIT. XXI.

De Sortilegiis.

251 SORS, à qua *sortilegium* dicitur; varias habet significationes: 1. Quidem sumitur pro *Capitali, seu prima pecunia*, quæ in societatem, vel contractum confertur, *cap.* 1. *cap.* 8. *de Usuris*: 2. *Pro genealogia, seu progenie*: 3. *Pro quadam fatali necessitate*, juxta illud *Virg. lib.* 3. *Æneid. Hic exitus illum sortè tulit*: 4. *Pro fortuna, seu statu alicujus*, juxta illud: *In manibus tuis sortes meæ.* Deniquè in præsenti sumitur, pro ut definitur *á D. Thom. opusc.* 25. *art.* 8. *&* 2. 2. *q.* 95. *Sors est inquisitio occulti excedentis humanam industriam per aliquid à nobis factum de rebus humanis ad nos pertinentibus.* Et hinc aliquando sumitur in malam partem, ut in præsenti sortilegium: quod quidem genericè sumptum comprehendit omnes superstitiones: quapropter aliquam earum notitiam in præsenti dabo. *Superstitio* ergo ex *Div. Thom.* 2. 2. *q.* 92. *art.* 1. *est vitium Religioni oppositum secundum excessum.* Et licet Deus non possit coli nimium, nec majori cultu, quam dignus est, potest dari excessus secundum circunstantias: nam, ut ait *Div. Thom. ubi suprà. Religio est virtus moralis, omnis autem virtus moralis in medio consistit, & ideò duplex vitium virtuti morali opponitur: unum quidem secundum excessum, aliud autem secundum defectum: contingit autem excedere virtutis medium, non solum secundum circunstantiam, quæ dicitur quantùm, sed etiam secundum alias circunstantias. Unde, & in aliquibus virtutibus, sicut in magnanimitate, & magnificentia, vitium exceait virtutis medium, non quia ad majus aliquid tendat quam virtus, sed fortè ad minus. Sic ergo superstitio est vitium Religioni oppositum secundum excessum, non quia plus exhibeat in cultum Divinum, quam vera Religio: sed quia exhibet cultum Divinum, vel cui non debet, vel eo modo quo non debet.* Superstitio est duplex: alia cultus indebiti, vel incongrui, qui Deo verò, sed modo indebito tribuitur, qui nimirum talis cultus sit falsus, vel superfluus, quatenùs sit contra, vel præter legem, seu consuetudinem Ecclesiæ. Alia est ratione rei, cui tribuitur cultus, quatenùs cultus Deo debitus tribuatur falso Deo, vel creaturæ. Et hæc subdividitur in *idololatriam, divinationem, vanam observantiam, & magiam. D. Thom.* 2. 2. *q.* 92. *art.* 2. *& qq. seqq.* Cultum falsum, ac proindè superstitiosum exhiberet qui nunc Deum coleret per cæremonias veteris legis; v. g. per circumcissionem, agni immolationem, &c. Hæ enim non solùm mortuæ, & abrogatæ sunt per adventum Christi, sed etiam sunt mortiferæ: significant enim, Christum nondum venisse, sed præfigurant venturum, *cap.* 3. *de Constit.* ibi: *Translato Sacerdotio, necesse est, ut legis translatio fiat.* Vel si fal-

sas reliquias, revelationes, miracula quis proponat, vel aliquam historiam in Scripturam fingit, inveniri: etiamsi bono fine hoc fiat, vel si laicus tamquam publicus Ecclesiæ Minister se gerat, sacrificando, absolvendo, &c. *Suar. de Religion. lib. 2. de Superst. cap. 2. Less. de Just. lib. 2. cap. 45. Sanch. in Decalog. lib. 2. capit. 37.* Cultum superfluum exhibet, qui ponit cæremonias, vel circunstantias, quæ nihil conducunt ad Dei gloriam, vel spiritum excitandum; v. g. si quis certum numerum candelarum in oratione, vel Missa adhibeat ad aliquem obtinendum finem: si ad Missam audiendam, quærat Sacerdotem, qui Joannes vocetur, vel qui staturam Christi habeat, vel si Missam, vel Officium celebret contra Rubricas, & consuetudinem Ecclesiæ; v. g. plures cruces efformando, vel Gloria, vel Credo addendo, quando in Rubricis non præscribitur. Nam licèt hæc ex devotione fiant, optima devotio est se consuetudini Ecclesiæ conformare: & debent hæc omnia tamquam superstitiosa prohiberi ab ordinariis, & Parochis. *Trid. sess. 22. in Decr. de Observ. & evitand. in celebrat. Miss.*

252 *Idololatria est, quando creaturæ tribuitur honor. sicut Deo. D. Thom. 2. 2. q. 94. art. 1.* Sivè fiat sacrificio, sivè genuflexione, suffitu, detectione capitis, vel quovis alio honoris signo. *Divinatio*, (sic dicta, quasi divinitatis æmulatio. *L. 1. tit. 23. p. 7.* ibi: *Adivinanza tanto quiere decir, como querer tomar el poder de Dios para saber las cosas que estan por venir*; quia eam exercentes divinitate plenos, se essent simulant, & ideò divini dicebantur) est significare res contingentes occultas liberè futuras, vel aliter incognoscibiles ex pacto cum Dæmone, vel explicito, quo scilicèt, expressè Dæmon invocatur, vel implicito, ut quando aliquod signum adhibetur pro cognitione rerum occultarum, quod ex se vanum est, nullamque cum rebus occultis habet connexionem naturalem, vel virtutem ad tales effectus, nec supernaturalem ex voluntate, & revelatione Dei, vel ex ordinatione, aut precibus Ecclesiæ, *cap. 1. 26. q. 3. D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 1.* Quando pactum explicitum intervenit, dicitur generaliter *Necromantia. L. 2. tit. 23. p. 7.* ibi: *Necromantia dicen en latin á un saber estraño, que es para encantar espíritus malos.* Hæc continet 1. *Necromantiam* in specie, quando nempè, videntur mortui, resurgere, & loqui: nam *Nicrum Græcè morluus*, *Mantia* verò *Divinatio* nuncupatur. Hac arte utebatur Pythonissa, à qua Saul petiit, quod excitaret Samuelem: 1. *Reg. 28.* quamvis non illius vi Samuel apparuerit: 2. *Divinationem* per Pythones, quando Dæmon per homines arreptitios loquitur: 3. *Præstigium*, quando Dæmon præstingit oculos superstitiosorum variis apparitionibus, & eos docet: 4. *Divinationem per somnia*, quando in somnis Dæmon loquitur: 5. *Geomantiam*, quando ipse docet per signa apparentia in corporibus terrestribus; v. g. lapide, vel ligno: 6. *Hydromantiam*, quando signa quibus loquitur, apparent in aqua: 7. *Aeromantium*: quando in aëre: 8. *Pyromantiam*, quando apparent in igne: 9. *Aruspicium*, quando signa, quibus Dæmon loquitur apparent in extis animalium, quæ ipsi sacrificantur. *L. 1. tit. 23. p. 7. D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 3.* Aliquando Dæmon loquitur per vocem in auribus illum invocantis formatam: quæ à nullo alio potest audiri. Aliquando format varia phantasmata in imaginatione, & hoc modo, juxta aliquos, loquitur cum sagis, quibus in phantasia repræsentat illos congressus, quibus interesse creduntur, cum revera, eas non evehat corporaliter ad talia loca. Et hoc probari videtur ex *cap. 12. 26. q. 5.* de cujus textus authoritate, & intelligentia latè agit. *Martin Delrio Disquis. Mag. lib. 5. sect. 16.* Tenendum tamen est, hujusmodi sagas sæpè evehi, & transferri corporaliter ad tales congressus: sicut Henoch, Elias, & S. Petrus ab Angelo bono, & Simon Magus, & alii ab Angelo malo de uno loco in alium verè, & realiter translati sint. Nec in *dict. cap. 12.* anathematizantur, qui hoc credunt; sed credentes Dianam, Deam esse, & Herodiadem, quæ nullibi est præter infernum, servitio evocari, & super bestias equitare. *Torrebl. de Jure spiritual. lib. 4. cap. 3. num. 73.* Et insuper Dæmom solet, se transformare in formam hirci, vel etiam hominis, sicut potest se in Angelum lucis transfigurare, ut facilius has mulierculas incautas decipiat. Divinatio, in qua pactum implicitum invenitur, continet: 1. *Augurium*; sic à garritu avium dictum, & fit, quando rei futuræ cognitio quæritur ex vocibus, animalium, vel sternutatione hominum: 2. *Auspicium*, quando ex volatu avium, aut aliorumvis animalium motu: 3. *Omen*, quando ex vocibus hominum præter intentionem

ab

ab homine pro latis. 4. *Genethliam*, quando ex situ, aut motu syderum. 5. *Onyrocriticum*, quando ex somnis. 6. *Metopscopiam*, quando ex fronte. 7. *Spatulamantiam*, quando ex signis spatulæ. 8. *Chromantiam*, quando ex manum, earumque linearum inspectatione, ut in nostra Hispania divinant Ægyptiaci, quos Gitanos dicimus: nam *Chiros manus* dicitur. 9. *Physiognomiam*, quando ex signis totius corporis humani cognitionem futuri eventus quærimus. De quibus in *c.* 1. 26. *q.* 3. *c.* 14. 26. *q.* 5. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 95. *art.* 3. *Vana observantia est superstitio, qua aliquis effectus procuratur*: v. g. sanitas, vel scientia medio aliquo improportionato, & non instituto à Deo. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 96. *art.* 1. & 2. & fit etiam per pactum cum Dœmone. Differt à divinatione, eo quod hæc ad cognitionem rerum occultarum ordinetur, vana verò observantia ad aliquem effectum externum.

253 *Magia, quæ est ars operandi mira*, alia est *naturalis*, *superstitiosa alia. Naturalis est, quæ per causas naturales aliquos effectus mirabiles producit.* De Magia naturali scripserunt. *P. Castrillo, Gaspar Schot. & alii*, quosdam tractatus satis curiosos. *Superstitiosa est, quando talia operantur ope Dœmonis*: ipsum invocando, vel expresse, vel tacitè per signa, quæ nullam connexionem naturalem habent cum effectu. Si ad nocendum alteri tendat, dicitur *maleficium*, vel *veneficium.* Aliquando fit ad amorem conciliandum, & dicitur *philtrum amatorium. Hispanè*: *Hechizos*, teste *Nebris.* Et aliquando ad odium excitandum. *L.* 2. *tit.* 23. *p.* 7. Et ut tales homines facilius specie pietatis decipiant, solent admiscere verba, vel signa sacra: v. g. verba consecrationis, symbolum fidei, & alia hujusmodi. Sed cum adhibeantur præter consuetudinem Ecclesiæ & sine conducentia ad finem intentum, pro superstitiosis habentur: v. g. quod signum crucis debeat formari characteribus ignotis, vel si adhibeantur verba peregrina, quorum significatio ignoretur. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 96. *art.* 1. & 4. & ideò orationes alias piisimæ damnatæ sunt ob pactum implicitum cum Dœmone quod suspicatur, si permixta habeant nomima incognita, ut sunt *Gob. Gaber. Gabir. Gadebru, &c. Carena de Offic. Inquisit. p.* 2. *tit.* 12. *n.* 55. Aliquando miscentur falsa, vel apochrypha: v. g. Christum habuisse febres, vel pasmum, &c. vel aliquæ vanæ circunstantiæ: v. g. quod Missa tot præcisse cereis debeat celebrari: quod imago alicujus sancti in flumen projiciatur: quod fœminæ carminatrices præces, & benedictiones applicent ad morbum depellendum: quod in tali die, quia infastus est, *Hispanè*: *Aciago*, negotium non tractetur, & millia hujusmodi, quæ omnia ex improportione mediorum cum fine clare esse superstitiosa indicant. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 96. *art.* 2. *Sanch. in Dec. l.* 2. *c.* 40. Latissimè de hoc scripserunt *Petrus Ciruelo, Martinus Delrio in Disquisition. Magic. & Franciscus Torreblanca de Magia, & de Jure spirit.* Ubi latè agunt de Lamiis, Veneficis, Marsis, & de Mulieribus, quæ carminibus, vel incantationibus curant, & pluribus aliis *Hispanè*: *De Brujas, Hechiceras, Saludadores, Ensalmadores, Zaborias*; *&c.* In his omnibus discernendis, & judicandis magna cautela procedi oportet. Nam aliqui pactum Dœmonis in aliquibus effectibus difficilè credunt latere: alii è contra, quidquid discursu non capiunt Dœmonis arti tribuunt. Audiamus, quod de Magia loquitur Prudentius. *Murmure nam Magico tenues excire figuras, atque sepulcrales scite excantare favillas, vita itidem spoliare alios ars noxia novit. Et Petronius: Phœbeja Circe carminibus magicis socios mutavit Ulyssis: Protheus esse solet quid quidlibet; his ergò callens artibus, ideò frutices ingurgitem sistam, & rursus fluvios in summo vertice ponam.* Nunc brevitèr dicendum est, quod fœminæ carminatrices, *Hispanè*: *Ensalmadoras, ò Santiguadoras*, quæ canticis, vel certis formulis verborum, vel certis herbis curant, regularitèr sunt suspectæ, precipuè si verba ignota adjugant. Idem dicendum est de salutatoribus, qui curant rabiem ex morsu canis, sed absolutè possunt habere gratiam sanitatum juxta doctrinam. *Apost.* 1. *Cor.* 12. *v.* 9. Sed ex fructibus eorum cognocetis eos. Zahoriès non possunt sine arte Dœmonis, terræ viscera, vel similia videre. Pulvis Sympaticus, qui cum sanguine vulnerati mixtus sanat recens vulnus hominis ad trecentos passus, saltem est suspectus, similitèr virga Divinatoria ad inveniendum metalla, & fontes. In suma quoties effectus non habet causam naturalem illum in sua virtute continentem, & aliundè non constat supernaturaliter illum effectum provenire, magna ingeritur suspicio pacto Dœmonis fieri, *Sanch. in Decal. l.* 2. *c.* 38. & 40. *Lacr. l.* 12. *p.* 1. *ex n.* 27.

254 Inter modos divinandi etiam erat *sortilegium*, quod per sortes fiebat, & de quo in præsenti: *Sortes propriè dicuntur, cum aliquid fit ut ejus eventu considerato aliquid occultum innotescat.* Juxta *D. Thom.* Sortes enim in triplici sunt differentia justa *D. Thom. 2. 2. q. 93. art. 8.* aliæ erant *divisoriæ*, aliæ *consultoriæ*: *divinatoriæ* aliæ. *Divisoriæ sunt illæ, quæ assumuntur ad dividendum jus, vel aliam rem dubiam pluribus competentem, ut inter eos dividatur, vel uni applicetur, & hoc modo lites vitentur.* De quibus textus in *c. 1. 26. q. 2.* ait. *Sors non aliquid mali est, sed res est, in dubitatione humana Divinam indicans voluntatem. D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 8. Suarez de Relig. tom. 1. l. 2. de Superst. cap. 12. Barbos. in C. fin. h. t. Sanch. in Decal. l. 2. cap. 38. Less. de Just. lib. 2. cap. 43. n. 58.* debet ergo eventus sperari à Deo, non à Dœmone, vel fato, aut fortuna: nec debet admisceri superstitio, vel abusus rerum sacrarum. Debent ergo tales sortes principaliter adhiberi, non ad inquirendam Dei voluntatem modo extraordinario, sed ad dirimendas lites, vel discordias, & denique, qui sortiuntur debent esse æquali jure, vel pœna digni: quibus adhibitis conditionibus, sine superstitione, & sine alicujus injuria sorte potest dividi hæreditas inter hæredes: præda inter milites: & bona communicantur inter socios. *L. 13. & 14. ff. de Judic.* & sic olim inter Israelitas est divisa terra promissionis. *Num. 33. v. 54.* quando inter duos, vel plures lis versatur super aliqua re individua, si jus illorum æquale est, & aliter lis dirimi nequit, debet res adjudicari ei, cui sors obtigerit: etiam si lis versetur circa jus ad beneficium Ecclesiasticum, dummodo præter mutuum litigantium consensum accedat superioris authoritas; *arg. c. 21. de Præbend.* propria tamen authoritate non possunt in jure ad beneficia Ecclesiastica privati sortibus uti. *c. 4. de Renunt. Sanch. in Decal. l. 2. cap. 38. n. 78.* In causis verò naturalibus, & temporalibus non est necessaria superioris authoritas, quia per pactum litigantium jus, de quo litigatur, potest alteri adquiri. *L. 21. C. Mandat. Sortes consultariæ sunt, quæ adhibentur in casu dubio ad cognoscendum, quæ sit voluntas Dei, quid faciendum, vel quid committendum sit.* Si in eis à Dœmone, fato, vel fortuna revelatio futurorum speretur, sunt illicitæ, & damnatæ. *c. 7. 26. q. 5.* Imò etiam si à Deo, extra casum necesitatis, speretur: Hoc namque esset quædam Dei tentatio. Si verò urgente aliqua necessitate spirituali, vel temporali cum debita reverentia ad Deum, exerceantur, sine reliquiarum, vel sacrarum rerum abusu, licitæ erunt: juxta illud *Prov. 16. v. fin. Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* præcipuè quando ex speciali Dei instinctu adhibentur. Et sic Saul sorte in Regem electus est *1. Reg. 10. v. 20. & seqq.* S. Mathias pro Juda in Apostolum suffectus est. *Act. 1. v. fin.* & per sortes fuit deprehensum furtum Achan *Jos. 7. v. 14. D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 8. Suarez de Relig. lib. 2. de Superst. cap. 12. Less. de Just. l. 2. cap. 43. n. 60. Sanch. in Decal. l. 7. cap. 38. n. 85.* In electionibus Ecclesiasticis nullius generis sortes valent exerceri: quod si fortè sic fiat electio, erit ipso jure nulla, ut contra formam electionis in *c. 42. de Elect. fact. C. fin. h. t.* ibi: *Electionem celebratam de ipso ad gratiam confirmationis admittimus, sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnantes.* Siquidem electio ad Dignitates Ecclesiasticas obtinendas, non temere commitenda causi, aut Cæcæ fortunæ sed cum delectu, & ratione, juxta merita, & qualitates personarum, est facienda. Et casu, quo suffragia sint paria, facilè jam hæc discordia juxta particulares Ecclesiarum constitutiones, resolvitur. Præfertur namque qui major est ætate, vel dignior gradu, &c. *Suar. de Rel. t. 1. de Superst. l. 2. cap. 12. Sanch. in Decal. l. 2. cap. 38. ex n. 71. Genz. in c. 1. h. t.* in electionibus ad officia sæcularia potest inter æque dignos sorte dirimi, quisnam sit præficiendus. Siquidem *tex. in C. fin. h. t.* tantum loquitur de electionibus ad Dignitates Ecclesiasticas *Sanch. in Decal. l. 2. cap. 38. n. 58.* & sic observatur in electione ad officium Rectoris, quæ quotanis fit in meo majori Conchensi Collegio, quod est Universitatis Salmantinæ: imo & totius Hispaniæ honos, & decus. *Sortes Divinatoriæ sunt illæ, quibus alicujus futuri eventus contingentis exquiritur notitia per media ad talem eventum cognoscendum improportionata.* Quippè quæ cum eo connexionem non habent: Et non tantum quando hoc fit expressè Dœmonem invocando sed etiam utendo verbis scripturæ, vel signis ex se improportionatis: nam cum Deus non promisserit occulta per hoc medium revelare, saltem implicitam invocationem Dœmonis continet,

ut

ut tales sortes regat, & occultum manifestet; v. g. si quis per inspectionem astrolabii, vel etiam utendo Sacra Scriptura, vel Orationibus, & Cæremoniis Ecclesiasticis furtum, vel aliud delictum occultum inquirat: imò majorem injuriam, & contemptum irrogat scripturis, qui talitèr eis abutitur: ideò hæc facere illicitum, & sperstitiosum est, & sub excommunicatione damnatum. *c.* 3. *& seqq.* 26. *q.* 5. *c.* 1. *&* 2. *h. t. D. Thom.* 2. 2. *q.* 95. *art.* 8. *in corp. Suarez de Relig. tom.* 1. *de Superst. L.* 2. *cap.* 12. *n.* 28. *Sanchez in Dec. L.* 2. *cap.* 38. *n.* 88. *Gonzal. in c.* 1. *h. t.*

255 Prætereà: illicita est *Astrologia judiciaria, qua ex inspectione Astrorum conjectantur aliqui futuri eventus liberi, vel alia præsentia, vel præterita penitùs occulta.* Nam si in Astris fundatur, tanquam in causa cum talibus eventibus connexa, & eorum necessaria tollitur nostri arbitrii libertas. Si Astra tanquam signa assumantur, cum talis significatio non sit ex eorum natura, neque ex Divina institutione, cum de hoc nullibi constet, infertur à Dœmone provenire illam notitiam, saltem ex pacto implicito: ideò utroque jure damnata est hæc Astrologia judiciaria. *L.* 10. *C. de Episc. Aud. L.* 2. *L.* 5. *L.* 6. *de Malefic. & Mathem. c.* 6. 26. *q.* 2. *c.* 1. 26. *q.* 3. *c.* 3. 26. *q.* 5. & novissimè motu proprio *S. Pii V. Cæli, & terræ.* Et in specie damnantur Genethliaci, vel Horoscopici, qui scilicèt judicium faciunt de hominum nativitate. *Sanch. in Dec. L.* 2. *cap.* 38. *ex n.* 27. Et hoc tantùm prohibetur in Jure Civili: quando Mathematicos damnat in *L.* 10. *C. de Episc. audient.* non enim damnatur utilisima Matheseos scientia: imò hæc ob ejus nobilitatem, & magna commoda, quæ Reipublicæ affert debet non solùm laudibus extolli, sed, & præmiis promoveri. Utinam in nostra Hispania, sicut in aliis Europæ Politioribus Provinciis, hujus scientiæ, quæ ferè peregrina est in nostris Academiis, studium propagaretur! Quot utilitates, & commoda Hispanis accrescerent, si eorum ingenia huic studio applicarentur, quam facilè ad ejus comprehensionem possent evolare, non enim *ala, sed deficit usus.* Licita similitèr, quin, & valdè utilis est Astrologia naturalis, qua conjectamus ex motu cursu, vel situ syderum aliquos effectus naturales, ut temporis serenitatem, Eclipses, ventos, pluvias, sterilitatem, vel fertilitatem anni, morbos, & eorum curationem, aliaque hujusmodi. Nec superstitio item est Lunam observare, & tempora aptiora ad navigationem inchoandam, ad arbores cædendas, colligendas herbas, purganda corpora, &c. *L.* 1. *tit.* 23. *p.* 7. ibi: *Porque los juicios è los asmamientos, que se dàn por esta arte, son causados por el curso natural de los Planetas, è de las otras Estrellas.* Similitèr ex avium volatu, vel garritu, vel motivus animalium aliqui effectus naturales prænuntiari valent; v. g. tempestas, serenitas, vel pluvia: quippè tales motus talium effectuum sunt signa. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 95. *art.* 7. *Sanch. in Dec. L.* 2. *cap.* 38. *n.* 38. & *Aratus* ajebat.

Sideraque, & varios Cœli cognoscere motus,
Nauta quid caveat, quid vitet doctus arator,
Quando ratem ventis, aut credat semina terris.

Etiam licet ex lineamentis corporis, seu ex physiognomia conjectare hominis complexionem, corporis bonam, vel malam valetudinem, propensionem quoad morbos, imò, & quoad mores, quamvis ad hoc sit conjectura magis debilis, quia bona educatio, exempla, & timor Dei, etiam in vitia valdè propensum, temperant, & corrigunt. Illicitum tamen est ex corporis dispositione, & ex lineis manuum prædicare propitios, vel adversos eventus hominis, & alia, quæ naturalitèr sciri non possunt. Ideò non est licitum, inquirere ab Ægyptiis, *Hispanè: Gitanos*, bonam, vel malam fortunam, vel alios eventus contingentes circa matrimonium, Sacerdotium: imò erit peccatum grave, si firmitèr eis credatur: vel si scandalum generetur: regularitèr tamen fit animo tantum jocandi, ac proindè solùm est vanitas venialis. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 38. *ex n.* 44. Similitèr ex somnis licet colligere hominis complexionem, bonam, vel malam valetudinem, si sanguis, cholera, phlema, vel melancholia abundet, non tamen licet conjectare futuros eventus contingentes, ab hominis pendentes arbitrio. Siquidem cum eis nullam connexionem habent, ac proindè hoc superstitiosum esset, sed quia Deus aliquando in somnis locutus est viris justis, & sanctis, ut constat de Josepho Patriarcha. *Gen.* 37. & D. Josepho B. Virginis Sponso, & de Magis. *Matth.* 2. *v.* 13.

ex

ex qualitate somniantis, & aliis circunstantiis à viris doctis, & probis debet sumi interpretatio. *Sanch. in Decal. lib.* 2. *c.* 38. *ex n.* 49.

256 In his omnibus speciebus superstitionum, quotiescumque intervenit pactum explicitum cum Dœmone, quo ipse expressè invocatur, cum prorsus illicitum sit commercium, cum Dei hoste jurato habere, absdubio committitur peccatum grave: imò ex se etiam peccatum grave est, quoties pactum implicitum intervenit: solet tamen excusari ob simplicitatem, vel ignorantiam non crassam, nec affectatam hoc facientium: vel etiam, quia non firmitèr his credunt, sed tantùm cum quodam timore, & suspicione eventus futuri, & tantùm ex quadam vana curiositate hoc efficiunt. *Sanch. in Decal. L.* 2. *cap.* 38. & omne pactum explicitum, & implicitum quocumque modo fiat prohibitum est in Edicto Generali Inquisitionis *ex n.* 8. *O si han invocado al Demonio, ò tenido en èl pacto tacito, ò expresso, ò que ayan sido Brujos, ò Brujas, ò mezclado cosas Sagradas con Profanas. O si han sido Astrologos judiciarios, adivinos, ò supersticiosos, ò si para adivinar, ù otro efecto han consultado, ò preguntado, ò si han usado del Arte Maxica, hechizos, encantamientos, agueros, sueños, rayas de las manos, cercos, brujerias, caracteres, suertes con habas, trigo, maiz, ò otras semillas, ò con naypes, dados, monedas, ò sortijas, &c.* Crimen Sortilegii, & Magiæ à Laicis commissum est mixti fori. Jure Civili Magiam illicitam in tertii præjudicium exercentes capite puniuntur. *L.* 5. *C. de Malef.* si sine damno alterius exerceatur est pœna arbitraria. Sortilegii de Jure Civili bonorum confiscatione puniuntur, & aliquando igne. *L.* 3. *L.* 5. *C. de Malef.* Hodie tamen puniuntur pœna arbitraria carceris, fustigationis, imò, & mortis. Jure canonico Clerici, qui talia exercent, si bono zelo, & ex simplicitate sortiligio usi fuerint, ad tempus suspenduntur ab altaris ministerio, & divinis. *c.* 2. *h. t.* si ex malitia hoc fecerunt, verbalitèr deponuntur ab officio, & beneficio, & in Monasterium detruduntur ad pœnitentiam peragendam. *c.* 4. *c.* 5. *c.* 6. 26. *q.* 5. *c.* 1. *c.* 2. *h. t.* imò aliquando si Hæresis, vel Idololatria admisceatur, degradantur, & sæculari Curiæ traduntur. *c.* 15. 26. *q.* 7. Jure Hispano Malefici, Venefici, Magi, & Sortilegi morte puniuntur. *L. fin. tit.* 23. *p.* 7. *L.* 5. *L.* 6. *L. fin. tit.* 3. *L.* 8. *R. C.* Sed hodie in nostra Hispania de his criminibus cognoscunt Inquisitores hæreticæ pravitatis, prout continetur in Edicto Generali Fidei. Et in expurgatorio S. Inquisitionis Edito, *an* 1707. *in Regul.* 9. prohibentur libri, qui de his rebus agunt. Ubi additur; *pero bien se permiten los juicios, y naturales observaciones, que estàn escritos, y se hacen para ayudar à la navegacion, Agricultura, ò Medicina, y los que tocan al conocimiento de los tiempos, y sucesos generales del mundo, eclypses, lluvias, &c.* de pœna quæ cuilibet delicto respondet, videantur *Cæsar. Carena de Offic. Inquisit. Diana in Summ.* V. *Inquisitorum jurisdictio, quoad pœnas ex n.* 161. quæ ferè semper est arbitraria, & juxta circunstantias metienda, & reducitur ad anathema, dignitatum suspensionem, verbera, exilium, carcerem, triremes, & publicam confusionem cum infami mitra, quam dicimus: *Coroza.* Striges, sagæ, vel lamiæ. *Hispanè: Brujas,* licèt regulariter non tradantur Curiæ Sæculari ob cœdes infantium, sed pœnis apostatarum puniantur, tamen si hæc infanticidia sint frequentia, vel aliæ circunstantiæ concurrant, possunt tradi brachio Sæculari. Quod si se sponte præsentent, etiam si à fide aberrassent, & ex animo apostatassent, admittuntur ad reconciliationem, nec eorum bona confiscantur, nec imponitur ipsis pœnitentiæ habitus, & si post abjurationem relabuntur in Hispaniæ Inquisitione bis, & tèr admituntur ad reconciliationem. *Diana in Summ.* V. *Inquisitores, num.* 162. *Peña, Castropal. & alii.* Qui in sortilegiis utitur S. Eucharistiæ Sacramento tradendus est Curiæ Sæculari. *Dian. in Sum.* V. *Inquisitores, n.* 161.

TIT. XXII.

De Collusione detegenda.

257 *COllusio est conventio latens, & fraudulenta inter actorem, & rerum, ut delicta maneant impunita, vel committantur impunè.* Vel quia accusator omninò ab accusatione desistat, ne reus puniatur & dicitur, *tergiversatio*, vel quia actor, vel accusator falsas defensiones, & exceptiones rei admittat, vel probationes veras proprias celet, ut reus pœnam vitet, & illusorium reddatur judicium, & *prævaricatio*

di-

dicitur. Et quidem hoc delictum non solùm à partibus principalibus committitur, sed etiam à Procuratoribus, & Advocatis, qui ita fraudulenter cum parte adversa colludunt. Advocatus verò non tàm collusor, seu prævaricator dicitur. *L.* 1. §. 1. *ff. de Prævaric.* quam falsarius, & ut talis punitur. Et in causis civilibus solùm inter Procuratores, ex utraque, vel saltem ex una parte habet locum collusio: nam si partes principales à lite desistere velint, ipsis utique licet: quia solùm de privato interesse agitur, super quo transigere valent. Habet ergo locum collusio præcipuè in causis criminalibus: siquidem non est in privatorum arbitrio, ne puniantur delicta, quorum punitio maximè Reipublicæ interest, etiam in causis beneficialibus solet collusio intervenire, ut in casu, *cap.* 3. *h. t.* Clerici namque in beneficiis quæ possident, sustinent se ab aliis molestari, & posteà ut quæstioni cedatur, & eidem Clerici beneficium quietè possideant, quasi nomine transactionis, solvunt actoribus de ipsis beneficiis annuam pensionem, & insuper concedunt, ut post beneficiatorum mortem in beneficiis ipsis, super quibus est collusio facta, jus sibi valeant tales actores vindicare: & ideò mandat Alex. III. Episcopis, quod si de tali collusione legitimè ipsis constiterit, tales colludentes spolient perpetuo beneficiis, super quibus collussum fuerit, quia satis esset indignum, si fraus, & dolus, quem in præjudicium juris, & etiam aliorum, id est collatorum, & patronorum, nituntur committere, in eorum non redundaret incommodum, & jacturam, *cap.* 3. *h. t.* in criminalibus talitèr colludentes infamiam incurrunt. *L.* 4. *ff. de Prævar.* & arbitrariè pro criminis qualitate poniuntur. *L.* 2. *ff. de Prævaric.* & licèt alias legitimè absolutus amplius nequeat accusari, *cap.* 6. *de Accusat. lib.* 12. *tit.* 1. *p.* 7. contra absolutum per collusionem, nova accusatione, vel inquisitione super eodem delicto procedi potest, *cap.* 1. *cap.* 2. *cap. fin. h. t. L.* 3. §. 1. *ff. de Prævaric.* ne delicta impunita maneant, & ne reus commodum ex sua malitia reportet.

TIT. XXIII.

De Delictis puerorum.

258 NOmine *puerorum* in præsenti intelliguntur *impuberes*. Hominum enim ætates sic distinguuntur. A nativitate, usque ad 7. annum dicuntur *infantes*, quasi non *possint fari*, vel quia saltem non bene percipiunt, quod loquuntur. Nec multum à furioso distant, ut ait *Justin. in* §. 10. *Instit. de Inut. stipul.* Ex anno septimo usque ad 14. completum in masculis, & usque ad 12. in fœminis impuberes dicuntur. Ex 14. in masculis, & à 12. in fœminis, usque ad 25. dicuntur puberes, adolescentes, *& minores, seu minorennes.* Ex 25. dicuntur *majores.* Proximus infantiæ dicitur, qui nondum implevit decimum annum cum dimidio, si est masculus: in fœminis verò usque ad novem annos cum dimidio extenditur. Proximus pubertati dicitur masculus, qui decem annos habet cum dimidio, & fœmina habens novem cum dimidio. Sic pro nostra Hispania tenendum est. *L.* 8. *tit.* 31. *p.* 7. *& alii*, licèt alii aliter sentiant. *Vid. Gonz. in cap.* 6. *de Desponsat. Impub. n.* 5. fœmina, quæ habet 14. annum completum, & vir qui habet 18. annum completum dicuntur in plena pubertate esse. Infantes licèt coram Deo sæpè peccent levitèr, imò, & aliquando lætalitèr, malitia ætatem præveniente; ut ille infans quinque annorum, qui propter blasphemias abreptus est à Diabolo ex suorum parentum manibus, teste *D. Greg. Dial. lib.* 4. *cap.* 14. In foro tamen externo cum doli capaces non præsumantur; nec multum à furioso distare credantur, §. 10. *Inst. de Inutil. stipulat.* nec civili, nec criminali pœna plectuntur: non aliter ac furiosi, si damnum fecerint, vel aliquem occiderint. *L.* 12. *ff. ad Leg. Cornel. de Sicar.* ibi: *Infans, vel furiosus, si hominem occiderint, Lege Cornelia non tenentur, cum alterum innocentia consilii tuetur, alterum fati infelicitas excusat.* Infantiæ proximi, si delinquant, licet aliqualem usum rationis habeant, cum tamen dolus desit ob judici infirmitatem regularitèr à pœna liberantur; sed ne delictis assuescant, severè aliquando animadvertuntur, sicut furiosi, & bruta, ut pœnæ dolore à vitio, vel delicto abstineant.

Im-

259 Impuberes pubertati proximi, non coërcentur ob peccatum omissionis: nam potius imprudentia, quam malitia omisisse censentur, nisi probetur ex dolo omissionem processisse. *L.* 14. *ff. ad S. C. Syllan.* ob delictum comissionis puniuntur, sed non pœna ordinaria, sed alia minori, *cap.* 1. *h. t. L.* 14. *ff. ad S. C. Syllan.* sed furti, & ex Lege Aquilia tenentur. *L.* 5. §. 2. *ff. ad Leg. Aquil.* & Clericum percutientes incurrunt Canonis excommunicationem, *cap.* 1. *& cap. fin. de Sentent. excomm.* ob ætatis namque defectum regularitèr minùs dolosè, & malitiosè delinquere præsumuntur. *L.* 108. *ff. de Reg. jur.* ibi: *Ferè in omnibus pœnalibus judiciis, & ætati, & imprudentiæ succurritur.* Nunquam tamen pœna mortis, imò nec tormenti afficiuntur, etiam si homicidium, vel aliud capitale delictum commisserint. *L.* 1. §. 33. *ff. ad S. C. Syllan.* atque adeò aliquomodo potest dici tale peccatum inultum, ut in *cap. fin. h. t. Menoch. de Arbitr. cas.* 329. *Farinac. Prax. Crimin. Gonz. in cap.* 2. *h. t. ex n.* 11. Quando filiusfamilias puer, vel impubes aliquod delictum committit, ipsę puniendus est, non tantùm personaliter, sed etiam, quando pœna pecuniaria imponitur si habeat peculium undè solvat: quia culpa suos debet tenere Authores. *L.* 22. *C. de Pœnis.* Pater verò minimè ex delicto filii tenetur, nisi in quantum factus fuit locupletior ex delicto filii. *L.* 3. §. 12. *ff. de Pecul.* vel si particeps fuit delicti, vel negligens, in eo corrigendo. *Barbos. in C. fin. h. t. num.* 9. Etiam ex adulterio, & aliis delictis carnis tales tenentur quando malitia prævenit ætatem, mitius tamen puniuntur; *arg. L.* 36. *L.* 38. §. 4. *ff. ad Leg. Jul. de Adult.* attamen delicta carnis in pueris non præsumuntur, nisi probetur malitiam prævenire ætatem, *cap.* 1. *h. t. Gom. Var.* 3. *cap.* 1. *n.* 59. *Gonzal. in præsenti, & alii.* Qui jam sunt puberes, minores tamen 25. annis in delictis spiritualibus prout sunt simonia, & hæresis, habentur pro majoribus, ac pœna ordinaria puniuntur. Idem est quando crimina sunt valdè enormia, ut crimen læsæ Majestatis, vel beneficiorum; *arg. L.* 14. *ff. ad S. C. Syllan.* in aliis delictis, licèt pœna ordinaria possit infligi, potest Judex eam ex juxta causa mitigare. *L.* 37. §. 1. *ff. de Minor.* v. g. si delictum mortem qualificatam meretur, imponere potest pœnam mortis simplicis, si hæc delicto respondeat, potest mutari in fustigationem. *Menoch. de Arbitr. cas.* 329. *ex n.* 12. *Barbos. in cap.* 1. *& 2. h. t.* In nostra Hispania sic sapientissimus Rex Alphonsus circa ipsos deponit *in L.* 8. *tit.* 31. *p.* 7. *E si por ventura el que hubiese errado fuesse menor de diez años é medio, non le deben dar ninguna pena; é si fuese mayor de esta edad, é menor de diez y siete años, debenle menguar la pena que darian á los otros mayores por tal yerro.* Et hæc decisio servanda est semper ac Lex, non præscribat pœnam ordinariam, etiam habenti minorem ætatem, ut in aliquibus casibus ob criminis immunitatem præscribitur.

TIT. XXIV.

De Clerico Venatore.

260 ALiquando homines alios injuste opprimentes, *venatores* dicuntur, ut in *Gen.* 10. de Nemrod dicitur, quod erat robustus venator, in est hominum oppressor, & extinctor. *C. fin.* V. *His itaque. D.* 6. & hæc venatio dicitur *oppresiva.* Alia dicitur *arenaria*, quam exercebant homines in arenam descendentes, pretio conducti, ut cum bestiis decertarent. Alia est *adulatoria*, qua per verba adulatoria homines capiuntur, *cap.* 11. *6. q.* 1. ibi: *Sunt plurimi, qui vitam honorum amplius quam debent, laudant: & ne qua elatio de laude surrepat, permittit Omnipotens Deus, malos in obtrectationem, & objurgationem prorumpere, ut si qua culpa ab ore laudantium in corde nascitur, ab ore vituperantium suffocetur. Aceved. in Rubr. tit.* 8. *lib.* 7. *R. C.* Sed de his in præsenti non agitur, sed de venatione *sylvatica*, seu *saltuosa*, quæ ad occupationem dirigitur animalium, quæ in sua libertate naturali existunt. Si animalia sint terrestria, venatio *terrestris* dicitur: si sint volucres, dicitur *aucupium*: si pisces *piscatio* nuncupatur. Venatio Jure Gentium omnibus communis est, ac proindè fera, & avis, quæ à nemine capta prius fuerat in jus capientis transit, §. 12. *Inst. de Rerum divis.* quod jus, & dominium fundatur in illo. *Genes. cap.* 1. *v.* 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus Cœli, & bestiis universæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra. Soto, de Just. lib.* 4. *q.* 6. *art.* 4. Nullo tamen modo licet capere animalia, natura sua, mansueta: ut sunt gallinæ, oves, boves, equi, sues, ana-

anates domesticæ, & similes: imò, qui ea capit: etiam si à Dominis fugerint, tenetur ea Dominis restituere. Nec item potest quis capere animalia fera mansuefacta, dum redeundi naturam retinent: secus est, si eam amitant, solùm igitur conceditur animalia omninò fera, & sylvestria capere, dum sine alieno præjudicio hoc fiat: non tamen licet, ea in alieno fundo, vel lacu capere contra Domini voluntatem. Quia ipse habet jus usum sui prædii aliis prohibendi: imò nec in saltu communi, vel flumine hoc licet, si salta aliena, vel vineæ canibus, vel equis deteriorarentur, vel tales escæ projicerentur, ut feræ, & pisces penitùs extinguerentur cum damno boni communis. *Lessius de Just. & jur. lib. 2. cap. 5. num. 4.* & tunc qui hoc faceret teneretur satisfactionem præstare Reipublicæ, quæ habebat jus piscandi, quatenùs censetur, illud jus graviter læssisse, & spem lucri, & oblectationem eripuisse, non tamen tenetur ipsa animalia, vel pisces restituere: similiter ille qui in fundo alieno, invito Domino, venatur, licèt peccet, & teneatur ad compensationem pro ratione injuriæ, & damni illati, non tenetur ad restitutionem ejus, quod cœpit, quia animal sylvestre, cum nullius sit, primo occupanti adquiritur. *Less. de Just. lib. 2. cap. 5. n. 43.* Ob bonum quidem commune Principes Sæculares solent prohibere, & in Hispania est prohibitum *in L. 1. tit. 8. lib. 7. R. C.* ne procreationis tempore venatio exerceatur, ne cum omnium civum damno extinguatur venatio. Quando Principes prohibent venationem in aliquo saltu, quem ad propriam recreationem volunt reservare, ut nostri Reges eam in locis *Hispanè* dictis: *Aranjuèz, el Pardo, Balsain, y San Lorenzo* prohibent *L. 20. tit. 8. lib. 7. R. C.* non censentur velle subditos obligare in conscientia, nec ad restitutionem, si forte aliquas feras capiant, sed tantùm ad pœnam, & hæc potest regulariter esse, & est vel pecuniaria, vel carceris, vel relegationis, & potest ad triremes extendi: non tamen ad mortem, nisi aliæ gravissimæ circunstantiæ accedant. *Less. de Just. lib. 2. c. 5. n. 45.* In nostra Hispania est prohibitum columbas mansuetas occidere, non solùm in columbario, sed nec intra leucam distantiæ ab ipso. *L. 7. tit. 8. lib. 7. R. C.*

261 Clericis quidem prohibetur venatio, quæ *clamorosa* dicitur, qua scilicèt ipsi feras majores venantur, ut apros, cervos, &c. & fit cum magno strepitu armorum, retium, canum, equorum, & hominum, vel accipitrum, vel falconum Hæc enim, teste *Aristot. 1. Polit. cap. 5.* quamdam belli speciem gerit, ubi magna est sanguinis effusio, quæ aliqualem animi asperitatem, & crudelitatem generat: quæ sanè non convenit militibus Christi, nec lenitati, & clementiæ, quam in Christo imitari debent: & certo modo modestiam clericalem deturpat tantus clamor, & inquietus tumultus. *c. fin. h. t. Clem. 1. §. Porrò, de Stat. Monach. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 12.* Venatio tamen, quæ *quieta, & recreativa, seu placida* dicitur quia sine strepitu armorum retium, & equorum feræ minores, ut lepores, & vulpes, & aliquando volucres capiuntur, non est interdicta Clericis, possuntque eam exercere causa valetudinis, vel alterius necessitatis, vel utilitatis, imò, & causa justæ: & honestæ recreationis. Sic enim ipsos non dedecet, & hoc suadet consuetudo: nam plures docti, & timorati Clerici eam exercent; dummodo non sit nimis frequentata: tunc enim cum valdè distrahat Clericos à suis Officiis, & exercitiis spiritualibus permitti non debet. *Gloss. in c. 1. h. t. V. Voluptate. Sylv. V. Venatio. Barbos. in c. 1. h. t.* Monachis tamen & Religiosis, quia strictiorem vitam profitentur, non permittitur venatio, etiam quieta, & recreationis causa. *Cl. 1. §. Porrò, de Stat. Monach. Diaz Pract. Crimin. Canon. V. Venatores. Barb. in c. 1. h. t. n. 4.* Rarò tamen, vel Monachi, vel Clerici exercentes venationem, etiam clamorosam, graviter peccabunt, quia cum ex se non sit mala, potest sæpè cohonestari, dummodo scandalum absit. Et hoc consuetudine probatur. Nullibi tamen est prohibitum Clericis, nec Monachis exercere venationem, etiam clamorosam, per alios, si saltum habeant, ex cujus venatione aliquos redditus percipere possint: quin nec Episcopis hoc prohibetur, ut constat *ex L. 57. tit. 5. p. 1.* ibi: *Nin deben otrosi cazar con su mano ave, nin bestia. Et ibid. notat. Greg. Lopez, & Aceved. in Rubr. tit. 8. lib. 7. R. C.* Piscatio tamen etiam per ipsos Clericos, & Monachos exerceri, neutiquam prohibetur: hoc namque ipsos minimè dedecet: quia sine strepitu, & distractione potest fieri. Sic, & Apostoli etiam post vocationem ad Apostolatum piscationem exercebant:

nam ut ait *Div. Hieronym. in c.* 11. *D.* 86. *Penitùs non invenimus in Sscripturis sanctum aliquem venatorem, piscatores invenimus sanctos.* Olim quidem graves pœnæ à jure impositæ erant contra Clericos, Religiosos, & Episcopos, qui venationi erant dediti. Ut constat ex *c.* 1. *h. t.* Scilicèt si Episcopus fuerit, tribus mensibus á communione: si Præsbyter duobus: si Diaconus ab omni officio suspendatur. Sed hodie jam consuetudine contraria abrogatæ sunt; *arg. C. fin. de Consuet.* Si tamen aliquis Clericus nimis frequentèr, magnaque cum distractione venationem exerceret, si monitus non resipisceret, posset ab Episcopo puniri pœna extraordinaria juxta circunstantias; *arg. c.* 4. *de Offic. Delegat.*

TIT. XXV.

De Clerico percussore.

262 CUM Clericos maximè deceat, mansuetudinem Christi imitari, meritò ipsis, maximè in majoribus constitutis, prohibetur alios, etiam delinquentis, percutere. *c.* 1. *c.* 7. *D.* 45. *c.* 25. *D.* 86. *c.* 1. *h. t.* Prælati tamen Ecclesiastici, tàm Sæculares, quàm Regulares, Episcopo excepto, possunt castigare, & quidem propria manu, causa disciplinæ, & correctionis, Clericos, & Religiosos sibi subditos: moderatè tamen. Et quidem constitutos in minoribus etiam pro culpis levioribus, constitutos tamen in majoribus pro gravioribus tantùm. *c.* 8. *D.* 45. *c.* 25. *D.* 86. si immoderatè, etiam causa correctionis, percutiant, in excommunicationem *Canonis. Si quis suadente*, 29. 17. *q.* 4. incidunt, & in exilium mittuntur. *c.* 8. *D.* 45. Et si mors, vel mutilatio sequatur, irregulares fiunt. *c.* 7. *de Homicid.* Episcopo autem non permittitur, nisi in necessitate, propria manu Clericos verberare. *c.* 25. *D.* 86. *L.* 56. *tit.* 5. *p.* 1. Quando ergo Episcopus, vel alius Prælatus per alium vult suos subditos verberare, debet hoc facere, non per Laicum, sed per Clericum, vel Religiosum: alias tàm Laicus verberans, quàm Prælatus mandans, etiam quando justa subest causa, excommunicantur. *c.* 24. *de Sentent. excom. L.* 56. *tit.* 5. *p.* 1. *Suar. de Cens. D.* 22. *sect.* 1. *n.* 42. Sed cum deceat Clericos alios Clericos castigare, & non facilè inveniatur, qui hoc munus velit exercere, consuetudine est introductum, & corroboratum jure noviori. in *c.* 15. *de Sentent. excomm. in* 6. quod hoc per Laicos fiat jubente Prælato. Sic per ipsos Clerici capiuntur, incarcerantur, torquentur, ad triremes mittuntur, & ubique puniuntur. Et Prælati Regulares ex privilegio, vel consuetudine suos subditos, etiam Clericos, per Laicos Religionis, seu conversos castigant. *Suar. de Cens. sect.* 1. *num.* 42.

263 Magistri, & Præceptores, etiamsi Clerici sint, possunt moderatè suos Discipulos, etiam Clericos, percutere correctionis causa. *c.* 19. *de Pœnit. D.* 1. *lib.* 1. §. *fin. ff. ad Leg. Aquil.* Et cum talis percussio, nec violenta sit, nec Diabolo suadente fiat, non incurrunt excommunicationem Canonis sic percutientes. *c.* 1. *c.* 54. §. *fin. de Sentent. excomm.* Imò nec eam incurrunt Sacerdotes, & alii Clerici seniores levitèr percutientes, zelo devotionis, pueros, & adolescentes, constitutos in minoribus, si turbent Divinum Officium. *c.* 16. *c.* 54. §. *fin. de Sentent. excomm. Suar. de Censur. D.* 22. *sect.* 1. *n.* 48. Debent tamen Clerici, quando alios corrigunt, vel castigant, præ oculis habere, quod dicitur in *c.* 15. *D.* 45. ibi: *Vera justitia compassionem habet: falsa verò dedignationem, quamvis & justi soleant rectè peccatoribus dedignari.* Clericus, qui aliquem etiam Laicum, gravitèr percutit, etiam semel, ob gravem repugnantiam, quam talis percussio habet cum statu, & mansuetudine Clericali, deponi debet, etiam nulla præmissa monitione; *arg. C. fin. D.* 25. Si verò levitèr percutiat, pro qualitate delicti debet arbitrio superioris puniri. Si monitus non se emendet, sed frequentèr, & passim percutiat, etiam levitèr, debet deponi. *c.* 1. *h. t.* Episcopus, qui aliquem facit crudelitèr fustigari, duobus mensibus à Missarum celebratione suspenditur. *c.* 2. *h. t.* Clericus, qui fuit in conflictu, ubi aliqui fuerunt occissi, sine ejus facto, vel consilio potest de Jure Communi promoveri. *C. fin. h. t.*

TIT. XXVI.

De Maledicis.

264 *Maledici sunt, qui maledicunt, vel maledictum, quasi malum dictum pronuntiant.* Et quidem, vel in Deum, & Sanctos, & dicitur *blasphemia*: vel in hominem absentem; & clam ejus famam lædendo, & dicitur *calumnia, convitium, vel contumelia. Blasphemia etenim est maledictum in Deum ejus laudibus oppositum.* Quod si afirmetur aliquid quod contra fidem sit, erit *hæreticalis.* Et quidem diversimodè committitur blasphemia: 1. Affirmando de Deo, quod ipsi non convenit; v. g. quod sit injustus, vel crudelis: 2. Negando, quod ei convenit; v. g. quod non sit providus, vel omnipotens: 3. Attribuendo creaturæ, quod Dei peculiare est; v. g. attribuendo Dæmoni omnipotentiam: vel jurando seriò per Jovem, vel alium Deum falsum. Non tamen censetur blasphemia vocare amasiam Deam, aut Idolum suum: nam hæc verba non summuntur in sensu proprio, sed hyperbolico. *Diana in Summa.* V. *Blasphemia, num.* 4. 4. Deo imprecando aliquod malum; v. g. quod pereat: vel irrisionem de Deo, vel Sanctis faciendo, ut quando Judæi Christo dicebant. *Vah: qui destruis templum Dei:* 5. Nominando indecenter, & cum contemptu Deum, aut Christum, vel ejus membra: 6. Proferendo verba contumeliosa in Deiparam, vel Sanctos; v. g. dicendo, ipsam non esse virginem, vel illos non esse in Cœlo: nam Deus in suis Sanctis contemnitur, & blasphematur, sicut in ipsis laudatur, in quantum laudantur opera, quæ Deus in Sanctis efficit. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 13. *art.* 1. *Sanch. in Dec. lib.* 2. *cap.* 32. ubi late *Dian. in Sum.* V. *Blasphem. Lacr. lib.* 3. *p.* 1. *ex n.* 246. *Barb. & Gonz. in C. fin. h. t.* Et non solum per verba, & voces, sed etiam per facta committitur blasphemia. *L.* 5. *tit.* 28. *p.* 7. ibi: *De fecho cbrando algun home en manera denuesto alguna cosa, como contra Dios, ó contra Santa Maria, escupiendo en la Magestad, ó en la Cruz, ó firiendo en ella con piedra, ó con cuchillo, ó con otra cosa qualquier, ó si alguno con seña escupiese contra el Cielo, ó firiese en las puertas, ó en las paredes de la Iglesia.* Et Inquisitores procedunt contra conspurcantes, & percutientes Sacras Imagines, etiamsi hoc faciant ex iracundia *Dian. in Sum.* V. *Inquisitorum jurisdictio, num.* 67. Et hoc facientes puniuntur pœnitentia publica, vel jejuniis, eleëmosynis, orationibus, mulcta pecuniaria, aut fustigatione. Quod si probetur, aliquos ex intellectus errore, hoc fecisse, puniuntur ad instar hæreticorum, vel suspectorum, primò tortura, aut abjuratione: mox ipsos tradendo Curiæ Sæculari. Imò, & tradi debent Curiæ Sæculari morte puniendi, si delictum publicum sit, etiamsi ipsi non habuissent animum hæreticalem, etiamsi fateantur delictum, & petant misericordiam, adhuc debent mori: quia tantum scelus non potest manere impunitum, & de talium conversione semper timeri posset. *Diana in Sum.* V. *Inquisitores, num.* 150. *Sousa, & alii.*

265 Blasphemia gravissimum scelus est confessioni fidei oppositum, & quodammodo ad infidelitatem pertinens, & est peccatum mortale ex genere suo. *Div. Thom.* 2. 2. *q.* 13. *art.* 2. *in corp.* & quidem omnibus, qui apud inferos suorum scelerum pœnas luunt est peccatum commune: ac propterea severissimè puniendа est. In Lege enim veteri, jubente Domino *in Levit.* 24. *v.* 16. *Qui blasphemaverit nomen Domini morte moriatur, lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sivè ille Civis, sivè peregrinus fuerit.* Et adeò hoc crimen excecrabantur Judæi, ut quando blasphemiam magnam audiebant, sua scindebant vestimenta: ut de Principe Sacerdotum refertur. *Matth.* 26. *v.* 65. Jure Canonico antiquo erat statuta in Clericum depositio, in Laicum excommunicatio, *cap.* 10. 22. *q.* 1. posteà publica pœnitentia, & mulcta pecuniaria, *cap.* 2. *h. t.* & aliæ fuerunt statutæ pœnæ *à Leone X. Jul. III. & S. Pii V.* Blasphemi enim hæreticales, & graves, si sunt viles flagellis cæduntur cum publica pœnitentia in publico spectaculo, compressa lingua ferro, vel ligno, & ad triremes mittuntur. Si sint nobiles pœna pecuniaria mulctantur, & in Monasterium ad tempus recluduntur. Qui blasphemias leviores dicunt condemnari solent, ut in die festo in Ecclesia stent nudo capite, sine clamyde, nudis pedibus, sine veste succinti, dextera facem ferentes, dum Divina celebrantur. Et sacris peractis sententia publicè fertur, qua ipsis imponuntur jejunia, precationes, & pœna pecuniaria, & aliquando in exilium mittuntur. *Diana in Sum.* V. *Inquisi-*

siteres, n. 151. *Salced. in Addit. ad Diaz, cap.* 110. *Simanc. de Cathol. Instit. tit.* 8. *num.* 10. sed hodie debet sequi cujusque loci consuetudo. De Jure Civili blasphemia morte puniebatur *Nov.* 77. *cap.* 1. §. 2. In nostra Hispania pro veritate blasphemiarum, blasphemantium diversæ pœnæ infliguntur: nempe vel pœna pecuniaria, vel carceris, vel triremium, vel exilii. Et quilibet potest accusare, imò, & capere blasphemantem, *ut constat ex tot. tit.* 28. *p.* 7. *& tot. tit.* 4. *lib.* 8. *R. C. & ibid. Greg. Lop. & Aceved. & alii.* Et quamvis jubeatur *in L.* 5. *& fin. tit.* 4. *lib.* 8. *R. C.* Quod si tertio quis blasphemaverit, ejus lingua clavo figatur, hæc pœna non est in uso: sed loco ejus flagellatur blasphemans, & lingua ejus præmitur ligno: *Hispanè: Mordaza. Gonzal. in C. fin. h. tit. n. fin.* Tales verò pœnæ tantum incurruntur, quando ex animo deliberato provenit blasphemia; *arg. C. fin. h. t.* ibi: *Præsumpserit*, si enim ita magna, vel alia vehementi passione bis, aut ter quis blasphemaret, & sedata passione dolorem ostendat, plectetur salutaribus pœnitentiis, habita ratione personæ, loci, & blasphemiæ: quamvis *Comitol. lib.* 4. *Resol. Moral. q.* 9. *cap.* 3. censeat, talem esse absolutè remittendum. Qui verò joco, aut linguæ vitio verba hæresim sapientia proferret, vel similem blasphemiam, pœna ordinaria puniendus esset, nisi probaret, se joci causa, vel linguæ lapsu ea verba dixisse. *Dian. in Sum.* V. *Inquisitores, n.* 151. *Peña, & alii.* Quando blasphemia est hæreticalis, ejus cognitio competit Judici Ecclesiastico, scilicèt Episcopo. *Barbosa, & com. Doct. in C. fin. h. t.* In nostra Hispania Inquisitores hæreticæ pravitatis privativè cognoscunt de tali blasphemia. *Eymeric. Peña, Carena, Gonzal. in C. fin. h. t. n.* 7. *in fin.* Et constat *ex Edicto Generali Inquisit. n.* 7. *O si sabeis, ó habeis oido decir, que algunas personas hayan injuriado de obras, ó palabra á la Virgen nuestra Señora, ó á los Santos del Cielo.* Et regulariter tales blasphemi pœna triremium puniuntur. *Roxas de Hæretic. p.* 2. *n.* 176. *Dian. in Sum.* V. *Inquisit. n.* 151. Si non sit hæreticalis est mixti fori, ac proindè de ea contra Laicum cognoscunt ad præventionem Judex Ecclesiasticus, vel Sæcularis, & quilibet ex eis potest in suo foro supplere, si alter minorem pœnam, quam, par erat, infixerit. *C. fin. h. t. & ibid. Barbos. & Gonz. Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 32. *n.* 37.

266 Quando maledictum deliberatè, & ex animo injuriandi procedens dirigitur ad Romanum Pontificem, ita ut per illud Dignitas offendatur, vel aliter sequatur scandalum: tunc Rom. Pontifex potest, & debet illud punire, pœna tamen arbitraria, juxta circunstantias, eum nulla sit determinata, *cap.* 1. *h. t.* ibi: *Ut pœna illius aliis terrorem incutiat, ne de cætero contra Romanam Ecclesiam in talia verba prorumpant.* Si tamen maledictum ipsam personam, non Dignitatem Pontificis offendat, expedit mansuetudini Christi, quam maximè ipse debet representare, & imitari, quod ipse talem injuriam remittat exemplo S. Pii V. & aliorum. Imò hoc decernunt piissimi Imperatores Theodosius, Arcadius, & Honorius. *In L. un. C. Si quis Imperat. maled.* ibi: *Si id ex levitate processerit, contemnendum est: si ex insania miseratione dignissimum: si ab injuria remittendum.* Episcopus autem non potest punire maledicum, qui tantum personam, non Dignitatem ipsius offendit: tum ob mansuetudinem, quam ob suum statum debet habere, tum ne in causa propria Judex sit. Sed Judex Sæcularis debet talem maledicum punire. *L.* 10. *C. de Episcop. & Cler.* Et quidem Religiosus offendens Ecclesiæ Prælatum duobus mensibus debet subjacere pœnis statutis in sua Religione pro gravibus delictis. *Cl.* 1. §. *Quibus de Privileg.* & præterea injungitur in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ districtius inhibetur, ne in sermonibus suis Ecclesiarum Prælatis detrahant. Maledicus in Principem Sæcularem, quia gravissimum scelus adversus Legem Divinam comittebat. *Exod.* 22. *v.* 28. Olim læsæ Majestatis crimine tenebatur, sed hodie pœna est arbitraria. *L. un. C. Si quis Imperat. maled.* Si tamen scandalum, vel seditio timeretur. Princeps consulendus est. *Glos. in dict. l. un.* V. *Remittendum. Menoch. de Arbitrar. cas.* 377. *num.* 9. In nostra Hispania maledicus in Principem debet apprehendi, & ad ipsum Principem plectendus remittit. *L.* 3. *tit.* 4. *lib.* 8. *R. C.* ubi concludit: *Otrosí rogamos, y mandamos á los Prelados de nuestros Reynos, que si algun Frayle, ó Clérigo, Hermitaño, ó otro Religioso dixere alguna cosa de las sobredichas, que lo prendan, y nos lo envien preso, ó recaudado.*

267 Maledicus in privatum, qui eum dicit esse furem, adulterum, vel non esse

in-

ingenuum, nobilem, &c. grave peccatum committit, & tenetur in foro conscientiæ honorem, vel famam læsam restituere. Et in foro externo, tenetur actione injuriarum. *L.* 15. §. 27. *ff. de Injur. L.* 9. *cum seqq. C. eod.* Quando maledictum procedit ex levitate, vel animi iracundia, & non ex animo deliberato, facile remittitur, *cap.* 27. 23. *q.* 4. *L.* 4. *tit.* 10. *L.* 8. *R. C.* In nostra Hispania injurians privatum pœna pecuniaria punitur. *L.* 3. *tit.* 10. *L.* 8. *R. C.* Imò si non sit nobilis, & injuriam valdè gravem inferat, tenetur recantare palinodiam. Nobilis verò mulcta pecuniaria, & aliis arbitrariis pœnis plectitur. *L.* 2. *tit.* 10. *lib.* 8. *R. C.* ibi: *Qualquiera que á otro denostare, y le dixere gafo, ó sodometico, ó cornudo, ó traydor, ó herege; ó á muger, que tenga marido, puta, ú otros denuestos semejantes; desdigalo ante el Alcalde, y ante hombres buenos, al plazo que el Alcalde le pusiere, y peche trescientos sueldos, y por ellos mil y doscientos maravedís: la mitad para nuestra Cámara, y la otra mitad para el querelloso.* Et *ibid. Aceved.*

TIT. XXVII.

De Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante.

268 CLericus censura Ecclesiastica excommunicationis, vel personalis interdicti ligatus, non potest actum proprium ordinis exercere; v. g. Missam celebrare, absolvere sacramentalitèr, baptismum solemnitèr conferre, nuptias benedicere, Sacram Eucharistiam Populo distribuere, Evangelium cum stola, nec Epistolam cum manipulo cantare: quin ob generalitatem textuum, & actum ordinis Minoris exercere prohibetur, si illum solemnitèr, & quasi ex officio proprio exerceat, *cap.* 2. *h. t. cap.* 1. *cap.* 20. *de Sentent. excom. in* 6. Et tenent *plures DD. cum Suar. de Cens. D.* 11. *sect.* 3. *n.* 1. *Barbos. in cap.* 2. *h. t. n.* 3. *contra D. Anton. Palud. Sotum, & alios*, qui dicunt, quod ad incurrendam irregularitatem, est necessarium exercere actum majoris ordinis. Qui ergo hujusmodi ministeriis se temere ingerit: 1. Beneficiis omnibus privatur, *cap.* 6. *h. tit.* & quidem ipso jure. *Barbos. in cap.* 6. *h. t. n. fin.* 2. Potest deponi ab officio, & beneficio Ecclesiastico per sententiam, & licèt Episcopus possit monere, si velit, *cap.* 3. *h. t.* non tamen est necessaria monitio ad hanc depositionem infligendam, *cap.* 4. *h. t.* 3. Fit irregularis ipso facto, & jure, *cap.* 6. & 7. 11. *q.* 3. *cap.* 9. *cap. fin. h. t. cap.* 1. *de Sentent. & re judic. in* 6. *cap.* 18. §. *fin. cap.* 20. *de Sentent. excom. in* 6. *Suar. de Censur. D.* 11. *sect.* 3. *ex n.* 1. Clericus censura ligatus exercens actum jurisdictionis, promulgando censuram, & absolvendo ab ea, sine stola tamen, vel dispensando in votis, vel juramentis, non fit irregularis. Nam tunc non actum ordinis, sed jurisdictionis exercet. Nec qui in censura existens ordinem suscipit: nam hic non exercet, vel ministrat ordinem, ac propterea non fit irregularis, sed tantùm suspenditur, *cap.* 1. *de eo, qui furtivè.* Qui matrimonio assistit, si illud non benedicat, vel qui cantat Evangelium sine stola, vel Epistolam sine manipulo, hi enim non fiunt irregulares: quia non exercent actum proprium ordinis. Quod si Subdiaconus calicem, & patenam ad Altare deferat, & Diaconus ministret, cum illud non sit munus proprium Subdiaconi, probabile est non fieri irregularem; secus est si Diaconus censura ligatus Eucharistiam dispenset ex licentia, vel sine illa: aut solemnitèr baptizet. *Suar. de Censur. D.* 11. *sect.* 3. *ex num.* 17. *Gonzal. in cap.* 4. *h. tit. num.* 4.

269 Quoties justa causa datur, quæ à peccato gravi excusset censuratum exercentem actum ordinis, etiam ab incursu irregularitatis eum excusat: irregularitas enim, ut pœna gravis, qualis in præsenti est, gravem culpam supponit in violatione censuræ; *arg. cap.* 6. 11. *q.* 3. *cap.* 4. *h. t. cap.* 1. *de Sentent. excom. in* 6. *Suar. de Cens. D.* 11. *sect.* 3. *n.* 5. quam limitationem solent adhibere omnes DD. Sic ab irregularitate immunis evadit: 1. Clericus censuratus, qui invincibilitèr ignorat, se esse censura ligatum, *capit.* 9. *h. t.* secus si habeat ignorantiam vincibilem crassam, vel supinam. *Gonzal. in cap.* 9. *h. t. n.* 6. 2. Si metu gravi motus hoc faciat: 3. Nec fit irregularis, si faciat actum in extrema proxima necessitate; v. g. si moribundum alio Confessario carentem in mortis articulo absolvat. *Trid. sess.* 14. *de Sacram. Pœnit. cap.* 7. 4. Si ex omissione illius actus scandalum, vel infamia Sacerdotis sequeretur, vel ejus peccatum occultum revelaretur;

5. Si

5. Si parvitas materiæ excuset; v. g. si Clericus suspensus privatim recitans dicat: *Dominus vobiscum*, vel si Episcopus in itinere sine solemnitate benedictionem impertiat: 6. Quando sententia censuræ evidentèr nulla est: 7. Quando quis juste appellavit à sententia censuræ contra se ferendæ, si ante absolutionem aliquem actum ordinis exerceat: 8. Si excommunicatus toleratus requisitus à fidelibus, & ob ipsorum utilitatem aliquod Sacramentum administraret: dum non sit alius, qui possit administrare: nam tunc utique poterit excommunicatus illud sine irregularitatis timore administrare: secus est, si temerè se ingerat, sine requisitione fidelium: vel quando nulla illis resultat utilitas: nam tunc irregularis fiet, sicut quando ante administrationem hìc, & nunc, facilè potest absolutionem censuræ petere: 9. Si talis Clericus excommunicatione minori tantùm sit ligatus, *cap. fin. h. t.* Siquidem per talem excommunicationem ipsi non est interdicta administratio, vel exercitium ordinum, sed tantùm Sacramentorum susceptio. *C. fin. h. t. Suar. de Cens. D.* 11. *sect.* 3. *per tot. Barbos. & Gonzal. in præs. tit. & alii com.* Hæc pœna irregularitatis imponitur exercenti usum activum potestatis ordinis, sivè in re talis administratio effectum habeat, sivè non: quia verè violat censuram per ordinis exercitium, & attentat Sacramentum administrare, quantum est in se. Hinc irregularis fit excommunicatus solemnitèr baptizans infantem, licèt invalidè ex defectu materiæ: vel absolvens pœnitentem invalidè ex defectu doloris. Idem est, si excommunicatus non toleratus invalidè absolvat ex defectu jurisdictionis. Si verò administratio sit invalida ex defectu intentionis probabilitèr non incurritur irregularitas, quia talis actio, etiam ut à Ministri intentione procedens, non est usus ordinis, sed fictio illius. *Suarez, de Cens. D.* 11. *sect.* 3. *ex n.* 13. *Gonzal. in cap.* 4. *h. tit. n.* 4. Ille quidem, qui est excommunicatus, & ipsi de excommunicatione constat, dubitat tamen, an talis excommunicatio sit valida, vel nulla, non potest actuum ordinis exercere sub pœna irregularitatis, *cap.* 5. *h. tit.* Sententia enim Pastoris, sivè justa, sivè injusta fuerit, timenda est, *cap.* 1. 11. *q.* 3. nec ipsum excusat appellatio interposita post sententiam excommunicationis inflictam: secus est de appellatione interposita ante sententiam latam, *cap.* 40. *de Sentent. excomm.* Quando verò quis est excommunicatus verè, sed de hoc dubitat, cum in hac materia tutior via sit eligenda, debet abstinere ab ordinum exercitio: donec absolvatur ad cautelam. Si tamen posteà constat, non fuisse excommunicatum, non erit irregularis, licèt aliquem ordinis actum exercuisset, dum erat dubium. *Suar. de Cens. D.* 11. *sect.* 3. *n.* 7. Clericus depositus, seu verbalitèr degradatus, hoc est, ab ordinibus, & gradibus Ecclesiasticis remotus, si in officio, à quo est depositus ministret excommunicandus est, *cap.* 1. *&* 2. *h. t.* Si posteà monitus non desistat, sed incorregibilis perseveret, in exilium per sæcularem potestatem, ad requisitionem Ecclesiæ, erit mittendum, *cap.* 2. *h. t. Barb. & Gonz. ibid.*

TIT. XXVIII.

De Clerico non ordinato ministrante.

270 PRæsens Rubrica agit de Clerico ministrante in ordine, quem non habet; v. g. si simplex Sacerdos ordines conferat, vel consecret, vel confirmet Ecclesias: quia Episcopatus, vel est ordo, vel tamquàm ordo ab omnibus reputatur. *Suar. de Censur. D.* 42. *sect.* 4. *n.* 7. vel si Diaconus Missam celebret: vel Subdiaconus cantet cum Stola Evangelium: vel in Minoribus constitutus Epistolam solemnitèr cantet cum Dalmatica, & Manipulo: imò si in uno ordine ex minoribus constitutus solemnitèr exerceat actum alterius ordinis minoris, quem non habet, ob generalitatem *textus in cap.* 1. *h. tit. L.* 29. *tit.* 6. *p.* 1. *Navarr. in Man. cap.* 27. *n.* 242. *Suarez, de Censur. D.* 42. *sect.* 4. *num.* 15. contra *Sylv. Angel. & alios.* Clericus ergo temerè ministrans, & quidem seriò, in ordine, quem non habet, actum exercendo, ut proprium illius ordinis: 1. Excommunicandus est per sententiam quidem, *cap.* 1. *h. t. Suar. de Cens. D.* 42. *sect.* 4. *n.* 2. Nam *in dict. cap.* 1. *h. t.* dicitur *quod abjiciatur ab Ecclesia*, quod hominis ministerium requirit: 2. Etiam ad biennium, vel triennium suspenditur ab exercitio Ordinis ultimo suscepti. *C. fin. h. t. L.* 29. *tit.* 6. *p.* 1. & si tunc se ingerat exercitio talis Ordinis, fit absolutè irregularis: 3. Nequit ad Superiores Ordines ascendere, ac

pro

proindè partialem irregularitatem incurrit *c.* 1. *&* 2. *h. t. L.* 29. *tit.* 6. *p.* 1. *Suar. de Censur. D.* 42. *sect.* 4. *n.* 7. Ubi dicit, quod simplex Sacerdos confirmans, vel ordinans manet irregularis, ne possit in Episcopum consecrari: in Sacerdotio verò manebit suspensus biennio, vel triennio arbitrio Episcopi: ab executione autem inferiorum ordinum non manebit impeditus, juxta *c.* 3. *h. t.* Præterea Laicus ministrans solemnitèr in aliquo ordine: v. g. solemnitèr baptizando, vel celebrando Missam incurrit irregularitatem, utpotè quod gravius delinquit, & majorem temeritatem committit, quam Clericus. Et precipuè ob generalitatem; *text. in c.* 1. *h. t.* ibi: *Si quis baptizaverit, aut aliquod Divinum Officium exercuerit, non ordinatus propter temeritatem abjiciatur de Ecclesia, & numquam ordinetur.* Ex quo textu etiam infertur, quod nullum ordinem accipere valet: nam illa negativa est absoluta. Sic *Suarez de Cens. D.* 42. *sect.* 4. *n.* 10. *Sot. Valent. & alii* contra *Angel. Enr. Castrop. Barbos. in c.* 1. *h. t. n.* 5. *& alios.* Et quia tales Laici gravissimè delinquunt, idcircò severissimè puniendi sunt ab Episcopis, & tradi possunt Curiæ Seculari, juxta *Constit. Clem. VIII. Et si alias. Et Urbani VIII. Apostolatus.* In nostra Hispania hoc delictum pertinet ad Inquisitores, ut constat ex Edicto Generali, & non est in usu pœna harum constitutionum. Sed Laicus hoc crimen exercens, si est vilis fustigatus, & ad triremes mittitur, si est persona honesta, ad triremes, vel in exilium mittitur. *Dian. in Sum.* V. *Inquisitores, n.* 164. *& seq.* At verò fœmina, vel non baptizatus, si actum ordinis exerceant, cum sint incapaces irregularitatis, aliter puniendi sunt. *Suar. de Censur. D.* 42. *sect.* 4. *n.* 20. Nec sanè irregularitatem incurrit, qui ex privilegio exercet actum ordinis, quem non habet: v. g. si cantet solemnitèr Epistolam, quia cum tunc non detur culpa, non oritur irregularitas. Et hac ratione.

271 Clericus qui ex ignorantia invincibili actum ordinis, quem non habet exercet, non fit irregularis: nam hæc, quia in præsenti pœnalis est, non incurritur, ubi non est culpa. *Suar. de Cens. D.* 42. *sect.* 4. *n.* 16. imò juxta *Avilam de Censur. p.* 7. *D.* 9. *sect.* 2. *dub.* 13. ab irregularitate excusat ignorantia etiam crassa: quia *text. in c.* 1. *h. t.* ait: *Propter temeritatem.* Nec irregularis fit Clericus, qui exercet aliquem actum ordinis, quem non habet, si hoc non seriò, sed joco, vel in aliqua scenica repræsentatione faciat: quod ex causa honestâ licitum est. Nam tunc non censetur in ordine ministrare. *Sylvest. Angel.* 2. *Navar. Man. cap.* 27. *n.* 241. *Suar. de Cens. D.* 42. *sect.* 4. *n.* 16. attamen quando seriò ministrat, licèt fictè, & sine intentione actum exercendi, irregularis fit: ponit enim seriò actum externum, & quantum requiritur ad ejus externam executionem: alias facilè hæc irregularitas, eluderetur prætextu hujus fictionis: nec posset facilè temeritas hoc facientium coerceri. *Suarez de Censur. D.*42. *sect.* 4. *n.* 18. *& alii* contra *Navar. Man. cap.* 27. *n.* 242. *& alios.* Qui ministrat in ordine, quem suscepit, sed tamen invalidè, verè fit irregularis: nisi ob ignorantiam defectus excusetur: sic fit irregularis ille, qui Missam celebrat, quando in ejus ordine est omissa traditio patenæ cum hostia, & calicis cum vino, & sic intelligitur. *C. fin. h. t.* ubi per manuum impositionem intelligitur tota ordinatio Sacerdotalis. *Glos. ibid. Suar. de Cens. D.* 42. *sect.* 4. *ex n.* 11. Si verò posita traditione patenæ cum hostia, & calicis cum vino omittatur impositio manuum, per quam potestas absolvendi datur, si aliter ordinatus absolvat, irregularis fit, quia verè ministrat in ordine, quem non habet: secùs verò, si Missam celebret, quia manuum impositio respectu talis actionis est accidentalis. Sanè quando in ordinatione aliquid accidentale omittitur, non potest licitè, & sine culpa gravi sic ordinatus, antequam ille defectus suppleatur, ministrare. Si tamen ministret, non incurret irregularitatem, utpotè in jure non expressam; *arg. c.* 18. *de Sent. excom. in* 6. si verò defectus est levis, non erit supplendus *Suar. de Cens. D.* 42. *sect.* 4. *n.* 12. Nec item fit irregularis Clericus, qui in ordine, quem non habet, sine solemnitate tamen illius ordinis propria ministrat: v. g. si in officio solemni cantat Epistolam sine Manipulo, vel Evangelium sine Stola: nam hæc sunt insignia talium ordinum propria. Olim quidem in irregularitate proveniente ex tali administratione solus Pontifex dispensabat. *c.* 1. *de Sentent. & Re jud. in* 6. hodie verò si delictum sit occultum, dispensat Episcopus. *Ex Trid. sess.* 24. *de Reform. cap.* 6. *Barb. in C. fin. h. t. num. fin.*

TIT. XXIX.

De Clerico per saltum promoto.

272 CLericus, qui cum sit Subdiaconus: v. g. in Sacerdotem ordinatur dicitur per saltum promotus: quia omisso ordine medio saltat ad superiorem. *C. un. D.* 52. *c.* 2. *& fin. D.* 59. *Trid. sess.* 23. *de Sacram. Ord. c.* 2. *& de Ref. cap.* 11. Idem etiam dicendum est, de eo, qui ad minores Ordines ascendit, omissa prima tonsura: nam etiam si hæc apud plures non sit ordo, est tamen dispositio, & gradus ad Ordines. *Barbos. de Offic. Episc. allegat.* 47. *n.* 7. *Et in C. unico, h. t.* & est declaratum *à S. Congr. apud. Galemart. ad Trid. sess.* 23. *de Ref. c.* 14. Ordo per saltum susceptus validus est, & valide quis recipit Sacros Ordines, etsi nullum de minoribus habeat. *Glos. fin. in C. unic. h. t. Barbos. & Gonzal. ibid.* Nisi omisso Sacerdotio, quis ad Episcopatum promoveatur: quia cum Episcopatus Sacerdotium essentialiter supponat, Sacerdotio omisso invalidè Episcopatus suscipitur: accepto verò Sacerdotio, etiam inferioribus Ordinibus omissis, validè Episcopus consecratur, Clericus sic promotus nullam incurrit irregularitatem: quippè in jure non expressam; *arg. C. unic. h. t. & Trid. sess.* 23. *de Ref. cap.* 14. Incurrit tamen suspensionem, & quidem ipso jure, saltem quando scienter ordinatus est. Nec potest in suscepto ordine ministrare, donec omissus supplleatur, nec ad ordines superiores valet ascendere: quin nec ordinem omissum potest suscipere, nisi Episcopus dispenset. *C. un. D.* 52. *Hostiens. Soto, Greg. Lop. Navarr. in Man. cap.* 27. *num.* 242. *Suar. de Censur. D.* 31. *sect. ex num.* 45. & colligitur *ex Trident. sess.* 23. *de Ref. cap.* 14. contra *Archidiacon. Turrecr. Diaz, & alios*, qui sententiam Judicis ad talem suspensionem requirunt. Ne quidem in inferioribus etiam ritè susceptis ministrare potest, quia ad talem casum suspensionem extendit, contra *Suar. de Cens. D.* 31. *sect.* 4. *n.* 48. *& alios* tenent *Majol. de Irregul. lib.* 4. *c.* 12. *Gonz. in C. un. h. t. n.* 6. & espressè habetur in *L.* 28. *tit.* 6. *p.* 1. ibi: *Otrosi tovo por bien Sancta Eglesia, que si algun Clerigo saltasse de una Orden à otra, dexando alguna entre medias, como si faesse de Epistola, è se ordenasse de Missa, que despues non debe usar de aquella Orden, que ansi recibiò, nin de la otra, que ante habia, fasta que haya cumplido la penitencia, que le pusiere su Perlado, è él haya recibido la Orden, que entre medias dexarà.* Si tamen in Ordine per saltum suscepto temerè ministret, ut violator censuræ, scilicèt suspensionis: irregularitatem incurret. Similiter si in Ordine prætermisso. ministret. *c.* 1. *de Sentent. excomunicat. in* 6.

273 Episcopus potest dispensare cum sic promoto, ut Ordinem omissum recipiat, ut in suscepto ministret, & ut ad altiores ascendat; si in ordine per saltum suscepto non ministravit, sive ignoranter, sivè scienter Ordinem suscepisset, insuper habita hac distinctione, quam insinuat: *c. un. h. t. & c. un. D.* 52. siquidem. *Trid. sess.* 23. *de Refor. cap.* 14. generaliter loquitur, & etiam. *Leg.* 63. *tit.* 5. *p.* 1. ibi: *E con los que se ordenassen de Mayores, dexando otras en medio.* Ac proindè, & generaliter, etiam quando delictum publicum est, intelligi debet. *Suar. de Cens. D.* 31. *sect.* 1. *n.* 47. contra *Gregor. Lop. in l.* 63. *tit.* 5. *p.* 1. V. *Otras en medio.* Non tamen potest Episcopus dispensare cum sic promoto, si in Ordine suscepto per saltum ministravit quando delictum publicum est: nam tunc hanc facultatem negat. *Trid. sess.* 23. *de Reform. cap.* 14. siquidem irregularitatem incurrit, etiam si per crassam ignorantiam esset ordinatus, cum Concilium loquatur generaliter: quando vero delictum est occultum potest Episcopus dispensare in irregularitate, & suspensione contracta à sic ordinato juxta facultatem. *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 6. *Gonzal. in c. un. h. t. n.* 6. Et licèt *Trid. sess.* 23. *de Reform. c.* 4. ad Ordines suscipiendos confirmationem prærequirat, non tamen, ut quid essentiale illam requirit: ideò si quis ad Ordines promoveatur, etiam Sacramento confirmationis non suscepto, non incurrit suspensionem, utpotè nullo jure expressam: imò nec gravitèr peccat, qui omissa confirmatione citra contemptum Ordines suscipit, vel in suscepto ministrat. *Nav. in Man. cap.* 22. *n.* 9. *Suar. de Sacr. tom.* 3. *part.* 3. *D.* 38. *sect.* 3.

TIT. XXX.

De eo, qui furtivè Ordinem suscepit.

274 FUrtivè Ordinem suscipere dicitur ille, qui per dolum se ingerit ordinandis sine licentia, & consensu proprii Episcopi, & sine prævio examine : vel qui ignorante ipso Episcopo, qui illum ordinat, suscipit Ordinem, vel qui sine dispensatione eodem die duos Ordines majores suscepit. *C. fin. h. t. L.* 28. *tit.* 6. *p.* 1. vel minores cum Subdiaconatu, nisi hoc induxerit consuetudo. *c.* 2. *h. t. Barbos. ibid.* Qui sic suscipit Ordinem suspensionem ab executione Ordinis sic suscepti incurrit: ideòque prohibetur in eo ministrare. *C. fin. h. t.* Et cum censura impediat ordinum susceptionem consequentèr non potest ad Ordines superiores ascendere. *c.* 1. *h. t.* Et si susceptio est ab Episcopo sub excommunicatione prohibita, talis suscipiens, ut excommunicatus, etiam ab executione ordinum ritè susceptorum suspenditur. *L.* 28. *tit.* 6. *p.* 1. ibi *La pena, que debe haber el que se ordenasse en alguna de estas maneras, es que non puede usar de aquellas Ordenes, que assi recibiesse, nin de las otras, que ante havia recibido.* Ab hac tamen suspensione excusat ignorantia, vis, vel metus gravis. Nam cum suspensio sit pœna gravis gravem supponit culpam : qua deficiente in ordinato, ut in his casibus deficit, non est imponenda suspensio. *Suar. de Cens. D.* 31. *sect.* 1. *ex num.* 59.

275 Qui Ordinem furtivè suscepit, non incurrit irregularitatem : cum hæc in jure non sit expressa; *arg. c.* 18. *de Sent. excom. in* 6. nam quod non possit ad Ordines superiores ascendere, ut dicitur. *c.* 1. *h. t.* non est hic, & nunc effectus irregularitatis, sed suspensionis. Nam in *C. fin. h. t.* declaratur per privationem executionis Ordinis suscepti: quare in utroque casu est sermo de suspensione. *Suar. de Cens. D.* 31. *sect.* 1. *n.* 57. Quando antecedentèr non est prohibita ab Episcopo sub excommunicatione talis susceptio dispensat Episcopus cum eo, qui Ordinem furtivè suscepit, etsi delictum sit notorium : si talis prohibitio præcessit solus Papa dispensat *c.* 1. *h. t.* nisi delictum sit occultum: Nam tunc poterit Episcopus dispensare. *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 6. Quin etiam, quando sic ordinatus Religionem ingreditur, & ibi aliquandiù laudabilitèr vivit, potest Episcopus cum eo dispensare. *c.* 1. *h. t.* & probabiliter etiam Prælatus Regularis, ut ex *Epigraphe dict. c.* 1. *h. t.* constat. Ordo furtivè susceptus valet, & sic ordinatus characterem recipit, nisi ordinans seriò, & positivè nollet tales ordinare. Nam tunc tales non erunt ordinati. *Barb. c.* 1. *h. t.* Si publicè Episcopus protestetur, se nolle furtivè accedentes ordinare, & dubitetur an tantùm animo absterrendi hujusmodi dolosos dixisset: licèt possit præsumi, Episcopum habere intentionem generalem ordinandi, nihilominùs securius est, Ordinem sic susceptum, saltem sub conditione repetere. *Lugo de Sacram. D.* 8. *n.* 119. *Gonz. in C. fin. h. t.*

TIT. XXXI.

De Excesibus Prælatorum, & Subditorum.

276 IN præsenti titulo enumerantur excessus, seu delicta, quibus Prælati in Subditos delinquunt. Mandat enim *Alex. III. in c.* 1. *h. t.* Episcopis, ne in Præbyteros exerceant tallias, & exactiones indebitas, ne irrationabilitèr gravent, vel inhonestè eos tractent nec eos sine judicio Capituli suspendant, vel eorum Ecclesias interdicto subjiciant, ne permittant Clericos duas Ecclesias tenere, quando una sufficit : nec eos sine Ordine judiciario excommunicent. Hodie tamen ex consuetudine legitime præscripta, non requiritur Capituli consensus, ut Episcopus inquirat, & puniat crimina suorum subditorum. *c.* 3. *de Consuet. in* 6. etiam delinquunt Episcopi, si liberent à subjectione, & obsequio Prælati inferioris Ecclesiam ipsi subjectam. *c.* 2. *h. t.* Nec possunt Episcopi sibi ipsis retinere, vel conferre Ecclesias, vel beneficia, quæ pertinent ad eorum collationem, vel ordinationem *c.* 3. *h. t.* Nam inter dantem beneficium, & illud accipientem debet dari personarum distinctio. *C. fin. de Instit.* Nec potest quis sibi ipsi, seu in facto proprio, authoritatem præstare. §. *fin. Instit. de Author. Tutor.* Nec possunt aliquid exigere, vel præcipere Subditis privilegiatis contra tenorem privilegii Apostolici : quod si sor-

sone precipiant, possunt subditi non obedire Episcopo. *c.* 5. *h. t.* Nec enim inferior, qualis tunc est Episcopus, aliquid potest disponere contra Legem superioris, qualis est Pontifex. *c.* 16. *de Major. & obed.* Quod si Episcopus, excommunicatione adjecta, urgeat præceptum, excomunicatio est nulla. *c.* 7. *h. t.* Si Episcopi directè, vel indirectè, homicidio causam præstent, eo secuto fiunt irregulares, & Officio Pontificali, & Sacerdotali sunt privandi, & amovendi ab Episcopatus administratione. *c.* 10. *h. t.* Nec item debent indignis beneficia conferre. *c.* 11. *h. t.* Nec possunt Sacerdotes sibi subjectos obligare, ut revelant peccatorem, vel pecatum in Sacramentali confessione auditum. *c.* 13. *h. t.* Denique *Gregor. IX.* Universis Ecclesiarum Prælatis mandat, ne vexent, vel gravent Religiosos, gravaminibus relatis in *c.* 16. & 17. *h. t.* de aliis excessibus contra Religiosos etiam fit mentio in *Cl. un. h. t.*

277 Prælati Episcopo inferiores nequeunt jurisdictionem Superiorum perturbare: ac proinde non possunt Ecclesias suas, vel sibi subjectas alteri unire, sine Episcopi consensu: etiam si Metropolitani accedat authoritas. *c.* 8. *h. t.* Nec possunt sine speciali privilegio indulgentias concedere, nec imponere publicas, & solemnes pœnitentias, nec de causis matrimonialibus cognoscere. *c.* 12. *h. t.* Quod hodie magis debet servari, siquidem ex *Tr. sess.* 24. *de Ref. cap.* 20. Causæ matrimonialis, & criminalis reservantur examini, & jurisdictioni solius Episcopi, non obstantibus quibuscumque privilegiis, & consuetudinibus, nisi fuerit consuetudo immemorialis juxta declarationem *S. Congreg. Cardin.* Hi, & alii Prælatorum excessus referentur in *L.* 14. & *seqq. tit.* 22. *p.* 1. Deindè: Subditi contra suos Prælatos delinquunt. Si Vicarii Ecclesiarum sibi usurpent personatum Ecclesiasticum contra fidem, & juramentum præstitum. *c.* 6. *h. t.* Si Clerici singulares habeant commune sigillum Collegii, eoque utantur sine superioris consensu. *c.* 14. *h. t.* Si negent contra juramentum, & fidem datam, Prælatum esse suum Superiorem: vel si de illo coram Judice Sæculari in causa spirituali conquerantur: vel ipsum invadant, vel præbeant adversariis illius consilium contra ipsum. Quocumque ergo ex delictis commissum deponi debent, seu beneficiis per sententiam Judicis privari. *c.* 15. *h. t.* Etiam delinquunt Subditi, si violent interdicta lata à Prælatis. *C. fin. h. t.* Interdicta quidem, & alias Censuras Ecclesiasticas ab Episcopis inflictas: item festivitates indictas ab ipsis tenentur Regulares, etiam exempti, servare. *Trid. sess.* 25. *de Reg. c.* 12.

TIT. XXXII.

De novi operis Nuntiatione.

278 QUilibet in suo solo potest liberè edificare, imò, & ædes usque ad Cœlum tollere: etiam si domus vicini aliquod patiatur incommodum, quia claritas, vel liberior prospectus impediatur. *L.* 8. *C. de Servit. L.* 2. *tit.* 31. *p.* 3. Dummodo vicinus non habeat servitutem ab ædificante constitutam altius non tollendi, vel luminibus, vel prospectui non officiendi. Similitèr potest molendinum, fontem, vel puteum in suo prædio facere, etiam si lucrum vicini aliquomodo minuatur. *L.* 18. *L.* 19. *tit.* 32. *p.* 3. Aliquando tamen constitutionibus Municipalibus ob bonum publicum, & ob Civitatis pulchritudinem hæc libertas ad certam mensuram restringi solet. Prætereà ob Religionis favorem non licet ædificium privatum ita attollere, vel fenestras aperire, ita ut ex eis videantur personæ Religiosæ, præcipuè Moniales intra Monasteria habitantes. Similitèr prohibetur ædificium facere propè murum Civitatis, vel Villæ. Olim quidem intra quindecim passus, ne ex ejus vicinia damnum Civitati inferatur. *L.* 22. *tit.* 32. *p.* 3. Hodie verò non potest intra 300. passus fieri ædificium. *L.* 1. *tit.* 7. *lib.* 3. *R. Ind.* ibi: *Mandamos, que cerca de los Castillos, y Fortalezas estè limpia, y desocupada la Campaña; y si hubiere Casa, ò Edificio trescientos passos al rededor de la Muralla, ò tan fuerte, que en mayor distancia haga perjuicio, se demuela, pagando de nuestra Real Hacienda al dueño lo que montare el daño, y perjuicio, que huviere recibido.* Nec potest quis ædificare in loco publico Civitati; v. g. in foro, vel in via. *L.* 23. *tit.* 32. *p.* 3. nec propè Ecclesiam possunt ædificia fieri, nisi ad usum pium destinata sint. *L.* 24. *tit.* 32. *p.* 3. Quod si in his casibus aliquod ædificium contra prohibitionem apponatur, debet destrui. Similiter si vicinus timet damnum imminens ex domo vicini Judex faciet eam demoliri, si ireparabilis est. Si autem

tem reparari potest, Judex Dominum coget ad ejus refectionem, vel ad præstandam vicino cautionem de damno infecto, id est, damno non facto, sed imminenti, ut damnum, si quod vicino infertur, resarcitur: quod si cavere recuset, vel in termino à Judice assignato non reparet domum, hæc dabitur vicino timenti ruinam, quod si domus casu fortuito cadat; v. g. terræ motu, non tenetur Dominus de damno, sed solùm quando vitio domus corruisset. *L.* 10. *tit.* 32. *p.* 3. *tot. tit. ff. de Damno infect.*

279 Etiam potest prohiberi, quod aliquod novum ædificium fiat, & hoc dicitur *opus nuntiare. Novi ergo operis nuntiatio est prohibitio legitima, ne aliquod opus novum fiat, vel ne extructum immutetur, & ne inœpta constructione, aut mutatione peragatur, donec constet de jure ædificantis: vel eo nomine cautio præstetur. L.* 1. *ff. h. t. Gonz. in c.* 4. *h. t. num.* 3. Et fit, aut juris nostri conservandi causa, aut damni depellendi, aut publici juris tuendi gratia. *L.* 1. §. 16. *ff. h. t.* Hanc igitur prohibitionem à Legibus Civilibus desumpsit Jus Canonicum, quia (ait Pontifex *in c.* 1. *h. t.*) *Sicut Leges non dedignantur Sacros Canones immitari ita, & Sacrorum Canonum statuta Principum Constitutionibus adjuvantur.* Et hinc generaliter in quacumque materia tenendum est, Jus Civile supplere, quod deest Juri Canonico, & è contra: Et in Hispania Jus Regum supplere, quod omittitur Jure Canonico, & è contra. Tripliciter quidem novum opus nuntiatur ex *L.* 5. §. 10. *ff. h. t. L.* 1. *tit.* 32. *p.* 3. 1. *Per Magistratum*, petendo ab ipso, ut prohibeat novum opus fieri. 2. *Per manum appositionem* dispergendo, scilicet, materialia ad ædificandum parata, vel amovendo lapidem ex opere cœpto, vel per jactum lapili, & simul verbis, vel signis significando operis prohibitionem. 3. *Per verba tantùm* prohibendo ædificanti ne in opere cœpto prosequantur. Sed quia sic nuntians meticulosus censetur, & relinquere possessionem contrario, ideò hic modus nuntiandi non est consulendus, sed semper erit securius, & consultius ad Judicem recurrere. *Gonz. in c.* 4. *h. t. n.* 4. Cùm igitur hoc Edictum sit prohibitorium, non in præteritum, sed solùm in futurum respicit, ac proindè si opus jam sit perfectum, non est huic Edicta locus; sed Interdicto *Quod vi, aut clam.* Habet ergo nostrum Edictum locum, quando opus novum est incohatum, & nondum perfectum. *L.* 1. §. 1. *ff. h. t.* Deindè requiritur, quod opus, quod fit, sit novum: tale nempè facere censetur, qui ædificando, vel detrahendo, pristinam facient operis mutat: qui enim vetus ædificium reficit, vel fulcit, non facit novum opus: sed veteri sustinendo, remedium addibet, dum pristina forma ædificii non immutetur. *L.* 1. §. 11. & 13. *ff. h. t. Gonzal. in c.* 4. *h. t. num.* 5. *Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 706. *n.* 10. *L.* 1. *tit.* 32. *p.* 3. ibi: *Labor nueva es toda obra, que sea fecha, è ayuntada por cimiento nuevamente en suelo de tierra, ò que sea comenzada de nuevo sobre cimiento, ò muro, ò otro edificio antiguo, por la qual labor se muda la forma, é la facion de como ante estaba.* Denique requiritur, quod opus, quod nuntiatur sit solo conjunctum, seu conjungendum, ut ibi permaneat: nec enim novi operis nuntiatio fit contra colligentes messem, succidentes arbores, vel vineam, &c. *L.* 1. §. 12 *ff. h. t. Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 706. *n.* 8. Nec interest an ædificium sit profanum, vel Ecclesiasticum, vel an fiat in loco publico, vel privato, vel Sacro vel Religioso: quia nec Ecclesia est in alterius præjudicium construenda. *c.* 1. *c.* 2. *h. t. L.* 1. *ff. eod.* Nec obest, si nuntiatio, etiam coram Judice die feriato fiat: quia tantùm procedit de plano. *L.* 1. §. 4. *ff. h. t. Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 706.

280 Si opus cedat in boni publici præjudicium, quilibet de populo potest nuntiare. *L.* 3. §. *fin. L.* 4. *ff. h. t. L.* 3. *tit.* 32. *p.* 3. dum non sit infamis, mulier, vel pupillus. *L.* 4. *L.* 6. *ff. de Popular. action.* Quando opus, quod fit, cedit in præjudicium privatorum, possunt aliud nuntiare per se, & sine Judicis authoritate, omnes illi, quorum interest, ne tale opus fiat. *L.* 1. § 2. *ff. h. t. L.* 1. *tit.* 32. *p.* 3. ibi: *E puedela vedar, ò estorvar todo ome, que tenga, que recibe tuerto por ella.* Vel quia ad nuntiantem pertineat dominium proprietatis, vel etiam utile illius, rei cui novum opus infert damnum: vel quia prætendat ad ipsam jus habere. *L.* 1. §. 19. *ff. h. t.* Potest ergo nuntiare novum opus, qui tantùm habet dominium utile, ut feaudatarius emphiteuta, superficiarius. *L.* 3. §. 3. *ff. h. t.* creditor, cui fundus est assignatus pro hypotheca. *L.* 9. *ff. h. t.* Qui habet servitutem realem, urbanam, vel rusticam in fundo, in quo opus fit. *L.* 8. *ff. h. t.* Qui servitutem merè per-

sonalem habet, nequit nuntiare adversus Dominum illius prædii : potest tamen agere actione confessoria pro vindicando usufructu, & interesse. *L.* 2. *ff. h. t.* Possunt item nuntiare negotiorum gestor, filius, mancipium, mercenarius, amicus, vel procurator nomine ejus, qui patitur damnum ex tali opere Si autem nuntiantes nomine alieno careant mandato speciali, debent de rato cavere, hoc est, Dominum habiturum ratam nuntiationem. *L.* 5. §. 18. *ff. h. t.* Imò, & pupillus potest nuntiare, etiam sine Tutore, quando ex hoc commodum sine detrimento capit. Nempè coram Judice, vel jactu lapilli nuntiando : non verò verbaliter, quia possessionem amitteret. *L.* 5. *ff. h. t. Gonzal. in c.* 4. *h. t. n.* 6. Nuntiatio potest fieri non solùm vicino particulari, sed & proprio, seu contra proprium superiorem nuntiantis. *L.* 8. *ff. h. t.* Imò, & contra Dominum fundi, si hic in præjudicium nuntiantis ædificet. Similiter contra infantem, & furiosum, etiam sine Tutoris, & Curatoris authoritate, dum tamen fiat in loco, vel propè locum ædificii. Etiam fabris, servis, vel etiam mulieribus fit nuntiatio ita, ut ad notitiam ædificantis hæc pervenire valeat. *L.* 5. §. 3. *ff. h. t.*

281 Nuntiatione facta sivè juxtè, sivè injustè, dummodo notorium non sit jus ædificantis, debet, qui opus novum incœpit, etiam si Ecclesia sit, ab eo desistere, & cessare ; donec de jure ædificandi constet. *L.* 8. §. 4. *ff. h. t.* Nuntiatio enim se habet per modum appellationis extrajudicialis, qua pendente, nil licet innovare, & si fortè quid innovetur, revocatur. Ideò si post nuntiationem adhuc opus continuetur, demoliri debet expensis ædificantis ante omnem cognitionem judicialem. *L.* 20. *ff. h. t.* Imò nuntians potest in continenti, secus ex intervallo, ædificatum in proprio fundo nuntiantis propria authoritate demoliri : quasi vim vi repellendo. *L.* 27. *ff. de Servit. urban. præd.* quin, & contra Dominum fundi : sed tunc debet præcedere nuntiatio. *L.* 5. §. 10. *ff. h. t.* Siquidem in suo solo ædificans non censetur inferre vim alteri, ante nuntiationem. Cessat tamen nuntiatio novi operis. 1. Si periculum sit in mora, ita ut dilatio damnum grave probabiliter sit allatura volenti ædificare. *L.* 5. §. 12. *ff. h. t.* 2. Si est notorium jus ædificantis : Nam Leges non debent manifestas injurias favere. *Barbos. in c.* 2. *h. t. n.* 2. 3. Si Prætor revocavit nuntiationem factam. *L.* 16. *ff. h. t.* 4. Si nuntians jure, nollit de calumnia, quando hoc à parte exigitur. *L.* 5. §. 14. *ff. h. t.* 5. Si nuntians remisit nuntiationem. *c.* 2. *h. t.* Nam quilibet potest suo juri renuntiare. 6. Si mortus est nuntians re adhuc integra, hoc est, antequam aliquid sit ædificatum. *L.* 8. §. 6. *h. t.* quia nuntiatio ex parte nuntiantis est personalis: ex parte tamen nuntianti est realis: nam potius fit in rem, quam in personam. *L.* 10. *ff. h. t.* Ac proindè, non solùm in hæredem, sed etiam in emptorem rei nuntiatæ transit nuntiatio. *L. fin. ff. h. t. Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 706. Et quamvis nuntians non teneatur admittere cautionem de opere destruendo, quando constat injuste extructum esse. *c.* 3. *& fin. h. t.* nam *melius est intacta jura servare, quam post vulneratam causam remedium quærere. L. fin. C. In quibus causis in integr.* tamen potest huic juri renuntiare, eamque admitere. Et tunc ædificans potest prosequi : attamen nuntians tenetur talem cautionem admittere, quando periculum est in mora ædificii, vel quando ipse nuntians non probavit intra trimestre, sibi competere jus prohibendi ædificium. *c.* 30. *fin. h. t.* ne ædificia longo tempore inanibus nuntiationibus prohibeantur. *Gloss. in C. fin. h. t.* V. *Non obstante.*

TIT. XXXIII.

De Privilegiis, & excesibus Privilegiatorum.

282 *Privilegium* (quod in jure aliquando *gratia*, *beneficium*, *indulgentia*, *& favor appellatur*) *est Lex privata concedens aliquod beneficium, vel favorem contra, vel præter Jus Commune, c.* 3. *D.* 3. *Suarez de Legib. l.* 8. *cap.* 1. *n.* 3. Si enim nihil speciale concederet, quod Jure Communi, vel saltem Municipali non sit concessum, inutile foret privilegium. *C. fin.* 25. *q.* 1. nam superfluum est precibus postulare, quod jam Lege permissum est. *L. un. C. de Thesaur. lib.* 10. *Suar. de Leg. lib.* 8. *c.* 1. *n.* 4. Sufficit tamen, quod privilegium aliquid concedat, quod tali personæ, vel communitati prohibitum sit, Jure Municipali, quamvis alias Jure Communi liceat, & sic intelliguntur *Text. in c.* 7. *de Procur. c.* 26. *v. fin. de Jur. jur.* Aliquan-

quando solent dici privilegia illæ gratiæ, in quibus licèt nihil de novo, nec speciale concedatur ad majorem securitatem conceduntur, sed hæc sunt privilegia Juris Communis declarativa, non verò specialis beneficii concessiva. In dubio tamen, an aliquod privilegium sit purè declarativum, vel concessum pro concessivo habendum est, ut deducitur *ex c.* 30. *h. t.* Ubi Fratres Prædicatores, & minores privilegium habentes, ut ubique possint cum Altari Viatico celebrare, hoc sine licentia Prælatorum possunt facere: ne alias nihil conferret eis memorata indulgentia, seu privilegium sine quo, id, Prelatis annuentibus, liceret eisdem. Et concludit Summus Pontifex: *Datam eis sic licentiam celebrandi auctoritate nostra non differas publicare, ita quod dicti Fratres aliquam ex indulgentia nostra videantur in hoc gratiam consecuti. Suar. de Legib. cap.* 1. *& ex n.* 7.

283 Licèt privilegium non sit verè Lex, cum hæc immediatè respiciat bonum totius Reipublicæ, quando è contra privilegium à Lege eximit privilegiatum: & bonum alicujus personæ, Collegii, vel communitatis tantum respicit: tamen dicitur Lex per quamdam analogiam: Nam sicut Lex ad sui observantiam obligat eos, in quos fertur, ita privilegium obligat non privilegiatos, ne privilegiatum in sui privilegii usu impediant. Et quidem per modum Legis datur cum aliqua stabilitate ad omnes actus, qui durante privilegio fiunt. Nec enim conceditur privilegium, sicut dispensatio, sine durationè, & ad unum actum tantum, v. g. ad ordines suscipiendos, vel contrahendum matrimonium. *Suar. de Legib. lib.* 8. *c.* 2. *n.* 10. Licèt alias dispensatio cum privilegio conveniat in eo, quod dispensatio sit favor, & gratia, & non solum est *præter*, sed etiam *contra* Legem. Privilegium contra Jus naturale, vel Divinum concessum, vel bonis moribus contrarium, vel in magnum Reipublicæ damnum nullius momenti est. *c.* 1. *D.* 10. *l.* 5. *C. de Leg. l.* 16. *C. de Sacros. Eccles.* Potestas enim Principibus, etiam R. Pontifici concessa, ad indulgenda privilegia, non in destructionem, sed tantum in conservationem, & ædificationem Ecclesiæ, & Reipublicæ conceditur. *Trid. sess.* 14. *de Pœnit. cap.* 7. Quando privilegium est circa materiam, quæ Legislatoris subjaceat potestati, non requiritur justa causa, ut validè concedatur: quia cum ipse Legislator possit abrogare Legem respectu omnium subditorum, utpotè à sua unicè voluntate pendentem, quare non poterit ab ea aliquam personam, vel communitatem eximere? Ut verò talis concessio licità sit, justa causa requiritur. Nam si esset præter Jus Commune speciem prodigalitatis, & acceptionis personarum refert. Si verò est contra jus, opponitur distributivæ, imò, & legali justitiæ, quæ exigunt nullum eximi sine justa causa ab obligatione communi. *Suar. de Legib. lib.* 8. *cap.* 21. *n.* 2. *& seqq.* Hinc clarè paret disparitas, cum concessione indulgentiarum. Has enim sine justa causa nequit Papa concedere, qui eas non concedit, ut Dominus, sed ut dispensator meritorum Christi, qui in talem dispensationem, non censetur consentire, nisi salubritèr fiat, ex juxta, scilicèt causa. *Extr. Unigenitus*, 2. *de Pœnit. & remis. inter com.*

284 Privilegium concessum à Principe contra Jus Commune, quod clausula speciali contra privilegia non sit roboratum, Juri Communi derogat, etiamsi de eo Princeps mentionem non faciat: quippè jura omnia in scrinio pectoris censetur habere: secùs si contra aliquod statutum speciale, vel municipale; vel contra aliquam localem consuetudinem, vel contra jus tertii privilegium concedatur. Cum enim hæc omnia, quid facti sint, non præsumitur, Principem ea scire, ac proindè nec eis derogare velle, etiam quando motu proprio concedit privilegium, nisi specialem de eis faciat mentionem. *c.* 1. *de Constit. in 6. Suar. de Legib. lib.* 8. *cap.* 14. Similitèr dicendum est, quando Jus Commune aliqua clausula resistit communi derogationi: nam de ea debet fieri mentio: alias sine ullo effectu esset apposita, cum verba aliquid operari debeant. *c.* 10. *h. t. in 6.* Quando verò privilegium est insertum in corpore juris, si contra ipsum aliud concedatur prævalet utique talis concessio contra privilegium in corpore juris inclusum, etiam si illius specialis mentio non fiat, dummodo in priori privilegio non sit specialis clausula resistens contrariis privilegiis: Siquidem illud privilegium jam tamquam Jus Commune, quoad scientiam illius reputatur. *Ita Suar. de Legib. lib.* 8. *cap.* 14. *n. fin. cum aliis* contra *Panorm. & alios.* Et licèt ad privilegii faciliorem probationem requiratur scriptura. *c.* 8. *D.* 100. Et gratiæ Apostolicæ ante expeditas litteras qua-

quasi informes, præcipuè in foro externo censeantur: non tamen requiritur ad illius valorem: siquidem consuetudine, vel præsciptione potest privilegium induci, & à Principe plura vivæ vocis oraculo solent concedi. *c.* 7. 25. *q.* 2. *Cl.* 2. *de Sepult.* ibi: *Universa privilegia, gratias, indulgentias; verbo seu scripto concessas. Extr. fin. de Pœnit. & remiss. inter com.* Nam privilegii valor unicè à Principis voluntate descendit: hæc ergo sive in scriptis, sive in voce tantum attendi debet. Hinc non valebit privilegium sine scriptura, quando hæc expressè à Principe requiritur, ut in facultate non residendi in beneficiis curatis, quæ quidem in scriptis debet ab Ordinario concedi. *Trid. sess.* 23. *de Reform. cap.* 1. Idem est de facultate ingrediendi Monasterium Monialium. *Trid. sect.* 25. *de Reg. cap.* 5. nam tunc licentia Episcopi, vel Superioris debet obtineri in scriptis. Item si Pontifex conferat, vel uniat beneficia Ecclesiastica, vel confirmet electum. *Ext.* 1. *de Elect. inter com.* vel si Papa pro foro externo dispenset. *Reg.* 52. *Cancel.* vel si Judicem deleget *Reg.* 27. *Cancel.* & justa aliquos gratu, ut quis aliquid operetur quod sine ea non poterat, indiget ad sui valorem scriptura. Gratia tamen, quæ in facto consistit, & non in jure ad agendum, ut dispensatio irregularitatis, sine litteris valet. *Sylv.* V. *Privilegium*, *n.* 24. *Suar. de Leg. lib.* 8. *cap.* 2. *Laym. lib.* 1. *t.* 4. *cap.* 23. *Molin. de Just. tr.* 2. *D.* 599. *& alii.*

285 Privilegium potest à Principe concedi invito, & ignoranti: nam sicut Legis obligatio præcisè à Principe pendet, ita & exemptio ab ipsa. Sic potest concedi privilegium non solvendi decimas, vel gabellas. Sed ne Principis gratiæ contemnantur, & hæ tantum indigentibus, & pertinentibus dentur, non solent hujusmodi gratiæ concedi, nisi volentibus, & acceptantibus directè privilegiatis: in privilegiato tamen indirectè nec scientia, nec acceptatio privilegii requiritur. Sic quilibet de communitate, etiam ignorans, gaudet privilegio communitati concesso. Privilegium motu proprio, vel ad instantiam sine tertii privilegiati mandato concessum, regulariter non habet effectum ante acceptationem privilegiati, sicut donatio, cujus speciem refert privilegium, consensu donatarii indiget. Si privilegium ad instantiam partis per litteras, vel nuntium illud postulantis concedatur, valet à die datæ, seu quando expeditur, nec est necesse expectare notitiam, vel illius præsentationem, ut actus juxta privilegium factus valeat. Nihilominus, ut licite fiat, debet expectari concessionis notitia, ne alias, quis se periculo exponat faciendi actum illicitum, vel etiam nullum. Sufficit tamen acceptatio facta per se, vel per nuntium, vel Procuratorem, vel Epistolam, sicut sufficit ad dominationem, cujus speciem privilegium refert. Ad privilegii usum non est necessaria promulgatio solemnis sicut in Lege requiritur, sufficit enim publicatio particularis, ostendendo scilicèt privilegium in publico instrumento, vel illud probando per testes omni exceptione majores: nam cum sit Lex respectu non privilegiatorum, debet eis publicari, ut ejus usum non impediant: imò quando privilegium in tertii præjudicium cedit, debet ei ostendi, ut si velit, se opponat: nam de Principe non præsumitur, velle aliquem inscium suo jure privare. *c.* 19. *h. t. c.* 7. *eod. in* 6. nisi fortè Pontifex velit aliquem à censura, v. g. eximere sine Episcopi notitia. *c.* 1. *de Conces. præbend. in* 6. *Suar. de Leg. lib.* 8. *c.* 25. *n. fin.*

286 Privilegium in plures species dividitur. Nam 1. aliud est *contra jus*, quo scilicèt Jure Communi derogatur: v. g. exemptio à gabellis. Et hoc propriè privilegium appellatur; *arg. L.* 16. *ff. de Legib.* & strictè interpretatur. *c.* 7. *c.* 9. *h. t.* Aliud est *præter jus*, & hoc propriè dicitur gratia, quando scilicèt aliquid in jure non expressum conceditur, v. g. potestas dispensandi: & interpretatur latè. Illud non potest concedi nisi subditis Lege legatis: nec aliter potest concedens à Lege eximere: nam privatio presupponit habitum. Quod præter jus est potest etiam non subditis concedi: nam est actus liberalitatis, quæ erga non subditum benè potest exerceri; dum tamen sit de materia concedenti subjecta. Sic Imperator Theodosius concessit Judicibus Ecclesiasticis, ut possent cognoscere, & judicare directè causas temporales Laicorum. *c.* 35. 11. *q.* 1. *Suar. de Legib. c.* 9. *ex n.* 3. 2. Aliud est *commune*, quod scilicèt præcipuè respicit bonum communitatis, licèt in ejus individuos redundet, & huic nullus communitatis privatus potest renuntiare. Tale est privilegium *fori*, *Canonis*, *& competentiæ* concessum toti Ordini Clericali. *c.* 12. *de Foro Competent.* Aliud est *privatum*,

tum, seu *singulare* quod per se bonum personarum particularium respicit, & de consequenti tantùm bonum commune, & huic potest quilibet, in cujus favorem est introductum, renuntiare. *L. 29. C. de Pact. c. 6. h. t. Suar. de Legib. lib. 8. cap. 6.* 3. Aliud est *odiosum*, quod scilicèt ex favore facto privilegiatis damnum aliis infert: v. g. exemptio decimas, vel gabellas solvendi. Aliud *favorabile* dicitur, quia nulli infert præjudicium, sed tantum beneficium privilegiato concedit, v. g. privilegium vescendi carne in Quadragesima, vel audiendi sacrum tempore interdicti. 4. Aliud est privilegium *clausum in corpore juris*, quod scilicèt inter alias Leges in jure est inclusum. Aliud est concessum per *speciale rescriptum*, quando scilicèt alicui personæ, vel communitati speciale diploma dirigitur aliquod privilegium continens. Hoc privilegium, cum sit quid facti, potest ignorari à Judice, ac proindè, si contra privilegium citet privilegiatum, debet hic, saltem pro reverentia, se coram Judice sistere, & privilegium ostendere. *c. 7. h. t. in 6. L. 5. ff. de Judic.* secus dicitur de privilegio clauso in jure: nam hoc non debet Judex ignorare, nec contra illud quid præcipere valet: quod si præcipiat, non tenetur privilegiatus obedire, nec comparere, nec se excusare de comparendo. *c. 5. c. 7. de Excesib. Prælat. 5.* Aliud est quod *principalitèr*, *& immediatè* alicui conceditur, aliud concessum *ad instar*, quod scilicèt alicui conceditur ad instar privilegii jam aliis antecedenter concessis: hoc est eo modo, & forma sub qua convenit aliis.

287 *Sexto.* Aliud est *personale*, quod scilicèt principalitèr personæ conceditur, & cum persona extinguitur. *L. 68. ff. de Reg. jur. c. 7. eod. in 6.* Aliud est *reale*, quod scilicèt principalitèr rei conceditur, licèt in personarum utilitatem redundet, reique adhæret, illamque comittatur apud quemcumque sit possessorem. *L. 196. ff. de Reg. jur.* Nec interest, an res, cui privilegium conceditur sit corporea, ut fundus, castrum, Monasterium, Ecclesia, hospitale, &c. & tale est privilegium Asyli locis sacris concessum: vel an sit res incorporea, ut Universitas, Civitas, Collegium, vel Communitas, vel status: v. g. Religiosus, Clericatus, Episcopatus, Doctoratus, Dignitas, vel alia qualitas, quæ possit à persona separari. Et tale est privilegium Canonis, & fori personis Ecclesiasticis concessum, restitutio in integrum concessa minoribus S. C. Macedonianum filiis familiis, & Vellejanum fœminis concessum, &c. Quæ omnia privilegia realia sunt. Et quidem, quando communitati, qua tali, sub nomine collectivo directè, & immediatè conceduntur, non descendit ad singulas particulares personas ipsam communitatem constituentes; sed tunc solum quando collegialitèr talem communitatem repræsentat. Si verò personis singularibus talem constituentibus communitatem concedatur privilegium, tunc singuli, etiam separatim, privilegio gaudent, ut patet in Clericis respectu privilegii Canonis, & fori, & in regularibus respectu exemptionis. Si in privilegio Dignitas, vel Officium ejus, cui conceditur tantum exprimatur, erit reale, ad omnes successores in Dignitate transiens. Si persona tantum exprimatur, vel etiam simul cum dignitate, addendo ob scientiam, vel excellentiam personæ tale privilegium concedi, personale erit. Itaque necesse est, ut semper verba privilegii attentè perpendantur, ut ejus legitima mens eruì possit. Si tamen omnibus perpensis, adhuc persistat dubium, dicendum est, quod si privilegium sit merè favorabile, ut beneficium Principis latè interpretatur, quod quidem decet esse mansurum. *C. 16. de Reg. jur. in 6.* ac proindè reale est censendum: personale tamen, si sit odiosum, & in alterus præjudicium vergat, vel exhorbitans sit à jure, *arg. c. 15. c. 28. de Reg. jur. in 6. Suarez de Legib. L. 8. cap. 3.* Si aliquis habeat beneficium, cui annexum est aliquod privilegium, & Pontifex concedat ipsum beneficium alteri, addita hac especiali clausula: *Concedo tibi beneficium, sicut tuus antecessor habuit.* Ne hæc frustranea evadat, censetur, etiam privilegium, cum beneficio concessum successori. *Suarez de Legib. L. 8. cap. 15. n. 11.*

288 *Septimo.* Aliud est *merè gratiosum*, quod scilicèt ex mera concedentis liberalitate procedit, non tamen ex privilegiati meritò, ut merito: & hoc potest esse reale, vel personale. Aliud est *remuneratorium*, quod scilicèt alicui ob merita præcedentia, & in eorum remunerationem conceditur, & licèt hoc regularitèr sit personale, potest tamen ex concessione Principis esse reale, quatenùs ob merita parentum, vel antecessorum concedatur descendentibus, & successoribus: talia sunt privilegia Regularibus concessa. *Suar. de Legib. L. 8. cap. 4. n. 8.*

n. 8. 8. Aliud est *purum*, quod scilicèt nulla pactione interveniente conceditur. Aliud est *conventionale*, quando scilicèt pactio, & conventio intercedit: nam cum aliquid tribuat, ultra id quod jus concedit, privilegium erit, licèt per accidens oriatur ex pacto, potestque esse personale, vel reale, juxta modum concessionis: in dubio tamen reale censetur, cum habeat rationem contractus, qui regularitèr transit ad hæredes. *L.* 7. §. 8. *ff. de Pactis. Suar. de Legib. L.* 8. *cap.* 4. *ex n.* 9. 9. Aliud conceditur *motu proprio*, aliud *ad instantiam partis*: *Motu proprio* conceditur illud privilegium, quod Princeps concedit, quin præcesserint preces, vel instantia partis, vel etiam præcedentibus precibus, si adjiciatur clausula: *motu proprio*, & quidem privilegium non intelligitur sic concessum, nisi prædicta clausula apponatur, & impposibile est aliter probare esse motu proprio concessum. *c.* 23. *de Præbend. in* 6. & est plenisimæ interpretationis. *c.* 4. *de Præbend. in* 6. *Gloss. ibid.* & difficilius arguitur obreptionis, vel subreptionis, quam illud, quod ad instantiam partis concessum est; *arg. c.* 23. *de Præbend. in* 6. Concessum ad instantiam dicitur, quando ob preces alicujus est concessum, & clausula motu proprio non adjicitur. *Suar. de Legib. lib.* 8. *cap.* 12. *ex n.* 4. *Sanch. de Matr. lib.* 8. *D.* 1. *n.* 6. 10. Aliud est *absolutè concessum*, quando scilicet à nulla conditione pendet: aliud est *conditionatum*, quando sub aliqua conditione tantum conceditur. Et quidem ad valorem actus per privilegium concessi debet verificari prius conditio, vel fieri opus in privilegio impositum: v. g. si quis habeat privilegium dispensandi cum alterius consilio, debet ad dispensationis valorem præcedere exquisitio consilii, non tamen tenetur dispensans consilium sequi, nisi in privilegio apponatur: *cum consensu alterius* 11. Aliud est *temporale*, quod scilicèt tempore limitato finitur: v. g. quando Princeps illud tantum pro sua vita concedit, vel pro decem annis, vel sub conditione quæ finitur lapsu temporis. Aliud est *perpetuum*, quod scilicèt ex se perpetuò durat, si non revocetur. *Suarez de Legib. L.* 8. *cap.* 5. 12. Aliud est *pro foro mere interno*, quod scilicèt non prodest ad forum externum, sed tantum, ut actus possit in conscientia fieri. Aliud *pro foro externo*, quod pro utroque foro deservit. 13. Aliud est *scriptum*, quod scilicèt conceditur per scripturam, & quidem, authenticam, & sigillo Principis obsignatam. Hodie jam regularitèr adjicitur clausula, quod *trasumptis, etiam impressis integra detur fides, dum sint munita sigillo personæ constitutæ in Dignitate, & subscripta à publico Notario.* Aliud est *non scriptum*, quod scilicèt consuetudine, vel præscriptione est inductum, vel quod Princeps sola voce, seu ore tenus concessit, & hæc dicuntur privilegia *vivæ vocis oraculo* concessa; licèt posteà ad faciliorem probationem in scripturam redigantur, & testimonio authentico digna fide pro foro externo reddantur; & hoc est necessarium ex *Constit. Jul. II. & ex Reg.* 52. *Cancelar.* alias quilibet sibi fingeret privilegia vivæ vocis oraculo concessa, eluderetque Leges cum magna perturbatione boni communis, & Reipublicæ damno.

289 De Privilegiis non alitèr est judicandum, quam inspecto eorum tenore, ita tamen, ut non liceat eorum metas transgredi. *c.* 7. *h. t.* Privilegia enim, ut communitèr dicitur, tantum valent, quantum sonant: jus enim singulare faciunt, quod ad consequentias trahi nequit. *L.* 14. *& seq. ff. de Legib.* ideò non debent trahi de personis in privilegio expressis ad eas, quæ ibidem non exprimuntur. *c.* 9. *h. t.* Etiamsi privilegium sit favorabile, non odiosum, & etiam si in favorem causæ piæ sit concessum: imò non debet extendi ad causam, vel personam non expressam, etiamsi respectu illius militet similis, eadem, vel etiam efficacior ratio *c.* 9. *h. t.* Cum enim tota privilegii vis non tàm à ratione, quam à voluntate Principis concedentis pendeat: ubi hæc voluntas non detur, nec privilegium datur, etiam si in persona similis, vel major ratio inveniretur: hoc tantum probat, eam esse dignam privilegio, non tamen eo gaudere: alias ex eo quod Pontifex cum uno dispensaret ad matrimonium contrahendum cum consanguinea, quia plura merita erga Ecclesiam facit: alius qui haberet eadem merita dispensatus censeretur, quod nemo dicet *Suar. de Legib. L.* 8. *c.* 28. *n.* 11. *Laym. l.* 1. *tr.* 4. *c.* 23. *Castropal. tr.* 3. *D.* 4. *p.* 13. *& aliis.* Si verò adeò dubius sit privilegii sensus, ut non facile percipi possit, debet Legislator consuli: ejus enim est legem interpretari, cujus est condere, ideò in privilegiis à Pontifice provenientibus Romanus Pontifex est consulendus. *c.* 14. *de Judic.* Quando verò est periculum in mora faciendum erit quod prudentia, attentis cir-

circunstantiis, dictet. Pro interpretandis tamen privilegiis sequentes regulas communiter proponunt DD. 1. Privilegium ita interpretari opportet, ut privilegiato non sit onerosum: quod enim ob gratiam alicujus conceditur non est in ejus dispendium retorquendum, *cap. 61. de Reg. jur. in 6.* 2. Non est ita strictè interpretandum, etiamsi gravosum, & odiosum sit, ut inutile reddatur, *cap. 30. h. t. L. 5. C. de Leg.* Et ideò extendi debet ad ea, quæ ad usum illius requiruntur; *arg. L. 2. ff. de Jurisdict.* Sic privilegium celebrandi concessum Sacerdoti tempore interdicti comprehendit eum, qui ipsi ministrat. Et privilegium audiendi sacrum tempore interdicti Domino concessum extenditur, ad illius servos, *cap. 11. h. t. in 6.* 3. Debet fieri interpretatio explicando, & sumendo illius verba juxta intelligentiam juris, vel juxta communem modum loquendi, vel significationem frequentem, vel stylum Curiæ, à qua privilegium dimanat, sic privilegium concessum ad dispensandum in votis facultatem ea commutandi comprehendit: privilegium faciendi testamentum, codicillos, & donationes causa mortis, ut testamenti accessoria continet: facultas percipiendi fructus beneficii, qua Clericus gaudet, dum abest causa Theologiam audiendi, etiam ipsi suffragatur, si Jus Canonicum audiat. Hinc etiam privilegium concessum Religiosis, dum non dicat: viros Religiosos, convenit Monialibus ejusdem Ordinis, si talis privilegii sint capaces. Similiter privilegium concessum filiis, & fratribus, si non est odiosum, etiam comprehendit filias, & sorores. *L. 56. ff. de V. S.* At verò privilegium filii concessum nisi aliundè de concedendis voluntate constet, non extenditur ad nepotes. *L. 6. ff. de Testament. tutel.* Multoque minus debet privilegio gaudere privilegiati socius, nisi aliàs privilegium frustraneum redderetur; *arg. cap. 32. h. t. Suar. de Legib. L. 8. cap. 10. & 11.* 4. Si ex conjecturis appareat, verba aliud sonare, quod de concedentis mente non sit, magis menti, quam verbis standum est: quia non intentio verbis, sed verba intentioni debent deservire, *cap. 15. de V. S.* 5. Verba dubia, & obscura interpretanda sunt juxta indulti initium. *L. fin. ff. de Hæred. instit.* vel juxta supplicationem, seu narrativam, cui solet se concedens accomodare, *cap. 6. de Fid. Instrum.* vel juxta aliud simile privilegium: 6. Si in privilegio addatur hæc clausula: *Ex certa scientia*, ne irustra adjecta videatur, censetur confirmare, & renovare privilegium, si forte usu, vel alia via, amissum erat, etiamsi Princeps privilegii nullitatem ignorasset: non tamen censetur renovare privilegia subreptitia, quia nulla sunt: nec revocata à Concilio Generali, de uno verbo, quod multorum maturo consensu est stabilitum, destrui videatur. *Suar. de Legib. L. 8. cap. 18. & 19.* Privilegium, quod merum factum continet, nec Juri Communi, nec tertio affert præjudicium, etiamsi in concedentis præjudicium cedat, latissimè interpretandum est, quia est beneficium, & gratia Principis, ac proindè latè interpretatur, *cap. 15. de Reg. jur. in 6. cap. 22. h. t. Suar. de Leg. L. 8. cap. 27. ex n. 3.* Sed cum Princeps non credatur velle derogare juri jam alteri quæsito, nisi hoc exprimat, privilegium, quod tali juri præjudicet, etiamsi ex motu proprio processerit, strictè est interpretandum; *arg. cap. 12. de Offic. Ordin. cap. 5. de Author. & usus pallii.* Quando verò privilegium Juri Communi, vel consuetudini derogat, regulariter strictè interpretatur, quia Juri Communi derogare odiosum est, *cap. 8. de Consuetud.* latè tamen interpretatur, quando inclusum est in corpore juris; nam tunc pars Juris Communis, aliquomodo censetur: vel si ex motu proprio, vel ex cierta scientia sit concessum. *Arg. cap. 23. de Præbend. in 6.* vel si in favorem Religionis, vel causæ piæ cedat: nam causa Religionis valdè favorabilis est. *L. 43. ff. de Relig.* ut exemptio Clericorum, vel si Reipublicæ commune bonum respiciat, ut privilegium militum. *Suar. de Legib. L. 8. cap. 27.* Nec debet extendi privilegium, quod opponitur statuto, vel consuetudini speciali: dum tale statutum, vel consuetudo, non sint contra Jus Commune. *Suar. de Legib. L. 8. cap. 28. n. 16. & alii com.*

290 Concedere privilegia pertinet ad omnem, & solum illum, qui potest Leges condere: quia regulariter privilegium eximit à Lege, à qua solus Legislator, non verò inferior, eximere valet; *arg. cap. 4. D. 21. cap. 16. de Major. & obed.* vel saltem est Lex obligans subditos ne privilegiatum in usu privilegii impediant. Sic Pontifex potest in Universali Ecclesia directè privilegia concedere in materia spirituali: secus in materia Temporali, Politica, & Civili: nam tunc tantum indirectè disponere valet, quatenùs, scilicèt ad bonum commune Ecclesiæ con-

ducit : in sua tamen Ditione temporali, cum sit supremus Princeps, etiam in materia Civili, potest privilegia concedere, sicuti cæteri Principes Sæculares, & Respublicæ non recognoscentes Superiorem. Episcopus in sua Diœcesi, & alii Prælati Papa inferiores, possunt privilegia concedere respectu suarum Legum, non verò respectu Juris Communis, nisi ipsis specialitèr permittatur à Jure. *Suarez, de Legib. L. 8. cap. 8. Gonz. in cap. 6. h. t.* Consuetudo, vel prescriptio, etiam independentèr à consensu expresso Principis, potest inducere privilegium, *cap. 8. 9. q. 3. cap. 26. de V. S.* cum ejus vis, etiam contra Legem prævaleat. *C. fin. de Consuetud.* Dum tamen tempore legitimo viguerit juxta dicta *in Tit. de Consuetud.* Privilegium juxta voluntatem concedentis mensurandum est, quia ab ea totam vim habet; nec actus agentium ultra eorum voluntatem operantur. *L. 19. ff. de Rebus credit.* ideò, quando privilegium ad certum tempus, vel locum restrictum est, non licet eo uti extra tempus, vel locum. Quando verò absolutè concessum est, valet non solùm pro territorio concedentis, sed etiam extra ipsum. Tale enim privilegium est personale, quod personam ubique committatur; nec talis privilegii usus est semper actus jurisdictionis, sed potius superioritatis, vel si jurisdictionis sit, non ad contentiosam, sed ad voluntariam spectat, quæ sine strepitu judicii exercetur, sic dispensatus in voto castitatis ubique valet contrahere matrimonium : sic in irregularitate dispensatus, ubique suscipere ordines valet. Si verò ille actus esset specialitèr prohibitus, etiam pro alienigenis in alia Diœcesi : vel si scandalum ex usu privilegii sequeretur, non potest privilegiatus in ea privilegio ab alio Episcopo concesso uti. Similitèr non prodest privilegium pro alieno territorio, si ad ejus usum validum, vel licitum ex necessitate, vel honestate est necessaria licentia Principis, Episcopi, vel Parochi illius territorii. Sic non potest quis uti privilegio concionandi, vel audiendi confessiones absque licentia Episcopi, in cujus territorii est : nam hanc conditionem imbibitam habere censetur privilegium. *Suar. de Legib. lib. 8. cap. 26.*

291 Ille, cui privilegium est concessum, non tenetur uti suo privilegio; *arg. cap. 6. h. t.* beneficium enim invito non datur. *L. 69. ff. de Reg. jur.* alias in ejus odium retorqueretur, quod in ejus favorem esset introductum contra *text. in capit. 61. de Reg. jur. in 6.* nisi privilegium ut commune : nam si privatus posset eo non uti, posset proindè ei renuntiare, quod certe non potest, quia non est principalitèr in favorem particularis introductum, *cap. 12. de Foro compet.* Imò quando in favorem alicujus particularis est concessum, tenetur eo uti, quando tale est privilegium, ut eo concesso Jus Commune obliget, sic tenetur tempore interdicti sacrum audire, qui habet tale privilegium : nam illud removet impedimentum aut audiendum sacrum, quo ablato, præceptum ex se illum, utpotè non impeditum obligat. *Suar. de Leg. L. 8. cap. 23. ex n. 7.* Privilegiatus contra alium æque privilegiatum non gaudet privilegio, ut est commune brocardicum *ex L. 12. C. Qui potiores*, quod non intelligitur, quando ille contra quem usurus est privilegio, alio fortiori privilegio gaudet; v. g. quia sit speciale, quod generali derogat, *cap. 34. de Reg. jur. in 6.* vel sit magis absolutum, vel sit antiquius, vel à majore potestate procedat. Sic Prælatus habens privilegium decimas exigendi à quacumque persona suæ Diœcesis non potest eas exigere ab eo, quí privilegium habet non solvendi eas. Sic filius familias à minori mutuum recipiens privilegio S. C. Macedoniani non gaudet, cui prævalet ratio ætatis. *L. 11. §. fin. ff. de Minor.* Si gaudens privilegio concesso ab Episcopo non potest eo uti contra alium, qui habet privilegium à Papa. Sic qui habet privilegium recentius non prævalet contra eum, qui antiquius privilegium habet. *Suarez, de Legib. lib. 8. cap. 23.* Quando tamen duo habent privilegia inter se non opposita, quilibet suo privilegio gaudet. *L. fin. ff. Ex quib. caus. major.* ibi : *Qui Reipublicæ causa abfuit, etiam adversus eum, qui paritèr Reipublicæ causa abfuerit, restituendus est, si aliquid damni justè quæritur. Suarez, de Leg. L. 8. cap. 23. & com. DD.*

292 Inter omnia privilegia, quasi primatum tenet exemptio : tum ob ejus amplitudinem plura comprehendentem privilegia : tum ob ejus generalitatem; nam ubique invenitur : tum denique, quia frequentem præbet materiam discordiis, & litibus inter exemptos, & Episcopos. Exemptio ergo est privilegium, quo aliquis immediatè Pontificí subjicitur, ac proindè ab ordinaria jurisdictione superioris immediati liberatur. Si locus eximatur; v. g. Ecclesia, dici-

citur exemptio *Localis*, talisque locus licèt in Diœcesi sit, tanquam si in ea non esset, habetur. *c.* 16. *h. t.* Aliquando, tantùm eximitur ipse locus principalis, non autem Parochiæ, vel beneficia annexa, & dicitur *Exemptio in capite tantùm.* Aliquando, non solùm locus principalis, sed etiam omnes Parochiæ, Capellæ, & beneficia eximuntur: & dicitur *Exemptio tàm in capite, quàm in membris. c.* 17. *h. t.* Si persona eximatur, *personalis* dicitur exemptio, personamque ubicumque sit committatur; & cum ea extinguitur. *c.* 7. *de Reg. jur. in* 6. Si tàm persona, quàm locus eximatur dicitur *Exemptio mixta. c.* 7. *de Offic. ordin. in* 6. Et quidem si exempti habeant territorium, & populum exemptum, in eumque exerceant jurisdictionem, quasi Episcopalem, nomine Ordinariorum veniunt, & ipsi regularitèr appellantur *Abbates*, *Præpositi*, *vel Priores*: & locus dicitur nullius Diœcesis. Quando verò non habent populum, vel territorium exemptum, sed tantùm aliquem particularem locum, & ipsi quoad suas personas sunt exempti, in Diœcesi esse dicuntur, non tamen de Diœcesi. Exemptio autem, ut exorbitans, & odiosa, non latè, sed strictè interpretanda est, quantum verba illius sonant, & non amplius; *arg. c.* 15. *de Reg. jur. in* 6. Hinc est. 1. Quod exemptus respectu certi loci, vel officii, non censetur exemptus respectu alterius loci, vel rei, vel officii, potestque ab Episcopo puniri, si extra talem locum, rem, vel officium delinquat. Talis enim exemptio juxta concessionis tenorem potius localis, quam personalis censetur, ac proindè non debet extra suos limites extendi. *c.* 16. *h. t.* 2. Si Prælatus sit ratione sui exemptus, non sunt exempti subditi, quibus ille præest; sed Episcopo subsunt imò, & ipse Prælatus ratione illorum debet suscipere mandata ab Episcopo super illis emanata, & cogitur ratione illorum coram Episcopo comparere. 3. Si Clerici alicujus Ecclesiæ sint exempti, non censetur exempta ipsa Ecclesia, & sic respectu illius plena gaudet Episcopus jurisdictione, licèt in Clericos non possit ipse jurisdictione exercere. *Cockier. de Jurisd. in Exemp. q.* 13. *& alii com.* 4. Monasterio, vel Ecclesia exempta, non censentur exemptæ Capellæ, ipsi subjectæ: omniaque jura Episcopalia in eis Episcopus retinet, quia non habent cum loco exempto connexionem, nisi pleno jure subjectæ sint. *c.* 17. *c.* 12. *h. t.* Nec populus censetur exemptus ex eo, quod eximatur Ecclesia. 5. Ecclesia exempta, vel Monasterio, non solùm exemptum est ædificium cum Cæmeterio, atrio, & hortis in eo inclusis, vel connexis; sed etiam Clerici, & Religiosi etiam conversi, & perpetuo oblati, & præcipuè Prælatus: nam hi omnes veniunt nomine Ecclesiæ, & Monasterii respectivè, proindèque nulla fit extensio privilegii. *c.* 12. *de Testam.*

293 Exemptio adquiritur 1. privilegio Sedis Apostolicæ. Romanus enim Pontifex, vel ob instantiam Principum, vel ob merita, & obsequia Ecclesiæ à Religionibus facta concedit eis exemptionem, ut eas liberet à molestiis, & gravaminibus, quæ sæpè pati solent. *c.* 15. *c.* 16. *de Excessib. Prælator. Cl.* 1. *eod.* Et quidem interest Romanæ Ecclesiæ plures habere sibi immediatè subjectos. Nec enim ex quibuscumque verbis rescripti probatur exemptio, quibus incidentèr narretur, aliquem esse exemptum: nam præcissè narrando non censetur Pontifex exemptionem concedere, sed potius, eam aliundè concessam supponit: sed debent verba esse dispositiva, & assertiva exemptionis, quatenùs, vel expressè, vel æquivalentèr dicat Pontifex, se eximere talem personam, vel locum; v. g. si dicat talem locum esse juris Divi Petri, vel ad Ecclesiam Romanam specialitèr, vel immediatè, vel simplicitèr pertinere: Ne alias tales Clausulæ nihil speciale continerent. *c.* 10. *h. t. in* 6. Vel si dicatur, quod Episcopus non audeat ibi suam sedem collocare, vel potestatem exercere: vel si dicatur, Ecclesiam esse plenè liberam, vel gaudere speciali Romanæ Ecclesiæ prærogativa. *c.* 10. *h. t. in* 6. Si aliquis sub Pontificis protectione existere dicatur, non ex eo est exemptus. *c.* 18. *h. t.* Etiam si dicat Pontifex se aliquos in proprios, & speciales filios Ecclesiæ recipere: nam si non dicatur, eos in proprios, & speciales Ecclesiæ subjectos recipi, non sunt exempti. *c.* 10. *h. t. in* 6. Nec exemptio probatur ex solutione annui census, qui quotannis Ecclesiæ Romanæ fit: nisi in signum libertatis, & exemptionis talis census solvatur. *c.* 8. *h. t.* Siquidem, nec omnes Ecclesiæ solventes censum exemptæ sunt, nec omnes exemptæ illum solvunt: ac proindè ex se solutio census, nisi aliud addatur exemptionem non probat. Quando alicui Ecclesiæ, vel Monasterio exempto alia Ecclesia pleno jure subjicitur,

ea intelligitur exempta ab Episcopi potestate, & Monasterio exempto adquiritur jurisdictio quasi Episcopalis in Ecclesiæ unitæ subditos, & etiam præsentatio, institutio, & destitutio Clericorum: non tamen percipit fructus: nam hoc non exprimitur. Eadem ratione, si fructus Ecclesiæ unitæ Monasterio exempto liberè ad suos usus adjudicentur, solùm conceditur administratio in spiritualibus, & temporalibus, & relicta Vicario congrua sustentatione, reliqui fructus Monasterio adquiruntur. *c.* 10. *c.* 12. *de Præbend.* non tamen censetur Ecclesia unita eximi ab Ordinario: nam privilegium Pontificis non derogat juri alterius, nisi hoc exprimat. *c.* 19. *h. t.*

294 2 Adquiritur exemptio præscriptione 40. annorum; licèt enim contra obedientiam non possit præscribi, *c.* 12. *de Præscript.* ita ut Ecclesia nulli Prælato sit subjecta, vel ita, manente subjectione, obligatio obediendi tolleretur: potest tamen præscribi ipsa exemptio *c.* 14. *h. t. c.* 7. *eod. in 6. c.* 15. *&* 18. *de Præscript.* & quidem per possessionem 40. annis cum titulo, vel sine eo tempore immemoriali continuatam, & nunquam interruptam. *c.* 7. *h. t. in 6. c.* 1. *de Præscript. in 6. Barb. in c.* 7. *h. t. in 6. n.* 6. 3. Ipse Episcopus in limine fundationis Ecclesiæ, vel Monasterii potest exemptionem concedere; cum enim adhuc jus superiori non sit quæsitum nihil alienare censetur, ei cedendo. Sed quia alienare censetur post fundationem factam, solùm ex justa causa, & accedente Capituli consensu, poterit talem exemptionem concedere. *c.* 52. 12. *q.* 2. *c.* 5. *de Reb. Eccl. non alien. Cockier. de Jurisd. in exempt. p.* 1. *q.* 3. Cum verò talis exemptio toti ordini sit concessa, nullus particularis potest absdubio renuntiare exemptioni sibi concessæ: nam hæc non tàm favorem privatorum, quàm Majestatem Romani Pontificis respicit. *c.* 5. *de Arbitr. c.* 14. *h. t.* Quando dubium, vel lis oritur inter exemptos, & Episcopum, non pertinet ad hunc cognitio judicialis causæ. 1. Quia est causa Episcopi propria, & nullus Judex, nisi supremus in causa propria cognoscit. *L.* 10. *ff. de Jurisd. L. un. C. Ne quis in sua causa. c.* 27. 23. *q.* 4. 2. Quia exemptio magis respicit jus Romani Pontificis, quam exemptorum. *c.* 14. *h. t.* & nullus inferior de jure superioris cognoscere valet. *c.* 16. *de Major. & obed.* pertinet ergo ad Romanum Pontificem tales lites decidere. *c.* 12. *de Judiciis*, quia ille debet privilegium, vel Legem interpretari, qui potest privilegium condere, vel Legem condere. *L. fin.* §. 1. *C. de Leg.* ibi: *Quis Legum ænigmata solvere, & omnibus aperire idoneis esse videbitur, nisi, is, cui soli Legislatorem esse concessum est. c.* 31. *de Sentent. excom.* ibi: *Ut igitur undè jus prodiit, interpretatio quoque procedat.* Lite ergo mota, & pendente, si exemptio est notoria, vel in corpore juris inclusa non possunt exempti citari ab Episcopo: vel si citentur nulla est citatio, ut contra tenorem privilegii facta; *arg. L.* 5. *ff. Mandat.* Si notoria non sit exemptio; nec in corpore juris clausa, tenetur exemptus coram Episcopo comparere ad præscriptionem probandam, vel privilegium suæ exemptionis exhibendum. *c.* 7. *h. t. in 6. L.* 35. *tit.* 18. *p.* 3. Tunc enim cum Episcopus habeat fundatam intentionem contra sic allegantes potest procedere, etiam, quando neuter est in possessione quod si Episcopus sit in possessione suæ jurisdictionis, contra allegantes exemptionem potest actus exercere, etiam si tales offerant privilegium exhibere, vel aliter illud probare: nec si appellent, tenetur Episcopus appellationem admittere, quia tunc non ut Judex, sed ut pars suum jus Episcopus tuetur, & defendit. Si tamen litigantes in possessione exemptionis sint, tunc Episcopus, cum non possit eos possessione, vel quasi possessione sui juris privare, supersedere tenetur, nec aliquem actum exercere valet in personas litigantes, vel locum controversum, nec potest adversus tales procedere, nec censuras minari: potest tamen petere, ut præscriptionem probent, vel privilegium exemptionis exhibeant. *c.* 7. *h. t. in 6.*

295 Quando est exemptio notoria, vel in corpore juris inclusa, non tenetur exemptus eam probare, nec tenetur comparere si citetur: sufficit enim exceptionem fori declinatoriam opponere; *arg. c.* 6. *de Rescript.* Si verò non sit notoria, nec in corpore juris clausa, cum sit quid facti, non præsumitur, nisi probetur ab allegante illam, præcipuè cum pro Ordinario militet præsumptio: siquidem in Jure Communi habent fundatam intentionem, quæ præsumptio rejicit, in adversarium onus probandi. *L.* 25. *ff. de Probat. Cockier de Jurisdict. in exempt. p.* 1. *q.* 8. Exemptio tamen probatur, vel probando exemptionis possessionem 40. annis cum titulo, vel sine hoc, tempore im-

immemoriali continuatam; vel probando sententiam declarantem exemptionem ex ipsis actis, vel scriptura authentica. vel his deficientibus, ex depositione testium, fama, vel præsumptione. Si per privilegium probanda sit exemptio, hoc debet exhiberi judici, vel aliis viris, non suspectis, quos Ordinarius deputavit. *c.* 7. *h. t. in 6.* & attente inspiciendum est, ad mentem Pontificis ex ejus tenore, vel alitèr eruendam: nam verba intentioni, non intentio verbis deservire debet. *c.* 15. *de V. S.* Exemptus ratione personæ ubicumque delinquat non potest coram Episcopo conveniri: Similitèr si sit specialitèr exemptus ratione delicti, contractus, vel rei sitæ: nam in his casibus non potest coram Episcopo conveniri ubicumque delinquat, contrahat, vel rem habeat. Si verò ratione loci tantùm sit exemptus, si extra locum delinquat, vel contrahat potest coram Episcopo conveniri. *c.* 1. *h. t. in 6.* Nam limitata causa limitatum producit effectum. *L.* 16. *ff. de Adquir. rer. dom.*

296 Regulares, etiam exempti, Episcopo in pluribus casibus subsunt, vel tanquam Ordinario, vel tanquam Sedis Apostolicæ delegato. Et quidem ipsi tanquam Ordinario subsunt. 1. In omnibus illis, quæ sunt Ordinis Episcopalis, ut sunt Ordines suscipere, consecrare Ecclesias, petere Chrisma, & alia hujusmodi. 2. In approbatione ad audiendas confessiones sæcularium. *Trid. sess.* 23. *de Ref. cap.* 15. 3. In prædicatione verbi Divini in Ecclesiis, quæ non sunt sui ordinis. 4. In promulgandis indulgentiis impetratis à S. Pontifice. *Trid. sess.* 21. *de Ref. cap.* 9. 5. In Monasteriis, vel Ecclesiis erigendis. *Trid. sess.* 25. *de Regul. cap.* 3. 6. In exequendis ultimis voluntatibus. *Cl. un. de Testament.* 7. In observatione festorum ab Episcopo indictorum, & in servandis censuris, & interdictis ab ipso promulgatis. *Trid. sess.* 25. *de Reg. cap.* 12. 8. In censura librorum. *Trid. sess.* 4. *de Edic. libror.* 9. Si ad processiones vocetur, & etiam circa controversias motas in ipsis processionibus, & deductione funerum. *Trid. sess.* 25. *de Regul. cap.* 13. Episcopo tamen ut Sedis Apostolicæ delegato subsunt Regulares. 1. Si Regulares extra claustra degant, & vagentur. *Trid. sess.* 6. *de Reform. cap.* 3. 2. Quoad clausuram Monialium. *Trid. sess.* 25. *de Reg. cap.* 5. 3. Quoad lectionem Sacræ Scripturæ, quam in Monasteriis debent habere. *Trid. sess.* 5. *cap.* 1. Et quoties in jure dicitur, quod Episcopi contra exemptos authoritate Apostolica, vel tanquam Sedis Apostolicæ delegati, procedant. Hos, & plures alios casus afferunt. *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 105. *Cockier de Jurisd. in exempt. p.* 2. *q.* 45. *enumerat.* 116. de quo jam aliquid diximus. Quando Episcopus, ut delegatus procedit, ab eo ad S. Pontificem appellatur: quando verò ut Ordinarius, ab eo ad Metropolitanum, qui est immediatus superior Judex, appelatur. Aliquando tamen hoc medio omisso ad Sedem Apostolicam appellatur. De quo alibi.

297 Aliquando privilegium, quod alicui est concessum, alteri communicatur, extendendo privilegium ad illam personam, vel communitatem. Et tunc aucto, vel restricto primo privilegio, per quamdam consequentiam augetur, vel restringitur secundum. Similiter augetur, vel diminuitur privilegium ad instar primi concessum, si quasi accessoriè, & dependentèr á primo concedatur: sicut solent privilegia religionum communicari familiaribus earum. Nam accessorium sequitur principale. *c.* 42. *de Reg. jur. in 6.* Quando verò alicui conceditur privilegium ad instar alterius, se æquè principalitèr, & directè, ita ut primum solùm tamquam exemplum sit adductum: tunc revocato, aucto, vel restricto primo privilegio, in suo robore perseverat secundum sine restrictione, vel augmento: adeò, ut etsi primum privilegium nullum esset tempore concessionis, si concedens exprimat in specie, quod concedat tale privilegium, hoc valet, etsi nullum sit illud, ad cujus instar secundum concessum est: nam hoc principalitèr, & per se conceditur, nec dependet à primo, quod tantùm, ut exemplum affertur. Ita probabiliter *Castropal. tr.* 3. *D.* 4. *p.* 2. §. 8. *cum aliis.* Imò si in communicatione novum aliquod privilegium concedatur, eo gaudebit secunda Religio, & non prima, nisi mutua detur communicatio. Per privilegia ergo, quæ alicui Religioni communicantur pariformitèr, ac absolutè, & eodem modo, ac alia habet, adquiruntur Religioni secundæ omnia privilegia communia toti Ordini, quæ habebat prima tempore concessionis, secus quæ sunt propria particularium, vel quæ posteà adquisivit prima Religio, nisi fortè, etiam ad futura extendatur communicatio. Privilegia, quæ concessa sunt alicui Religio-

gio-

gioni, cum clausula: *Ne aliis communicentur*, non communicantur, nisi in concessione huic prohibitioni derogetur. Nec communicantur ea, quæ ad aliquem locum sunt restricta, vel quæ Princeps in specie non esset concessurus, vel quæ vergerent in Religionis detrimentum, vel destructionem. Sic Mendicantibus non communicantur privilegia Militaribus concessa habendi proprium, & testandi. Indulgentiæ concessæ alicui Religioni in honorem fundatoris illius, communicantur aliis cum debita proportione fundatorum ipsarum respectivè sicut Julius II. declaravit apud *Rodrig. Regul. QQ. tit.* 1. *q.* 55. *art.* 20. Licèt in nostra Societate non possimus uti privilegiis Societati concessis, quin hæc per Superiores nobis communicentur ob nostrum speciale institutum *ex Bull. Greg. XIII.* Si tamen hæc communicentur alii Religioni, sine tali restrictione possunt eis uti Religiosi, etsi per suos Superiores eis non communicentur. Quæ omnia pendent ex tenore privilegiorum, quæ proindè attentè consideranda sunt. De quibus latè *Suar. de Legib. lib.* 8. *ex cap.* 15. *Rodrig. t.* 1. *Reg. QQ.* 55. *& alii com.*

298 Privilegia variis modis finiuntur, & cessant, & quidem privilegium. 1. finitur: Si revocetur. Hæc revocatio potest fieri expressè, hoc est, exprimendo in particulari privilegium revocatum, vel saltem addendo clausulam generalem, scilicèt: *Non obstantibus, quibuscumque privilegiis*: per hanc enim clausulam privilegia revocantur, exceptis his, quæ indigent clausula speciali, vel quæ in corpore juris sunt inclusa, vel quæ in vim contractus, vel propter remunerationem meritorum sunt concessa. *Suar. de Legib. lib.* 8. *cap.* 38. Deindè tacitè revocatur: si Princeps, de quo saltem præsumatur scire privilegium concessum, ponat aliquem actum, qui sine derogatione privilegii nequeat stare. Si verò in Principe præsumatur, ignorantia privilegii, non censetur hoc revocatum: nam sine ejus cognitione, nequit esse voluntaria, & libera talis derogatio. *c.* 1. *de Constitut. in 6.* Per legem generalem censentur revocata privilegia, in corpore juris inclusa. *Suar. de Legib. lib.* 8. *cap.* 39. Per sententiam judicis privilegio contrariam, non revocatur privilegium licèt possit reprobari, quod est declarare, vel nullum esse privilegium, vel male obtentum, vel jam desuetudine amissum. *Suar. de Legib. lib.* 8. *cap.* 39. *n.* 4. Quando revocatio fit per legem contrariam, sufficit, hanc promulgari in Curia, vel loco ad id destinato, & esse elapsum tempus ad ejus obligationem sufficiens; v. g. duorum, vel plurium mensium: quibus positis, etiam si aliquis in particulari revocationem nesciat, ipsa adhuc est firma. Quando vero revocatio ab homine, vel privatim fit, non sufficit, quod privilegiatus habeat casualem notitiam revocationis, sed debet ipsi per Nuntium, Epistolam, vel rescriptum intimari, sicut intimatur his modis privilegium: & res eisdem modis dissolvitur, quibus colligatur. *L.* 35. *ff. de Regul. jur. Suar. de Legib. lib.* 8. *c.* 40. Privilegium gratis concessum potest revocari à Principe, vel alio concedente privilegium, vel ejus superiore, vel ejus successore in Dignitate: quia cum suo antecessore una persona civilitèr censetur, & æquali gaudet potestate. *Suar. de Legib. lib.* 8. *cap.* 37. *ex n.* 12. & quidem sine justa causa validè revocatur: nam unicè à voluntate concedentis pendet, non tamen licitè: nam beneficium Principis decet esse mansurum, & revocatio inconstantiam, & levitatem arguit; *Suar. de Legib. lib.* 8. *cap.* 37. *n.* 10. Privilegium remuneratorium, non potest à Principe revocari: non solum si remuneratio sit ex justitia, sed etiam quando est ex gratitudine: nam jam privilegiatus ejus debito cessit ob privilegium sibi concessum. Et cum hæc cessio prætio æstimabilis sit, si fortè Princeps tale privilegium revocet, illud aliter compensare tenetur. *Suar. de Legib. lib.* 8. *cap.* 37. *n.* 6.

299 Princeps, vel ejus successor non potest sine justa causa revocare privilegium concessum subdito ex contractu oneroso, cum Princeps servare pacta cum subditis inita teneatur, cum hæc obligatio à Jure Naturali procedat, quod etiam Principes obligat: imò, etsi illud concesserit ex contractu gratuito: nam tunc promissione à subdito acceptata transit privilegium in ejus dominium. Causa tamen publica existente ad revocandum, ea scilicèt, ob quam Princeps potest subditos suis bonis spoliare, vel quæ sufficit, ad revocandam donationem subdito factam, potest utique Princeps privilegium revocare, & quidem sine compensatione, si privilegium ex contractu gratuito processit, si tamen ex oneroso ortum fuisset, compensatio facienda est, cum non pertineat ad bonum publicum, quod subditus re sua omninò sine aliqua com-

compensatione privetur. *Suar. de Legib. lib.* 8. *cap.* 37. *n.* 5. Nec à Principe privilegium concessum non subdito, & ab ipso acceptatum potest sine causa publica revocari; nam per talem acceptationem in ejus dominium transiit per modum donationis, & privilegiatus jus adquisitum habet, quod sine causa publica nequit ab eo auferri, hoc est, quando in damnum Reipublicæ, vel concedentis cederet. *Suar. de Leg. lib.* 8. *cap.* 37. Et quidem *Urban. VIII. in Bull. Alias.* Revocabit omnia indulta, gratias, facultates, concessiones, & privilegia ante ipsum concessa quibuscumque Regularibus, & quomodocumque concessa, etiam intuitu Regum, & licèt à Cardinalibus essent subscripta: adeòque neque pro foro externo, nec interno licet eis uti: nisi sint autentica facta per Officiales, quibus ex officio incumbit de ipsis fidem facere; tunc enim, pro utroque foro valent, ut idem Pontifex declaravit. Non tamen sunt revocata privilegia Sæcularibus concessa: nam de privilegiis Regularium loquitur Bulla. Nec revocantur privilegia Regularibus ab aliis, quam à Sede Apostolica vivæ vocis Oraculo concessa, nam de illis tantum loquitur Bulla. *Vid. Diana in Sum.* V. *Privilegia*, *n.* 5. *Lacroix*, *lib.* 1. *ex n.* 850. Ubi satis aptè agit de hoc. Privilegia post ipsum vivæ vocis oraculo concessa, etiamsi non sint facta autentica valebunt pro foro interno: nam Urbanus nec voluit, nec potuit suorum successorum limitare potestatem. Nec par in parem habet imperium. *L.* 4. *ff. de Recept. qui arbitr.* pro foro externo valebunt, si legitimè probentur, etiamsi careant solemnitate requisita ab Urbano VIII. Deindè aliqua privilegia Regularium sunt à *Trident.* expressè revocata in *sess.* 25. *de Regul. cap.* 20. quæ ibi possunt videri. Etiam censentur revocata omnia, quæ alicui *Trid.* Decreto habenti clausulam irritantem, opponuntur. Et sanè prædictis privilegiis hodie non licet uti adhuc in foro conscientiæ, nisi fortè post *Trid.* de novo sint concessa. Hinc *Alex. VII.* hanc propositionem damnavit, quæ est 36. *Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per Concil. Trid.* Alia verò privilegia concessa Regularibus ante Trid. quæ alicui Trid. Decreto opponuntur, si tale Decretum non sit munitum clausula irritante, non censentur revocata; ac proindè eis in utroque foro licitè utuntur Regulares: nam privilegia specialia non censentur revocari, si de eis expressa mentio non fiat, vel clausula irritans apponatur, sed potius ignorata creduntur, *cap.* 1. *de Constit. in* 6. & ita ipsa praxis, & consuetudo Regularium declarat. *Suar. de Leg. L.* 8. *cap.* 18. *Rodrig. tom.* 1. *Regul. q.* 8. *art.* 6.

300 Secundo privilegium finitur, mortua persona privilegiata, quando privilegium est personale. *L.* 68. *ff. de Reg. jur. cap.* 7. *eod. in* 6. si reale est solum per destructionem rei, cui est concessum, non per mortem personæ, finitur; v. g. Si alicui ædificio sit concessum, eo destructo suspenditur, eo reparato reviviscit; *arg. L.* 36. *ff. de Religios. & sumpt.* si alicui communitati, vel Ecclesiæ, Academiæ, vel Civitati sit concessum, ipsam committatur privilegium, etiamsi de uno, in alium locum de authoritate superioris transferatur, *cap.* 48. *cap.* 49. 16. *q.* 1. *cap.* 2. *de Religios. domib. Suar. de Legib. L.* 8. *cap.* 5. 3. Finitur per renuntiationem privilegiati, verbis expressis factam, & quidem liberam, & non coactam, dummodo tale privilegium in ipsius privilegiati particularem favorem sit introductum, cum quilibet possit sub jure renuntiare, *cap.* 6. *h. t. L.* 29. *C. de Pactis.* Si verò in favorem communitatis, status, vel Dignitatis sit concessum nullus particularis potest ei renuntiare, *cap.* 12. *de Foro compet.* Si privilegium solum favorem privilegiati respiciat, & nulli incommodum afferat; v. g. privilegium confessarium eligendi vel comedendi carnes in Quadragesima, potest à particulari renuntiari; at verò ut renuntiatio valeat, requiritur, quod privilegium concedens acceptet renuntiationem. Hinc quousque acceptetur potest privilegiatus, etiamsi renuntiasset, uti privilegio; nam hoc pendet à voluntate concedentis, & acceptatione privilegiati, ac proindè, dum non est acceptata renuntiatio adhuc potest privilegiatus eo uti, & illud retinere, etiamsi antea renuntiasset; *arg. capit.* 7. *de Procur. in* 6. Nam concessio superioris, quando privilegium concessit, fuit consummata in aceptatione privilegiati, & fuit absoluta, quoad effectum tollendi Legis obligationem: Ut ergo hæc Legis obligatio redeat, ejusdem Legislatoris voluntas requiritur: nam per voluntatem privatam redire nequit. Quod etiam patet à pari in dispensatione tollente impedimentum matrimonii, vel aliam inhabilitatem. *Suar. de Legib. lib.* 8.

cap.

cap. 33. *n.* 18. Similitèr, potest privilegiatus suam renuntiationem revocare, si privilegii renuntiatio cedat in alterius utilitatem, quousque ipse renuntiationem acceptet, sicut quælibet donatio, quousque acceptetur revocari potest. *Suar. de Leg. lib. 6. cap.* 33. *n.* 14. *& seqq.* Privilegio quidem communi, quod vel est inutile, vel indiferens, & cujus renuntiatio non cedit in detrimentum Ecclesiæ, vel tertii potest renuntiare Prælatus cum capitulo, *cap.* 8. *de Const.* si tamen privilegium sit utile, & honorificum, non aliter tenet renuntiatio quam si omnes de capitulo conveniant, ac proindè unus solus potest renuntiationem impedire; *arg. C.* 8. *de Constit.* Si tamen privilegium sit communitati noxium per se ipsum, etiam sine renuntiatione, cessat: nam quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum, *cap.* 61. *de Reg. jur. in 6.* 4. Etiam privilegia amittuntur per renuntiationem tacitam, quæ ex juris interpretatione consistit in non usu privilegii, ut usu contrario. Qui enim sciens & volens privilegio in alterius gravamen, & præjudicium resultante non utitur, cum deberet, & posset uti, illi renuntiasse censetur. Et juris dispositione hæc renuntiatio admittitur, quin sit necessaria acceptatio concedentis: vel etiam quia præscribitur contra privilegium decennio inter præsentes, vicennio inter absentes, & aliquando longiori tempore, si eo non utatur privilegiatus, sicut præscribitur contra leges tempore legitimo, *cap. 6. cap.* 15. *h. t. L.* 42. *tit.* 18. *p.* 3. *Suar. de Leg. lib.* 8. *cap.* 34. Qui verò privilegio purè gratioso, & non afferente damnum, vel gravamen alicui, ut est privilegium Missam ante auroram dicendi, non sit usus, etiam per longissimum tempus, illud non amittit, quia cum suo privilegio non teneatur uti, non censetur renuntiare non utendo. Nec potest prescribi contra ipsum, quia non respicit jus alterius; imò & siquis non utatur privilegio alteri gravoso, cum nulla occasio eo utendi se offerat, vel etiam occasione oblata, si privilegiatus eam ignoret, vel ea nequeat uti ob absentiam, infirmitatem, vel violentiam alterius, non amittit privilegium, etiam longissimi temporis lapsu: quia cum iste non usus non sit voluntarius, non est sufficiens ad inducendam tacitam renuntiationem: secus est, si de tali voluntate sufficientèr constet. *Suarez, de Legib. L.* 8. *cap.* 34. *n.* 17.

301 *Quintò*: actu vel usu contrario privilegio negativo, hoc etiam aliquando amittitur, quando scilicèt, cedit in alterius præjudicium; v. g. privilegium non solvendi decimas. Si quis enim eas solvat liberè, & voluntariè, sine protestatione, coactione, vel ignorantia privilegii; vel si alium actum directè contrarium toti privilegio faciat, privilegium amittit, & ei renuntiasse intelligitur, dummodo tale sit, cui ab eo possit renuntiari, quia v. g. sit in favorem ejus, non communitatis concessum, *cap. 6. h. t. L.* 5. *tit.* 20. *p.* 1. ibi: *E si despues que le fuese otorgado tal privilegio diese diezmo de algunas heredades, non se puede despues excusar por él, que no lo dén: é esto es, porque ellas mismos facen contra su privillejo.* Si verò per viam præscriptionis amittatur, requiritur decennium inter præsentes, & vicennium inter absentes: quod si privilegiatus sit Ecclesia, vel Monasterium, quadraginta anni debent currere, *cap.* 4. *cap. 6. cap.* 8. *de Præscript. cap.* 15. *h. t.* Triginta, imò & decem annis solet amitti privilegium per viam renuntiationis, si hoc tempore continuato privilegiarius sciens, se gaudere tali privilegio, volens, & sine protestatione decimas, vel tributa solvat, *cap. 6. h. t.* Si verò quando privilegiatus facit aliquem actum contra privilegium, protestetur, se illum facere sine privilegii præjudicio, non amittitur per talem actum, quia actus agentium non debent operari ultra agentium voluntatem. *L.* 19. *ff. de Rebus credit. Suar. de Legib. lib.* 8. *cap.* 35. *ex n.* 22. Privilegium verò negativum, quod est merè gratiosum; v. g. non jejunandi, vel non recitandi Horas Canonicas, etiamsi plures actus contrarii apponantur, non amittitur, nec censetur privilegiatus ei renuntiare, sed ex aliis motivis; v. g. ex devotione, actum contrarium ponere censetur. *Suarez, de Legib. lib.* 8. *cap.* 35. *num.* 22. 6. Qui privilegio abutitur eo utendo ultra ipsius limites, vel sumendo ex illo occasionem delinquendi, vel agendo contra privilegii finem, dignus fit ut eo privetur. *C.* 24. *h. t. cap.* 45. *de Sentent. excom. L.* 42. *tit.* 18. *p.* 3. ibi: *Si alguno toviere privilegio, é usáre del mal, asi como si pasáre á mas, ó ficiere mas cosas, que en el privillejo fueren dadas, tal privillejo perdiese, é lo que por él fue dado: Ca derecha cosa es, que los que usaren mal de la gracia, ó de la merced, que los Reyes les facen, que la pierdan.* Et *L.* 47. *& Alex. III.*

in

in c. 4. h. t. rescripsit Archiepiscopis, & Episcopis, ad quos litteræ istæ pervenerint, quod si fratribus Hospitalis Hyerosolimitani nollint facere justitiam privilegia ipsorum recipere contemnentes, *pro certo sciatis* (ait Pontifex) *quod nos concessa vobis privilegia decurtabimus, cum Ecclesiæ Romanæ scriptis authenticis obviare minimè timeatis, Suarez de Legib. lib. 8. cap. 36. 7.* Tempore elapso sivè certo, ut decennio, sivè incerto, ut tempore vitæ alicujus; vel deficiente conditione sub qua conceditur perseverantia privilegii, hoc amittitur; *arg. c. 4. de Offic. delegat.* Nam cum totus ejus valor pendeat à concedentis voluntate, hac deficiente, non perseverat privilegium: nam actus agentium non operantur ultra intentionem agentium. *c. 25. de Jur. jur. L. 19. ff. de Rebus credit.* Privilegium quidem verbis ambiguis concessum, ita ut pro uno, vel pro pluribus actibus possit valere, ut quando indefinitè datur ad aliquam speciem actuum, vel per modum potestatis ad aliquid agendum; v. g. ad eligendum Confessorem, vel ad confessiones audiendas, pro pluribus actibus valet, nisi omnino cesset causa, ob quam fuit concessum. Quando enim gratia pro unico actu datur, hoc significatur verbis apponi solitis: *Pro hac tantùm vice: Semel in vita, vel in morte, & c. Suarez de Legib. lib. 8. cap. 29. n. 8. Sanch. de Matr. L. 8. D. 31. n. 8.* contra *Navar. Enriq. & alios.*

302 *Octavo.* Cessanti causa finali privilegii, quando hoc est odiosum, & nondum est integrè concessum, cessat privilegium: nam ea causa cessante, quæ non solum est impulsiva, sed finalis, & principalis, sine qua Princeps non concederet, deficit intentio concedendi, ac proindè nulla est concessio; *arg. c. 60. de Appell. Suar. de Legib. L. 8. cap. 30.* Quando integrè est concessum, & unico actu consummatur, ut dispensatio contrahendi matrimonium concessa habenti votum castitatis ob vehementes tentationes, eo consummato, non cessat privilegium, etsi perveniat ad casum, à quo incipere non possit: nam retractari non debet, quod legitimè factum est. *c. 73. de Reg. jur. in 6.* Nec tentationibus cessantibus castitatem servare tenetur. *Suar de Leg. lib. 8. cap. 30. n. 4.* Si privilegium habeat tractum successivum, & causa finalis cesset contrariè, hoc est, quod usus privilegii ob varietatem circunstantiarum, iniquus, vel illicitus sit, vel in privilegiarii detrimentum vergere incipiat, privilegium cessat; *arg. c. 16. de Cler. non resid. c. 9. de Decim. c. 16. de Censib. L. 5. tit. 20. p. 1. Suar. de Legib. lib. 8. cap. 30. n. 6. Gonz. in c. 9. de Decim. n. 4.* Si verò causa finalis privilegii negativè cesset, hoc est, quando ratio concedendi cessat, quin tamen usus privilegii illicitus evadat, tale privilegium perseverat. *Suar. de Leg. lib. 8. cap. 30. n. 7.* Si causa privilegii integrè existit, quando gratia conceditur, hæc perseverat, licèt causa cesset, quia non à causa futura, vel conditionali habet suum effectum, sed à causa præsenti. Si vero causa tractum habeat successivum, quando hæc cessat, cessat etiam gratia concessa, nec enim aliter conceditur gratia, quam causa durante. Hinc si cum aliquo ob infirmitatem est dispensatum, ut carnem in Quadragessima edat, cessante infirmitate, cessat dispensatio; *arg. c. 12. de Cleric. non resident.* ubi dicitur, quod privilegiatus, ut absens in studio fructus præbendæ percipiat, existens in villa, vel Castello, ubi nullum est, vel minùs competens studium, privilegio non utitur. *Suar de Legib. lib. 8. cap. 30. n. 9.* Privilegium regularitèr non finitur morte concedentis, etiamsi odiosum sit, & pro limitato tempore concessum, nisi expressè adjiciat concedens, sed illud pro tempore vitæ suæ concedere: nam privilegium continet favorem, & gratiam respectu ejus, cui conceditur: & gratia semel ritè obtenta non finitur morte concedentis. *c. 9. de Offic. delegat. in 6. c. 36. de Præb. eod. Suar. de Legib. lib. 8. cap. 31. n. 1. & seqq.* Licèt privilegium concessum ad beneplacitum concedentis, attento rigore juris, & verborum morte concedentis esset finiendum: quippè tunc ejus beneplacitum finitur: tamen benignè hodierna praxis talia verba explicat, ut solùm eis Princeps intendat, tale privilegium non habere vim pacti, quod aliquomodo concedentem, vel ejus successores obliget ad illud non revocandum. *Suar. de Legib. lib. 8. cap. 32.* Si gratia nondum est facta, sed facienda est per Executores, privilegium cessat morte concedentis, nisi commissio facta sit in gratiam ipsius Commissarii, vel Delegati: nam respectu ejus est gratia facta. *c. 36. de Præbend. in 6. Suar de Legib. lib. 8. cap. 31. n. 8.* quando verò gratia jam est facta, licèt res adhuc integra sit, hoc est, quod privilegiatus nondum cœperit tali privilegio uti, non finitur,

etiamsi moriatur concedens: nam quod rescriptum justitiæ, quo jurisdictio contentiosa delegatur, cesset, si res adhuc integra moriatur delegans, est speciale. *c.* 20. *c.* 30. *de Offic. delegat.* quod non debet ad gratias extendi. *Suar. de Legib. lib.* 8. *cap.* 31. *n.* 5. Denique pro coronide præcipua privilegia Indis concessa, pro resolutione casuum hic occurrentium, apponam. Sic ergo *Paulus III. in Constit. Altitudo Kal. Jun.* 1537. *Super eorum* (Indorum) *matrimoniis hoc observandum decernimus, ut qui ante conversionem plures, juxta illorum mores, habebant uxores, & non recordantur, quam primo acceperint, conversi ad fidem unam ex illis accipiant, quam voluerint, & cum ea matrimonium contrahant per verba de præsenti, ut moris est. Qui verò recordantur, quam primo acceperint, aliis dimissis, eam retineant: ac eis concedimus, ut conjuncti, etiam in tertio gradu, tàm consanguinitatis, quàm affinitatis non excludantur à matrimoniis contrahendis, donec huic Sanctæ Sedi super hoc aliud visum fuerit statuendum. Et circa abstinentiam ab illis suscipiendam statuimus, quod in Vigilia Nativitatis, & Resurrectionis D. N. Jesu-Christi, & omnibus sextis Feriis Quadragessimæ jejunare teneantur. Cæteros verò jejuniorum dies, eorum beneplacito propter novam ad fidem eorum conversionem, & ipsus Gentis infirmitatem, permittimus. Eisque, etiam concedimus, quod Quadragessimalibus, & aliis prohibitis anni Temporibus, lacticiniis, ovis, & carnibus, tunc temporis dumtaxat vesci possint, cum cæteris Christianis ob aliquod Sanctum opus obeundum similibus civis vesci posse à Sede Apostolica pro tempore fuerit concessum. Dies autem, in quibus eos volumus à servilibus operibus cessare declaramus esse omnes dies Dominicos, ac Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, & Ascensionis, ac Corporis ejusdem D. N. Jesu-Christi, & Pentecostes, necnon Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Assumptionis Gloriosæ Dei Genitricis V. M. ac ejusdem B. Petri, & Pauli ejus Coapostoli. Cæteros dies festos ex causis supradictis illis indulgemus. Et insuper considerantes maximam ipsius Indiæ Occidentalis, & Meridionalis à Sede Apostolica distantiam: tàm vobis* (Aschiepiscopis, & Episcopis) *qui in partem Apostolicæ solicitudinis assumpti estis: quam iis, quibus super hoc vices vestras authoritate per Nos vovis super hoc concessa specialitèr duxeritis committendas omnes noviter conversos prædictos in quibuscumque Sedi Apostolicæ reservati casibus etiam in litteris in diæ Cœnæ Domini legi consuetis (nihil nobis de illorum absolutionibus reservantes) authoritate Apostolica, injuncta eis pœnitentia salutari, in forma Ecclesiæ consueta prout prudentia vestræ videbitur expedire, absolvendi plenam, & liberam à dictæ Sedis beneplacito facultatem concedimus.* De aliis Indorum privilegiis. *Vid. Alloz. in Sum.* V. *Indi, sect.* 2. & alibi aliquid dicimus. Circa gratias à nostris Regibus Indis concessas. *Vid. Indicem R. Ind.* V. *Indios.* Ubi de hoc latè agitur.

TIT. XXXIV.

De Purgatione Canonica.

303 QUia sæpè contingit, aliquem infamari de aliquo crimine, quod non potest sufficienter probari, & non convenit delicta impunita manere, nec innocentem injustè infamiam pati, ideò fuit inducta purgatio Canonica, ut per eam, vel probatio compleatur, vel innocentia declaretur. Ecclesia enim in suis Ministris, nec suspicionem infamiæ volens sustinere, eos suspectos, ad se purgandum compellit. *c.* 5. *& seqq.* 2. *q.* 5. *Gonz. in C. fin. h. t. n.* 2. Sicque potest definiri *Purgatio Canonica est ostensio innocentiæ de objecto crimine juxta præscriptum Sacrorum Canonum facta.* Olim fiebat 1. celebrando Missam, vel sumendo Eucharistiam, ut infamatus, sic ostenderet suam innocentiam: nam si conscientiam objecti criminis haberet non aderet in judicium, & condemnationem Eucharistiam sumere. *c.* 23. 2. *q.* 5. ibi: *Missa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo, cui ipse Abbas præceperit, præsentibus fratribus, & sic expleta Missa omnes communicent in hæc verba: Corpus Domini sit mihi ad probationem hodie.* 2. Accusator, & reus juramentum præstabant ad sepulchra, & reliquias SS. Martyrum. *c.* 6. *c.* 7. *c.* 8. 2. *q.* 5. 3. fiebat per judicium S. Crucis, vel per sortes alteri jactas, quæ post varias precationes extrahebantur, vel per stationes nocturnas, & diu sine lapsu continuatas, vel per juramentum præstitum per Sanctam Crucem, vel illam tangendo. *Gressor. L.* 2. *de Cruz. c.* 16. & quidem hic modus erat frequentior, & qui posteà Sacris Canonibus fuit admissus. Sic juramentum præstat qui vult se purgare de crimine objecto. *c.* 5. *h. t.* præter ipsum purgan-

gandum debent jurare etiam super Evangelia compurgatores, seu testes ab ipso assignati. Et quidem horum juramentum non est de veritate, sicut est juramentum purgandi, sed de credulitate, scilicèt jurant, se credere, quod purgandus verum juraverit, ac proindè innocentem esse, siquidem ipsi nequeunt alienam constientiam videre. *c.* 5. *h. t.* Compurgatores debent esse personæ honestæ, & fidedignæ *c.* 7. *h. t.* Si enim propter crimen sunt condemnati in judicio repelluntur. *c.* 9. *h. t. arg. c.* 54. *de Testib.* Debent esse vicini purgandis. *c.* 11. *h. t.* vel si hos, quia sunt inimici, nolit assumere purgandus, debent habere notitiam de vita, & moribus purgandis. *c.* 10. *h. t.* ut ritè jurare possint. Hodie numerus compurgatorum arbitrio judicis relinquitur attentis gravitate criminis, & infamiæ, & personæ qualitate. *c.* 13. *c.* 19. 2. *q.* 5. imò, & omninò possunt compurgatores, omitti pro personæ qualitate, & levitate infamiæ. Olim enim compurgatores debebant, si poterant haberi, esse ejusdem ordinis cum purgando. Sic Episcopus se purgabat 12. Episcopis; *arg. c.* 19. 2. *q.* 5. Sacerdos 5. vel 7. Sacerdotibus. Diaconus tribus Diaconis adhibitis. *arg. c.* 10. *c.* 12. *h. t.* Etiam possunt Laici, & fœminæ admitti, si purgandus sit advena, qui testibus compurgantibus careat, & statur illius juramento de sua innocentia: sed simul addere debet, se non potuisse compurgatores invenire.

304 Solum Judex, qui posset de crimine objecto cognoscere, potest purgationem indicere, siquidem hæc supplet probationum defectum, adeo, ut si eam indicat Judex incompetens pro nulla habeatur. *c.* 6. *c.* 10. *c.* 15. *h. t.* Si is, cui indicitur purgatio, injuste gravetur, potest appellare ad superiorem Judicis incidentis purgationem. Præterea non debet indici nisi eis personis, quarum fama, & bona existimatio populo Christiano custodiri expediat. Tales enim sunt Episcopi, & alii Prælati, Prædicatores, Sacerdotes Regulares, Moniales, imò, & Laici, si honesti, & fidedigni sint. *c.* 1. *c.* 3. *h. t. c.* 10. 12. *q.* 1. non inducitur Popularibus, vel vilibus personis, ob periculum perjurii: sed in his probationis defectus per torturam suppletur. Purgatio non est indicenda, quando innocentia plenè probari potest, vel indicia sunt levia, & vana: tunc enim sine purgatione quis absolvendus est. *L.* 4. *C. de Edendo* nisi forte pars aliquibus levibus indiciis laborans instet, quod sibi indicatur purgatio; nam tunc ob ejus importunitatem indicitur. *c.* 12. *h. t.* Nec indicitur, quando delictum est notorium. *C.* 15. *h. t.* quia hoc probatione non indiget, nec accusatione, ut puniatur. *C.* 9. *de Accusat.* ne quando infamatus potest convinci per testes, vel alias probationes. *c.* 2. *c.* 5. *c.* 8. *c.* 10. *h. t.* Indicitur ergo tantum purgatio, quando inveniuntur suspiciones, non leves, sed graves: non tamen adeo vehementes, ut delictum, vel innocentiam probent. *L.* 32. *tit.* 5. *p.* 1. ibi: *O si fuere acusado, è non se podria averiguar por pruebas.* Quia purgatio tantum in subsidium probationum est introducta. *c.* 4. *c.* 10. *h. t.* Debet etiam purgandus esse diffamatus publicè, non infamia juris, sed infamia facti, & quidem apud bonos viros, & graves. *c.* 15. *h. t.* Imò etiam si talis infamia oriatur à malevolis, ita ut scandalum generetur, quod purgatione possit cessare, indicenda est purgatio. Regularitèr tamen infamia à vanis suscipionibus, vel ab hominibus malevolis orta contemnitur; *arg. c.* 8. *de Cohabit. Cleric. L.* 32. *tit.* 5. *p.* 1. ibi: *E si fallaren tales señales, por que puedan sospechar contra èl, entonce debenlo mandar que se salve, segun alvedrio de su Perlado mayor. Et ibidem Gregor. Lop.* Aliquando indicitur purgatio etsi non præcedat infamia delicti, sed alia macula, vel impedimentum ad Ordines, vel beneficia obtinenda: v. g. defactus natalium. *c.* 14. *h. t.* Diffamatus de aliquo crimine si hoc depositione dignum sit interim ab officio suspenditur, donec se legitimè purget. *c.* 2. *h. t.* ne in populo generetur scandalum. Si crimen sit grave, & permanens, qui scilicèt habeat in domo fœminam suspectam ter moneri debet: & si ter monitus non resipiscat, à beneficio etiam potest suspendi, cum valdè conveniens sit, bonam opinionem personarum Ecclesiasticarum conservari. *c.* 6. *D.* 33. Si crimen, unico actu consumetur, ut homicidium, non est necesaria, nec serviret monitio, cum diffamatus non possit se emendare, sed statim poterit Judex ad suspensionem, & purgationem procedere. Purgatione ritè peracta ipse purgatus absolvitur à suspensione, si quæ ante purgationem inflicta fuit ob infamiam, vel scandalum criminis objecti. *c.* 8. *c.* 10. *h. t.* ab objecto crimen absolvitur, & innocens declaratur. *c.* 6. 2. *q.* 5. & ad pristinum

statum, & honores restituitur. *c.* 8. *h. t. Sylv.* V. *Purgatio*, *n.* 7. *& com. DD.*

305 Si reus in purgatione deficiat, vel quia ipse nolit jurare, vel quia non inveniat testes compurgatores, qui pro ipso jurare velint: cum jam illa suspicio, quæ contra ipsum erat transeat in vehementem præsumptionem, eo quod in purgatione defecisset, pro convicto habetur, & aliquando in foro Ecclesiastico proceditur ad pœnam ordinariam. *c.* 7. *h. t. Sylv.* V. *Purgatio.* 7. *Menoch. de Præsumpt. l.* 5. *præsumpt.* 41. *Farin. Prax. Crim. q.* 86. in foro tamen sæculari non potest procedi ad pœnam mortis: nam in probatione deficiens solum interpretativè non verè est convictus, & talis pœna non imponitur, nisi de crimine constet probationibus luce Meridiana clarioribus. *L. fin. C. de Probat. Diaz Pract. Canon. cap.* 152. Qui in purgatione fuit absolutus regularitèr non potest de novo accusari: tum quia de eodem delicto non sæpius est quærendum. *L.* 6. §. *fin. ff. Naut. Caup.* tum ob authoritatem juramenti, quod rei judicatæ æquivalet. *L.* 2. *ff. de jur. jur.* & res judicata pro veritate habetur. *L.* 207. *ff. de Reg. jur.* Si verò nova resultet infamia, nova accusatio potest fieri, & purgatio nova indicitur; imò & si nulla infamia de novo oriatur, potest in purgatione absolutus accusari, si accusator probet, illum pejerasse: vel si probet, primum accusatorem prævaricatum fuisse, vel si accusator prosequatur suam, vel suorum injuriam: siquidem accusatio potest repeti, quando absolutio non est ut in præsenti facta, per probationes integras. *L.* 31. *ff. de Jure jurando*, *L. fin. tit.* 7. *lib.* 4. *R. C. ubi N. Rex mandat: Que ningun juramento, aunque el Juez lo mande hacer, ò la parte lo pida, no se haga en S. Vicente de Avila, ni en el herrojo de Santa Agueda, ni sobre Altar, ni Cuerpo Santo, ni sobre las Reliquias del Cuerpo de San Isidro de Leon, ni en otra Iglesia juradera, so pena de diez mil maraveais para la nuestra Camara, y Fisco al que jurare, y al Juez que lo mandare, y al que lo pidiere, y demandare.* Jam fere nullus hodie est purgationis usus: sed ejus loco successit abjuratio. *Cæsar. Carena de Offic. de Inquisit. ad Guid. Fulcod. q.* 12. *n.* 6. Abjurare autem nihil est aliud, quam detestari cum juramento. Abjurant ergo Hæretici, vel de hæresi suspecti ad excludendam suspicionem, vel infamiam hæresis, detestando hæresim, de qua convicti, vel indicati sunt, promittentes, se nunquam in idem lapsuros sub pœna, quæ decernitur in jure contra hæreticos, & hoc cum juramento super Evangelia, si Christianus abjuret, vel supra vetus testamentum, si abjurat Judæus. Triplex est abjuratio pro triplici suspicionis specie, *de levi*, *de vehementi*, aut *de violenta*, præter quartam, quæ est *de formali.* Abjurare recusans habetur pro convicto, & Curiæ sæculari tradendus est, quando confessus, convictus, vel in hæresi manifestè deprehensus fuerit. Si verò solùm sit suspectus, vel levitèr, vel vehementèr, & noluit abjurare prius excommunicatur: quod si stet per annum in excommunicatione, tanquam hæreticus condemnatur. In Inquisitione Hispana abjuratur tantum de levi in pluribus casibus, in quibus in Romana de vehementi abjuratur, ut suis locis constabit *Dian. in Sum.* V. *Abjurare.*

TIT. XXXV.

De Purgatione vulgari.

306 VArii modi se purgandi, & probandi innocentiam antiquitùs inter plures Nationes vigebant, qui nullo jure approbati, sed à vulgo erant inducti, & ideò vulgaris dicebatur talis purgatio. Diffamati ergo de crimine purgabantur. 1. Per judicium ferri candentis. Quæ purgatio sic fiebat: dictis enim Littaniis, & aliis precibus, purgando dabatur aqua benedicta ad degustandum, & postea ipse ferrum ignitum pedibus calcabat, vel in manibus portabat per decem passus: si lædebatur, credebatur culpatus, innocens vero si illæsus manebat. *Gonz. in C. fin. h. t. n.* 5. 2. Per aquam ferventem: in quam diffamatus, dictis variis orationibus, & exorcismis, brachium usque ad cubitum immitebat: si lædebatur, perpetrator delicti, si illæsus, innocens credebatur: *Delrio Disquisit. Magic. L.* 4. *cap.* 4. *q.* 5. *sect.* 1. *&* 2. *Gonz. in c. fin. h. t. n.* 6. 3. Per aquam frigidam: aqua enim certò ritu consecrabatur, & in eam immittebatur purgandus ligatis manu dextra cum pede sinistro, & manu sinistra cum pede dextro. Si non mergebatur, credebatur delictum commississe, quasi & ipsa aqua illum respueret, si verò mergebatur credebatur innocens. *Gonz. in c. fin. h. t. n.* 6. 4. Per Monomachiam. Et hic erat mo-

modus magis frequens innocentiam probandi. Accusator enim in certamen privatum descendere habebat ad veritatem suæ accusationis probandam : si in duello vincebatur accusator, credebatur innocens, qui de crimine accusatus fuerat. Si verò accusator vincebat adversarium, crimen censebatur probatum. Omnes hi modi sunt reprobati à Jure Canonico. *c.* 7. *c.* 20. *c.* 22. 2. *q.* 5. *c.* 1. *& per tot. h. t.* Siquidem redolent superstitionem Gentilicam, & cum dentur alii modi legitimi probandi crimina, vel innocentiam, non est recurrendum ad hos extraordinarios modos : nam Deus his probationibus adhibitis tentatur, ab eoque petitur temerè quod ignis contra ejus exigentiam naturalem non comburat. Præterquamquod est incertissimum judicium, quod ex his probationibus potest deduci. Sæpè enim ex Dei permissione in duello prævalet fortior, vel dexterior contra innocentem, vel non læditur aqua, vel ferro cadente, qui verè delictum perpetravit. *c.* 2. *h. t.*

307 Hinc enim est, quod si fortè aliqua sententia fuit lata ex purgatione reprobata non transit in rem judicatam. *c.* 2. *h. t.* utpotè contra Leges lata, etiam si ab ea non sit appellatum. *c.* 1. *de Sent. & Re judic.* Sed retractanda est, quoties de veritate constet ; *arg. C. 6. de Except.* imò Judex, qui talè medium adhibet ad proferendam sententiam, gravitèr peccabit, quia mediis illicitis utitur. Etiam fallax probatio est, quod ex cadavere hominis occissi, sanguis effluat ad præsentiam alicujus, ut hoc tantum indicio ille credatur occisor, cum hoc ex occultis causis proveniat, & sæpè ad innocentis præsentiam effluat. Non peccat qui ad innocentiam suam ostendendam, quia fortè injustè à Judice opprimitur, ad Dei Tribunal appellat, si hoc bono fine faciat, & non est vindicta, imò aliquando hoc potest deservire, ad consulendum famæ propriæ, & ad deterrendum iniquum Judicem. Sumptio Eucharistiæ, & celebratio Missæ, quæ in Concilio Vormatiensi relato in *c.* 23. *& in c. fin. q.* 5. præscribebatur ad occulta furta detegenda novis constitutionibus prohibetur. Similitèr est prohibita purgatio per vomeres ardentes, quæ olim in Ecclesia Gallicana vigebat præscripta in Concilio Mogutino relato in *c.* 24. 17. *q.* 2. Aliquando vero Deus hæc media ex speciali instinctu suis servis inspiravit. Sic David cum Goliath duellum commisit ad publicam salutem populi Israel. 1. *Reg.* 17. Sic per aquas amarissimas probabatur, an mulier adulterium commiserit. *Num.* 5. *v.* 18. Et in Lege Gratiæ pluries his mediis innocentia Sanctorum fuit declarata, ut de S. Conegunde Imperatrice, de S. Birgitta, & aliis constat ex Historiis.

TIT. XXXVI.

De Injuriis, & damno dato.

308 PRæsens rubrica duas continet partes : in prima de *injuriis*, in secunda de *damno* agitur. *Injuria* in genere dicitur, quidquid non jure, etiam sine culpa fit *pr. Inst. h. t.* In præsenti non sumitur injuria pro iniquitate, & injustitia, nec pro damno contra Legem Aquileam, sed pro contumelia, quæ in contemptum injuriati, & non sine dolo fit, quæ ita dicitur à contemnendo. Sicque solet definiri : *Est delictum privatum dolo malo in alterius contumeliam commissum, quo scilicèt, honor alicujus apud alios minuitur.* Injuria potest fieri. 1. facto, vel gestu, quod scilicèt, quis alterum verberat, vel lædit, vel aliquid in contemptum, vel in diminutionem famæ alterius facit. *L.* 5. *L.* 15. §. 27. *ff. h. t.* v. g. si cornua in ejus domo appendat, vel si quis domum alterius invadat. 2. scripto, si carmen, vel historia in alterius contemptum edatur, vel vulgetur. *L.* 5. §. 9. *L.* 15. §. 27. *ff. h. t.* Si nomine Authoris supresso, scriptura, in qua alicui crimen certum, & famosum objicitur, in publicum spargatur : dicitur Libellus famosus. *L. un. C. de Famos. Libell.* 3. Verbo. Quando aliquis, sive præsens, sive absens appellatur fur, falsarius, spurius vel alius defectus sive morum, sive naturæ ipsi objicitur. *L.* 15. §. 2. *ff. h. t. L.* 10. *C. eod.* Et hæc injuria dicitur convitium: Injuria ex variis capitibus atrox æstimatur, ut ait Justinus in §. 9. *Inst. h. t.* ibi : *Atrox injuria æstimatur, vel ex facto, veluti si quis ab alio vulneratus sit, vel fustibus cæsus; vel ex loco, veluti si cui in Theatro, vel in foro, vel conspectu Prætoris injuria facta sit : vel ex persona, veluti si Magistratus injuriam passus fuerit, vel si Senatori ab humili persona injuria facta sit, aut parenti, patronovè fiat à liberis, vel libertis. Aliter enim Senatoris, & parentis, patronique, aliter extranei, & humilis personæ injuria æstimatur. Nonnumquam, & locus vulneris atrocem injuriam*

riam facit; veluti si in oculo quis percussus fuerit. Parvi autem refert, utrum Patrifamilias, an filiofamilias talis injuria facta sit: nam & hæc atrox injuria estimabitur. Injuriam facere possunt omnes, & soli illi, qui sunt doli capaces, nam injuria in animo, & affectu facientis consistit. *L.* 3. §. 1. *ff. h. t. L.* 5. *C. h. t.*

309 Injuriam non faciunt, nec actione injuriarum tenentur, etsi aliquid injuriosum facere videantur. 1. furiosi, infantes, & infantiæ proximi *L.* 3. §. 1. *ff. h. t.* Ebrii, qui injuriam faciendam in ebrietate non prævidentur; *arg. c.* 7. 15. *q.* 1. dormientes *arg. Cl. un. de Homic.* in his enim deest dolus, & animus, qui ad injuriam requiritur. 2. Qui in judicio accusati excipiunt, & probant, testem esse falsum, vel infamem. *L.* 18. *ff. h. t. L.* 5. *C. de eod.* Nam qui suum jus prosequitur nemini facit injuriam. *L.* 55. *ff. de Reg. jur.* similitèr ab injuria est immunis, qui in judicio detegit alterius crimen, etiam occultum, si Reipublicæ interest tale delictum detegi. Si vero nihil intersit Reipublicæ, non debet detegi alterius crimen, quamtumvis verum sit, si adhuc est occultum, nec ab injuria excusatur sic detegens: nam lædit alterius fammam injuxtè, ad cujus conservationem alter jus habet, dum occultum est delictum. *Clar.* V. *Injuria*, *n.* 17. *Covar. Var.* 1. *cap.* 11. *n.* 6. *& alii com.* Etiam ex defectu animi injuriandi omninò immunis ab injuria est ille, cui aliquod convitium, veli injuria verbalis dicitur; si ad se defendendum in continenti, si est præsens, vel si est absens, cum primum ad ejus notitiam venerit, retorsione utatur dicendo, injuriantem esse mendacem; *arg. L.* 2. §. 42. *ff. ad S. C. Tertull.* nam vim vi repellere licet, *L.* 3. *ff. de Just. & jur.* & cum amissio famæ sit gravior amissione oculorum. *L.* 8. *C. de Decur.* etiam per retorsionem potest defendi, dum tamen moderamen inculpatæ tutelæ servetur: nam hoc etiam servari exactè debet. Quippè illicitum est in publico retorquere, quando injuria fuit privatim facta, nec pro injuria levi, gravis retorquenda est. Denique non licet retorquere, quando illa retorsio non diminuit injuriam illatam: nam tunc non deserviret ad defensionem, sed ac vindictam, ac proindè, sic retorquens de injuria tenetur: mitius tamen punitur, quia difficile est justum animi temperare dolorem. 3. Nec Magistratus injuriat sententiam in dispendium famæ rei juxta Leges proferendo; nam ob bonum Reipublicæ non animo injuriandi hoc fit. *L.* 33. *ff. h. t.* Si verò Judices, ordine juris non servato, aliquid decreverint, injuriam inferunt. *L.* 32. *ff. h. t.* 4. Pater vel Magister, qui aliquid facit in contemptum filii, vel Discipuli animo illum corrigendi, non injuriandi, non tenetur hac actione. *L.* 5. §. *fin. ad L. Aquil.* 5. Concionator, qui in genere reprehendit vita illius civitatis, vel populi. Si enim in particulari, aliquem reprehendat, injuriam infert; *arg. L.* 32. *ff. h. t.* 6. Astrologi, vel Physiognomici, qui ex aspectu Astrorum, vel ex lineamentis corporis dicunt, aliquem, qui ipsos consulit, esse malevolum, &c. *L.* 15. §. 12. *ff. h. t.* nam volenti non fit injuria. 7. Si quis per jocum aliquid injuriosum dicat, vel faciat *L.* 3. §. 3. *ff. h. t.* & quidem si dictum, aut factum ex se non apparet injuriosum, incumbit acusanti probare animo injuriandi esse dictum, vel factum, quia contra eum stat præsumptio. Si verò dictum, vel factum ex se injuriosum appareat, ei quī dixit, vel fecit, incumbit probare, se jocandi animo fecisse: quia contra ipsum ex natura vervi, vel facti stat præsumptio. *L.* 5. *C. h. t.* Tales autem probationes per conjeturas fiunt: quin & per juramentum ejus, qui dixit talia verba, Si nihilominùs adhuc dubium sit de animo vel animi defectu, officio Judicis debet componi: cum delicta non præsumantur, nisi probentur. *L.* 51. §. *Pro socio.* Si dictum, vel factum sit certò injuriosum, quia alapam quis alteri impingat, vel furem appellet, non excusat ab injuria præfatio honoris, vel protestatio, quod non fiat animo injuriandi, sive antecedat, sive subsequatur injuriam: nam protestatio est contraria facto, ac proindè non prodest, nec potest se facientem ab injuria excusare.

310 Injuria potest committi *directè*, quando scilicèt fit immediatè, contra personam injuriatam & potest indirectè alii resultare, quando scilicèt, non propria persona, sed in aliis valdè conjuntis, injuriam quis patitur, dummodo hæc, dum fit, aliquem respectum dicat ad alias personas, secus alitèr. Sic potest injuriarum agere. 1. Pater ob injuriam factam filio in ejus potestate existenti; secus, si emancipatus sit. *L.* 15. §. 3. *ff. h. t.* 2. Maritus pro injuria uxoris: secus uxor pro injuria mariti: nam maritus uxorem debet defendere, non uxor ma-

ri-

ritum *L. 2. ff. h. t.* 3. Dominus pro servo in ejus servitio occupato. *L.* 15. §. 48. *ff. h. t.* 4. Episcopus pro sua Ecclesia, vel Clerico sibi subjecto. Prælati Regulares pro suo Monasterio, & pro Religiosis suis subditis; dum aliquomodo in contemptum Religionis injuria cedat. *Gomez* 3. *Var. cap. 6. n. 6.* imò, & pro Novitio etiam possunt agere; *arg. c.* 21. §. 1. *de Sentent. excom. in 6.* Frater pro fratre, multoque minùs alii cognati, non possunt injuriarum agere pro injuria cognatis facta; cum tales personæ non exprimantur in jure, *arg. L.* 12. *ff. de Judic. Perez in Cod. h. t. n.* 12. Insuper injuria potest committi contra quemcumque hominem, etiam rationis usu destitutum, quin etiam contra defunctum, quia omnes, etiam post mortem, habent jus ad honorem, & famam. *L.* 1. §. 4. *L.* 3. §. 1. *ff. h. t.*

311 Pro injuria autem potest agere injuriatus, vel *civilitèr*, petendo suam privatam satisfactionem: vel *criminalitèr*, publicam vindictam intendendo. Sed cum utraque actio pœnalis sit, & nullum delictum bis debeat puniri. *L.* 14. *ff. de Accusat.* hinc injuriato est liberum agere, qua ex his voluerit actionibus: una tamen intentata, altera perit. Actio civilis, ex Jure Civili oritur: ex Lege scilicèt Cornelia, qua injuria realis vindicatur; v. g. si quis verberetur, vel ejus habitatio per vim introeatur. *L.* 5. *ff. h. t.* Hac actione agitur ad æstimationem injuriæ à Judice faciendam, vel ad pœnam pecuniariam applicandam fisco, vel ad pœnam afflictivam corporis. Alia ex Jure Prætorio provenit, competitque injuriato directè, vel etiam indirectè in persona conjuncta. *L.* 1. §. 3. *ff. h. t.* Eaque agit injuriatus, ut sibi pœna pecuniaria; v. g. 100. aureorum, quorum jacturam maluisset pati, quam contumeliam sustinere, applicetur. Judex tamen eam taxationem ad minorem summam redigit; v. g. ad 80. aureos, & jubet eos restitui. Hæc actio est personalis, & famosa siquidem infamem ea condemnatum facit. *L.* 7. *ff. h. t.* non datur contra hæredes injuriantis, quia pœnalis est, nec hæredibus injuriati, quia vindictam sapit, quam moriens remisisse creditur. *L.* 13. *L.* 15. §. 14. *ff. h. t.* Quando alicui est facta injuria, vel verbo, vel scripto contra ejus famam, vel existimationem, consuetudo introduxit actionem ad Palinodiam, scilicèt, ut injurians retractet dicteria famosa contra injuriatum prolata, & in judicio fateatur, se malè ea protulisse. *L.* 2. *tit.* 10. *lib.* 8. *R. C.* Et hæc est actio personalis, utpotè ex delicto descendens, & rei persecutoria, qua injuriatus prosequitur, quod sibi deest, videlicèt existimationem. Et ideò, etiam ejus hæredibus competit, non tamen contra injuriantis hæredes, cum ex delicto descendat: potestque cumulari cum actione injuriarum ad æstimationem: nam cum hæc actio ad recantandam *palinodiam*, sit rei persecutoria, non excludit actionem ad æstimationem, quæ est pœnalis, & tendit ad diversum finem. §. 1. *Inst. Si quadrup. pauper.* Justus recantare palinodiam non contrahit infamiam juris, cum nulibi sit expressa, aliqualem tamen infamiam facti contrahit, cum apud viros graves indecorum sit, se mendacii arguere.

312 Si criminalitèr pro injuria agatur, imponitur de Jure Civili pœna corporalis, vel pecuniaria applicanda fisco, vel alia arbitrio Judicis. Similitèr de Jure Canonico est arbitraria: at verò quĩ cardinalem percutit, vel persequitur hostilitèr, tanquam reus læsæ Majestatis punitur. *c.* 5. *de Pœnis in 6.* Eadem ferè pœna infligitur in persequentem, vel percutientem Episcopum, *Cl.* 1. *eod.* Quĩ in Clericum, vel Monachum injuriosè violentas injicit manus ipso facto excommunicatur. *c.* 29. 17. *q.* 4. Libellum famosum componens, vel ab alio compositum vulgans, quo crimen capitale alícui, sivè verè, sivè falso imputatur, etiam si Reipublicæ expediat, illud detegi, est dignus pœna capitali. *L. un. C. de Famos. Libell. L.* 3. *tit.* 9. *p.* 7. *& ibid. Gregor. Lopez.* Actio injuriarum tollitur 1. si injurians satisfaciat injuriato pacto, vel translatione inter eos interveniente. *L.* 11. §. *ff. h. t.* vel si injurians juret, se nihil animo injuriandi dixisse, vel fecisse. *L.* 5. §. 8. *ff. h. t.* 2. Si injuriatus injuriam remittat, vel expressè, vel etiam tacitè, injuriam contemnendo, vel post offensionem instaurando antiquam amicitiam cum injuriante. *L.* 11. §. 1. *ff. h. t.* & licèt pater, vel Prælatus possint injuriam factam filio, vel Religioso ipsis ignorantibus, & invitis, remmittere *L.* 17. §. 12. *ff. h. t.* non tamen è contra, possunt filius, vel Religiosus, invitis Patre, & Prælato, injuriam sibi factam condenare. *Clar.* V. *Injuria*, *n.* 10. Non potest Pater remittere injuriam factam filio, si hic sit eminentioris conditionis. Deindè

non

non valet infamatus injuriam condonare, quando ea in aliorum præjudicium, & infamiam redundat, vel si vir injuriatus sit valdè gravis, ita ut ejus fama sit necessaria ad publicam utilitatem. Nec Religiosi possunt injuriam condonare, quando in suæ Religionis infamiam, & detrimentum redundet: nam ut ait *D. August. in c.* 10. 12. *q.* 1. *Duæ res sunt conscientia, & fama: conscientia necessaria est tibi: fama proximo tuo, qui fidens conscientiæ suæ negligit famam suam, crudelis est.* 3. Retorsione censetur injuriato satisfactum. 4. Tam morte injuriantis, quam injuriati ante litem contestatam, actio injuriarum, quatenùs pœnalis est, finitur, neque hæredi, neque in hæredem datur. *L.* 13. *ff. h. t.* 5. Prescriptione cessat. Et quidem actio criminalis ex injuria verbali descendens, anno elapso intentari nequit. *L.* 5. *C. h. t.* Actio descendens ex libelo famoso, vel ex injuria reali, est perpetua. Similiter actio Civilis ad recantandam Palinodiam, & solùm 30. annis finitur. Etiam elapso anno, vel mortuo injuriante, vel injuriato datur actio ad repetendum damnum ex injuria ortum, imò, & actione non intenta tenetur injurians, vel ejus hæredes damnum ex injuria ortum compensare; *arg. C. fin. de Sepult. c.* 5. *de Raptor.* Nunc ad secundam Rubricæ partem de *damno dato* progrediamur.

313 *Damnum* sic dicitur *à diminutione*, vel *ademptione* patrimonii. *L.* 3. *ff. de Damn. infect. L.* 1. *tit.* 15. *p.* 7. In præsenti sumitur, non pro damno, ex quo illud facienti lucrum resultat, ut fit per usuras, vel furtum: nec pro damno, quod à bruto fit, nam tunc dicitur *pauperies*, sed pro damno, ex quo homini illud causanti nullum commodum accrescit, se tantum res aliena deterioratur, corrumpitur, vel omnino destruitur; v. g. Si quis ædes, vel segetes alienas comburat, vestimentum laceret, vel vinum effundat. *L.* 27. §. 15. & 25. *ff. ad Leg. Aquil.* Si vero quis alienum vestimentum induat, vel ebibat vinum, vel aliter damnum in re salva, & integra faciat, non est reus Legis Aquiliæ. *L.* 27. §. 25. *L.* 30. §. 2. *ff. ad Leg. Aquil.* Damnum hoc potest fieri, vel dolo, vel culpa, vel casu fortuito. Dolo, si animo nocendi fiat: quod si de eo animo per confessionem partis, vel aliis indubitatis indiciis constet; dicitur dolus verus, seu apertus: si verò indicia sint tantùm verisimilia, dicitur dolus præsumptus. Et hic quidem ab aliquibus dicitur culpa latissima, & latior. Culpa damnum fieri dicitur, quando hoc aliqua adhibita diligentia potuisset impediri. Culpa autem alia est *Theologica*, *juridica* alia. *Theologica* est peccatum, seu offensa Dei. *Juridica* est omissio diligentiæ debitæ, ex qua aliquod incommodum sequitur. Culpa, prout utramque speciem continet, sic gradatim ascendit. 1. Est *levissima*, quando scilicèt omittitur diligentia exactissima, v. g. si clauso cubiculo non examinasti, an sit benè clausum, & re ipsa apertum permansit. 2. *Levis*, quando omittitur diligentia exacta, quæ à providentioribus solet adhiberi; v. g. si in cubiculo non clauso reliquisti librum. 3. *Lata*, quæ positivam negligentiam continent, quando scilicèt omittitur diligentia, quam communiter homines solent adhibere; v. g. Si librum extra cubiculum relinquas. Et prædicti gradus culpæ juridicæ annumerantur. 4. Est *latior*, quæ dolus præsumptus dicitur, cui etiam ignorantia juris annumeratur; v. g. si librum in domo furis relinquas. 5. *Latissima*, quæ in dolo aperto consistit; v. g. si librum tibi commodatum des furi, non dicens expressè, intendens tamen, ut illum furetur. Hæc autem culpa dicitur calliditas, quando solo animo fit fallacia, quando verbis mendacibus: fraus, seu falsus, dolus quando factis: machinatio, si arte verborum sine mendacio fiat. Denique casus fortuitus est, qui nullo consilio humano prævideri, nec vitari potest; v. g. naufragium ex tempestate, vel incendium ex fulmine, vel ruina ex terræmotu proveniens. *C. fin. de Homic. L.* 2. §. 7. *ff. de Admin. rerum ad Civit.*

314 Aquilius Tribunus per suum plebiscitum damnum non lucrosum vindicavit, & hinc est orta Lex Aquilia, quæ tres continet actiones: alia est *directa* ex verbis Legis descendens, & competit, quando damnum factum est corpore, & in corpus, ut siquis manu occidat alterius animal. Alia est *utilis*, quæ menti Legis est conformis: & competit, quando damnum in corpus est factum, sed non corpore, ut siquis, alterius equum fame occidat. *L.* 4. *tit.* 15. *p.* 7. Alia denique est *in factum subsidiaria*, quæ neque ex mente, neque ex verbis Legis oritur, sed ob singularem æquitatem recepta fuit à Prætore: ut siquis misericordia ductus alienum servum compeditum solverit, ut fugeret. §. *fin. Inst. de Lege Aqui-*

Aquilia L. 8. tit. 15. p. 7. Damnificatus intentans actionem Legis Aquiliæ petere potest reparationem damni, sivè hoc consistat in occisione servi, vel animalis gregatim pascentis: quod primo capite Legis vindicantur. Sivè consistat in corruptione, vel destructione rei inanimatæ, sivè in vulneratione servi, vel animalis gregatim pascentis, vel in occisione animalis non gregatim pascentis: quod tertio capite Legis Aquiliæ continetur, & quidem debet damni reparationem petere secundum præsentem rei æstimationem, & valorem: sic interpretante praxi communi, licèt olim æstimaretur, non secundum tempus, quo damnum fuit causatum, sed quanti plurimi valuit res intra annum, si ex primo capite Legis agebatur, vel intra 30. dies si agebatur ex tertio. §. 9. *Inst. de Leg. Aquil. L. 18. tit. 15. p. 7.* Si reus inficiabatur, seu negavat, sed damnum causasse, & convincebatur mendacii, actio in duplum dabatur. *L. 2. §. 1. ff. ad Leg. Aquil. L. 16. tit. 15. p. 7.* Etiam poterant peti expensæ factæ in vulneris curatione, & æstimatio, operarum, quibus damnificatus privabatur ob damnum acceptum; vel si aliud lucrum fuit cessans, vel damnum emergens. *c. 1. h. t. Gonzal. ibid. n. 3. Farin. Prax. Crim. q. 119. & alii com.* v. g. Si virgo ob deformitatem nuptias cum divite non contraxit: alias ob deformitatem nihil solvitur: nam corpus liberum æstimationem recusat. *L. 3. ff. Si quadrupes pauperiem.* Etiam repetit damnificatus expensas in lite, ob læsionem factas, etiam si jurasset statutum super non repetendis damnis: nam in significatione propria expensæ damnorum nomine non veniunt. *c. 8. h. t.* Non tamen tenetur ex Lege Aquilia, qui ob defectum judicii, licèt damnum faciat, nec dolum, nec culpam committit: ut furiosus, infans, amens, vel mente captus. *L. 5. §. 2. ff. ad Leg. Aquil.* ibi: *Cessabit Aquilia actio quemadmodum si quadrupes damnum dederit. L. 3. tit. 15. p. 7.*

315 Actio Legis Aquiliæ habet locum, non solùm, quando damnum provenit ex dolo nocentis, sed etiam, quando intervenit culpa etiam levissima. *L. 44. ff. ad Leg. Aquil.* nisi fortè ex natura contractus culpa levissima non sit præstanda. Sic depositarius, nec conductor præstare tenetur damnum culpa levissima causatum in re deposita, vel locata: nam Leges in talibus contractibus excusant à tali culpa. *Ita Covar. de Matrim. p. 2. c. 6. §. 8. Molin. de Just. tr. 2. D. 687.* Reus igitur hujus delicti est quicumque alterum lædit, sivè per negligentiam, incuriam, imperitiam, aut omisionem: vel suo mandato, ope, vel auxilio est causa damni: secus si tantùm consilium dedit, vel ratum habuit postquam jam damnum erat causatum. *Ut Greg. IX. in C. fin. h. t.* ait: *Si culpa sua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem fortè tulisti, aut hæc imperitia tua, sivè negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimilitèr posse contingere, vel jacturam.* Qui verò diligentiam omnem adhibuit, ad vitandum damnum, etiam si hoc tunc sequatur, ex Lege Aquilia, non tenetur. *C. fin. h. t.* Nec qui jus suum prosequitur; v. g. Si quis timore proximi incendii ædem vicini demolitur. *L. 12. tit. 15. p. 7.* Nec quis damnum casu fortuito eveniens tenetur compensare, quia cum ibi non sit culpa, nec pœna debet admiti, nisi fortè res aliena casu periit apud eum, qui jam in mora restituendi erat constitutus, vel si ex conventione in se casum fortuitum suscepit: tunc enim ad compensandum damnum, etiam, in conscientia obligatur. *C. un. de Comod.* Hinc sunt resolutiones sequentes. *Si quis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque hos, vel asinus in eam, Dominus cisternæ reddet pretium jumentorum: quod autem mortuum est, ipsius est. Exod. 21. v. 33. Relat. in c. 2. h. t. L. 7. tit. 15. p. 7. Si hos alienus cornupeta fuerit ab heri, & nudius tertius, & non custodivit eum Dominus suus, reddet bovem pro bove, & cadaver integrum accipiet. Exod. 21. v. fin. Relat. in c. 3. h. t.* Idem est de Leone, Urso, Lupo, & aliis bestiis, quæ feræ sunt sua natura. *L. 23. tit. 15. p. 7.* Item, *si læserit quispiam agrum, vel vineam, & dimisserit jumentum suum, ut depascat aliena, pro damno æstimationem restituet. Exod. 22. Relat. in c. 4. h. t. Si egressus ignis comprehenderit acervos frugum, sivè stantes segetes in agris reddet damnum, qui ignem succenderit. Exod. 22. c. 5. h. t.* Si quis enim ad comburendum spineta, vel arbusta, incendium faciat, debet cavere, ne prædiis vicinis damnum inferat, ac proindè non debet incendium facere propè paleam, vel ligna arida, vel in die ventoso: alias de damno tenetur. *L. 11. tit. 15. p. 7.* Medicus, qui servum alienum malè secuit, vel perperam medicamentum dedit,

vel etiamsi benè secuit, illum dereliquit: in utroque casu reus erit, & tenetur ex Lege Aquilia, si mortuus est servus. §. 6. & 7. *Inst. de Leg. Aquil.* Idem est de Chirurgo, & Veterinario, *Hispanè. Albeytar. L. 9. tit.* 15. *p.* 7. Nulio quoque, qui propter imperitiam non potuit mulas retinere, imò etiamsi propter infirmitatem retinere non possit, cum alius firmior, eas potuisset retinere, si earum impetu servus alienus fuit oppressus, reus culpæ est. §. 8. *Instit. de Lege Aquil.* Si putator ex arbore dejecto ramo prope viam publicam, vel vicinalem servum transeuntem occiderit, si non proclamavit, ut casus posset evitari, reus est culpæ: secus si proclamavit, ut casus posset evitari: tunc equidem non est reus culpæ: quin etiam, si non proclamasset est liber à culpa, si cædebat in medio fundo, vel seorsum à via, quia in eo loco nulli extraneo jus erat versandi. §. 5. *Instit. de Leg. Aquil.* Si miles in campo, ubi solitum est exercitari, servum alienum trajecerit, liber est à culpa: secus est, si alius hoc ibidem faciat, vel etiam miles in alio loco. §. 4. *Inst. de Leg. Aquil. L. 6. tit.* 15. *p.* 7. Si verò homicidium, vel quid aliud ex errore proveniat, est omninò à culpa, ut involuntarium, immune. Sic Acteon excusatur, quando Dianam vidit: *At benè, si quæras, fortunæ crimen in illo non scelus, invenies: quod enim scelus error habebat?*

316 Non solùm in foro externo, sed etiam in interno, tenetur damnificans compensare damnum dolo, vel culpa theologica causatum. Siquidem hoc est contra justitiam commutativam. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 62. *art.* 1. *in corp.* ubi restitutio actus dicitur commutativæ justitiæ, quando scilicèt, res unius ab alio habetur, vel per voluntatem ejus, sicut in mutuo, vel deposito, vel contra voluntatem ejus, sicut in rapina, vel furto. Quando verò damnum ex culpa merè juridica, etiam lata resultat, non datur obligatio in conscientia ad illud recompensandum: nam cum ex inadvertentia procedat, se habet tanquam casus fortuitus, nec magis voluntarium censetur, quam si fortè, ab infante, vel amente causaretur. Neque enim ex Jure Naturali nascitur hæc obligatio, cum damnificans nec ex re accepta teneatur, quia nullum lucrum est consecutus, nec ex acceptione injusta, siquidem inadvertentèr fuit facta acceptio, ac proindè nequit injusta dici: nec enim in foro conscientiæ obligatur ad restitutionem propter injuriam, qui in foro conscientiæ non commissit injuriam, nec ex Jure Civili oritur similis obligatio: nam cum non constet, Leges velle in conscientia obligare, sed hoc valdè dubium sit, benignior sententia ab obligatione excusans præferri debet. *L.* 56. *L.* 192. §. 1. *ff. de Reg. jur.* nec in dubio est imponenda obligatio. *L.* 47. *ff. de O. & A. Innoc. in c.* 6. *de Homic. Less. de Just. & jur. L.* 2. *cap.* 7. *ex n.* 24. qui dicit, solùm dari obligationem restituendi in conscientia, quando culpa lata est peccatum mortale, adeò ut si tantùm veniale sit, nulla detur obligatio in conscientia restituendi, nequidem sub veniali: post sententiam verò Judicis condemnantis ad compensationem damni, etiamsi hoc ex culpa merè juridica resultet, in conscientia obligatur damnificans compensare, alias inutiles essent Leges: neque satis consuleretur juri privatorum in suarum rerum custodia, & indemnitate. *Molin. Lacroix, lib.* 3. *p.* 2. *ex n.* 170. *& alii* contra *Rebell.* sed cum culpa solùm debeat suos Authores non innocentes tenere. *L.* 22. *C. de Pœnis pignorationes*, seu *repræssaliæ*, quando scilicèt una persona, vel res capitur pro delicto, aut debito alterius, illicitæ, & contra Jus Naturale sunt: ac proindè nulla consuetudine, quæ potius erit corruptela, cohonestari possunt. *C. un. h. t. in* 6. Si verò aliqua Respublica, quæ alii damnum intulit, postquam requisita est, damnum compensare injustè recuset, poterit Princeps, qui damnum passus est tales repræssalias ad compensandum præcissè damnum indicere, non causæ privatæ vindictæ: sicut posset bellum gerere. *c.* 2. 23. *q.* 2. etiamsi per accidens innocentes in suis bonis patiantur: nam posteà pro damni reparatione contra Authores criminis, aut debiti agere possunt. Sed licèt aliquando ex causa publica tales repræssaliæ indicantur non comprehendunt Ecclesiasticos, nec illorum bona: si tamen aliqua persona particularis eas indicat in Ecclesiasticos excommunicationem incurrit. Si verò eas Universitas indicat Ecclesiastico, subjacet interdicto, nisi intra mentem revocent concessionem, vel extensionem. *C. un. h. t. in* 6.

317 Hùc possunt reduci aliæ obligationes, quæ ex quasi delicto nascuntur ad repetendum damnum, quod tamen sine alicujus culpa causatur. Sed

quia

quia tales obligationes non proveniunt ex contractu, neque ex delicto, & qui obligatus est aliquid peccasse, licèt per imprudentiam, censetur, ex quasi delicto oriri dicuntur, & quidem 1. Judex, sivè pater, sivè filiusfamilias sit, qui malè judicavit per errorem, imprudentiam, vel ignorantiam, quia culpabilis est, in eo quod non magis studuerit, vel diligentiùs rem discusserit, læso debet restituere quantum judicaverit superior Judex. *Princ. Instit. de Oblig. quæ est quasi delict.* 2. Qui in aliqua domo, sivè propria, sivè aliena habitat, sivè paterfamilias sit, sivè filius, qui seorsim à patre habitet ex quasi delicto obligatur, si ex ejus domo aliquid ejectum, vel effussum sit, etiam per culpam servi, vel filii, quod transeunti nocuisset: & datur actio ad duplum damni dati repetendum, si læsio in rebus pecuniæ æstimabilibus contigit: si verò homo liber est vulneratus, datur actio ad recuperandas impensas curationis, & operas cessantes: si homo liber mortuus est actio est popularis, & actori 50. aurei sunt solvendi. *L. 1. ff. de his, qui effuder*: 3. Si quis ea parte, qua vulgo iter fieri solet, id positum, aut suspensum habet, quod potest, si ceciderit alicui nocere, contra eum, qui rem suspendit, datur actio in factum pro 10. solidis, vel aureis solvendis; quod si illud cadat, & damnum facit in duplum damni tenetur, qui rem ibidem possuit: quod si hominem occidat, tenetur quinquaginta solidos auri solvere. *L. 26. titul. 15. p. 7.* 4. Exercitor navis, aut cauponæ, aut stabuli de dolo, aut furto, quod in navi, aut caupona, aut stabulo factum erit, quasi ex maleficio teneri videtur: si modo ipsius nullum est maleficium, sed alicujus eorum, quorum opera navem, aut cauponam, aut stabulum exercet; tunc enim contra eum, quia opera malorum hominum utens aliquatenùs est culpabilis, competit actio in factum actiori ad duplum damni recuperandum. *L. fin. ff. Naut. caupon.* quæ hæredi quidem datur: adversus hæredem autem non competit, §. 3. *Inst. de Oblig. quæ ex quasi delict.* Dominus etiam cujus servus damnum, vel animal pauperiem, seu nocumentum fecerit aliquomodo culpabilis est, quia non sufficientèr præcavit damnum illatum; ac proindè, si actione noxali conveniatur, in ejus arbitrio est, servum, vel animal noxæ dare, hoc est, quod ipsum animal, vel servum in damni compensationem det, vel quod alitèr damnum resarciat læso, vel ejus hæredi. Si tamen neget suum esse animal, quod nocuit, tunc electionem amittit, & præcisè tenetur damnum compensare. *L. 1. ff. de Noxalib. act. L. 22. tit. 15. p. 7.* Non tamen potest damnificatus occidere animalia aliena in suo agro deprehensa: nam eorum Dominus innocens pateretur damnum. *L. 24. tit. 15. p. 7.* ibi: *Defendemos, que lo non mate, nin lo lisie, nin lo fiera, nin lo encierre, nin lo faga mal ninguno, mas que lo saque ende, é de sí demande delante del Juzgador enmienda del daño.* Qui ex quasi delicto, vel actione noxali, vel de pauperie est obligatus non tenetur in conscientia ad damni compensationem ante Judicis sententiam, secus post illam: sicut qui tenetur ex damno ex sola culpa juridica proveniente, & quidem excusatur à tali obligatione si remittat damnificatus, vel aliunde hoc damnum compensavit, vel si nequeat damnificans compensare ob paupertatem sine damno boni ordinis superioris, quæ obligatio, durante impedimento suspenditur, eo tamen ablato, reviviscit.

318 Magistri Navium, seu Nauclerì: *Hispanè*: *Pilotos*, tenentur de naufragio, quod ob illorum ignorantiam in arte contigit, vel si à via recta declinarunt, & transierunt per loca periculosa, vel si navigavèrunt tempore, quo tempestas, vel adversi venti vigebant, vel si aliquid contra mandatum, & instructiones fecerunt, vel si tempore, quo debuerunt navigare in ancoris steterunt, ita ut de culpa levissima ob summam vigilantiam, quæ requiritur teneantur. Etiam Navarchi, *Hispanè*: *Capitanes*, tenentur de naufragio, quod ipsorum culpa, vel omissione evenit, vel si Navis mercibus valdè onerata est: vel si est destituta fulcimentis necessariis, ut velis, malis, vel armis. Et quidem eorum culpa juxta instructionem examinanda est: siquidem non potest dolo carere, qui imperio Magistratus non paruit. *L. 199. ff. de Reg. jur.* De quibus latè agitur in *L. 1. L. 9. tit. 9. p. 5. & tit. 35. & 36. lib. 9. R. Ind. & Greg. Lop. in L. 26. tit. 8. p. 5.* V. *Culpa Hevia Bolaños, lib. 3. Comerc. Naval. cap. 12. & 13. Veytia Norte de la Contrat. lib. 2. cap. 1. & cap. 8.* Quando imminet tempestas, vel naufragium, quilibet potest propria authoritate merces navis in mare projicere ob commune bonum totius navis, & ob vitam navigantium: sicut potest

quis vicinas ædes incidere, ignis arcendi causa. Merces ita jactæ non habentur pro derelictis, sed manent in suorum dominorum dominio: quod si pereant, periculum est commune, sic æquitate dictante. *L.* 1. *ff. ad Leg. Rhod. de Jactu* ibi: *Lege Rhodia cavetur, ut si levandæ navis gratia jactus mercium factus est, omnium contributione sarciatur, quod pro omnibus datum est. L.* 5. *L.* 6. *tit.* 9. *p.* 5. *L.* 10. *tit.* 10. *lib.* 7. *R. C.* ibi: *Todos los que anduvieren en el Navio sean tenidos de pagar cada uno, segun la cantidad de lo que traxeren en el Navio; si no traxeren sino sus cuerpos, no sean tenidos de dar cosa alguna. Hevia Bolaños, Comerc. Nav. L.* 3. *cap.* 13.

TIT. XXXVII.

De Pœnis.

319 SI homines non declinassent à via recta, per quam juxta Legum præscripta ambulare debent, superfluum omninò foret, & pœnas imponere, & de pœnis agere, sicut de ætate aurea canunt Poetæ: *Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo, sponte sua sine Lege fidem, rectumque colebat: pœna, metusque aberant.* Sed cum verè simus inferrea ætate = *Fugere pudor, verumque; fidesque: in quorum subjire locum fraudesque, dolique, insidiæque, & vis, & amor sceleratus habendi.* Hinc fuì necesse supplicia, tormenta, & pœnas stabilire, ut quos non allicit amor, coërceat timor. *Pœna* ergo à *pendendo* dicta est, quia olim pœnæ ferè semper in pecunia consistebant, teste *Nebrissensi*, sed nunc in tota sua latitudine, sic definitur ab *Augustino in cap.* 4. *de Pœnit. D.* 3. *Est læsio, quæ punit, & vindicat, quæ quisque commissit*, vel clariùs, est emendatio, coërcitio, vel satisfactio pecuniaria, aut corporalis delictorum, quam possunt infligere Judices, ut puniant delinquentes, & alii terreantur. *L.* 1. *tit.* 31. *p.* 7. & ideò in *L. fin. tit.* 31. *p.* 7. dicitur: *Paladinamente debe ser fecha la justicia de aquellos, que hobieren fecho porque deban morir; porque los otros, que lo vieren, ó lo oyeren, reciban ende miedo, ó escarmiento, diciendo el Alcalde, ó el pregonero ante las gentes los yerros por que los matan.* Nam publicè expedit, delicta debito cruciato puniri. *L.* 51. §. 2. *ff. ad Leg. Aquil.* imò *sunt quædam culpæ*, (ait *Innoc. III. in cap.* 1. *de Postulat. Prælat.*) *in quibus culpa est relaxare vindictam.* Pœna ergo in tota sua latitudine comprehendit: 1. Pœnas medicinales: de quibus *in tit. de Sent. excom.* 2. Pœnas civiles: 3. Pœnas vindicativas. Pœna civilis est ea, quæ intendit privatam satisfactionem, non solùm quando imponitur à Lege, vel à Judice, & dicitur *Legalis*, & *Judicialis*: sed quando à partibus convenitur de aliqua pœna solvenda, *cap.* 7. *h. t.* quæ *conventionalis* dicitur: & quidem solvi debet à parte non adimplente contractum, *cap.* 4. *de Arbitr. L.* 14. *C. de Pact.* nisi fortè compensatione hæc obligatio cesset; *arg. C. fin. de Adulter.* quia altera pars contractui contravenerit. *Gloss. in cap.* 7. *h. t.* V. *Utramque.* Si pœna est individua solvi debet integre, & si contractus ex parte, non verò integrè sit servatus. *L.* 5. §. *fin. ff. de V. O.* Quando verò est dividuo, & contractus in aliqua parte notabili non est servatus ex æquitate debet minui pœna proportione habita ad partem debiti, *cap.* 9. *h. t. Sarm. lib.* 5. *Selectar. cap.* 6. *n.* 11. *Barbos. in cap.* 9. *h. t.* Si pars, cui pœna conventionalis debetur, eam non petat, creditur velle, eam condonare, seu remittere: ac proindè debitor non tenetur tunc eam solvere. Omninò verò obligatur in conscientia, quando pars petit, nec ad hoc est necessaria Judicis sententia cum ita contractum videatur. *Suar. de Legib. lib.* 5. *cap.* 6. *n.* 7. *Covarr. Molin. & alii* contra *Navar. Sanch. Less. & alios.* Pœna vindicativa, quæ proprius pœna est, non à potestate privata ad vindictam exercendam, sed à potestate publica debet provenire, & ex fine quidem honesto, scilicèt, vel ut delinquens emendetur, vel saltem, ut alii terrore supplicii non delinquant. Et quidem debet servari proportio arithmetica, & æqualitas pœnæ ad culpam, sicut in aliis actibus justitiæ commutativæ. Debent tamen attendi circunstantiæ delinquentium: nam pœna, quæ respectu servi, & plebeji est levis, respectu ingenui, vel nobilis est gravis. Ideò jubentur severius castigari servi, quam ingenui in *L.* 10. *L.* 28. §. *fin. ff. h. tit.*

320 Et quidem semper debet præcedere culpa, ut imponatur pœna: & regularitèr debet esse culpa illius, qui punitur, *cap.* 22. *h. t.* potest tamen accidere, quod quis sine culpa propria puniatur, sic causa publica exigente, *cap.* 23. *de Reg. jur. in* 6. ut scilicèt alii terrore percussi, difficilius crimina atrociora committantur. Sic pœna ob crimen hæresis,

&

& læsæ Majestatis in aliquem statuta transit de parentibus ad filios, *cap.* 10. *cap.* 15. *de Hæret. in 6. L.* 5. §. 1. *C. ad Leg. Juliam Majest. L.* 9. *tit.* 31. *p.* 7. Et Episcopum occidens amittit quidquid habet ab Ecclesia, & ejus liberi, usque ad quartam generationem accentur ab Ecclesia, & beneficiis illius, *cap.* 10. *cap.* 12. *h. t.* Si communitas aliqua, licèt non tota, sed tantum major ejus pars delinquat, quia major pars totam communitatem repræsentat, tota potest puniri. Ita jubet Dominus delere urbem, ac omnia, quæ in illa sunt, usque ad pecora, ob delictum aliquorum. *Deut.* 13. *ex v.* 15. non tamen possunt innocentes in vita, vel membris puniri: nam in hæc non habet Respublica potestatem, ut habet in bona suorum subditorum. Quando verò aliqui particulares alicujus Civitatis delinquunt, ipsi tantùm puniendi sunt. *L.* 7. §. *fin. ff. de Jurisd.* vel aliqui ex ipsis, quo sors designet. *Novel.* 30. *cap.* 11. ut in militibus transfugis quotidie fit. Si tamen omnes deliquerint, ut in seditione, vel tumultu, solùm motores principales capite, cæteri verò mitius plectuntur; v. g. in bonis fortunæ, *cap.* 5. 9. *q.* 1. *Ubi enim multorum strages jacet, ibi subtrahendum est aliquid severitati, ut addatur amplius charitati.* Aliquando potest Civitas destrui, vel domus alicujus, quando gravissimum delictum est; v. g. contra Regem, debentque domus, & ædificia demoliri, & solum aratro proscindi, & sale conspergi, vel manu militari comburi. *Gom. Var.* 3. *cap.* 1. *ex n.* 52. *Hev. in Curia Philip. p.* 3. §. 9. *n.* 1. Et potest communitas in his casibus dissolvi. *L.* 2. *tit.* 2. *lib.* 8. *R. C.* ibi: *O porque quando algun grave, y detestable crimen es cometido por algunos de algun Colegio, ó Universidad, es razon que el tal Colegio, y Universidad sea disuelto, y aniquilado, y los menores por los mayores, y los unos por los otros sean punidos, &c.* Et sic fuit deletus Ordo Militaris Templariorum in Concilio Vienensi: & Jacobus de Molay totius ordinis Magister fuit Parisiis vivus flammis addictus *ann.* 1313. *Ludov. Morer. in suo Dict. Histor. V. Templiers.* Nunquam tamen in foro externo punitur delictum merè internum, *cap.* 14. *cap.* 20. *de Pœnit. D.* 1. Hoc enim solum Deo habet ultorem. At verò conatus aliquo jam opere externo significatus puniri debet: & quidem regulariter pœna extraordinaria; nisi quando aliter in jure expressè disponitur, & jam de aliquibus casibus dicimus. *L.* 2. *tit.* 31. *p.* 7. *& ibid. Greg. Lop. L.* 1. *tit.* 21. *lib.* 8. *R. C. & idid. Aceved. & alii.*

321 Pœna vindicativa variè dividitur: nam 1. Alia est *capitalis*, alia non *capitalis*. Capitalis est ea, quæ reum punit morte; vel naturale, quæ ultimum supplicium dicitur. *L.* 21. *ff. h. t.* vel civili: qua scilicèt vel libertas, vel jus civitatis amittitur, ut damnatio ad metallum, vel deportatio. *L.* 14. *ff. h. t.* sed hodie talis est damnatio ad triremes. *Non capitalis* est, quando salva libertate, & civitate, quis punitur: quod si in corpore, ut membri abscisione, fustigatione, vel incarceratione, & aliis dicitur *corporalis.* Aliæ verò existimationem, & famam deprimunt, & infamiam irrogant. Aliæ delinquentem in bonis fortunæ puniunt, quibus aliqua mulcta pecuniaria, non parti, sed fisco applicatur, & dicuntur pecuniariæ: 2. *Alia est ordinaria, alia extraordinaria, seu arbitraria.* Ordinaria est ea, quæ definitur, & taxatur, à jure, vel consuetudine. Et hæc aliquando ipso jure, seu ipso facto incurritur, quando ita à jure exprimitur, adeò ut antequam Judex sententiam proferat, incurratur. Aliquando autem est necessaria Judicis sententia condemnatoria, ut ea incurratur. *Extraordinaria*, seu *arbitraria* est, quæ nullo jure, vel consuetudine præscribitur, sed arbitrio Judicis infligenda relinquitur, secundum circunstantias delicti, personæ, loci, temporis, &c. *Suar. de Legib. lib.* 5. *cap.* 7. 3. Alia est *personalis*, qua scilicèt tantùm persona affligitur; v. g. incarceratio, fustigatio, &c. Alia *realis*, qua persona in bonis tantum plectitur; v. g. mulcta pecuniaria, privatio beneficii, &c. Alia *mixta*, quæ utramque complectitur, ut relegatio, interdictum: 4. Alia est *positiva*, quæ scilicèt factum, vel actionem alicujus, vel ipsius delinquentis, vel alterius requirit ad sui executionem, ut incarceratio, mulctæ solutio, exilium, fustigatio, & aliæ similes. Alia est *privativa*, quæ scilicèt, sine facto, vel actione, vel delinquentis, vel alterius privat aliquo jure, vel re, ut irritationes actuum, inhabilitates, irregularitates, censuræ: 5. Alia est *sententiæ ferendæ*, quæ scilicèt, non fertur à Lege, sed ferenda est à Judice cum causæ cognitione. Alia est *sententiæ latæ*, quæ scilicèt, jam est lata ab ipsa Lege sine alterius ministerio. Hæc omnia attentè circunspici debent, quando in aliqua Le-

Lege imponitur aliqua pœna, ut ejus qualitas, & obligatio rectè percipiantur. Vide *Suar. de Legib. lib.* 5. *ex cap.* 4.

322 Princeps Supremus, vel Legislator habet jus aggratiandi, hoc est condonandi pœnam, etiam in Lege taxatam. Ipse enim est Lege superior, & Lex viva, ac proindè sicut posse Legem absolutè revocare, poterit in ea in hoc, vel illo casu dispensare: imò & hoc facere potest, etiamsi pœna in Lege Divina veteri sit assignata: nam in Lege Gratiæ jam Lex vetus non habet vim, *cap.* 3. *de Constit.* ut talis ergo condonatio valeat, solùm requiritur Principis voluntas, à qua Legis obligatio pendet: ut verò licitè fiat, debet non valdè frequentèr, sed rarò hæc potestas exerceri, & quidem cum discretione, & prudentia, ne fortè præjudicium Reipublicæ resultet ex hac nimia facilitate condonandi, & indulgendi: & vitiis, & delictis scateat cum maximo publicæ quietis, & boni communis damno, & perturbatione: nam certè sunt delicta, in quibus est culpa relaxare vindictam. *C.* 1. *de Postulat. Prælator.* regulariter expedit potius, quam condonare pœnam, eam in aliam mitiorem commutare. In nostra Hispania de hac gratia, quæ *Hispanè*: *Indulto, y perdon*, dicitur hoc disponitur *in L.* 1. *tit.* 25. *lib.* 8. *R.C.* ibi: *Los perdones generales, ó especiales, que Nos hacemos, se entiendan de todos los maleficios, que fueren cometidos, y perpetrados, salvo aleve, ó traycion, ó muerte segura, y perdonando los enemigos, porque asi entendemos, que cumple á nustro servicio, y á provecho de nuestros Reynos. In L.* 2. *& seqq.* hæc indultorum materia variè restringitur, & meritò ob rationem *text. in cap.* 1. *D.* 86. ibi: *Inferiorum culpæ ordinum ad nullos magis referendæ sunt, quam ad de sides, negligentesque Rectores, qui multam sæpè nutriunt pestilentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere medicinam.* Nam ut dicit *D. Ambrosius in cap.* 33. 23. *q.* 4. *Nonnè cum uni indulget indigno plurimos facit ad prolapsionis contagium provocari?* Facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquendi, *cap.* 13. *de Vita, & honest. L.* 2. *tit.* 28. *lib.* 8. *R.C.* ibi: *Porque el perdon que de ligero se hace, da ocasion á los hombres para hacer mal. Et ibib. Aceved.* In Indiis Proreges solum habent à Rege facultatem, de qua *Solorz. Polit. Ind. lib.* 5. *cap.* 13. *Teniendo entendido, que no habeis de perdonar delitos, que no fueren de rebelion, ó dependientes de ellos, y que de este poder no debeis de usar, si no fuere en caso de guerras, y alteraciones.*

323 Judex verò inferior regulariter non potest dispensare in pœna ordinaria à jure definita: Judex enim non debet de Legibus, sed secundùm illas judicare, *cap.* 1. *de Constit. cap.* 3. *D.* 4. est enim inferior Lege, ac proindè non potest eam corrigere, vel immutare, *cap.* 16. *de Majorit. Suarez, de Legib. lib.* 5. *cap.* 11. *n.* 2. *& com. DD. cum Div. Thom.* 2. 2. *q.* 67. *art.* 4. *in corp.* ibi: *Duplici ratione impeditur judex, ne reum à pœna absolvere possit: primo quidem ex parte accusatoris, ad cujus jus quandoque pertinet, ut reus puniatur, puta propter aliquam injuriam in ipsis commissam, cujus relaxatio non est in arbitrio alicujus Judicis, quia quilibet Judex tenetur jus suum reddere unicuique. Alio modò impediatur ex parte Reipublicæ, cujus potestate fungitur, ad cujus bonum pertinet, quod malefactores puniantur; sed tamen quantum ad hoc differt inter inferiores Judices, & Supremum Judicem, scilicèt, Principem, cui est plenariè potestas publica commissa: Judex enim inferior non habet potestatem absolvendi reum à pœna, contra Leges superioris sibi impositas; sed Princeps, qui habet plenariam potestatem in Republica. Si ille, qui passus est injuriam velit eam remittere, poterit reum licitè absolvere, si hoc publicæ utilitati viderit non esse nocivum.* Omnes sanè Judices debent memoria retinere, ut executioni mandent, quod monet J. C. Marcianus in *L.* 11. *ff. h. t. Perspiciendum est judicanti, nequid, aut durius, aut remissius constituatur, quam causa deposcit: nec enim aut severitatis, aut clementiæ gloria affectanda est, sed perpenso judicio, prout quæque res expostulat statuendum est.* Quando verò aliquod dubium occurrit, vel circa factum, an scilicèt delictum sit commissum, vel circa jus, qua scilicèt pœna puniri debeat, in partem mitiorem semper inclinabit. *L.* 11. *L.* 42. *ff. h. t.* Pro quo præsentem habere oportet benignissimam nostri Hispani Imperatoris Trajani sententiam, verè tanto Principe dignam, qui sic *Assiduo Severo* rescripsit: *Satius enim esse impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare. L.* 5. *ff. h. t. L.* 9. *tit.* 31. *p.* 7.

324 Potest tamen Judex inferior aliquando pœnam in Lege taxatam diminuere, vel augere pro ocursu circunstantiarum. Et quidem potest mitigare pœ-

pœnam. 1. Quando reus ultro se Judici sistit, & coram eo crimen fatetur, præcipuè in crimine proditionis, vel læsæ Majestatis: nam etiam si complex sit, aliquando integrè absolvitur à pœna. *L.* 5. §. *fin. C. ad Leg. Jul. Majest.* 2. Quando reus est valdè nobilis, vel illustris: licèt enim pœna pecuniaria gravius sit puniendus nobilis, quam plebejus; pœna tamen corporali initius plecti debet nobilis, vel illustris. *L.* 16. §. 3. *ff. h. t.* vel etiam si benemeritus de Republica sit, vel in aliqua arte valdè insignis, & excellens: tunc enim Judex Principem consulere debet. *L.* 31. *ff. de Pœnis. Hevia in Cur. Philip. p.* 3. §. 17. *n.* 20. 3. Ob infirmitatem animi, quæ in fœmina, vel in minori multum excusat à culpa. 4. Si ob corporis debilitatem, vel constitutionem, pœna redderetur gravior, quam meretur culpa, v. g. si ex Lege esset unus oculus excutiendus, & reus sit luscus, qui uno oculo careat. Et hac ratione suspenditur pœna mortis, quando mulier punienda gravida est, quousque pariat. *L. fin. tit.* 31. *p.* 7. 5. Si non ex proposito, sed ex subita ira vel ob gravem provocationem delictum committatur. *L.* 8. *tit.* 31. *p.* 7. 6. Quando aliquantulum censetur crimen purgatum carceris asperitate, fœtore, molestia, & diuturnitate: non ob suam culpam, seu contumatiam, sed ob Judicis moram. *L.* 23. *C. h. t.* Vel etiam temporis diuturnitate, quo fuit commissum delictum; saltem accedente constanti vitæ emendatione. *L.* 25. *ff. h. t. L.* 8. *tit.* 31. *p.* 7. quæ omnia comprehendens, ait, deberè Judicem ad pœnas imponendas considerare personas delinquentis, & passi damnum, tempus, locum, modum delinquendi, aliasque circunstantias. 7. Quando funis rumpitur sine fraude, vel dolo tempore executionis sententiæ, reo manente illæso, suspenditur ulterior executio, & Princeps consulitur, si in modo talis successus, aliqua singularis specialitas reluceat. *Hevia in Cur. Philip. p.* 3. §. 17. *n.* 22. *Gom.* 3. *Var. cap.* 3. *n.* 37. *cas.* 6. & ita me præsente Manilæ contigit.

325 Potest item Judex pœnam ordinâriam augere, quando delictum est contra Principem, parentem, Dominum, patronum, vel si commitatur in Ecclesia, in theatro, vel in foro, vel coram superiore, vel noctu patretur; *arg. L.* 16. *ff. h. t.* Et præcipuè si crimen sæpè iteretur: iteratio enim notabilitèr aggravat delictum: nam qui tali frequentia in crimen relabitur ferè nullam spem emendationis relinquit. *L.* 28. §. 2. & 10. *ff. h. t. L.* 8. *tit.* 31. *p.* 7. In nostra quidem Hispania, quando pœna mortis imponitur, ense, aut gladio, aut furca, aut igne executioni mandanda est: non autem debet caput securi, aut falce amputari: nec debet delinquens lapidari, præcipitari è turri, pontè, vel alio loco, aut crucifigi. Nec debet liberi hominis facies conbustione, aut incisione deturpari, nec character, aut signum aliud ibidem infigi. *L. 6. tit.* 31. *p.* 7. in aliis corporis partibus potest fieri mutilatio, vel character infigi. Et in aliquibus casibus potest etiam in facie hominis aliquod infigi signaculum, ut in *L.* 5. *tit.* 1. *lib.* 5. *R. C. habetur*, ibi: *Mandamos, que qualquiera que fuesse casado, ò desposado por palabra, de presente, y se casare, ò desposare otra vez, que demàs de las penas en el Derecho contenidas, que sea herrado en la frente con fierro caliente, que sea hecho à señal de q.* sed hæc pœna non est in usu, & tales polygami ab inquisitoribus hodie tantum puniuntur. *Aceved. cum aliis in d. L.* 5. Et quamvis in *L. 6. tit.* 31 *p.* 7. dicatur, quod delinquentes possint tradi dilacerandi bestiis, hæc pœna jam non est in usu, ut benè notat *Greg. Lop. ibid.* De pœna deportationis, & damnationis in metallum dicitur *in L.* 1. *tit.* 24. *lib.* 8. *R. C. Mandamos, que cada, y quando que alguna, ò algunas personas, assi varones, como mugeres de nuestros Reynos, ovieren cometido, ò cometieren qualquier delito, porque merezcan, ò deban ser desterrados, segun Derecho, y Leyes de nuestros Reynos, para alguna Isla, ò para labrar, ò servir algunos metales, que à los tales las nuestras Justicias las destierren, que vayan à servir à la Isla Española.*

326 Pœna sententiæ ferendæ non incurritur ante Judicis sententiam: Lex enim designat pœnam infligendam à Judice non eam infligit, ac proindè antequam infligatur à Judice non debetur à reo. Quando pœna positiva est ipso jure lata licèt non sit necessaria sententia Judicis condemnatoria ad illam incurrendam: siquidem jus tali facto, vel actioni pœnam taxavit, & difinivit: requiritur tamen sententia Judicis declaratoria, ut debeatur: nam quamvis Legislator posset obligare reum ad talem pœnam subeundam, & in se exequendam, etiam sine ullo Judicis interventu, ut de aliquibus Legibus Hispaniæ constat.

tat. *Suar. de Leg. lib.* 5. *cap.* 7. *n.* 7. Regulariter tamen non constat, Legislatores, vel Ecclesiasticos, vel Sæculares de facto obligare voluisse reum ad talem in se exequendam pœnam ante omnem Judicis sententiam. *Suar. de Legib. lib.* 5. *cap.* 7. *n.* 6. Si pœna sit privativa, & respiciat jus quærendum, sed nondum quæsitum, transgressores obligat ante omnem Judicis sententiam. Leges enim imponentes talem pœnam, ad illius juris adquisitionem, tanquam conditionem requirunt, quod non ponatur illud factum, vel actio cui est annexa pœna: ac proindè, posito illo facto, declarant reum non posse tale jus obtinere. Sic Beneficiarius non recitans horas Canonicas tenetur pro ratione temporis dimittere fructus beneficii. Siquidem illos suos non fecit ex defectu conditionis requisitæ ad illos adquirendos. *S. Pius V. Motu proprio*, 12. *Kal. Octob.* 1571. Episcopus, qui non consecratur intra 6. menses, à die à quo confirmationem obtinuit, Episcopatum ante omnem sententiam dimittere debet. *Trid. sess.* 23. *de Reform. cap.* 2. Parochus, qui intra annum culpabiliter omissit ad Sacerdotium promoveri, dimittere debet, ante omnem sententiam, beneficium Parochiale. *c.* 14. *de Elect. in* 6. *Navar. Man. cap.* 25. *n.* 122. Quando verò pœna privat jure jam quæsito, non incurritur ante sententiam Judicis declaratoriam; *arg. c.* 19. *de Hæret. in* 6. & sic obtinuit usus, qui jure suffragante, has pœnas in benigniorem partem interpretatur. *c.* 49. *de Reg. jur. in* 6. *Covar. de Spons. p.* 2. *cap.* 6. §. 8. *Less. L.* 2. *de Just. & jur. cap.* 29. *& n.* 63. *Sanchez. de Matrim. lib.* 2. *D.* 53. *ex n.* 5. Ante omnem tamen sententiam incurruntur censuræ ipso jure impositæ, ac proindè reus statim debet abstinere à communicatione fidelium, à divinorum participatione, & ab administratione officii, vel beneficii; *arg. c.* 29. 17. *q.* 4. Idem, usu interprete, dicendum est de irregularitatibus, & inhabilitate ad ordinum susceptionem, vel executionem: ad contrahendum matrimonium: ad collationem beneficii, ad suffragium in electione, &c. *Suar. de Legib. lib.* 5. *cap.* 5. *& 9. Sanch. de Matrim. lib.* 9. *D.* 30. in summa. Si pœna sit ferendæ sententiæ, delinquens non amittit dominium rei, vel beneficii, quousque à Judice cum causæ cognitione condemnetur, & tantum à die condemnationis tenetur fructus restituere, si quos percepit. *Extrav.* 2. *de Simon. instit. com.* Si pœna sit ipso jure lata: v. g. quod Lex ipso jure imponat publicationem bonorum, beneficii privationem, delinquens amittit dominium rei ex tempore patrati criminis: ne alias verba, *ipso jure*, essent frustranea, & inutilia. *Suar. de Leg. lib.* 5. *cap.* 8. *Less. de Just. lib.* 2. *c.* 29. *n.* 64. contra *Sanch. in Decal. lib.* 2. *cap.* 22. *n.* 2. Retinet tamen possessionem, & usum rei, quousque per sententiam Judex declaret, pœnam ob tale crimen inflictam à lege, incursam esse. Sic beneficium retinent usque ad criminis declarationem Canonicus, qui Prælatum, vel alium Clericum suæ Ecclesiæ occidit. *c.* 12. *h. t.* Clericus, qui alium Clericum percusit. *c.* 5. *h. t. in* 6. & alii hujusmodi.

327 Quando verò in Lege additur: *Absque alia declaratione, vel nulla monitione prævia*, ut in *Extrav. Ambitiosæ de Reb. Eccl. non alien. inter com.* dicitur de Prælato malè alienante res Ecclesiæ, quod beneficio privatus existat ipso facto, & absque alia declaratione beneficium vacare censeatur: tunc nulla requiritur declaratio, ut amittatur beneficium. Undè fit, ut statim oriatur obligatio in conscientia renuntiandi illud. *Suar. de Legib. lib.* 5. *cap.* 8. *n.* 14. Aliud dicendum est in *c.* 1. *de Homic. in* 6. Ubi dicitur, quod nulla requiritur sententia contra Clericum, qui ipso jure privatur beneficiis propter commissum assasinium, postquam de crimine probabilibus argumentis constiterit: ubi aliqua sententia innuitur: nam alias ad quid deberet Judici constare probabilibus argumentis? *Suar. de Legib. lib.* 5. *c.* 8. *n.* 15. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 53. *ex n.* 5. Postquam reus est condemnatus ad pœnam pecuniariam, vel est declaratum à Judice, eam incurrisse, quando hæc à jure imponitur: si reus appellatione, vel alio juris remedio non potest suspendere sententiæ executionem tenetur reddere pecuniam quandocumque ab eo petatur: retinere tamen potest, donec exigatur ab eo: nam potest prudenter præsumere ex praxi, & consuetudine, sibi eam condonari. *Castropal. tr.* 3. *D.* 2. *p.* 4. *num.* 6. *Suar. de Legib. lib.* 5 *cap.* 7. *n.* 7. Si ad pœnam nimis durat condemnetur, v. g. ad mortem, mutilationem gravem verberationem, non potest obligari, ut sibi mortem inferat, sumendo venenum, vel à cibo abstinendo: sufficit si patienter ferat. Si verò sit in exilio, vel carcere non potest fugere, cum sententiæ juxtæ pa-

parendum sit *D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 2.* Nisi fortè carcere sit nimis durus, vel locus exilii sit insalubris: nam tunc fugere potest, cum sit valdè difficile, reum obligare, ut sit Minister contra se ipsum pœnæ adeò molestæ. Et hac ratione damnati, ad triremes possunt in conscientia fugere. *Suar. de legib. lib. 5. cap. 10. ex num. 5.*

328 Aliquando possunt plures pœnæ eidem infligi delicto, ut si in uno actu, vel in una occasione plura delicta committantur; v. g. si quis alium percutiat, & simul in Deum blasphemet, pro criminum diversitate diversæ pœnæ sunt imponenndæ. *L. 2. ff. de Privat. delict. L. 32. §. 1. ff. ad Leg. Aquil.* imò idem delictum, si postquam semel est punitum, iterum repetatur, quia novum delictum est, novam pœnam meretur. *c. 1. h. t.* Si verò idem delictum sit, quod habeat tractum successivum, ut adulterium, si non sit interrumptum, vel jam à Judice punitum, licèt sæpè repetatur, quoad pœnam fori externi unum tantum censetur, & una pœna, licèt graviori, vindicatur. *Glossa. in L. Vulgari, V. Fuerit, ff. de Furtis. Covarr. Var. 2. cap. 10. n. 8.* Insuper delicta, & pœna morte delinquentium finiuntur. *c. 14. D. 23. L. 6. ff. de Publ. jud.* Si verò delinquens jam fuerat mulcta pecuniaria damnatus, nec sententia fuit per appellationem suspensa; cum fisco sit jus ad eam quæsitum, eam ab hæredibus delinquentis repetet *L. 20. ff. de Accusat.* Pœna tamen corporalis, regulariter non exequitur in delinquentium cadaveribus, nisi fortè adeò atrox sit delictum, ut ad terrorem aliorum, vel ad tollendum scandalum, vel ob aliam justam causam expediat, ut cadavera furca suspendantur. Sic Ecclesia etiam mortuis. Hæreticis, in sua contumacia persistentibus, denegat sepulturam: quin etiamsi potest mortem hæresis detegatur, condemnatur tanquam hæreticus, & ejus ossa exhumantur, & comburuntur: vel si hæc non possint haberi, eorum: comburitur effigies, ut sæpè fit in Hispania. Etiam criminum per duellonis, & repetendarum post mortem causa inchoari potest, ut convicto reo, etiam mortuo, memoria ejus damnetur, & ejus bona successori ejus eripiantur. *L. 20. ff. de Acusat. L. fin. C. ad Leg. Jul. Majestat.*

329 Inter pœnas, aliæ animum afficiunt, aliæ corpus: aliæ in bona temporalia diriguntur. Inter pœnas, quæ animum afficiunt, infamia præcipuum obtinet locum. *Infamia est bonæ famæ privatio*: fama etenim est statum illæsæ existimationis Legibus, ac moribus comprobatus. *L. 5. §. 1. ff. de Extraordin. cogn.* Hinc infamia erit sinistra opinio de fama, & existimatione alterius orta ex viti: quidem hoc debet esse publicum, & notorium notorietate juris, vel facti. *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 26. n. 2. Suar. de Cens. D. 48. sect. 1. ex n. 13.* Alia est infamia facti, quæ scilicèt oritur ex delicto, vel defectu, & notam, & boni nominis, & existimationis diminutionem apud bonos, & honestos viros affert, etiam nulla Lege adjungente infamiam tali facto. *L. 1. L. 4. ff. de His. qui notant. infam.* Sed cum hæc infamia facto ipsi annexa sit, hoc constanti, & publica vitæ emendatione, saltem per triennium abolito, ipsa cessat. *c. 4. D. 56. c. 4. 35. q. 6.* & etiam irregularitas, ex ea proveniens; si irregularitas dici debet impedimentum temporale ad ordines ascendendi, vel in illis ministrandi. *C. fin. D. 51. Suar. de Cens. D. 48. sect. 2. Molin. de Just. tr. 4. D. 10. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 43.* Alia est infamia juris, quæ sola pœnæ rationem habet, & est illa, quæ à jure ob aliquod delictum irrogatur. Et quidem tribus modis contrahitur. 1. ipso jure, quando scilicèt, aliquis delictum committit, cui à jure infamia, & ignominia annexa est, & incurritur ante omnem Judicis sententiam, etiam declaratoriam: sed tunc solùm, quando in Lege expressè dicitur, quod incurratur ipso jure, vel eo ipso, absque alia declaratione. Quod si verba sint indifferentia, etiam si dicatur: *Qui hoc fecerit infamis sit.* Intelligenda sunt *per sententiam.* Et sanè hoc temperamento adhibitio, nec verba Legis redduntur vana, & elusoria, nec Lex pœnalis extenditur ultra verba. *Suar. de Cens. D. 48. sect. 1. n. 12.* contra *Sanch. in Decal. lib. 2. cap. 26. n. 1.* Infames ergo infamia juris sunt exercentes lenocinium, quæstum usurarium, histriones, & turpes ludos pro quæstu agentes, locantes se ad pugnandum cum bestiis: suscipientes pro quæstu privatum cum homine certamen duo matrimonia simul contrahentes: perjuriarum promissorium in contractibus committentes: & sodomiam ex consuetudine exercentes: suscipientes duellum: fœminam matrimonii ineundi causa rapientes. Denique omnes illi, quos Jus Civile pro infamibus habet,

Jure item Canonico infames censentur, nisi aliqui expressè excipiantur. *c.* 2. *c.* 17. 6. *q.* 1. *Suar. de Cens. D.* 48. *sect.* 1. *n.* 5. Infamiam equidem Canonicam incurrit omnis ille, qui infamis est de Jure Civili, & pretereà omnis ille, qui suis culpis exigentibus promoveri non potest ad sacerdotium. *c.* 2. 6. *q.* 1. Et quidem quodlibet crimen, seu peccatum mortale publicum constituit hominem canonicè infamem, atque adeò irregularem, quandiù in eo statu publicè perseverat; *arg. c.* 54. *de Testibus. Suar. de Cens. D.* 48. *sect.* 2. *n.* 6.

330 Secundò: infamia judicis sententia contrahitur, quando aliquis de crimine infamante condemnatur, etiam si in sententia non fiat infamiæ mentio: dum sententia sit valida, & in rem judicatam transisset. *L.* 6. §. 1. *ff. de His, qui notantur infam. Sanchez in Decal. lib.* 2. *c.* 27. *n.* 1. Infames ergo sunt qui accusati de publico delicto condemnantur, ut de crimine læsæ Majestatis, proditionis, vel falsi. *L.* 7. *ff. de Publ. judic.* Etiam ex delicto privatu, ut de injuria, rapina, furto, expilata hæreditate condemnati infames fiunt. *L.* 7. *ff. de Public. judic. L.* 5. *L.* 8. *L.* 12. *C. Ex quibus caus. infam.* Et qui pretio paciscuntur, ne accusentur de his criminibus. *L.* 4. §. *fin. ff. de His, qui notant.* & qui condemnantur de calumnia, vel prævaricatione commissa in judicio publico, vel de dolo malo comisso in tutela, mandato, deposito, societate, vel in acusatione alicujus criminis. *L.* 1. *L.* 6. *ff. de is, qui not. L.* 22. *C. Ex quib. caus. infam. Suar. de Cens. D.* 48. *sect.* 1. *Molin. de Just. tr.* 4. *D.* 9. 3. *Pœnæ genere* infamia incurritur, quando quis deportatur, vel in opus publicum ad tempus damnatur. *L.* 6. *C. Ex quib. caus. infam.* vel si quis ex justa causa fustigatur. *L.* 22. *ff. de His, qui notant.* Secus si causa indagandæ veritatis fustigetur *L.* 14. *C. Ex quib. caus. infam. Molin. de Just. tr.* 4. *D.* 9. *n.* 19. Vel si quis militia causa ignominiæ exauthoricetur, vel ordine moveatur, vel honoribus privetur. *L.* 1. & 2. *ff. de His, qui not. L.* 3. *C. Ex quib. caus. infam.* Huc reducitur infamia, quæ ad aliquos tantum effectus in jure expresos incurritur ex delicto alieno. Sic infames habentur filii perduellium, qui crimen læsæ Majestatis perpetrarunt. *L.* 5. §. 1. *C. ad Leg. Jul. Majest.* Filii, & nopotes illorum qui violentas manus in Cardinalem injecerunt. *c.* 5. *h. t. in* 6. Spurii, & similes. Aliquando etiam sine culpa, sed tantùm ex officio vili contrahitur infamia. Sic provarietate Regionum aliqui Officiales, nec eorum filii admituntur ad aliqua officia; quia infames reputantur. Et infames à Dignitatibus, & honoribus arcentur. *L.* 2. *C. de Dignit. c.* 11. *de Excessib. Prælator. c.* 87. *de Reg. jur. in* 6. adeo, ut si ipsis dignitates, vel beneficia Ecclesiastica conferantur, collatio sit ipso jure nulla saltem in foro externo; pro foro verò interno, cum pro eo nullum jus tales provisiones irritet, benè subsistent. *Nav. Man. cap.* 27. *n.* 207. *Molin. de Just. tr.* 4. *D.* 11. *Garcia de Benef. p.* 7. *cap.* 8. *n.* 47. & *alii.*

331 Profectò infames: etiam sunt irregulares: ac proindè neque ad ordines promoveri, neque in jam susceptis ministrare valent: Quippè tantùm debent. ad tàm sacrum ministerium admitti homines bonæ famæ, & existimationis. *C. fin. D.* 51. *c.* 17. 6. *q.* 1. Quandò verò infamia est facti, hac per emendationem vitæ cessante, cessat hoc impedimentum, quod non est propriè respectu illorum irregularitas, sicut verè est respectu infamium infamia juris. Etiam ab aliis actibus legitimis, & muneribus publicis excludentur: ac propterea nequeunt esse Judices, Assessores, Advocati, Tabelliones accusatores, ne testes. *c.* 17. 6. *q.* 1. *c.* 54. *de Testib. L.* 3. §. 1. *ff. eod.* Ab hæreditate in testamento relicta excluduntur, non solùm si parentes, sed etiamsi fratres, vel sorores agant de inofficio. *L.* 27. *C. de Inoffic. Testament.* Infamia juris ex se est perpetua, potest tamen tolli à Principe, à quo imposita est: à Pontifice quidem pro foro Canonico, & etiam ab Episcopo; *arg. c.* 23. *de Sent. & re judic.* à Principe Sæculari pro foro Civili. *c.* 7. §. *Hinc*, 2. *q.* 3. Infamia à Jure Civili inducta, & Jure Canonico recepta, si à Principe, vel Magistratu Sæculari tollatur, etiam pro foro Canonico ablata censetur. Infamia facti facto contrario, & vitæ emendatione, & per baptismum aboletur. *c.* 4. *D.* 56. *c.* 54. *de Testib. Suar. de Censur. D.* 48. *sect.* 2.

332 Inter pœnas corporis afflictivas habetur incarceratio: Ad hanc ergo Clerici possunt damnari, non tantùm ut ibidem custodiantur, ad quod tantùm ex Jure Civili carcer habetur. *L.* 8. §. 9. *ff. h. t. L.* 4. *tit.* 31. *p.* 7. Sed etiam ut ibi affligantur, ut ex Jure Canonico in *c.* 3. *h. t. in* 6. & praxi tribunalium habe-

betur. Debet tamen carcer non esse squalidus, sed decens. *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 6.* potest tamen pro qualitate delicti exasperari, ita ut incarceratus *solùm pane doloris, & aqua angustiæ sustentetur. c. 27. de V. S. & contra vitæ subsidium mortis solatium invocet: vivens pœnæ, non culpæ: vindictæ speculum, non offensæ. c. 5. h. t. in 6.* Imò olim personæ Deo dicatæ turpitèr viventes mancipabantur ergastulo. *Hispanè: Mazmorra. c. 8. §. Salomon, D. 45. c. 11. 27. q. 1.* quin, & in casibus, in quibus de Jure Civili pœna mortis, non simplex, sed atrocior essent infligenda, carcer debet esse perpetuus. *c. 15. §. 1. de Hæretic.* nunquam tamen possunt negari incarcerato alimenta ad vitam necessaria: alias Episcopus irregularis fiet, si ex talium defectu mors sequatur: imò si injustè, & sine sufficienti informatione Clericum incarceret excommunicationis pœnam incurret; *arg. c. 15. de Sentent. excom. in 6.* Etiam Laicos potest Judex Ecclesiasticus incarcerare in delictis ad suum Tribunal spectantibus, præcipuè in causa hæresis. *c. 15. §. Si quis, de Hæret.* At in nostra Hispania Judex Ecclesiasticus nequit per se, vel suos Ministros capere Laicos, nec bona ipsorum, sed indiget auxilio brachii Sæcularis. *L. 14. tit. 1. lib. 4. R. C.* & Civitas Placentiæ in contradictorio judicio Regiam obtinuit executoriam, qua fit declaratum, Judicem Ecclesiasticum Laicos per se incarcerare non posse, nisi in tribus casibus, scilicèt pro hæresi, sacrilegio, & stupro: eo quod in stupro ad matrimonium concluditur. *Aceved. in L. 14. tit. 1. lib. 4. R. C. n. fin.* Item Clerici, etiam Sacerdotes, & torqueri possunt, mitius tamen, quam Laici, & tantùm si dentur majora indicia, quàm quæ ad Laicorum torturam sufficerent. Et licèt olim à Laico non possent torqueri: Hodie ex consuetudine Laicis committitur tortura Clericorum; *arg. c. 15. de Sentent. excom. in 6. Diaz Pract. Crim. Canon. cap. 117.* Judices Ecclesiastici etiam possunt relegare, seu in exilium Clericos mittere. *c. 8. D. 45.* Episcopus quidem potest relegare à sua Diœcesi, Archiepiscopus à tota sua Provincia. *Gonz. in c. 1. de Calumniat. n. 14. & alii.* At verò, ut per tale exilium à toto Regno, Civitatis, & patriæ jura adimantur, cum hæc pœna non sit penes Ecclesiam, debet auxilium sæculare implorari. *c. 2. de Cleric. excom.* ibi: *Quod si aliquis ita omnia contempserit, & Episcopus minimè emendare potuerit, Regis judicio ad requisitionem Ecclesiæ exilio damnetur.* Et in hoc sensu dicit *Barb. in d. c. 2. n. 4.* quod Ecclesiæ pœnam exilii non habet. *Gonz. in c. 1. de Calumniat. n. 14.* Ubi plures Textus, DD. citat. Olim Clerici, & aliquando Laici, etiam fœminæ ob graviora crimina in arctum Monasterium detrudebantur. *c. 6. h. t. c. 2. de Adult. c. 10. de Purgat. Canon.* non ut fierent Religiosi, sed ut de suis peccatis Monachorum exemplo allecti, pœniterent, & de salute animæ cogitarent, *c. 7. D. 50. c. 6. §. fin. de Homicid. c. 14. de Pœnit. & remis.* Hæc pœna ferè in usu non est, & in ejus locum rei ad triremes condemnantur, vel ad carcerem. Qui verò in perpetuum damnantur ad triremes prius degradantur: qui ad tempus verbalitèr deponuntur, & à lictoribus triremium, *Hispanè: Comitres* licitè verberantur. Etiam Olim Clerici flagellabantur, seu verberabantur. *c. 4. de Raptor. c. 1. de Calum.* sed hæc pœna in Hispania, & alibi in desuetudinem abiit. *Barbos. in c. 1. de Calumn. num. 2.*

333 Judex Ecclesiasticus potest imponere Clerico, vel etiam Laico, in causis sui fori mulctam pecuniariam. *c. 2. h. t. c. 18. de Offic. Ordin. c. 14. de Judæis. c. 4. de Raptor. Trid. sess. 25. de Ref. c. 3.* non solùm, quando hæc à jure, vel à Synodali Constitutione est statuta, sed etiam quando pœna delicti comissit est arbitraria, *arg. c. 4. de Offic. delegat.* Quando verò alia pœna; v. g. corporalis est à jure statuta, nequit Judex Ecclesiasticus eam in pecuniariam convertere. *c. 3. h. t.* tum: quia non debet contra sed secundum jus judicare. Tùm, ne avaritiam sectari videatum tùm ne delictis ansa detur, quia nullam reus pertimescit culpam, quam redimere nummis existimat. *c. 13. §. fin. de Offic. Ordin. c. 23. de Vita, & honest.* Hæ mulctæ sunt applicandæ causis piis, existentibus in loco delicti commissi. Nec potest Judex eas applicare mensæ, vel Cameræ Capitulari: nec etiam Ecclesiæ Cathedralis fabricæ, nec stipendio Vicarii, vel Officialium. *Trid. sess. 25. de Ref. c. 3. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 107. n. 19.* in nostra Hispania imponitur obligatio Judicibus Ecclesiasticis applicandi in subsidium belli contra Infideles pœnas pecuniarias, quas ipsi imponunt, & quamvis olim tota suma mulctæ, sic esset applicanda, hodie sufficit, dimi-

dum illius applicare Cruciatæ. In Indiis non debet Judex Ecclesiasticus facilè has pœnas Laicis imponere. *L.* 47. *tit.* 7. *lib.* 1. *R. Ind.* Et in *L.* 52. ejusdem tituli dicitur: *Otrosi rogamos, y encargamos à los Prelados, Provisores, y Vicarios Generales, que de las condenaciones, ò multas, que hicieren en sus Juzgados, apliquen alguna parte para las guerras contra Infieles, y gastos da nuestras Armadas.* Si bona Clericorum confiscentur, ut in *c.* 26. *de V. S. c.* 10. *de Hæret.* & alibi, de Jure Communi bona beneficialia cedunt Ecclesiæ. *c.* 13. §. *Damnati*, *de Hæret.* vel Ecclesiis, à quibus stipendia Clericus percepit; *arg. c.* 12. *de Testam.* vel ipsius Ecclesiæ fisco ad pios usus aplicanda. Bona tamen patrimonialia, & ubi de beneficialibus jure, vel consuetudine, tanquam de patrimonialibus Clerici disponunt, ac testantur, ut servatur in nostra Hispania, fisco Sæculari addicuntur. *Sanchez in Decal. lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 25. *& seq.* & ita usu Hispaniæ est introductum, ut bona Clericorum, sivè mobilia, sivè immobilia, quæ ob ipsorum hæresim publicantur, applicentur fisco Sæculari. Etiam est aliquomodo pœna (& ideò huc reducitur) quando Judex condemnat victum, ut victori refundat expensas. *c.* 4. *h. t. L.* 13. §. 6. *C. de Judic.* quas ipse Judex taxare debet, & victor jurare, se tantùm expendisse, quantùm Judex taxavit; *arg. c.* 7. *de Injur.* Si eas saltem genericè petiit victor, & victus litigavit calumniosè, & per dolum, vel saltem temerè, etiam sine dolo. *L.* 79. *ff. de Judic.*

334 Pœnis etiam spiritualibus, quæ scilicet, aliquo Jure Spirituali privant, puniuntur delicta Clericorum. Sic aliquando privantur beneficiis: Et quidem vel ipso jure, quando sine alia sententia ipsi delicto annexa est privatio. Talis est occisio Rectoris, vel beneficiati Ecclesiæ, in qua beneficium, quis habet. *c.* 12. *h. t.* vel persecutio, vel captivatio alicujus Cardinalis, vel cooperatio ad eam. *c.* 5. *h. t. in* 6. Percussio, vel persecutio Episcopi. *Cl.* 1. *h. t.* Detentio violenta personæ Ecclesiasticæ ad impediendam comparitionem apud Sedem Apostolicam, vel ad extorquendam beneficii renuntiationem. *Cl.* 2. *h. t.* Quando ipso jure Clericus privatur beneficio, tunc delicto ommisso amittitur titulus, & proprietas beneficii, & tunc vacare creditur, ac proindè nequit reus ex tunc illud permutare, nec facit fructus suos, & ab alio beneficium jam potest impetrari; *arg. c.* 28. *de Præbend. in* 6. Aliquando Clerici beneficiis per sententiam privantur. Tunc enim est necessarium, quod sententia, non solùm declaret crimen commissum, sed insuper privet beneficio: nec ante talem sententiam beneficium amittitur, ac proindè reus facit fructus suos, potestque beneficium permutare, nec ab alio potest impetrari. Siquidem quousque sententia sequatur, non est vacans. *Covar. de Spons. p.* 2. *c.* 6. §. 8. *n.* 8. *Laym. L.* 4. *tr.* 2. *c.* 17.

335 Depositio simplex non longè abest à beneficii privatione: imò aliquando cum ipsa confunditur: Hæc ergo pœna solet imponi Clericis, & quidem solis, licèt aliquando ad Religiosos, etiam non Clericos, imò, & ad Abbatissas extendatur. Differt à privatione: nam hæc solùm beneficio obtento privat, quin reum inhabilem reddat ad aliud, vel ad ipsum beneficium rursum obtinendum: depositio tamen ad aliud, vel ad ipsum rursum obtinendum inhabilitat. *Suar. de Censur. D.* 30. *sect.* 1. *ex num.* 14. Etiam solet depositio cum suspensione confundi ab ea tamen differt, quod suspensio est pœna medicinalis, & de se non perpetua, ac proindè, cessante contumacia debet tolli: imò etiamsi perpetuò infligatur suspensio adhuc ab ea differt depositio: nam hæc privat ipso officio, & proprietate, ac titulo beneficii. Secus suspensio, quæ solùm ordinis exercitio, fructivus beneficii, & usu jurisdictionis privat. *Suar. de Censur. D.* 30. *sect.* 1. *ex num.* 4. Hæc depositio dicitur *simplex*, *verbalis*, *& specifica*: ut distinguatur, à degradatione, quæ *realis*, *& solemnis depositio* dicitur. Hæc ergo depositio est pœna, qua Clerici in perpetuum removentur ab ordine, beneficio, & officio simul, vel à quolibet eorum separatim. Depositus enim removetur. 1. *Ab Ordine*, quando scilicèt, ab exercitio Sacerdotii, vel Episcopatus privatur. Ordo tamen, & character absdubio manent: ac proindè obligatio recitandi Horas Canonicas. 2. *Ab Officio*, quando scilicèt, removetur ab administratione Sacramentorum, & usu jurisdictionis. 3. *A beneficio*, quando privatur Dignitate, vel Parochia, ita ut titulum, & proprietatem amittat, & inhabilis reddatur ad aliud. Depositio olim ob adulterium, perjurium, furtum, & alia majora, & minora crimina prædictis imponebatur; *arg. c.* 4. *de Judic.* Hodie solùm ob crimi-

mina valdè attrocia, & scandalosa infligitur: v. g. ob homicidium præmeditatum, vel violentum stuprum, vel fornicationem notoriam continuatam contemptis monitionibus, vel furtum sacrilegum rei præciosæ; *arg. c. 6. de Cohabit. Cleric. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 14.*

336 Inter alias pœnas Ecclesiasticas benè potest numerari irregularitas ex delicto proveniens: quia saltem secundario est pœna. *Irregularitas* sic est dicta, quasi deviatio sit à regula Jure Canonico statuta pro ascendentibus ad ordines, communiter definitur: impedimentum Canonicum ex se directè, ac primario impediens susceptionem ordinum, & jam susceptorum usum. *Suar. de Cens. D. 40. sect. 1. ex n. 1. Nav. Man. c. 27. n. 191. Covar. Lacr. L. 7. c. 5. n. 429.* Dicitur 1. *impedimentum*, per quod cum censuris convenit, & cum aliis impedimentis, etiam ad ordines suscipiendos, quæ propriè sunt incapacitatis, non irregularitates: nam hæ capacitatem in subjecto supponunt: secus illæ, v. g. amentia, defectus baptismi, defectus sexus virilis, vel aliquorum membrorum. 2. dicitur *Canonicum.*: nam irregularitas à Jure tantum Canonico, & quidem communi, & in casibus solum expressis, infligitur, non tamen à Constitutione Synodali, multoque minus à Jure Civili. *c. 18. de Sent. excom. in 6.* Nec per Judicis sententiam potest imponi: nec ab alio potest statim, quam à Rom. Pontifice, qui est unicus in jure nostro Legislator. *Suar. de Cens. D. 40. sect. 4. à n. 7.* Et hac ratione ipse non incurrit irregularitatem aliquam, cum ipse jure eam imponente, non inferior, sed superior sit. *c. 4. de Conces. præbend. Lacr. L. 7. ex n. 444.* 3. dicitur: *Esse directè ac primariò impediens susceptionem ordinum.* Nam irregularitas impedit susceptionem ordinis, non tamen irritat ipsius susceptionem, si fortè ab irregulari ordo suscipiatur: & validè, quamvis illicitè exercetur. Nequidem prima tonsura suscipitur licitè ab irregulari, quia hæc, vel est ordo, vel saltem est dispositio ad ordines, & sub ordine latè dicto comprehenditur. *c. 12. de Ætat. & qualit.* nam si finis prohibetur, ad quid deservit dispositio? Et hic est principalis illius effectus: nam licet aliquando imponatur in modum pœnæ, tamen non fit præcipuè ad vindictam delicti, sed ob honorem, & decentiam status Clericalis. Ecclesiam enim dedecet ejus Ministros aliquo vitio, delicto, vel defectu laborare. Sanè irregularitas non privat actionibus, quæ communes sunt Laicis, & Clericis, ut sunt communicatio cum fidelibus, sepultura Ecclesiastica, baptizare sine solemnitate, Officia Divina audire, alia Sacramenta, præter ordines, suscipere. Et in hoc à censuris, depositione, & degradatione differt: nam licèt hæ susceptionem, & usum ordinis impediant, non tamen directè hoc faciunt: nam excommunicatio major impedit, quatenùs est communicatio cum fidelibus: excommunicatio minor, quatenùs ordo est Sacramentum Ecclesiæ: suspensio non privat pro se susceptione, sed usu ordinis, quia solum Clericis imponitur: cum è contra irregularitas præcipuè Laicos afficiat, quos ab ordinibus arcet. Interdictum impedit, quatenùs ordo est Sacramentum, & ministerium sacrum Depositio, & degradatio non privant directè ordinum susceptione, sed eorum usu. 4. dicitur: *& jam susceptorum usum*: nam Clerici incurrentes irregularitatem prohibentur ordines, quos habent exercere. Et quidem omninò, si irregularitas ex delicto proveniat. Sic Diaconus: v. g. homicida nullum suorum ordinum habet usum, nec potest ad Sacerdotium promoveri. Si ex defectu proveniat, solum privat eo exercitio, quod per defectum non potest Clericus exercere; & susceptione ordinis, ad quem per defectum est inhabilis: secus respectu usus, & exercitii, ad quod habilis manet. Sic Sacerdos, cui abscisi sunt duo digiti cum medietate palmæ, est irregularis ad celebrandum: secus ad alia Sacramenta administranda, ad absolvendum, assistendum Matrimonio, &c. *Suar. de Censur. D. 40. sect. 2. & 3.*

337 Irregularitas alia *ex defectu*, alia *ex delicto* provenit. *Ex defectu* irregulares sunt. 1. Ex defectu animi infantes, phrænetici, amentes, lunatici, & similes. 2. Ex defectu natalium, illegitimi. 3. Ex defectu corporis, hermaphroditi, mutilati aliquo membro, ita ut ille defectus usum ordinis impediat, vel notabile scandalum, vel horrorem generet. 4. Ex defectu libertatis, servi, & conjugati. 5. Ex defectu significationis Sacramenti, bigami. 6. Ex defectu lenitatis, milites, qui etiam in bello justo, & Ministri Justitiæ, qui aliquem occiderunt, vel mutilarunt. De quibus omnibus in suis locis egimus. Ex delicto sunt irregulares homicidæ voluntarii, vel alium mutilantes: Hæretici: violantes Ecclé-

clesiasticam censuram ordinem suscipiendo, vel in illo ministrantes, dum censura sunt ligati: infames infamia juris, vel facti: iterantes baptismum: suscipientes furtivè ordinem: vel ministrantes in ordine non suscepto. De quibus in suis locis jam aliquid dictum est. Irregularitas alia est *perpetua*, quæ scilicèt, tantum dispensatione tollitur. Alia *temporalis*, quæ scilicèt, lapsu temporis cessat: qualis est irregularitas ex defectu ætatis legitimæ proveniens. Alia est *totalis*, quæ scilicèt, privat cujuscumque ordinis susceptione, & omni usu susceptorum. Alia est *partialis*, quæ scilicèt, tantum aliquo ministerio, non tamen omni usu ordinum privat, ac proindè nec beneficiis, non requirentibus usum ei repugnantem. Irregularitas, etiam totalis, non privat ipso jure beneficiis, nec pensionibus ante eam obtentis, cum nullo jure talis pœna exprimatur. Licèt quando talis Clericus fiat irregularitas ex delicto privandus sit. *Trid. sess.* 14. *de Ref. cap.* 2. *c.* 19. *de Hæret. in 6. c.* 1. *de Homic. eod.* Deindè: si irregulari absolutè tali conferatur beneficium, ad quod inhabilis sit, talis collatio illicita, & irritanda est, quia ipse est inhabilis ad officium, censeturque proindè inhabilis ad beneficium, quod propter officium datur; *arg. c.* 3. *de Constit.* tamen probabilitèr, contra communem tenetur, talem collationem, non esse irritam, cum non expressè in jure constet de Decreto irritante collationem, ut constare deberet. *c.* 6. *de Præbend. in 6. Suar. de Cens. D.* 40. *sect.* 2. *Castropal. tr.* 29. *D.* 6. *p.* 5. Et cum irregularis possit dispensationem obtinere. *C. fin. de Cleric. pugn.* Interim posset suo muneri satisfacere, serviendo per alium beneficio, ac proindè fructibus interim gauderet, nec eis esset per sententiam privandus, etiamsi beneficio privaretur. Titulum enim beneficii habet, & jus percipiendi fructus, exercitio muneris, etiam per alium posito. Nec jurisdictione fori externi privatur irregularis, cum jurisdictio non sit actus ordinis, ac proindè licitè potest excommunicare, beneficia conferre, eligere, & si Parocus est, matrimonio assistere, & aliis licentiam dare matrimonio assistendi, & administrandi alia Sacramenta. *Sur. de Censur. D.* 40. *sect.* 2. Insuper cum irregularitas ex delicto proveniens in vim pœnæ, & quidem gravissimæ, sit inducta, non incurritur, quoties non datur peccatum grave, ut inter pœnam, & culpam detur proportio, nec sufficit, si hoc merè internum sit: nam talia peccata, sibi vindicanda Dominus reservavit. *c.* 1. 15. *q.* 6. si verò sit externum, & consummatum juxta proprietatem verborum Canonis imponentis irregularitatem, quantumvis occultum potestati Ecclesiæ subjacet, & pœnis ab ea ipso facto inflictis; *arg. Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 6. *Suar. de Censur. D.* 40. *sect.* 3. *n.* 2. *& com. DD.*

338 Qui dubio circa irregularitatem laborat, sivè sit dubium facti, quia dubitet, an factum, quod certò habet irregularitatem annexam commiserit, sive sit dubium juris, quia dubitat, an factum, quod certo commisit, habeat irregularitatem annexam, debet abstinere ab illis actibus, qui irregulari prohibentur: ne alias periculo violandi Irregularitatem se exponat. *c.* 5. *de Cleric. excomm. ministr.* Et hoc tuendum est quando dubium est practicum. *Suar. de Cens. D.* 40. *sect.* 5. quamvis *Lacr. lib.* 7. *n.* 450. dicat, sententiam contrariam esse communissimam: quia cum possessio sit pro libertate pro utroque foro, non debet sic dubitans se irregularem censere: nec se exponeret periculo peccandi, illos actus exercendo, quia practicè potest deponere dubium, cum non semper sit obligatio sequendi tutiora: quod quidem verum est, juxta *Suar. de Censur. D.* 40. *sect.* 5. *n.* 13. Si post sufficientem diligentiam remaneat dubium, sive sit juris, sive facti, nec debet eo laborans, tunc se pro irregulari gerere: nam nullo jure expressum, sic dubitantem post diligentem inquisitionem, se pro irregulari habendum esse, & aliundè ex *c.* 18. *de Sent. excom. in 6.* constat, nullam irregularitatem incurri, nisi sit in jure expræssa, sicut nullum in tali dubio, an sit excommunicatus, vel non, debet se pro excommunicato gerere, ut tenet *Sanch. in Decal. lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 55. E contrario tamen, quando constat de homicidio, & dubium est, an tu patraveris illud, vel aliundè secutum sit, debes in tali dubio facti irregularis in utroque foro reputari, & abstinere precissè à celebratione Missarum, quousque dispensationem obtineas judicandus est irregularis, quoad privationem beneficiorum, nec quod alias pœnas, quia ita in jure expressum est in *c.* 12. *c.* 18. *de Homicid.* ob specialem indecentiam, & horrorem homicidii, quæ pœnalis, & odiosa dispositio non extenditur ad alia delicta,

in

in quibus simile dubium facti detur; *arg. c. 9. de Cleric. excomm. Suar. de Censur. D. 40. sect. 6. Sanch. in Decal. lib. 1. cap. 10. n. 48. Navar. Sylv. Lacr. lib. 7. ex n. 450.* ac proinde extra casum homicidii in quocumque dubio, sive juris, sive facti, circa irregularitatem, sive dubitetur, an his casus contineatur sub Lege inducente irregularitatem, vel an quis commiserit talem casum sub Lege contentum, nemo debet irregularis censeri. *Lacroix. lib. 7. n. 450.* Imò neque in dubio juris circa irregularitatem ex homicidio incurritur, neque in foro externo, neque in foro interno aliqua irregularitas, utpotè nullo jure expressa. *Sanch. in Decal. lib. 1. cap. 10. n. 42.* & ob eamdem rationem dicendum est, quod non incurrit irregularitas in dubio facti circa mutilationem. *Sanch. in Decal. lib. 1. cap. 10. n. 49.* alii plures DD. aliter discurrunt, & tenent apud citatos. Qui ergo ex conscientia erronea faceret actum, cui crederet, esse annexam irregularitatem, licèt peccaret, non incurreret irregularitatem, ac proindè posteà ablata ignorantia, posset liberè operari: nam irregularitas non ex conscientia, sed ex Lege eam imponente procedit. *Suar. de Cens. D. 40. sect. 5. n. 11.*

339 Qui ignorat, aliquod delictum, cui irregularitas est annexa esse specialitèr prohibitum, non incurrit irregularitatem; quia pœnæ adjectæ alicui Legi, non incurruntur ab eis, qui illas ignorant; *arg. fin. de Constit. in 6.* & irregularitas ex delicto proveniens in modum pœnæ infligitur; quin, & pœna extraordinaria est. Deindè: quia mitius debet puniri, qui Legem ex ignorantia, quam qui ipsam ex malitia transgreditur. *c. 2. D. 82.* Si tamen sciat, delictum esse specialiter ab Ecclesia prohibitum, ignoret tamen probabilitèr, illi esse annexam irregularitatem: cum hæc sit pœna extraordinaria, sicut non incurritur censura, ab ignorante, eam annexam esse delicto, ita irregularitatem non incurri in foro conscientiæ ab eam ignorante, ut probabile tenent *Suar. de Cens. D. 4. sect. 9. n. 22. Sanch. de Matr. L. 9. D. 32. n. 21. Nav. in Man. cap. 23. n. 45. & alii*, licèt contraria sententia tenenda sit, ut communis, & praxi recepta. *Carden. Cris. dis. 75. n. 36. Lacroix lib. 7. n. 482.* Nam irregularitas, etiam ex delicto proveniens, non est pœna medicinalis, sicut est censura: ac proindè non requiritur illius scientia, nec contumacia, ut incurratur: sed est quædam macula moralis, & inhabilitas à jure statuta, propter quam quis arcetur à ministerio altaris. Sicut impedimentum matrimonii ex affinitate orta ex copula illicita, incurritur ab ignorante, illud impedimentum esse annexum tali delicto, quia est quædam inhabilitas, licèt habeat aliquam rationem pœnæ.

340 Cum irregularitas sit impedimentum Canonicum à jure inductum solum à Romano Pontifice Supremo juris dispensatore potest tolli, *arg. c. 4. de Usur.* Et ex juris dispensatione etiam in ea dispensare Episcopus valet. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 6.* ibi: *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus ex delicto occulto probenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum dispensare.* Nomine Episcopi veniunt Archiepiscopi, respectu suæ Diœcesis tantum, non respectu Provinciæ; *arg. c. 1. de Offic. Legati. c. 11. de Offic. Ordin.* Capitulum Sede-vacante. *c. 14. de Major. & obed.* quia hoc non competit Episcopo jure delegationis sed jure ordinario, licèt speciali. Item Abbates, & alii Prælati jurisdictionem quasi Episcopalem cum territorio habentes, & Vicarius Episcopi, si ei specialitèr hæc facultas delegetur, & non aliter. Hi omnes, etiam in foro externo possunt dispensare cum suis subditis, hoc est, cum habentibus domicilium, vel quasi domicilium in sua Diœcesi, vel territorio, secus cum aliis. Extra Diœcesim tamen existens Episcopus potest cum suo subdito, etiam extra eam existente dispensare, cum hoc sit actus jurisdictionis voluntariæ. Delictum licèt probari testibus possit, erit (quod præsens) occultum, si à majori parte populi, seu communitatis ignoretur. Nec ad forum contentiosum deductum intelligitur usque ad litis contestationem: vel si post litem contestatam absolvatur reus ab instantia, multoque magis si definitivè à delicto absolvatur. *Suarez de Cens. D. 41. sect. 2. Sanch. in decal. L. 2. c. 11.* Prælati Regulares exempti possunt cum suis subditis in foro conscientiæ tantum in irregularitatibus omnibus dispensare: ad quod cujusque Religionis privilegia attendi debent. Episcopi in Indiis vi facultatum, quas *solitas* appellamus, possunt dispensare in quibuscumque irregularitatibus, exceptis illis, quæ vel ex bigamia vera, vel ex homicidio voluntario proveniunt. Et etiam in his duobus casibus

bus poterunt, si præcisa necessitas operariorum ibi fuerit. Si tamen quoad homicidium voluntarium ex hujusmodi dispensatione scandalum non oriatur. Commissarius Generalis Cruciatæ potest dispensare in irregularitatibus, exceptis illis, quæ procedunt ex homicidio voluntario, simonia, apostasia à fide, hæræsi; aut mala ordinum occeptione, aut ex celebratione Missæ & aliorum Divinorum officiorum, cum quis censura esset ligatus; in contemptum clavium. Potest verò dispensare in reliquis, quæ procedunt ex delicto, ut posint retinere beneficia, & precipere fructus eorum, delendo infamiam, & inabilitatem, quæ ab irregularitate proveniebat, & restituendo exercitia ordinum non male acceptorum. Idem possunt subdelegati Cruciate in his Indiarum Provinciis, ut constat ex eorum instructione. Per Bullam tamen Cruciatæ nulla irregularitas tollitur. Per professionem Religosam tollitur irregularitas ex defectu natalium, in ordine ad suscipiendos ordines: cæteræ non tolluntur. Per baptismum non delentur irregularitates, quæ ex puro defectu proveniunt: v. g. si claudus, cæcus, bigamus, vel illegitimus sit, vel aliam deformitatem habeat: tolluntur verò illæ, quæ ex culpa procedunt, sicut, & ipsa culpa deletur, nisi fortè contrarium in jure sit statutum. Nec alia regula generalis potest dari. *Suar. de Cens. D.46. sect. 1. num. 2.*

341 Ultima, & graviora pœna, quam Judex Ecclesiasticus infingere valet, est degradatio: Nullus enim Judex Ecclesiasticus potest ad mortem condemnare. *c. 4. de Raptor.* nisi R. Pontifex, qui est supra totum Jus Positivum. *c. 4. de Conces. præb. Et ideò postquam reus in profundum malorum veniens pœnas Ecclesiasticas contempserit cum Ecclesia non habeat ultra quod faciat, ne possit ultra esse perditio plurimorum per Sæcularem comprimendus est potestatem, ita quod ei deputetur exilium, vel alia legitima pœna inferatur. c. 10. de Judic. L. 6. tit. 6. p. 1.* Et quidem solum ob crimina in jure expressa est Clericus brachio, & Curiæ Seculari tradendus, non ob alia, etiam expressis majora *arg. L. 155. §. fin. ff. de Reg. jur. c. 44. eod. in 6.* Talia sunt 1. Hæresis, & apostasia à fide, quando in ea reus est contumax, vel quando in eam est relapsus, licèt pœniteat: & ad fidem redeat. *c. 1. c. 4. de Hæret. in 6.* 2. Assasinium *c. 1. de Homicid. in 6.* 3. Falsificatio litterarum Apostolicarum. *c. 7. de Crim. fals. c. 27. de V. S.* 4. Conspiratio, insidiæ: calumnia, vel contumelia gravis in Episcopum. *c. 18. 11. q. 1. 5.* Sodomia, non semel, sed sæpè commissa ex *Const. S. Pii V. Horrendum Kal. Sept.* 1568. licèt non ubique hæc constitutio sit ad missa. *6.* Missæ celebratio, & auditio Sacramentalis pœnitentiæ à non Sacerdote attentata. *Clem. VIII. & si alias* 1601. Hæc tamen constitutio non est admissa in Hispania. 7. Monetam auream, vel argenteam fabricare, vel adulterare, vel adulteratam erogare in Italia ex *Const. Urban. VIII. An.* 1627. Cum ergo aliquod ex his criminibus à Clerico committitur, etiam non expectata incorrigibilitate, statim potest degradari. In aliis verò delictis, quamvis graviora sint expresis, non potest Judex ad degradationem procedere, quin prius pronuntiet, reum esse incorrigibilem. *c. 10. de Judiciis; arg. c. 6. h. t.* & tenent *Cov. Var. 2. cap. 20. n. 7. Farin. Prax. Crim. q. 8. n. 81. Pign. t. 7. cons. 33. ex n. 25.* contra *Abb. & alios.* Consuetudo in aliquibus locis introduxit, quod quando alia crimina, etiam præter expræssa sunt valdè enormia, & iterata, ut parricidium, Magia, &c. statim, etiam non expectata incorrigibilitate, possit reus degradari, & Curiæ Sæculari tradi. Episcopus proprius rei, vel Capitulum Sedevacante, vel eorum Vicarius, vel alius Judex Ecclesiasticus ex commissione speciali Episcopi, vel Capituli etiam si Episcopus non sit, potest degradationis sententiam proferre contra Clericum particularem: contra Episcopum verò solus Papa. *c. 5. c. 7. 3. q. 6. Trid. sess. 13. de Reform. c. 4.* & hæc sententia dicitur degradatio verbalis: per eam tamen non amittitur privilegium Canonis, & fori, quousque ponatur degradatio realis, ad quam quidem etiam sine nova sententia potest procedi. Hæc verbalis degradatio de jure antiquo, si degradandus erat Episcopus, fiebat præsentibus aliis 12. Episcopis. Si Presbyter, præsentibus 6. Episcopis. Si Diaconus, vel subdiaconus, tribus Episcopis præsentibus. Si in minoribus constitutus, præsentibus Episcopo proprio, & Capitulo Cethedrali, vel saltem duobus, aut tribus Canonicis, qui Capitulum representant. *c. 4. c. 5. c. 6. 15. q. 7. Suar. de Cens. D. 30. sect. 1. n. 19.* Hodie ex *Trid. sess. 14. de Ref. cap. 4.* etiam ad degradationem realem Sacerdotis procedere potest solus Episcopus proprius, etiam absque alio-

rum

rum Episcoporum præsentia : adhibitis tamen , & in hoc sibi assistentibus totidem Abbatibus usum mitræ , & baculi ex privilegio Apostolico habentibus , si in Civitate , aut Diœcesi reperiri , & commodè interesse possint; alioquin aliis personis in Ecclesiastica dignitate constitutis , quæ ætate graves , ac juris scientia commendabiles existant. Et est necessarium , quod sit concors sententia omnium assistentium, hoc est, quod nemine discrepante decernatur. Ipsi siquidem, non tantùm suffragium consultivum , sed decisivum , etiam post Tridentin. habent, *cap.* 3. *de Sent. & Re jud. Suar. de Cens. D.* 30. *sect.* 1. *n.* 20. Si fortè degradandus sit in minoribus constitutus , cum non exigatur expressè unanimis omnium consensus, sufficit, ad degradationem decernendam , si major pars consentiat ; *arg. cap.* 1. *de His , quæ à major. Barb. de Offic. Episc. alleg.* 110. *ex n.* 26.

342 Degradatio realis necessario est facienda ab aliquo Episcopo consecrato, sivè sit proprius Episcopus ipsius Clerici, vel alius ex commissione Episcopi , vel Vicarii , qui sententiam protulit : nam degradatio est actus ordinis Episcopalis, fitque in Ecclesia , vel in alio loco sacro coram Episcopis , Abbatibus , vel aliis personis de quibus supra. Ad degradationem realem faciendam hic ordo , & modus præscribitur in *cap.* 2. *h. tit. in 6.* Clericus degrandandus vestibus sacris indutus in manibus habens librum , vas vel aliud instrumentum , seu ornamentum ad ordinem suum spectans, ac si deberet in officio suo solemniter ministrare ad Episcopi præsentiam adducatur : cui Episcopus publicè singula , sivè sint vestes , calix , liber , seu quævis alia , quæ juxta morem ordinandorum Clericorum, in sua ordinatione ab Episcopo fuerint tradita , seu collata , singulariter auferat: ab illo vestimento, seu ornamento, quod datum , vel traditum fuerat ultimo , inchoando , & descendendo gradatim degradationem continuet usque ad primam vestem , quæ datur in collatione tonsuræ : tuncque radatur caput illius , seu tondeatur , ne tonsuræ , seu Clericatus, vestigium remaneat in eodem. Poterit tamen Episcopus in degradatione hujusmodi uti verbis aliquibus ad terrorem, illis oppositis, quæ in collatione ordinum sunt prolata, dicendo Presbytero hæc, vel similia verba , in remotione Planetæ: Auferimus , tibi vestem Sacerdotalem , & te honore Sacerdotali privamus. Sicque in-

remotione reliquorum insignium similibus verbis utens. In ablatione ultimi, quod in collatione ordinum fuit primum, infrascripto , vel alio simili modo pronuntiet , sivè dicat : *Auctoritate Dei Omnipotentis Patris , & Filii , & Spiritus Sancti , hac nostra tibi auferimus habitum Clericalem , & deponimus , spoliamus , & exuimus , te omni ordine , beneficio , & privilegio Clericali.* Clericus ergo postquam degradatus est solemniter , & authenticè privatur ordine , officio , beneficio , & Clericali statu , quatenùs licitè nequit uti ordinis potestate , si tamen defacto ea utatur , cum character impressus maneat: siquidem per hominem tolli nequit , actus valebit; v. g. si est Sacerdos , posita materia debita , & forma , validè quamvis illicitè SS. Eucharistiam conficiet. Per degradationem transit Clericus in statum Sæcularem , & privilegium Canonis , & fori amittit : nam hoc privilegium à jure Ecclesiastico provenit. Ne tamen ex sua malitia commodum reportet , *cap.* 7. *de Judiciis* , manet obligatus ad Horas Canonicas , & à Judice Ecclesiastico Curiæ Sæculari traditur puniendus secundùm Leges Laicorum. Et licèt non sit necessarium , quod pro reo intercedat Ecclesiasticus , ne morte puniatur , ob irregularitatis timorem : cum nullo jure hoc requiratur expressè ad irregularitatem vitandam; *arg. cap.* 18. *de Sent. excom in 6. Suar. de Cens. D.* 47. *sect.* 1. *n.* 12. tamen securius , & valdè decens mansuetudini, & lenitati Ecclesiasticæ est talem intercessionem facere, *cap.* 27. *de V. S.* quin, & necessariam judicant. *Covarr. in Cl. Si furiosus , p.* 2. §. 5. *n.* 6. *Oliva , & alii.* Judex igitur Sæcularis apprehendit reum jam degradatum : & si delictum est merè Ecclesiasticum, ut hæresis, apostasia, &c. statim , sine novo processu , quippè de causis Ecclesiasticis ipsi cognoscere nequit , *cap.* 2. *cap.* 3. *cap.* 12. *de Judic.* exequitur sententiam , infligendo nempè pœnam Legibus taxatam, *cap.* 18. *de Hæretic. in 6.* Est enim tunc merus Executor , qui sententiam , nisi sit notoriè injusta, exequi debet , *cap.* 9. *de Sent. & Re judicat.* Si verò crimen , ob quod fuit degradatus, sit mixti fori; v. g. sodomia, vel assasinium: quamvis de sententia degradationis numquam cognoscere possit Sæcularis : quia ejus prolatio est actus jurisdictionis spiritualis, *cap.* 2. *cap.* 3. *cap.* 12. *de Judic.* potest tamen , vel juxta processum Ecclesiastici procedere ad sententiam : vel novum, si velit processum ad criminis Inquisitionem

instituere. *Clar.* §. *fin. q. 69. n.* 7. *Navarr. Laym. & alii.* Poteritque reum torquere sine excommunicationis periculo: cum jam reus sit privilegio Canonis privatus: ac proindè illum percutiens non incurrit censuram. *C. Si quis suadente Diabolo. Suarez, de Cens. D.* 30. *sect.* 2. *n.* 7. *Navarr. & alii* contra *Mart. de Jurisdict. p.* 4. *cas.* 131. Degradatus equidem solùm potest à R. Pontifice restitui in pristinum statum: Et tunc solemnitèr restituuntur ipsi instrumenta, & vestes, quibus fuit spoliatus, *cap.* 65. 11. *q.* 3. Si verò appellet à degradatione est utique audiendus, & si probet, sententiam esse nullam, vel injustam, potest ab Episcopo restitui. *Suar. de Censur. D.* 30. *sect.* 2. *n.fin. Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 110. *n.* 32. *Diaz, & alii.* Episcopus autem, non verò alius Prælatus inferior potest restituere verbalitèr degradatum. *Barb. de Offic. Episcop. alleg.* 110. *n. fin. Sylv. & alii.*

In nostra quidem Hispania, & his Indiarum Regnis pœnæ, quæ Fisco applicantur dicuntur: *Penas de Cámara, gastos de Justicia, y Estrados*: quin, & aliquando aliquæ mulctæ applicantur operibus piis, & publicis. *L.* 25. *tit.* 25. *lib.* 2. *R. Indiar.* Ad exigendas ergo, & repetendas hujusmodi pœnas assignantur à Rege, vel Regiis Cancellariis quidam Officialis, quam *Hispanè* nuncupamus *Receptor General de penas de Cámara. L.* 1. *tit.* 25. *lib.* 2. *R. Ind.* Cui quidem, & non alii hujusmodi pœnæ tradendæ sunt. *L.* 3. *L.* 7. *tit.* 25. *lib.* 2. *R. Ind.* Et ipse potest alios Subalternos Officiales in locis suæ jurisdictionis pro talium pœnarum exactione designare. *L.* 37. *tit.* 25. *lib.* 2. *R. Ind.* Et Magistratus talium locorunt debent ipsi Receptori in hac materia obedire. *L.* 43. *tit.* 25. *lib.* 2. *R. Ind.* Si verò nullus sit designatus Receptor in locis ubi sunt Regia Indiarum Cancellariæ, hæc exactio ad Officiales Regios spectat. *L.* 2. *tit.* 25. *lib.* 2. *R. Ind.* Sed tales pœnæ exigi nequeunt donec sententia in rem transierit judicatam. *L.* 13. *tit.* 25. *lib.* 2. *R. Ind.* Has quidem Regiæ Cameræ pœnas nullus, etiam Prorex, vel Regius Senatus potest ad aliquos sumptus applicare sine Regis licentia. *L.* 4. *tit.* 25. *lib.* 2. *R. Ind.* nec possunt impendi nisi in illis præcisè rebus, quibus jam sunt à Rege destinatæ. Ut in *L.* 30. *tit.* 31. *lib.* 2. *R. Ind.* ubi ex his pœnis jubentur solvi stipendia debita Tabellioni, & Officiali. *Hispanè*: *Alguacil*, qui assistunt Senatoribus Regiis, quando aliquam Provinciam visitant. Item in *L.* 12. *tit.* 8. *lib.* 7. *R. Ind.* dicitur, quod ex his pœnis deducantur sumptus necessarii pro conductione reorum, qui ex Regno Peruvico ad triremes, vel exilium in Terram firmam mittuntur. Deindè in *L.* 44. *tit.* 25. *lib.* 2. *R. Ind.* disponitur quod ex his pœnis deducatur, quod sit necessarium ad sustentationem damnatorum ad triremes. Nec item valent tales pœnæ applicari ad sumptus, quos dicunt justitiæ; *arg. L.* 28. *tit.* 25. *lib.* 2. *R. Ind.* nec pro supplemento, nisi expressè concedatur. *Ut in L.* 26. *tit.* 8. *lib.* 7. *R. Ind.* ibi: *Si no bastaren las condenaciones de gastos de justicia para seguir delinqüentes, y malhechores, se suplan de penas de Cámara, con que se hayan de reemplazar en las primeras, que se causaren.* Circa depositionem verò, & applicationem harum pœnarum sic habetur *in L.* 22. *tit.* 25. *lib.* 2. *R. Ind. Declaramos, que los Oidores, juntamente con el Virrey, ó Presidente, y los Alcaldes del Crimen tambien con el Virrey, cada Tribunal en lo que le tocáre, puedan librar en penas de Estrados, y gastos de Justicia lo que fuere necesario; y faltando el Virrey, ó Presidente, cada Tribunal por si lo que le tocare.* Sanè prædictus Receptor debet dare fidejussores idoneos. *L.* 36. *tit.* 25. *lib.* 2. *R. Ind.* Et singulis annis Officialibus, seu Quæstoribus Regiis rationem suæ administrationis reddere. *L.* 25. *tit.* 25. *lib.* 2. *R. Ind.* Et pro suo salario potest decimam partem omnium pœnarum, quas repeterit accipere: nisi aliter consuetudine, vel pacto statutum sit. *L.* 25. *tit.* 25. *lib.* 2. *R. Ind.* fere idem pro Hispania habetur in *Tit.* 14. *lib.* 2. *R. C.*

343 Postquam jam pœnæ in genere explanatæ sunt aliquid de pœnis particularibus singulis delictis correspondentibus in Tyronum gratiam addere libuit: summo nempè digito, non plena manu, quia non vacat, tangendo quod de unaquaque præcipuum reperiam in jure: nec enim longiorem nunc instituere sermonem oportet: & ad majorem facilitatem ordine Alphabitico procedam.

Abigeatus est furti species, & committitur ab eo, qui subripit pecora ex pascuiis, vel ex armentis. Aliquando morte, aliquando leviori pœna plectitur. *L.* 1. *& per tot. ff. de Abigeis L.* 19. *tit.* 14. *p.* 7.

Abortus pœna capitali punitur, qui abortui causam dedit si erat animatus fœtus: pœna tamen extraordinaria si

ani-

animatus non erat. *L.* 4. *ff. de Variis, & extraord. crimin. L.* 8. *tit.* 8. *p.* 7. Et quamvis Sixtus V. tali delicto excommunicationem majorem Pontifici reservatam, & alias pœnas indixisset, in magna parte prædicta Constitutio ad Jus Commune redacta est à Greg. XIV.

Abrasio scripturæ pœna falsi punitur. *L.* 1. *tit.* 7. *p.* 7.

Adulterium Jure Divino antiquo morte puniebatur. *Levit.* 20. *Deuter.* 22. De jure quidem Canonico Clericus adulter in Monasterium detruditur. *c.* 10. *D.* 81. Tamen *ex Trid. sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 8. Adulteri, si ter moniti, non recedant à peccato excommunicantur. Mulieres sive conjugatæ, sive solutæ, quæ cum adulteris, seu concubinariis publicè vivunt: si ter admonitæ non paruerint, ab Ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex officio gravitèr pro modo culpæ, puniantur, & extra Oppidum, vel Diœcesim, si sic eisdem Ordinariis videbitur, invocato, si opus fuerit brachio Sæculari, ejiciantur: aliis pœnis contra adulteros, & concubinarios, in suo robore permanentibus. Jure autem Civili variè pro temporum varietate puniebatur adulterium. Denique Jure Hispano noviori adulteri traduntur cum suis bonis marito adulteræ, ut de eis faciant prout voluerit. *L.* 81. *Taur. L.* 2. *tit.* 20. *lib.* 8. *R. C.* Uxor amittit dotem, & arras, quas quidem lucratur maritus, sive civiliter, sivè criminaliter agat. *L.* 80. *L.* 81. *Taur. L.* 5. *tit.* 15. *lib.* 5. *R. C. L.* 4. *tit.* 20. *lib.* 8. *R. C.* non tamen lucratur dotem maritus, si adulteros; ut potest, in adelterio deprehensos velit occidere. *L.* 82. *Taur. L.* 5. *tit.* 20. *lib.* 8. *R. C.* Et quidem si authoritate delegata Judicis illos occidat, non peccat: Secus alitèr.

Affectus, seu conatus merè internus solùm à Deo punitur: si ad actum externum prodeat, regulariter punitur pœna extraordinaria. *L.* 1. §. *Hæc autem, ff. Quod quisque jur.* nisi in delictis, in quibus ob suam atrocitatem, & enormitatem pœna ordinaria statuitur: quando nempè ad actum veldè proximum criminis conatus accedit. *L.* 7. *C. Ad L. Corn. de Sycar. L.* 7. *L.* 12. *tit.* 8. *p.* 7. *L.* 2. *tit.* 31. *p.* 7.

Alapa pro varietate personarum, & locorum quibus, & in quibus infligitur, variè arbitrio Judicis punitur: qui, & pœnam mortis pro injuriæ qualitate potest imponere; nam gravissima injuria est, & ut talem ponderant Evangelistæ percusionem in faciem Christi Domini. *Matth.* 26. *Marc.* 14. *Joan.* 18. *v.* 22. §. *Atrox, Inst. de injur. L.* 20. *tit.* 9. *p.* 7. *Gregor. Lop. ibid.* V. *En el ojo. Pichard. Manuduct. ad Prax. p.* 3. §. 4. V. *Alapa.*

Aleatores, qui vel taxilis, vel aliis ludis prohibitis utuntur, regularitèr arbitrio Judicis puniuntur de Jure Canonico; *arg. c.* 15. *de Vita, & honest. C.* 11. *de Excessib. Prælator. Trid. sess.* 22. *de Reform. cap.* 1. in nostra Hispania ludentes taxilis, vel chartis pictis: *Hispanè: Dados, ò Naypes*, pœna pecuniaria, & aliquando incarceratione plectuntur. *L.* 2. *tit.* 7. *lib.* 8. *R. C.* in Indiis ludus taxillorum omnino prohibetur, sed chartarum pictarum permittitur usque ad summam decem argenteorum. *L.* 1. *tit.* 2. *lib.* 7. *R. Ind.* Item prohibentur domus publicæ ad ludum destinatæ, ibi: *Mandamos à los Virreyes, Governadores, y Justicias, que hagan castigar, y castiguen los delitos cometidos en casas de juego, y tablages, conforme à su gravedad; y que cessen tales juegos, y juntas de gente valdía, y tan ilicitos, y perjudiciales aprovechamientos, in L.* 3. prohibetur ludus Senatoribus, & ejus uxoribus, & in *L.* 6. etiam Mercatoribus. At verò in *L.* 4. & 5. permittitur militibus, sed solùm dum sunt in locis ad custodiam destinatis. *Hispanè: Cuerpos de Guardia.*

Ambitus crimen, quod quidem committunt ambitiosi, qui ut dignitatem, vel honorem obtineant pecuniam dant, Jure Civili Lege Julia de ambitu puniebatur, scilicet centum aureis cum infamia. *L.* 1. *ff. ad L. Jul. de ambit.* Etiam in nostra Hispania pœna infamiæ, & pecuniaria punitur. *L.* 26. *tit.* 5. *p.* 1. & aliquando confiscatione medietatis bonorum, & decennio exilii. *L.* 15. *L.* 16. *L.* 17. *lib.* 1. *R. C.*

Annonam corruptam vendentes, vel quid facientes, quo reddatur carior annona, Dardanarii dicuntur: *Hispanè: Regatones.* Et crimen fraudatæ annonæ committunt, & puniuntur extraordinariè *L.* 6. *ff. de Variis, & extraord. crimin.* In nostra Hispania flagelis, & pœna pecuniaria, privatione officii, & aliis pœnis pro varietate personarum hoc delictum punitur. *L.* 1. *& seqq. tit.* 14. *lib.* 5. *R. C. L.* 20. *tit.* 3. *lib.* 7. *R. C.*

Apostasiam à fide committentes. *Hispanè: Renegados, y Tornadizos*: sunt qui non in parte, sed in totum à Fide Catholica recedunt, & ad Judaismum,

vel Paganismum se convertunt. *L.* 1. *L.* 2. *C. de Apostas.* & pœnis Hæreticorum puniuntur. *c.* 13. *de Heretic. in 6.* & in nostra Hispania de hoc crimine cognoscunt Inquisitores. *Gonz. in c.* 4. *de Apost. n.* 6. *Dian. in Sum.* V. *Inquisitores*, *n.* 147. De Apostasia Indorum cognoscunt Episcopi. *L.* 35. *tit.* 1. *lib.* 6. *R. Ind.* ibi: *Por estár prohibido à los Inquisidores Apostolicos el proceder contra Indios, compete su castigo à los Ordinarios Eclesiasticos, y deben ser obedecidos, y cumplidos sus mandamientos; y contra los Hechiceros que matan con hechizos, y usan de otros maleficios, procederán nuestras Justicias Reales.* Apostatæ à Religione juxta cujusque Religionis statuta puniendi sunt.

Assasinum morte punitur de Jure Civili. *L.* 39. *ff. h. t.* de Jure Canonico per Assasinos faciens, vel tantùm mandans, aliquem interfici, tamquam ab omnibus diffidatus, absque alicujus prolatione incurrit excommunicationem, & depositionem ab officio. *c.* 1. *de Homicid. in 6.* in nostra Hispania morte punitur Assasinium. *L.* 3. *tit.* 27. *p.* 7. Et habetur, ut proditio, vel mors secura. *Hispanè Muerte alevosa*, nec remititur in indulto generali. *L.* 6. *tit.* 25. *lib.* 8. *R. C. Et in L.* 10. *tit.* 23. *lib.* 8. *R. C.* dicitur: *Todo hombre, que matare à otro à traycion, ò aleve, arrastrenlo por ello, y enforquenlo; y todo lo del traydor hayalo el Rey, y del alevoso haya la mitad el Rey, y la otra mitad sus herederos.*

Blasphemia, si hæreticalis est, ad Inquisitores spectat in nostra Hispania privativè, & punitur pœna triremium, & lingua horum ligno comprimitur. *Hispanè: Mordaza. Roxas de Hæret. p.* 2. *n.* 17. *Dian. in Sum.* V. *Inquisitores*, *n.* 151. Si non est hæreticalis est mixti fori. *C. fin. de Maledic.* & ferè arbitrariè punitur pro gravitate blasphemiæ, & personarum. *Aceved. in L.* 3. *tit.* 1. *lib.* 1. *R. C. n.* 7. Quamvis *in L.* 5. *tit.* 2. *p.* 7. *& in L.* 1. *& seqq. tit.* 4. *lib.* 8. *R. C.* pœnæ certæ sint statutæ, hodie blasphemi flagellantur, & eorum lingua (non figitur clavo ut dicit *L.* 5. *tit.* 4. *lib.* 8. *R. C.*) sed ligno præmitur, & aliquando ad triremes mittuntur. *L. fin. t.* 4. *lib.* 8. *R. C.* Clerici pœna depositionis plectuntur. *Gonz. in C. fin. de Maledic. n. fin.*

344 Calumniator, qui falsa crimina alteri objicit, si succumbat, punitur eadem pœna, qua erat puniendus accusatus: quæ dicitur pœna Talionis. *C. Calumniator* 2. *q.* 3. *L.* 26. *tit.* 1. *p.* 7. Sed hodie in expensas, & arbitrio Judicis condemnatur. *L.* 3. *ff. ad S. C. Turpillian.* ibi: *In privatis, & extraordinariis criminibus omnes calumniosi extra ordinem pro qualitate admissi plectuntur. Gregor. Lop. in L.* 13. *tit.* 9. *p.* 4. V. *A pœna de Talion.* Cancelator Scripturæ pœna falsi punitur *L.* 1. *tit.* 7. *p.* 7. Vide *Falsum.*

Carceris effractor Jure Civili pœna mortis plectitur. *L.* 1. *ff. de Effractoribus.* In nostra Hispania reus fugiens à carcere habetur pro confeso, & arbitrariè punitur. *L.* 13. *tit.* 29. *p.* 7. ibi: *Cà semeja, que se dan por fechores de los yerros de que eran acusados, porque ante que los judguen se acuerdan asi en uno en fuir: è aun demàs de esto, debeles el Judgador dar alguna pena por ende segun su alvedrio. Et in L.* 7. *tit.* 26. *lib.* 8. *R. C.* punitur muleta 600. marapetinorum. Si verò alius per violentiam à carcere extrahat aliquem reum ea pœna, qua ipse captus puniendus erat, ipse effractor punitur. *L.* 14. *tit.* 29. *p.* 7. *Aceved. in L.* 1. *tit.* 18. *lib.* 8. *R. C. ex n.* 170. *Hevia in Curia, p.* 3. §. 11. *n.* 13. qui à carcere fugit, ut se coram superiore sistat, non habetur tamquam effractor, imo etsi verè fugisset, sed posteà se præsentet, & restituat carceri, purgat fugæ delictum. *Aceved. in L.* 7. *tit.* 26. *lib.* 8. *R. C. Hevia in Cur. p.* 3. §. 11. *n.* 13.

Carceris privati auctor, & custos pœna mortis punitur. *L.* 1. *C. de Privat. Carcer. ibid. L.* 15. *tit.* 29. *p.* 7. ibi: *E otro de aqui adelante ficiere Carcel por su authoridad, ò cepo, ò cadena sin mandado del Rey, è metiesse omes en prision en ella, mandamos que muera por ello. L.* 5. *tit.* 23. *lib.* 4. *R. C.* Et hoc crimen sola captura committitur, nec est necesse reum in carcerem includere, nec habere animum jurisdictionem usurpandi. *Gregor. Lop. & Aceved. in dict. Leg.*

Castigatio immoderata in servos, filios, vel alios, quos emendare, & corrigere licet. *L.* 1. *C. de Emendat. servor. L.* 1. *C. de Emendat. propinq. L.* 9. *tit.* 1. *p.* 3. *L.* 6. *tit.* 21. *p.* 4. arbitrariè punitur. *Menoch. de Arbit. cas.* 364.

Castrans se ipsum fit irregularis. *c.* 4. *D.* 55. *L.* 25. *tit.* 6. *p.* 1. & pœna mortis, ut homicida plectitur; *arg. c.* 4. *D.* 55. *Gregor. Lopez, in L.* 25. *tit.* 6. *p.* 1. V. *de su grado*, sicut decisum est de illo, qui puerum, vel hominem liberum castraverit. *L.* 1. *C. de Eunch.* etiam Chirurgus, qui hoc faciat, nisi fortè sit causa in-

inevi abilis medicinæ. *L.* 13. *tit.* 8. *p.* 7. Et ut notat *Gregor. Lop. ibid.* eodem modo punitur, sivè volens, sive invitus, quis castretur: quin & ipse, qui patitur se castrari punitur. Nec in foro conscientiæ licet pueros, etiam consentientes, castrare, ut Ecclesiis suæ vocis suavitate deserviant, quia nullus est dominus suorum membrorum. *ita Lugo Diaz, Præposi. Bonacin. Caram.* & latè *Verecill. tit.* 14. *q.* 197. quamvis contrarium tenent *Salon. Sayr. Tambur. & alii*, quibus consuetudo suffragatur. Nec pro servanda castitate potest quis se castrare: quia præterquamquod, non vitantur hoc modo tentationes juxta plures, castitas non ferro, sed fervore spiritus, & Dei gratia servari oportet, ac proindè qui se castraret, ad sedandas tentationes peccaret mortaliter. Ut ait *Potestas, tom.* 1. *p.* 2. *n.* 2073.

Circulatores, qui scilicèt proponunt aut circumferunt serpentes, aut alia animalia, si damnum eorum causa, vel ob eorum metum fiat, pœna arbitraria puniuntur. *L.* 11. *ff. de Extraord. crim.*

Coitus, & adulterium servi cum domina morte utriusque plectitur. Domina enim capite punitur, servus autem comburitur. *L.* 1. *C. de Mulier. quæ propr. serv.* De jure tamen Hispano, & mulier comburitur. *L.* 15. *tit.* 17. *p.* 7. Eadem pœna ignis punitur servus alienus, qui coierit cum virgine, vidua honesta, vel moniali. *L.* 2. *tit.* 19. *p.* 7. Si maurus coeat cum christiana virgine, vel vidua pœna mortis ipse punitur, mulier verò pro prima vice plectitur confiscatione medietatis bonorum, pro secunda bona omnia confiscantur, si filii non extent: si tamen extent ipsis debentur, & ipsa morte punitur. Si cum nupta coeat, ipse morte punitur, & ipsa arbitrio mariti absolvenda, vel punienda, etiam morte ignis, relinquitur. *L.* 10. *tit.* 25. *p.* 7. Coitus custodis cum incarcerata arbitrariè punitur. *Gom. in L.* 80. *Taur. n.* 25. Coitus Tutoris cum ejus pupilla punitur confiscatione omnium bonorum Tutoris, si descendentibus, vel ascendentibus usque ad 3. gradum careat. Et ipse insuper in perpetuum exilium mittitur. *L.* 16. *tit.* 17. *p.* 7. *Gom. in L.* 80. *Taur. num.* 24. Si coeat famulus, aut serviens cum domina sua, vel aliqua consanguinea, vel affine domini ipse pœna mortis simplicis punitur. *L.* 6. *tit.* 20. *lib.* 8. *R. C.* abrogata morte ignis. *L.* 2. *tit.* 19. *p.* 7. Et ipsa traditur domino domus punienda pœna mortis, vel qualibet alia pro suo arbitrio. *L.* 6. *tit.* 20. *lib.* 8. *R. C.* Si famulus cum famula coeat, uterque publicè fustigatur centum flagellis. Coitus vassalli cum domina uxore domini feudi, vel filia, nepte, sorore, aut nuru ejus feudi amissione, præter alias pœnas, punitur. *Menoch. de Arbitr. cas.* 267. Coitus cum moniali, si accedat violentia, vel raptus morte punitur, & medietas bonorum hoc delictum, committentis fisco applicatur. *L.* 2. *tit.* 19. *p.* 7. *& ibid. Gregor. Lopez L.* 3. *tit.* 20. *p.* 7. *& ibid. Gregor. Lop.* V. *O yaciendo. L.* 7. *tit.* 20. *lib.* 8. *R. C. & ibid. Aceved. ex n.* 57.

Concubinatus (licèt olim fuisset impunitus *tit.* 4. *p.* 4. ubi agitur de concubinis) variè punitur pro varietate circunstantiarum. *L.* 1. *& per tot. tit.* 19. *lib.* 8. *R. C.* Hæ concubinæ *Hispanè* dicuntur *Barraganas. L.* 1. *tit.* 14. *p.* 4. ibi: *E tomó este nome de dos palabras: de barra, que es de Arabigo, que quiere tanto decir, como fuera; è gana, que es de Ladino, que es por ganancia. E estas dos palabras ayuntadas quieren tanto decir, como ganancia, que es fecha fuera de mandamiento de Eglesia, è por ende los que nacen de tales mugeres, son llamados fijos de ganancia.*

Confessionis Sacramentalis revelator, olim perpetuæ peregrinationis pœna plectebatur. *c.* 2. *de Pœnit. D.* 6. ibi: *Nam si hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat.* Hodie in Monasterium sive carcerem detruditur. *c.* 12. *de Pœnit. & remis.*

345 Decoctores, id est, campsores, sive bancarii, qui fugiunt, & bona abscondunt, ut creditores, ad pacta iniqua compellant, tanquam publici latrones, & grassatores puniuntur: neque ex tunc uti valent Mercatorum, nec campsorum officio; quod si utantur, confiscantur omnia illorum bona nec item ex tunc valent pacta conventiones, remissiones, vel transactiones, factæ ab ipsis cum suis creditoribus, vel etiam aliis personis in creditorum præjudicium. *L.* 2. *tit.* 19. *lib.* 5. *R. C.*

Depopulatores, seu populatores agrorum. *Hispanè*: *Los que talan los campos*, ut incendiarii puniuntur.

Diffamatores, qui de aliquo dicunt, aliquod commisisse crimen, vel habere aliquam maculam servitutis, ignominiæ, vel ignobilitatis, coguntur in judicio illud crimen proponere intra terminum

assignandum à Judice: alias ipsis sub pœna arbitraria perpetuum imponitur silentium. *L. Diffamari, 5. C. de Ingenuis manuum. L. 46. tit. 2. p. 3.*

Directarii fures sunt, qui in aliena cœnacula se dirigunt furandi animo *L. 7. ff. de Extraordin. crimin.*

Dormiens, qui consuetudinem habebat surgendi cum armis, ad percutiendum, dum dormiret, & alios qui ibi erant non adormuit de tali consuetudine, si aliquem occidat, per quinquennium mittitur in exilium. *L. 5. tit. 8. p. 7.*

Duellum, licèt olim permissum. Hodie omni jure prohibitum est sub variis pœnis. *c. 22. 2. q. 5. c. 1. c. 2. de Cleric. pugnant. in duell. Trid. sess. 25. de Reform. cap. 19. L. 10. tit. 8. lib. 8. R. C.* De quo jam diximus in *Tit. de Cleric. pugnant. in duello.* Et à nostro Rege *Philippo V.* An. 1716. Severissimè fuit prohibitum, & declaratum delictum infame, ac proindè illud comittentes privantur honoribus, & officiis, quæ ex Regia concessione habent, & habitu, & commendis Ordinum Militarium, aliisque pœnis puniuntur.

346 Ebrietas arbitrariè punitur. *L. 6. §. Per vinum, ff. de Re Milit.* Nec omninò excusat ebrium à delicto in ebrietate commissum: attamen pœna temperanda est. *L. 5. tit. 8. p. 7. & ibid. Greg. Lop.* V. *Embriagasse. Aceved. in L. 1. t. 4. lib. 8. R. C. n. 4. D. Thom. 2. 2. q. 150. art. 4.*

Excomunicatus in nostra Hispania sic punitur. *L. 1. tit. 5. lib. 8. R. C. Que si estuviere descomulgado por espacio de treinta dias, que pague en pena seiscientos maravedis; y si estuviere endurecido en la dicha excomunion seis meses cumplidos, que pague en pena seis mil maravedis; y passados los dichos seis meses, si persistiere en dicha excomunion, pague cien maravedis cada un dia; y demas, que lo echen fuera de la Villa, ò Lugar donde viviere, porque su participacion es escusada; y si en el Lugar entrare, que la mitad de sus bienes sean confiscados para la nuestra Camara.* De Jure Canonico, qui censuris ligatus obdurato animo in illis per annum insorduerit, contra eam tamquam de hæresi suspectum procedi potest. *Trid. sess. 25. de Reform. c. 3.* & in nostra Hispania procedunt inquisitores. *Gonz. in c. 13. §. 1. de Hæret. num. 1. & alii.*

Eximens captum à Judice, vel ejus Officialibus, cum jurisdictionem Regiam contemnat, juxta aliquos in crimen læsæ Majestatis incidit. *L. 4. ff. ad Leg. Jul. Majest.* Sed tunc tantum tale crimen committitur, quando reus sic exemptus erat captus per Judices Regios, & erat reus criminis læsæ Majestatis alias, qui illum à carcere, vel à manibus Ministrorum, dum ad supplicium ducitur eximit, punitur eadem pœna, qua reus erat puniendus. *L. 14. tit. 29. p. 7.* & confiscatur medietas bonorum ejus, qui executionem sententiæ in authoritatem rei judicatæ transactæ præter alias pœnas in Hispania punitur confiscatione medietatis bonorum *L. 8. tit. 17. lib. 4. R. C.* & cum Lex non distinguat inter causas civiles, & criminales, nec nos distinguere debemus, ac proinde generaliter de omnibus intelligenda est: *Aceved. in L. 8. tit. 17. L. 4. R. C. num. fin.* Qui eximit à carcere eum, qui ibi erat detentus pro debito publico, vel privato profectò tenetur debitum solvere perinde, ac si esset fidejussor sic exemti. Si eximat eum, qui neque sit reus criminis, neque debitor, tunc eximens pœna pecuniaria punitur. *Gregor. Lop. in L. 14. tit. 29. p. 7.* V. *Debia recibir.*

Expilatæ hæreditatis crimen, quod est species furti, arbitrariè punitur *L. 1. ff. Ex pilat. hæred.* in nostra Hispania ultra damni restitutionem, si talis expilator est nobilis ad tempus relegatur, vel alia pœna arbitrio Judicis punitur. Si est plebejus ad opera Regis pro certò tempore damnatur. *L. 21. tit. 14. p. 7.*

Exponens infantem languidum, & sanguinolentum, punitur mortè si expositus fame pereat. *L. 4. ff. de Liber. agnosc. L. 3. tit. 23. lib. 4. Fori.* Si non moriatur, arbitrariè exponens punitur; *arg. L. 1. §. 4. ff. de Liber. agnosc.* & si est Pater patriam potestatem, si est Dominus dominium amittit. *C. un. de Infant.*

347 Falsi crimen, quod comittit falsificans litteras Pontificis, vel Principis Supremi punitur morte. *L. 6. tit. 7. p. 7.* ibi: *Pero qualquiera que falsa carta, ò privilegio, ò Bulla, ò moneda, ò Sello de Papa, ò de Rey, ò lo ficiere falsar à otro, debe morir por ello. E si Escribano de algun Concejo ficiere carta falsa, cortenle la mano con que la escrivió, è quede enfamado para siempre.* Falsus testis etiam morte punitur, si erat morti subjiciendus is, contra quem deposuit. Et sic in aliis delictis punitur eadem pœna, qua alter esset puniendus. *L. 4. tit. 17. lib. 8. R. C.* sed in *L. 7. tit. 17. lib. 8. R. C.* habetur:

Que

Que los testigos falsos, en el caso que, segun las Leyes de nuestros Reynos, en las causas civiles habian de ser condenados á quitar los dientes, les sea esta pena commutada en vergüenza pública, y servicio de galeras por diez años; y que los dichos testigos falsos, en las causas criminales, no siendo caso de muerte, en que se hubiese de executar en él la misma pena, sean condenados en vergüenza pública, y perpetuamente á galeras; lo qual se entienda, y estienda á las personas, que induxeren á los dichos testigos falsos, siendo de calidad, que puedan ser condenados al dicho servicio de galeras. Qui falsat litteras Regias, ultra pœnam mortis, amittit medietatem bonorum, quæ fisco applicantur. *L.* 3. *tit.* 17. *lib.* 8. *R. C.* Etiam amittit medietatem bonorum, quæ fisco addicuntur, qui monetam falsat, vel præcipit, vel contulit, quod falsetur. *L.* 5. *tit.* 17. *lib.* 8. *R. C.* Et pœna ignis imponitur. *L.* 2. *C. de Falsa monet. Aceved. in L.* 5. *tit.* 17. *lib.* 8. *R. C.* Ubi latè agit de modis falsandi monetam. Aliæ plures falsitates committuntur, quæ diversis paritèr puniuntur pœnis, vel exilii, vel confiscationis bonorum, & sæpè arbitrariè plectuntur. De quibus agitur *in tit. de Crimine Fals. & in tot. tit.* 7. *p.* 7. *tit.* 17. *lib.* 5. *R. C. tit.* 17. *lib.* 8. *R. C. Et ibid. Gregor. Lop. & Aceved. Barbos. & Gonzal.*

Furiosus, si in furore delinquat, nulli subjacet pœnæ. *L.* 14. *ff. de Offic. Præsid.* ibi: *Si tibi liquido comperto est Ælium Priscum in eo furore esse, ut continua mentis alienatione omni intellectu careat, nec subest ulla suspicio, matrem ab eo simulatione dementiæ, occisam, potest de modo pœnæ ejus dissimulare, cum satis furore ipso puniatur. Et tamen diligentèr custodiendus erit, ac si putabis, etiam vinculo coërcendus quoniam tàm ad pœnam, quàm ad tutellam ejus, & securitatem proximorum pertinebit. Clem. Si furiosus, de Homicid. L.* 3. *tit.* 8. *p.* 7. *Gom. Var.* 3. *cap.* 1. *num.* 70. *Menoch. de Arbitr. cas.* 325.

Furtum regularitèr arbitrariè punitur, prout circunstantiæ suadent: ita ut licet in nostra Hispania pro primo, & secundo furto non imponatur pœna mortis, & pro tertio imponenda sit, potest accidere, ut pro primo debeat mortis pœna imponi, ut publicis latronibus, & pyratis imponi debet. *L.* 18. *tit.* 14. *p.* 7. Et aliquando neque pro tertio imponatur. Regularitèr tamen latrones fustigantur, & in triremes mittuntur: & sufficit ad hanc pœnam, quod sint ætatis 17. annorum *L.* 9. *tit.* 11. *lib.* 8. *R. C. Y esto se entienda, y estienda á los Encubridores, y Receptadores, y Partícipes en los hurtos, para que en estos haya lugar la misma pena, y en la misma forma, que de suso está declarado en los Ladrones. Aceved. in L.* 7. *tit.* 11. *lib.* 8. *R. C. ex n.* 77. Vid. *Vers. Peculatus.*

348 Gabellarum fraudatores in nostra Hispania sic puniuntur: si post publicationem conductoris gabellarum, *Hispanè: Arrendador, Fiel, ó Cogedor de Alcavalas*, eas non solvant venditores, vel permutatores, elapso quinto die à publicatione, eas solvere, & insuper duplum dare tenentur: & emptores tenentur intra tres dies à celebrata emptione de ea conductorem gabellarum certiorem facere, alias tenentur gabellas cum duplo solvere. *L.* 31. *tit.* 19. *lib.* 9. *R. C.*

Grassatores, qui famosi latrones, *Hispanè: Salteadores*, appellantur, qui scilicèt, in itineribus publicis furantur pœna mortis furcæ puniuntur. *L.* 28. §. 10. & §. 15. *ff. h. t. L.* 18. *tit.* 14. *p.* 7. *Et ibid. Greg. Lop.* V. *Tuviese caminos.* Undè colligit, tunc aggredientem in stratis causa furandi puniri morte, quando plures hoc fecit, vel si semel cum hominis occisione. Si tamen semel sine homicidio ita furtum fecerunt, vel facere tentarunt ad aliquem actum perveniendo, non pœna mortis, sed damnatione in metallum, vel relegatione in Insulam puniendi sunt, ut habetur in *L.* 28. *cap.* 10. *ff. h. t.* Aliquando cadavera latronum in partes dividuntur, *Hispanè: Hacer quartos*, ut in publicis itineribus, ad aliorum terrorem affligantur. Nec in latrones gaudent immunitate Ecclesiastica, si ab Ecclesiam confugiant, *cap.* 6. 17. *q.* 4. *L.* 4. *tit.* 11. *p.* 1. *L.* 3. *tit.* 2. *lib.* 1. *R. C.*

349 Habitum alterius gerens, si hoc in illius contemptum faciat, pro qualitate injuriæ punietur. Si fraudis causa, tamquam falsarius plectitur. *L.* 27. §. *fin. ff. ad L. Cornel. de Fals.* Si joci causa arbitrariè punitur; *arg. L.* 4. *C. de Episc. audient.* Mulier utens habitu virili excommunicatur in *cap.* 6. *D.* 30. *& Deut.* 22. *v.* 5. dicitur: *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste fœminea: abominabilis enim apud Deum est, qui facit hæc.* Attamen ob justam causam hæc licent, sicut etiam viro Religioso mutare habitum Monachalem, in Hispania. *Gregor. Lop. in L.* 3. *tit.* 12. *p.* 5. V. *Vestidu-*

duras. In Hispania prohibitum est uti personis, vel larvis, *Hispanè* : *Mascaras*, ò *Caratulas.* Et quidem vilis fustigatur centum flagellis, nobilis per sex menses ejicitur à Civitate : quod si noctu hoc fiat pœna duplicatur. *L. fin. tit.* 15. *lib.* 8. *R. C.* In festivitatibus, præcipuè in die Corporis Christi, hæc permittuntur, quia cessat ratio Legis. *Aceved. ibid.* & ita praxit docet.

Hæresis crimen committentes excommunicatione majori coërcentur, privantur omni dignitate, & officio Ecclesiastico, & inhabiles ad alia redduntur : & Curiæ Sæculari traduntur. Quod si illud committens pertinax sit, vivus comburitur : si pœniteat, confiteaturque delictum, & de illo doleat, reconciliatur, præmissa abjuratione de formali, & regularitèr damnatur ad carcerem temporalem, vel perpetuum pro circunstantiis, *Hispanè* : *Casa de la Penitencia*, & habitu pœnitentiali notatur, *Hispanè* : *Sambenito.* Si relapsus sit, etiam si pœniteat, morte puniuntur, *cap.* 14. *de Hæret. in 6. L. 6. tit. 6. p.* 1. non tamen vivus comburitur, sed prius stragulatur. *Carena de Offic. Inquisit. p.* 3. *tit.* 13. *n.* 8. Bona illius confiscantur, & infamia ipse hæreticus, & ejus descendentes, usque ad secundam generationem, notantur. Ut constat *ex tit. de Hæret. in Decret. & 6. tit.* 26. *p.* 7. *tit.* 3. *lib.* 8. *R. C. Et ibid. Greg. Lop. & Aceved. Diana in Sum.* V. *Hæreticorum pœnæ. Et in L.* 3. *tit.* 3. *lib.* 8. *R. C.* dicitur : *Mandamos, que los reconciliados por el delito de la heregia, y apostasia, ni los hijos, y nietos de quemados, y condenados por el dicho delito hasta la segunda generacion por linea masculina, y hasta la primera por linea femenina, no puedan ser, ni sean del nuestro Consejo, ni Oidores de las Audiencias, ni Secretarios, ni Alcaldes, ni Alguaciles* : : : *ni tener otro oficio público, ni Real en nuestra Casa, y Corte, &c.* Indi verò, si in hæresim incidant puniuntur ab Ordinariis Ecclesiasticis, non vero ab Inquisitoribus. *L.* 35. *tit.* 1. *lib. 6. R. Ind.*

Homicidium voluntarium, etiam simplex, morte punitur : & hæc pro circunstantiis aggravatur. *Exod.* 21. *Matth.* 26. *v.* 52. *cap.* 1. *de Homicid. L.* 1. *& per tot. ff. ad Leg. Cornel. de Sicarii. L.* 2. *& per tot. tit.* 8. *p.* 7. *tot. tit.* 23. *lib.* 8. *R. C. DD. in prædict. locis.*

350 Immunitatis Ecclesiasticæ violatores, qui extrahunt confugientes ad Ecclesiam, de Jure Canonico excommunicantur, *cap.* 20. *cap.* 21. 17. *q.* 4. *Trident. sess.* 25. *de Ref. cap.* 20. *L.* 4. *tit.* 11. *p.* 1. Et arbitrariè de Jure Hispano puniuntur ; *arg. L.* 4. *tit.* 2. *lib.* 1. *R. C.* ibi : *Y mandamos à las Justicias, que escarmienten, y hagan justicia en los que lo contrario hicieren, segun la calidad del delito, que cometieren.*

Incendiarii de Jure Canonico excommunicantur, *cap.* 32. 23. *q.* 8. Ubi Text. incendiariorum malitiam pessimam, depopulatricem, & horrendam appellat. Et privantur immunitate Ecclesiastica, *cap. 6. de Immun. Eccles. L.* 3. *tit.* 2. *lib.* 1. *R. C.* Et pœna mortis puniuntur. *L.* 28. §. 12. *ff. h. t. L.* 9. *tit.* 10. *p.* 7. *L.* 6. *tit.* 12. *lib.* 8. *R. C.* quod si quis ignem apponat, ut alterum occidat, etiam effectu mortis non secuto, ultra pœnam corporalem, dimidia pars bonorum ejus applicatur fisco. *L.* 8. *titul.* 26. *lib.* 8. *R. C.*

Incestus pœna adulterii punitur. *L. fin. tit.* 18. *p.* 7. ac proindè sic delinquentes arbitrio mariti puniendi relinquuntur. *L.* 1. *tit.* 20. *lib.* 8. *R. C.* Et insuper Incestum committens amittit medietatem bonorum, quæ fisco applicatur. *L.* 7. *tit.* 10. *lib.* 8. *R. C.* Incestus tamen in primo gradu, vel etiam si incestus in alio gradu concurrat cum adulterio semper morte, etiam in muliere, punitur. *Greg. Lop. in L. fin. tit.* 18. *p.* 7. V. *La muger.* Si colore matrimonii incestus committatur, nobilis in exilium perpetuum mittitur, plebejus, præter exilium perpetuum, publicè fustigatur. *L. fin. tit.* 18. *part.* 7. *Aceved. in L.* 7. *tit.* 20. *lib.* 8. *n.* 100. at, hodie pœnam incestus quoad pœnam mortis esse arbitrariam in foro Sæculari, sed non super pœna confiscationis prædictæ Legis ; licèt in coitu nefario cum descendente, vel ascendente, attentis circunstantiis, & gravitate negotii, pœna gravis est imponenda, sicut gravius est delictum, licèt non mortis, ut asserit Cervantes *in L. 9. Taur. n.* 44. nisi circunstantiæ aggravarent.

Injuria regularitèr punitur arbitrariè pro veritate circunstantiarum. *L.* 20. *L.* 21. *tit. 9. p.* 7. præter illas injurias, quibus certa à jure pœna est statuta, ut in *L.* 2. *tit.* 10. *lib.* 8. *R. C.* ibi : *Qualquiera que à otro denostare, y le dixere: gafo, ó sodomético, ó cornudo, ó traydor, ó herege : ó á muger, que tenga marido, puta, ò otros denuestos semejantes, desdígalo ante el Alcalde, y ante hombres buenos al plazo, que el Alcalde le pusiere, y peche tres-*

trescientos sueldos, y por ellos, mil y doscientos maravedis: la mitad para nuestra Camara, y la otra mitad para el querelloso. Nobilis verò sic injurians quingentos solidos solvet, & arbitrariè punitur, non tamen tenetur palinodiam decantare. *Aceved. ibidem, n.* 253. qui *num.* 237. notat, decisum esse quid nomine talium solidorum intelligatur, scilicèt, *mil y doscientos maravedis.*

Judex pecunia corruptus, olim arbitrariè Lege Julia repetundarum puniebatur. *L.* 7. §. *fin. ff. ad Leg. Jul. Repetund.* In nostra Hispania Gubernatores Assistentes, Prætores, Senatores, & alii Judices severè puniuntur, si sic delinquant: nam perjuri declarantur, & aliquando officiis privantur, & ad alia obtinenda redduntur inabiles, & duplum accepti redere debent. Sic de Consiliariis, & Senatoribus, & aliis Oficialibus Audientiarum statuitur *in L.* 56. *tit.* 5. *lib.* 2. *R. C.* de Gubernatoribus, & aliis Judicibus, sic statuitur *in L.* 1. *tit.* 6. *lib.* 3. *R. C. Y quando les proveyeremos de los dichos oficios, aunque estèn ausentes, hagan juramento en nuestro Consejo de guardar, y cumplir lo susodicho, à todo su leal poder; y que no pediràn, ni llevaràn mas salario del que les fuere tassado en la Carta de poder que llevaren, ni consentiràn llevar à sus Oficiales mas derechos de los que en el Arancèl de aquella Ciudad, ò Villa, ò Provincia, que à su cargo fueren puestos, so pena que lo paguen con las Setenas, aunque digan que no lo supieron; y no recibiràn dadiva, ni aceptaràn promessa, ni donacion, ellos, ni sus mugeres, ni hijos, de ninguna persona, por sì ni por otro, directè, ni indirectè, durante el tiempo de su oficio de cuya mano aya de venir à èl, y à su provecho, ni reciban mas de su salario, y derechos, que justamente debieren de aver, segun la tabla de su Auditorio, so la dicha pena.*

Judices, Magistratus, Gubernatores, Senatores, & præsides Provinciarum nequeunt contrahere matrimonium sine Regis licentia in provincia eorum jurisdictioni subjecta. *L.* 38. *L.* 57. *L.* 63. *ff. de Ritu Nuptiar. L.* 2. *tit.* 14. *p.* 4. *L.* 15. *tit.* 4. *lib.* 2. *R. C.* Quod specialitèr in Indiis prohibetur, non solùm ipsis, sed & eorum filiis: & transgressores officiis privantur, non tàm per modum pœnæ, quàm per defectum conditionis, sub qua Rex illis officia concedit. *L.* 82. *tit.* 16. *lib.* 2. *R. Ind. Solorzan. Pol. Ind. lib.* 5. *cap.* 9. Etiam prædictis omnino prohibetur, in suis Provinciis negotiari, & precipuè in Indiis. *L.* 54. *tit.* 16. *lib.* 2. *R. Ind.* ibi: *Ordenamos, y mandamos, que los Presidentes, Oìdores, Alcaldes del Crimen, y Fiscales, no tengan de ninguna suerte grangerìas de ganados mayores, ni menores, ni Estancias, ni Labranzas, ni tratos de mercadurias, ni otras negociaciones, ni labores por sus personas, ni otras interpuestas, ni se sirvan de Indios, de agua, ni yerba, ni leña, ni otros aprovechamientos, ni servicios, directa ni indirectamente, pena de nuestra merced, y de perdimiento de sus oficios, y grangerìas que tuvieren, y mas mil ducados; y los que contrataren con los dichos por el mismo caso ayan perdido, y pierdan todos sus bienes.* Quæ prohibitio extenditur ad prædictorum uxores, & filios, dum in eorum existunt potestate. *L.* 66. *tit.* 16. *L.* 2. *R. Ind.*

351 Læsæ Majestatis crimen, *Hispanè: Traycion*, committitur, quando quis contra Regem, contra Rempublicam, vel Patriam aliquid animo hostili molitur. *L.* 1. *tit.* 18. *lib.* 8. *R. C.* ibi: *La primera, y la mayor, y la que mas cruelmente debe ser escarmentada, es la que atañe à la persona del Rey; assi como sì alguno se trabajasse de le matar, ò le hiriesse, ò lo prendiesse, ò le hiciese deshonra, haciendo tuerto con la Reyna su muger, ò con su hija del Rey, no siendo ella casada, ò se trabajasse por le hacer perder la honra de su Dignidad, que tiene: y otrosi, qualquier que hiciere estos yerros susodichos al Infante heredero, caeria en este mismo caso... La segunda, si alguno se pone con los Enemigos para guerrear, ò hacer mal al Rey, ò al Reyno, ò les ayudare de hecho, ò de consejo, ò les embiare carta, ò mandado, porque se aperciban en alguna cosa contra el Rey en daño de la tierra, &c.* *L.* 1. *tit.* 2. *p.* 7. *L.* 5. *ad Legem Juliam Majest.* ubi plures alii casus referuntur, quibus hoc crimen comittitur: quod quidem morte punitur, & perpetua infamia, quæ in filios, & etiam posteros descendit: domus delinquentis demoliuntur nunquam rursus extruendæ, & aratro in eas inducto sale asperguntur: & omnia ipsius bona confiscantur. *L.* 6. *t.* 13. *p.* 2. Eadem pœna puniuntur, non solum opem ferentes, sed qui sciunt proditionem, & eam non detegunt: dos autem, & medietas bonorum, quæ lucrata sunt constante matrimonio, *Hispanè: Bienes gananciales uxori reservantur. L.* 10. *tit.* 9. *lib.* 5. *R. C.* Latè *Acev. in L.* 1. *tit.* 18. *lib.* 8. *R. C.*

Lamiæ, Sagæ, & Stryges: *Hispanè*: *Brujas*, in Hispania publica ignominia, mitra infami imposita, *Hispanè*: *Coroza*, & aliis pœnis pro gravitate delicti, à Tribunali S. Inquisitionis afficiuntur: imo aliquando morte ignis plectuntur, secundum *Didac. Perez, Canter. & Aceved. in L. 5. tit. 1. lib. 8. R. C. n. 51.*

Lenones, *Hispanè*: *Alcahuetes*, debent à villa, vel loco in exilium expelli. Si verò sint Lenones propriæ uxoris morte puniuntur. Idem est, si accepto, vel promisso pretio aliqui sint Lenones fœminæ Religiosæ, aut virginis, vel viduæ honestæ. *L. 2. tit. 22. p. 7.* Sed hodie omninò Hispania est prohibitum sub pœna centum flagellorum meretricibus habere Lenones, qui *Hispanè*: *Rufianes* dicuntur. Et ipse Leno pro prima vice publicæ ignominiæ objicitur, & in triremes per decennium mittitur: pro secunda centum flagellis publicæ fustigatur, & in perpetuum mittitur ad triremes: pro tertia furca suspenditur. *L. 4. L. 5. L. 10. tit. 11. lib. 8. R. C.* Sed generali consuetudine est abrogata pœna mortis pro hoc delicto, & regulariter tales Lenones mitra infami, *Hispanè*: *Coroza*, publicè circumferuntur, fustigantur, & ad triremes mituntur. *Didacus Perez in L. fin. tit. 24. lib. 8. Ordin. Reg. V. Rufianes.*

Ludentes ad aleas, ut *aleatores* puniuntur. De ludis igitur in Jure Civili habetur *in L. 2. §. 1. ff. de Aleator. Senatus Consultum vetuit in pecuniam ludere: præter quàm si quis certet hasta, vel pilo jaciendo, vel currendo, saliendo luctando, pugnando, quod virtutis causa fiat, L. 3. ff. eod.* ibi: *Quod inconvivio vescendi causa punitur in eam rem familiæ ludere permititur.* Omnibus enim licèt, etiam Religiosis, aliquo ludo, vel joco moderato, uti ad animi requiem, & delectationem, dummodo in eo exercendo, vel in joco aliquod probi ingenii lumen eluceat, & conveniat personæ, tempori, & loco, nihilque turpe, obscenum, flagitiosum, vel petulans fiat, vel dicatur, nec totaliter animi gravitas resolvatur: imò his circunstantiis adhibitis virtus Eutrapeliæ exercetur. Dicitur quis Eutrapelus à bona conversatione; quia scilicèt, benè convertit aliqua dicta, vel facta in solatium. *Aristot. Ethic. L. 4. cap. 8. D. Thomas 2. 2. q. 168. art. 2. in corp.* Aliqui tamen sunt ludi, qui non exercentur sine infamia aliqua. Hanc equidem incurrunt jocolatores, histriones, buffones, & alii de quibus *in L. 2. §. fin. L. 3. L. 4. ff. de his, qui notantur infam. L. 4. tit. 6. p. 7.* ibi: *Otrosi, los que son juglares, è los remedadores, è los facedores de los zaharrones, que publicamente andan por el Pueblo, ò cantan, ò facen juegos por precio: esto es, porque se envilecen ante todos, por aquel precio que les dàn. Mas los que tañeren instrumentos por facer solàz à sì mesmos, ò por facer placer à sus amigos, ò dar solàz à los Reyes, no serian por ende enfamados, è aun decimos, que son enfamados los que lidian con bestias bravas, por dineros que les dàn. Esso mismo decimos, que lo son los que lidiassen uno con otro, por precio que les diessen. Pero quando un ome lidiasse con otro sin precio por salvar à sì mesmo, ò algun su amigo, ò con bestia brava por probar su fuerza, non seria enfamado por ende, ante ganaria prez de hombre valiente, è esforzado. Ibid. Greg. Lopez.*

Luxuriæ plures species sunt. Vid. *Adulterium, Coitus, Sodomia.*

352 Magi, qui incantamentis utuntur ad mira facienda. Hodie in nostra Hispania ab inquisitoribus puniuntur. Vid. *Sortilegi.*

Maledicus in Deum blasphemus est. Vid. *Blasphemia.* Si in homines, injuriam committit. Vid. *Injuria.*

Malefici sunt, qui pacto, & ope Dæmonis utuntur ad aliis nocendum. Duplex est maleficium, aliud dicitur amatorium, seu philtrum, quod ad amorem, vel odium excitandum adhibetur, Dæmone commovente hominis phantasiam, nihil tamen in voluntatem agente. Aliud dicitur veneficium, quo alicui personæ, vel ejus bonis damnum infertur. Vid. *Veneficium*, pro Indiis vid. *L. 35. tit. 1. lib. 6. R. Ind.*

Mathematicus, qui nobilissimæ Matheseos facultati operam dat laudabilis, & honorandus est: at verò in *Tit. C. de Malef. & Mathem.* non Mathematici, sed Malefici damnantur, & puniuntur, & quidem tales sunt vaticinatores, qui Mathematicorum liberali nomine adumbrantes suas ineptias profitentur, se fata cujusque nosse, & natales siderum observationes. *Gothofr. n. 9.* Sed hi omnes in nostra Hispania ad S. Inquisitionem spectant. Vid. *Sortilegi.* Indi tamen hæc perpetrantes in puncto ad fidem spectante; ab Ordinariis Ecclesiasticis, in aliis à Judice Sæculari puniuntur. *L. 35. tit. 1. L. 6. R. Ind.*

Matrimonium simul cum duabus contra-

trahentes Polygami dicuntur : in Hispania publicæ ignominiæ , & confusioni exponuntur , & ad triremes mittuntur per decennium. *L.* 8. *tit.* 20. *lib.* 8. *R. C.* Sed hodie procedit Inquisitio in casu contrahendi binas nuptias , vel etiam attentandi secundas, vivente prima uxore. *Dianna in Summ.* V. *Inquisitores, num.* 166.

Mendicantes validi , qui amore otii nolunt victum , cum possint , sibi proprio labore , & industria quærere , *Hispanè*: *Vagamundos*, pro prima vice, si majores 20. ann. sint publica ignominia plectuntur , & per quadriennium in triremes mittuntur : pro secunda centum flagellis puniuntur , & in perpetuum ad triremes mittuntur. *L. 6. tit.* 11. *lib.* 8. *R. C. Et in L.* 11. *tit.* 11. *lib.* 8. *R. C.* dicitur. *Y declaramos ser vagamundos , quanto à la dicha pena , los Egypcianos , y Caldereros Estrangeros , y los pobres mendigantes sanos.* At verò senibus , debilibus, & valetudinariis ubique permittitur habitare , & eleemosynam petere. *Aceved. in L.* 1. *tit.* 11. *lib.* 8. *R. C. in fin.* In Indiis si vagamundi, postquam moniti sint, adhuc in suo otio persistant, debent à Provincia expelli. *L.* 1. *tit.* 4. *lib.* 7. *R. Indiar.* Ægyptiani, *Hispané*: *Gitanos* , nullo modo debent permitti in Indiis. *L. fin. tit.* 4. *lib.* 7. *R. Ind.*

Monialem carnalitèr cognoscens , si Clericus sit , deponitur ab ordine sacro, & officiis , ac beneficiis omnibus privatur , & in Monasterium ad perpetuam pœnitentiam agendam detruditur. Laicus excommunicatur, & Monialis ad districtius Monasterium virginum ad pœnitentiam peragendam redigitur. *c.* 28. 27. *q.* 1. de Jure Civili vir sic delinquens morte punitur. *L.* 5. *C. de Episcop. & Cler.* Et de Jure Hispano , si violentia adsit : & insuper medietate bonorum, quæ fisco applicantur. *L.* 7. *tit.* 20. *lib.* 8. *R. C.* si deest violentia , mitius punitur. *L.* 2. *tit.* 19. *L.* 3. *tit.* 20. *p.* 7. *Et ibid. Greg. Lopez, & Aceved. L.* 7. *tit.* 2. *lib.* 8. *R. C. ex n.* 55.

Monetam falsam cudens , vel adulterans , vel ea autens punitur pœna falsi. Vid. *Falsum.*

Monopolium exercent , qui contra Legem Juliam de annona faciunt , quod annona carior reddatur : quatenùs Mercatores faciunt pactum de re non vendenda , nisi certo pretio , vel quatenùs omnes merces alicujus generis sibi emunt aliis auferendo libertatem emendi : quod *Hispanè* dicimus: *atravesar , ò estancar*: confiscatione omnium bonorum , & perpetuo exilio puniuntur. *L. un. C. de Monopol. L.* 2. *tit.* 7. *p.* 5. ibi: *Defendemos, que tales cofradias , è posturas, è cotos non sean puestos sin sabiduria , è otorgamiento del Rey ; è si los pusieren , que non valan. E todos quantos de aqui adelante los pusieren , pierdan todo quanto ovieren , è sea del Rey , è aun demàs de esto sean echados de la tierra para siempre. Acev. in L.* 1. *tit.* 14. *lib.* 5. *R. C. n.* 14.

353 Nomen suum in alterius detrimentum mutans falsi crimen committit. *L.* 2. *tit.* 7. *p.* 7. Si in fraudem alterius non sit , potest quis liberè nomen mutare. *L. un. C. de Mutat. nomin. at verò in casu, L.* 14. *tit.* 18. *lib.* 6. *R. C.* morte punitur mutatio nominis.

Notarius instrumentum falsum faciens committit falsi crimen. Vid. *Falsum.*

Occidens alium homicida est. Vid. *Homicidium.*

Occidens se ipsum tædio vitæ privatur Ecclesiastica sepultura: secus, si casu mortuus inveniatur. *c.* 12. 23. *q.* 5 *c.* 11. *de Sepultur.* Et in nostra Hispania omnia ejus bona fisco adquiruntur, si hæredes descendentes non habeat. *L.* 8. *tit.* 23. *lib.* 8. *R. C.* & in flumen cadaver projicitur secundum *Perez in L.* 2. *tit.* 13. *lib.* 8. *Ordinam. gloss.* 2. Si erat detentus in carcere pro delicto pœna mortis digno , & se occidat , tunc ejus cadaver suspenditur, non alias. *Aceved. in L.* 8. *tit.* 23. *lib.* 8. *R. C. n.* 3. & 4. & 20.

Occultans latrones , vel aliorum criminum reos eisdem pœnis, quibus ipsi rei , subjicitur. *L.* 1. *ff. de Receptator. L.* 1. *L.* 2. *C. de His, qui latrones ocult.*

354 Parricidium est occidere Patrem, vel Matrem , Avum , vel Aviam , Fratrem, Sororem , Patruelem, Matruelem, patruum , avunculum, amitam , consobrinum, consobrinam , uxorem, virum, generum , socrum, vitricum, privignum, privignam , patronum , vel patronam. *L.* 1. *ff. ad L. Pompej. de Parricid. Et in L.* 9. *ff. eod.* pœna parricidii more majorum , hæc instituta est, ut parricida virgis sanguineis verberatus , deindè culeo insuatur cum cane: gallo gallinaceo , & vipera , & simia. Deindè in mare profundum culeus jactetur : hoc ita , si mare proximum , sit alioquin bestiis objicitur. §. 6. *Instit. de public. judic.* Hæc eadem pœna in nostra Hispania servatur.

L. 12. *tit.* 8. *p.* 7. sed reus prius strangulatur, & ejus cadaver in culeo immissum projicitur in mare, vel flumen vicinum. Sed statim sepeliendum extrahitur.

Partum supponens falsum committit. Vid. *Falsum.*

Peculatus crimen sepecies est furti, quod committitur ab eo, qui publicam, vel sacram pecuniam furatur, & pœna mortis saltem in nostra Hispania punitur. *L.* 18. *tit.* 14. *p.* 7. ibi: *Por razon de furto non deben matar: fueras ende, si fuesse ladron conocido, que manifiestamente tuviesse caminos, ò que robasse otros en la mar con navios armados, à quien dicen Cursarios, ò si fuessen ladrones, que huviessen entrado por fuerza en las casas, ò en los lugares de otros para robar, con armas, ò sin armas, ò ladron que furtasse de la Eglesia, ò de otro lugar religioso alguna cosa santa, ò sagrada, ò Oficial del Rey, que tuviesse de èl algun thesoro en guarda, ò que oviesse de cabdar sus pechos, ò sus derechos, è le furtare, ò le encubriere de ello à sabiendas: ò el judgador, que furtasse los maravedis del Rey, ò de algun Concejo, mientra estuviere en el Officio. Qualquiera de estos sobredichos, à quien fuere probado, que fizo furto en alguna de estas maneras, debe morir por ende èl, è quantos dieren ayuda, è consejo à tales ladrones para facer el furto, ò los encubrieren en sus casas, ò en otros lugares, deben haber aquella misma pena. Ibid. Greg. Lop.*

Perjurium promissorium in nostra Hispania omnium bonorum confiscatione punitur. *L.* 1. *tit.* 17. *lib.* 8. *R. C.* & infamia. *c.* 17. 6. *q.* 1. & perjurus à testimonio repellitur. *c.* 54. *de Testib.* Perjurium assertorium variè punitur: nam testi falsum dicenti olim quinta pars dentium extrahebatur: hodie regularitèr ad triremes damnatur. *L.* 7. *tit.* 17. *lib.* 8. *R. C.* Aliquando pœnam talionis patitur. *L.* 83. *Taur. L.* 4. *tit.* 17. *lib.* 8. *R. C.*

Pœnitentia ab Inquisitione puniti debent ab Indiis omninò expelli. *L.* 19. *tit.* 19. *lib.* 1. *R. Ind.*

Pyratæ morte puniuntur. *L.* 18. *tit.* 14. *p.* 7.

Plagiarii, qui hominem liberum, libertum, vel servum alienum dolo malo vendiderint, aut aliter alienaverint *Lege Fabia, de plagiariis*, si nobiles fuerint in metallum damnantur, si ignobiles ultimo supplicio subjiciuntur. Et eadem pœna tenentur, qui hominem liberum scientèr emunt. *L.* 1. *& per tot. ff. ad Leg. Fabiam, de plag. L.* 22. *tit.* 14. *p.* 7.

Prævaricatores eos appellamus (ait L. 212. *ff. de V. S.) qui causam adversariis suis donant, & ex parte actoris in partem rei concedunt*: à varicando enim prævaricatores dicti sunt. Prævaricatores etiam dicuntur Advocati, & Procuratores, qui detegunt secreta sui clientuli, & adversario revelant, & pœna extraordinaria puniuntur. *L.* 1. §. 1. *ff. de Prævarication.* de jure Hispano, pœna mortis, ut alevosi puniuntur. *L. fin. tit.* 6. *p.* 3. Sed hæc Lex, quia nimis rigida non est in usu, sed est temperanda ex *L.* 9. *tit.* 6. *p.* 3. Ubi infamia, & pœna arbitraria plectuntur, & officio tales Advocati privantur; ut notant *Greg. Lopez, & Doct. Antonius Pichardo.*

Proditores. *Hispanè*: *Traydores. Lege Julia* Majestatis puniuntur Vid. *Læsæ Majestatis crimen.*

355 Redens scripturam, aut monetam falsi crimen committit. Vid. *Falsum.*

Rapina species furti est quando scilicèt, quis vi aliquid rapit: & tenetur actione criminali furti, & prætereà actione vi bonorum raptorum: quæ intra annum quadrupli, post annum simpli est. Sed in quadruplo inest, & rei persecutio. *Pr. Inst. de Vi bonor. raptor. L.* 3. *tit.* 13. *p.* 7. *L.* 1. *& seqq. tit.* 12. *lib.* 8. *R. C.* Si rapina fiat in campo, punitur prout in *L.* 3. *tit.* 13. *lib.* 8. *R. C.*

Raptus, quo virgo, vel vidua honesta rapitur, dirimit matrimonium contractum tempore raptus. *Trident. sess.* 24. *Reform. Matrim. cap.* 6. De Jure Civili, & Hispano punitur pœna mortis, & privatione bonorum. *L.* 3. *tit.* 20. *p.* 7. *L. un. C. de Rapt. Virg.* quæ raptæ, si cum ea non contrahatur matrimonium; vel ejus parentibus, si fuerunt inviti, vel Regi, si ipsi consenserunt, applicantur; sed dos uxoris delinquentis, & debita ante sententiam per raptorem contracta debent uxori, & creditoribus dari. *L.* 3. *tit.* 20. *p.* 7. Quod si in eremo committatur hoc delictum, vel illuc raptor cum rapta confugiat morte saggitæ plectitur. Siquidem est crimen, quod dicimus *de la Hermandad. L.* 2. *tit.* 18. *lib.* 8. *R. C.* Etiam morte punitur in Hispania raptus conjugatæ. Et idem est, si religiosa rapiatur. Et tunc bona rapientis Monasterio applicantur. *c.* 30. 27. *q.* 1. *L.* 3. *tit.* 20. *p.* 7. Ubi idem disponitur de rapiente suam sponsam, & de auxilium scientèr ad prædicta præstante. Rapiens aliam fœminam, præter dictas pœnas, arbitrariè punitur. *L.* 3. *tit.* 20. *p.* 7. Ubi notat

rat *Gregor. Lop.* V. *O yaciendo*, quod solus raptus sine copula, vel sola copula violenta sine raptu sufficit ad imponendas prædictas pœnas, ibi: *Robando algun ome alguna muger viuda de buena fama, ò virgen, ò casada, ò Religiosa, ò yaciendo con alguna de ellas por fuerza, si le fuere probado en juicio, debe morir por ende.*

Receptatores regulariter eadem pœna, ac principales, aliquando levius puniuntur. *L.* 1. *ff. de Receptator.* ibi: *Pessimum genus est receptatorum, sine quibus nemo latere diù potest.* Et præcipitur, ut perindè puniantur, atque latrones: in pari causa habendi sunt, quia cum apprehendere latrones possent, pecunia accepta, vel subreptorum parte dimisserunt. *L.* 18. *tit.* 14. *L.* 14. *tit.* 29. *p.* 7. *L.* 4. *tit.* 18. *lib.* 8. *R. C.*

356 Sacrilegium, quod est rei sacræ violatio, circa personas, res, vel loca sacra, ut variis modis committitur, variis itidem pœnis pro varietate casuum, & personarum plectitur, scilicèt excommunicatione, depositione, mulcta, pœna corporali, & aliquando capitali. *Ex L.* 4. *tit.* 18. *p.* 1. sed ferè in omnibus arbitrio Judicis statur. *L. fin. tit.* 18. *p.* 1. *& Gregor. Lop. in dict. tit.* Ubi jura concordantia affert.

Sacculari (*ait L.* 7. *ff. de Extraordin. crim.*) *Qui vetitas in sacculo artes exercentes partem subducunt, partem subtrahunt*, item, *qui directarii* appellantur, hoc est, qui in aliena cœnacula se dirigunt furandi animo plusquam fures puniendi sunt, ac proindè, aut ad tempus in opus dantur publicum, aut fustibus castigantur, aut ad tempus relegantur. Et ut notat *ibid. Gothofred.* Sacculatii igitur sunt, qui Magicis artibus pecuniam subducunt, & Synexius meminit cujusdam, qui miro artificio sacculum, in quo erant ærei nummi, pro aureis supponebat. *L.* 8. *tit.* 16. *p.* 7. *Et ibid. Greg. Lop.* Tale delictum committit Mercator, qui in facie sacci meliorem mercem ostendit, quasi totus saccus tali sit plenus, cum sit pejoris conditionis merces, quæ latet. Item ille, qui vinum, oleum, & alia hujusmodi tanquam pura vendit, cum sint aliis deterioribus mixta, vel qui vendit annullum deauratum pro puro aureo, vel crystallum, vel vitrium pro lapide pretioso. *Hispanè* dicuntur teste *Nebrissensi. Ladrones à sacomano.*

Sagæ, Lamiæ, Stryges, *Hispaniè*: *Brujas.* Vid. *Lamiæ.*

Sepulcrorum violatores, infamiam incurrunt. *L.* 1. *ff. de Sepulchro violato*, & arbitrariè puniuntur. Et quidem aliquando pœna mortis. *L.* 8. *L.* 9. *L. fin. ff. de Sepulcro viol.* ibi: *Rei sepulchrorum violatorum, si corpora ipsa extraxerint, vel ossa eruerint, humilioris quidem fortunæ summo supplicio afficiuntur, honestiores in Insulam deportantur: alias autem relegantur aut in metalum damnantur.* Vide idem habes *in L.* 12. *tit.* 9. *p.* 7. *& ibid. Greg. Lop.*

Simonia variè pro casuum, & personarum varietate committitur, ac proindè variè punitur, vel excommunicatione, vel suspensione, & aliis pœnis, de quibus *c.* 3. *c.* 4. *& fere per tot.* 1. *q.* 1. *c.* 2. *c.* 6. *c.* 11. *de Sim. L.* 11. *& seqq. tit.* 17. *p.* 1.

Sodomia, horrendum, & nefandum crimen: sic punitur. *L.* 31. *C. ad Leg. Juliam, de Adult.* ibi: *Cum vir nubit in fœminam viris prorrecturam quid cupiatur, ubi sexus perdidit locum? Ubi scelus est, id quod non proficit scire? Ubi venus mutatur in alteram formam? Ubi amor quæritur, nec videtur jubemus insurgere Leges, armari jura gladio ultore, vel exquisitis pœnis subdantur, infames, qui sunt, vel qui furti sunt rei. L.* 2. *tit.* 21. *p.* 7. Nunc in Hispania comburuntur. *L.* 1. *&* 2. *tit.* 21. *lib.* 8. *R. C. ex Constit. S. Pii V.* Clerici debent tradi brachio Sæculari puniendi, sed non ubique, hæc constitutio usu recepta est. Eisdem pœnis plectuntur fœminæ hoc delictum perpetrantes. Hujus criminis rei juxta *Salcedo in Addit. ad Pract. Crimin. Canon. Diaz, Hevia in Curia Philip. p.* 3. §. 12. *n.* 29. non gaudent immunitate Ecclesiastica, sed communis est, eos gaudere. *Farin. de Immunitate in Append. n.* 98.

Sortilegi variè puniuntur, ut diximus *in tit. de Sortileg. L. fin. tit.* 23. *p.* 7. ubi tales pœna mortis puniuntur. Et confirmatur *in L.* 6. *tit.* 3. *lib.* 8. *R. C.* ibi: *Ninguna persona, de qualquier estado, ò condicion que sea, no sean ossados de usar de estas maneras de adivinanzas; conviene à saber, de agueros de aves, ni de estornudos, ni de palabras, que llaman proverbios, ni de suertes, ni de hechizos, ni de catar en agua, ni en cristal, ni en espada, ni en espejo, ni en otra cosa lucia, ni hacer hechizos de metal, ni de otra cosa de qualquier adivinanza de cabeza de hombre muerto, ni de bestia, ni de palmada de niño, ni de muger virgen, ni de encantamientos, ni de cercos, ni de ligamento de casados, ni cortar la rosa del monte, porque sane la dolencia, que llaman rosa, ni de otras cosas semejantes à estas,*

por

por haber salud, ò por haber las cosas temporales que codician, so pena, que seyendole probado por testigos, ò por confession de los mismos, que los maten por ello; y los que los encubrieren en sus casas à sabiendas, que sean echados de la tierra por siempre. Sed hodie in nostra Hispania omnia hæc delicta ad S. Inquisitionem spectant, & regularitèr pœna arbitraria puniuntur, & idem est quando procedunt Judex Ecclesiasticus, vel Laicus in casibus, in quibus possunt procedere: ac proindè imponetur pœna ignominiæ cum mitra infami, vel fustigationis, vel relegationis, vel triremium, vel detrusionis in Monasterium, vel mulctæ pecuniariæ, prout circunstantiæ dictent, nisi mors ex talibus maleficiis, vel artibus sit secuta: nam tunc morte mors est vindicanda. *Aceved. in L. 5. tit. 1. lib. 8. R. C.*

Stellionatus dicitur quodcumque crímen commissum cum dolo, præcipuè si alio nomine specifico caret. *L. 3. §. 1. ff. de Crim. Stellionat.* ibi: *Stellionatum objici posse his qui dolo, quid fecerunt, sciendum est: scilicèt, si aliud crimen non sit, quod objiciatur: quod enim in privatis judiciis est de dolo actio, hoc in criminalibus stellionatus persecutio. Ubicumque igitur titulus criminis deficit, illic stellionatus objiciemus, maximè autem in his locum habet: si quis fortè rem alii obligatam dissimulata obligatione per calliditatem alii distraxerit, vel permutaverit, vel insolutum dederit: nam hæ omnes species stellionatum continent. Sed, & si quis merces supposuerit, vel obligatas averterit, vel si corruperit, æquè stellionatus reus erit. §. 2. Pœna autem stellionatus nulla legitima est, cum nec legitimum sit, solent autem ex hoc extra ordinem plecti, dummodo non debeat opus metalli hæc pœna in plebejis ingredi, in his autem, qui sunt in aliquo honore possiti ad tempus relegatio, vel ab ordine motio remittenda est. L. 12. & seqq. tit. 16. p. 7.* Ubi afferunt varii modi, quibus hoc crimen committitur.

Stuprum est species luxuriæ in virginis illicita defloratione consistens, & Lege Julia de adulteriis coercetur. *L. 6. §. 1. ff. ad Leg. Jul. de Adult. L. 2. tit. 19. p. 7.* Ubi dicitur, quod virginem corrumpens dolosè, vel qui coit cum honesta vidua, vel Religiosa; si est honorabilis perdit medietatem bonorum Regis Cameræ applicandam, si fuerit vilis, publicè flagellatur, & in Insulam condemnatur per quinquennium, & notat *Greg. Lop. ibid.* V. *Debe perder, in fin.* quod extra dictam pœnam videtur condemnandus virginis stuprator, & seductor, ut det dotem congruam mulieri stupratæ, quantum plus ipse dare debeat, seu datum sit alteri viro ratione defloratiónis. De Jure Canonico stuprator tenetur disjunctivè, aut ducere puellam in uxorem, aut eam dotare. *c. 1. c. 2. de Adulter.* & jam generali consuetudine hæc pœna imponitur in nostra Hispania à Judicibus Sæcularibus, & condemnatur stuprator pœnis corporalibus si non contrahat matrimonium: nam si illud celebret liberatur ab omnibus pœnis in sententia comprehensis *Gonz. in L. 80. Taur. n. 5. Clar. Vela, Gom. in c. 1. de Adult. n. 6.*

357 Testis falsus falsi crimen committens variè punitur. Vid. *Falsum*, & *Perjurium.*

Terminorum motores Lege Agraria pro singulis terminis motis quinquaginta aureos in publico dare tenebantur. *L. fin. ff. de Termin. mot. Et in L. 2. ff. eod.* dicitur: quod si splendidiores personæ occupandorum alienorum finium causa, id fecerunt, possunt in tempus, ut cujusque patiatur ætas relegari, id est, si juvenior in longius, si senior recisius. Si verò alii negotium gesserunt castigari, & ad opus biennio dari: quod si per ignorantiam, aut fortuito lapides furati sunt, sufficit eos verberibus dicere. In nostra Hispania mutuans sine Judicis authoritate limites dividentes prædia vicina, ultra pœnam quinquaginta solidorum, pro quolibet limite moto perdit jus si quod habebat in ea parte, quam sibi ex mutatione adquirere intendebat: quod si nullum habebat jus, in duplum restituendum damnatur. *L. fin. tit. 14. p. 7. & ibid. Gregor. Lop.* V. *Cinquenta maravedis.*

358 Vagabundi pro cujusque Regionis, consuetudine puniendi sunt. *Vid. Mendicantes* in Indiis, si vagabundi moniti in suo otio persistant, debent à Provincia expelli. *L. 1. tit. 4. lib. 7. R. Ind.* Ægyptiani *Hispanè*: *Gitanos*, omninò debent ab Indiis expelli. *L. fin. tit 4. lib. 7. R. Ind.*

Venatio aliquibus temporibus, locis, & certis instrumentis prohibetur, licèt alias cuilibet permittatur: pœna transgressorum est regularitèr pecuniaria, vel brevis exilii, ut in nostra Hispania. *L. 1. & per tot. tit. 8. lib. 7. R. C.* Clericis venatio clamorosa prohibetur: ut diximus *in titulo de Clerico Venator.*

Venefici. *Hispanè*: *Hechiceros*, nomine

ne maleficiorum continentur *in c.* 1. *L. de Malefic. & Matehem.* Solent veneno, malis medicamentis, susurris, & incantationibus magicis homines occidere: & tunc pœna mortis plectuntur: nam plus est hominem extinguere veneno, quam occidere gladio. *L.* 1. *C. de Malef. L.* 2. *L.* 9. *tit.* 23. *p.* 7. *L.* 5. *& seqq. tit.* 3. *lib.* 8. *R. C. Aceved. in L.* 5. *tit.* 1. *lib.* 8. *R. C.* in nostra Hispania ab Inquisitoribus puniuntur. Indi venefici punintur à Judicibus Sæcularibus. *L.* 35. *tit.* 1. *lib.* 6. *R. Ind.*

Verberans aliquem injustè irrogat ei gravem injuriam, & arbitrariè punitur. Vid. *Injuria* Vim armis inferens, ut aliquem dejiciat à sua possessione Lege Julia de vi publica deportatione punitur. *L.* 10. §. *fin. ff. ad Leg. Jul. de Vi public.* quod si vis sine armis fiat moderatur pœna. *L.* 8. *tit.* 10. *p.* 7. Et hodie arbitraria est hujus delicti pœna. *Greg. Lop. in L.* 8. *tit.* 10. *p.* 7. V. *Desterrado.*

Usurarii manifesti, & notorii infamiam incurrunt, *L.* 4. *tit.* 6. *p.* 7. *L. fin. tit.* 6. *lib.* 8. *R. C.* ibi: *Que el tal usurario, ò logrero, quede, y finque inabil, è infame perpetuamente.* A Sacræ Eucharistiæ Comunione arcentur, & Ecclesiastica sepultura privantur. *c. de* 1. *Usur.* & qui illos humanè præsumunt excommunicantur, *c.* 2. *de Usur. in* 6. Quod si Clerici sint, ab officio, & beneficio suspendendi sunt. *c.* 7. *de Usur.* Usurariorum testamenta nulla sunt, nisi satisfaciant, & restituant usuras, vel de satisfaciendo cautionem præstent. *c.* 2. *de Usur. in* 6. Officiales facientes, vel scribentes statuta super usuris solvendis, vel non repetendis, vel non restituendis excommunicantur. *Cl. un. de Usur.* in nostra Hispania usurarii ammittunt, quod in mutuum sub usuris dederunt, & mutuario adquiritur, & pro prima vice in tantundem condemnantur, & pro secunda amittunt medietatem bonorum, & pro tertia omnia bona amitunt. *L.* 4. *L.* 5. *tit.* 6. *lib.* 8. *R. C.* Sed jam satis de delictis, nec in ipsis immorari licet, sed celeriter ad salutarem pœnitentiam transire oportet. *Nec mihi si linguæ centum sint, oraque centum, ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas, omnia pœnarum percurrere nomina possim.*

TIT. XXXVIII.

De Pœnitentiis, & remissionibus.

359 PER medium *penitentiæ* peccatorum *remissio* obtinetur. Sic *D. Leo. in c.* 49. *de Pœnit. D.* 1. *Multiplex misericordia Dei, ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ, ut qui regenerationis donum violassent, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent.* Hoc etiam inter suæ cœcitatis umbras de suis Diis loquentes innuunt Gentiles. Sic alter Poeta. *Sæpe levant pœnas, ereptaque lumina reddunt, cum benè peccati pœnituisse vident. Pœnitentia est & mala præterita plangere, & plagenda iterum non committere;* ait *D. Ambr. in c.* 1. *de Pœnit. D.* 3. *& juxta D. August. in c.* 4. *de Pœnit. D.* 3. *est, quædam dolentis vindicta puniens in se, quod dolet commisisse. L.* 18. *tit.* 4. *p.* 1. ibi: *Penitencia es arrepentirse ome, ò dolerse de sus pecados, de manera, que non haya mas voluntad de tornar à ellos. D. Thom. in* 3. *part. q.* 85. *art.* 1. *ad* 3. ibi: *Dolor pœnitentis est displicentia, seu reprobatio facti præteriti cum intentione removendi sequelam ipsius, scilicèt ofensam Dei, & reatum pœnæ.* Et quidem 1. accipitur pro virtute pœnitentiæ, quatenùs est habitus inclinans ad internam detestationem peccati, quatenùs est offensa Dei cum animo satisfaciendi Deo. *D. Thom. in* 3. *p. q.* 85. *art.* 3. ibi: *Pœnitentia non habet, quod sit virtus specialis ex hoc solo, quod dolet de malo perpetrato, (ad hoc enim sufficeret charitas) sed ex eo, quod pœnitens dolent de peccato commisso in quantum est offensa Dei cum emendationis proposito. Emendatio autem offensæ contra aliquem comissæ non fit per solam cesationem offensæ sed exigitur ulterius, quedam recompensatio, quæ habet locum in offensis in alterum commissis, sicut, & retributio nisi, quod recompensatio est ex parte ejus, qui ofendit (utpotè cum satisfacit) retributio autem est ex parte ejus, in quem est offensa commissa, quia utrumque est commutatio quædam. Undè manifestum, quod pœnitentia, secundùm quod est virtus, est pars justitiæ.* 2. Sumitur pro Sacramento pœnitentiæ dum tamen

men huic internæ detestationi accedat peccatorum confessio, & Sacerdotis absolutio. Et à Sacris Canonibus, & Patribus appellatur, *secundus baptismus*: *secunda tabula post naufragium*: *Sacramentum reconciliationis*, *vel absolutionis*: *Accusatio*: & Grece exomologesis: communiter tamen dicitur *Confessio*, & frequentisimè *Pœnitentia*: quia in suis partibus pœnam continet; nam contritio dolorem, confessio ruborem, satisfactio molestiam habet *c.* 72. *de Pœnit. D.* 1. *Trid. sess.* 6. *de Justif. cap.* 14. *Et sess.* 14. *de Sacr. Pœnitent. cap.* 2. 3. Accipitur pro satisfactione, si tali detestationi jungatur opus laboriosum, & penale, vel à Sacerdote injunctum, vel sponte susceptum. *Trid. sess.* 14. *de Sacram. Pœnit. cap.* 8. Pœnitentia est adeò efficax, ut nullum sit peccatum, quambis gravissimum, quod pœnitentia non expietur, nisi sit peccatum Dœmonum, vel damnatorum, quorum affectus sunt confirmati in malo, ità, ut non possit eis displicere peccatum, in quantum est culpa, sed solùm displicet eis pœna, quam patiuntur, ratione cujus aliqualem pœnitentiam, sed infructuosam, habent, juxta illum *Sapient.* 5. *Pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes.* Undè talis pœnitentia non est cum spe veniæ, sed cum desperatione. Tale autem non potest esse peccatum hominis viatoris, cujus liberum arbitrum flexibile est ad bonum, & ad malum. Undè dicere quod aliquod peccatum sit in hac vita, de quo quis pœnitere non possit, erroneum est, & per hoc tolleretur arbitrii libertas. Quando verò Christus. D. *apud Matth.* 12. *v.* 32. ait: *Qui dixerit verbum contra Spiritum S. non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*: intelligitur de impenitentia finali: vel si intelligatur de peccato, quod fit ex certa malitia, vel de blasphemia contra Spiritum S. dicitur, non remitti, scilicèt defacili: vel quia tale peccatum non habet in se causam excusationis, vel quia punitur in hoc sæculo, & in futuro. *D. Thom. in.* 3. *p. q.* 86. *art.* 1.

360 Fide certum est contra Montanistas, Novatianos, Lutherum, & Calvinum, pœnitentiam esse unum ex septem Sacramentis novæ Legis. *Conc. Florent. sess. ult. in Decret. union. Trid. sess.* 14. *de Pœnit. Sacram. Canon.* 1. & 2. Pœnitentia, prout est virtus adeò necessaria est ad remissionem peccatorum, ut sine ea imposibile sit, peccatum actuale remitti: siquidem offensa peccati mortalis procedit ex hoc, quod voluntas hominis est aversa à Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile: Undè requiritur ad remisionem Divinæ offensæ, quod voluntas hominis, sic immutetur, ut convertatur ad Deum cum detestatione conversionis prædictæ, & proposito emendæ quod ad pœnitentiam pertinet. Profectò sine Sacramento pœnitentiæ potest Deus peccatum remittere sicut remisit Christus mulieri adulteræ. *Joan.* 8. Et pecatrici. *Luc.* 7. *D. Thom. in* 3. *p. q.* 86. *art.* 2. & quidem Christus Dom. qui apud *Matth.* 16. *v.* 19. Petro claves Cœlorum promiserat, ibi: *Et dabo tibi claves Regni Cœlorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum, & in Cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum, & in Cœlis. Ipse enim D. N. Jesus Christus Sacramentum Pœnitentiæ, tunc præcipuè instituit, cum à mortuis excitatus insuflavit in Discipulos suos dicens: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt. Trid. sess.* 14. *de Sacr. Pœnit. cap.* 1. *Joan.* 20. *v.* 23. In veteri enim Lege, etiam præcesit pœnitentia imperfectioni illius Legis proportionata. *D. Thom. in* 3. *p. q.* 84. *art.* 7. *ad* 2. ibi: *Undè pœnitentiam veteri Lege aliquam determinationem habuit, quantum quidem ad dolorem, ut est magis in corde, quam in exterioribus signis secundum illud Joel.* 2. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra: quantum autem ad remedium doloris quærendum, ut aliquomodo Ministris Dei peccata sua confiterentur, ad minus in generali. Undè Dominus Lev.* 5. *dicit: Anima si peccaverit per ignorantiam offeret arietem immaculatum de gregibus Sacerdoti juxta mensuram, æstimationemque peccati, qui orabit pro eo, quia nesciens fecerit, & dimittitur ei. In hoc enim ipso quod oblationem faciebat aliquis pro peccato suo quodammodo suum peccatum Sacerdoti confitebatur. Et secundum hoc dicitur. Prov.* 28. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur, nondum autem erat instituta potestas clavium, quæ à passione Christi derivatur, & per consequens nondum erat institutum, quod aliquis doleret de peccato cum proposito subjiciendi se per confessionem, & satisfactionem clavibus Ecclesiæ sub spe consequendæ veniæ virtute passionis Christi.*

361 Materia hujus Sacramenti est du-

duplex: alia remota, alia proxima, sicut duplex est materia statuta *materia remota, & necessaria*, seu circa quam, sunt omnia peccata mortalia commissa post baptismum, & nondum confessa, non quidem acceptanda, sed detestanda, & destruenda. *D. Thom. in* 3. *p. q.* 84. *art.* 2. nec sufficit, si sint remissa quomodocumque; qui enim carens confessario actum contritionis perfectæ, seu charitate formatæ elicit: per talem actum, etiam antecedentes ad Sacramenti receptionem, recuperat gratiam per peccatum amissam. *Trid. sess. 6. de Justif. c.* 14. *Et sess.* 14. *de Pœnit. c.* 4. Et talis contritio dicitur pœnitentia in voto. *Materia sufficiens*, quamvis non necessaria sunt omnia peccata venialia commisa post baptismum, & etiam mortalia, quæ jam rite confessa sunt: Sic possunt omitti venialia, vel omnia, vel aliqua: & etiam mortalia, jam rite confessa: attamen debet in confessione apponi materia certa, quod si hæc non possit haberi, pro ratione dubii danda est absolutio, vel sub dubio, si materia prorsus dubia sit. *De peccato originali* (ait *D. Thom. in* 3. *p. q.* 84. *art.* 2. *ad* 3.) *penitentia nec principaliter est* (*quia contra ipsum non ordinatur hoc Sacramentum, sed magis baptismum*), *nec etiam propriè, quia peccatum originale non est nostra voluntate per actum, nisi fortè in quantum voluntas Adæ reputatur nostra, secundum modum loquendi, quod* Apost. *dicit Rom.* 5. *in quo omnes peccaverunt. In quantum tamen largè accipitur penitentia pro quacumque detestatione rei præteritæ, potest dici pœnitentia de peccato originali, sicut loquitur Agust. in lib. de Pœnitentia Materia proxima, seu ex qua*: sunt ipsius pœnitentis actus scilicèt contritio, confessio, & satisfactio. *Trid. sess.* 14. *de Pœnit. c.* 3. *c.* 8. *de Pœnit. D.* 3. in corde ejus contritio in ore ejus confessio, in opere tota humilitas, (id est satisfactio) hæc est perfecta, & fructifera pœnitentia. *D. Thom. in* 3. *p. q.* 84. *art.* Contritio, & confessio sunt partes essentiales, ut tenet communis contra Scotum, qui totam essentiam ponit in absolutione: satisfactio est tantum pars integralis, ut patet in moribundo destituto ratione, qui absque satisfactione absolvitur. *Contritio est animi dolor ac detestatio de peccato commisso eum proposito non peccandi de cætero. Trid. sess.* 14. *de Pœnit. c.* 4. Et est duplex; alia perfecta, *quæ scilicèt elicitur ex motivo charitatis propter Deum summè dilectum: & hæc nomen contritionis retinet.* Alia est imperfecta, *quæ est dolor, detestatio peccati super omnia, non propter Deum summè dilectum, sed ob inferni, ad pœnarum metum, vel ob turpitudinem peccati.* Et hæc dicitur attritio. Ad Sacramentum pœnitentiæ non est necessaria contritio perfecta, nec in re, nec existimata; sed sufficit, & requiritur saltem attritio formalis, supernaturalis, efficax, & universalis respectu mortalium concepta in ordine ad confessionem, vel saltem absolutionem. Hic dolor debet esse appretiativè summus, ita ut nihil magis quis detestetur, quam peccatum, & malit omnia mala Mundi pati, quam peccare: non tamen requiritur dolor sensibilis sed sufficit intellectivus, debetque antecedere absolutionem, & tutius erit, illam ante confessionem ipsam apponere. Non tamen requiritur ulla intensio, vel etiam duratio temporis, debetque necessario haberi, etiam siquis tantum venialia jam confessa confiteatur, non tamen est necesse, quod attritio extendatur ad omnia venialia, quorum pœnitens est conscius, sed sufficit de uno veniali dolere formalitèr & si plurium sit conscius pœnitens, de quibus, nec dolorem habeat, nec propositum emendandi, sivè illa confiteatur, sive non.

362 Confessio debet ordinariè esse vocalis, ut habet inconcussa praxis Ecclesiæ. *L.* 23. *tit.* 4. *p.* 1. ibi: *E debelo decir por su boca*: nisi impotentia physica, vel moralis adsit: nam tunc confessio nutu, scripto, vel alio signo fieri potest. *L.* 20. *tit.* 4. *p.* 1. Non est reprobandum scribere peccata, & ea confessori legere, non tamen est necessarium peccata scribere, ne memoria excidant. In materia substantiali, & necessaria debet confessio esse vera; alias esset irrita, quia in re gravi decipetur Judex: Et hic nulla erit absolutio, si pœnitens, neget, vel tegat, intelligatur peccatum grave, quod confiteri tenetur: vel si falso mortale, quod non fecit confiteatur. Si verò in confessione mentiatur levitèr circa res non pertinentes, aut non necessarias ad confessionem: vel si neget veniale, vel etiam mortale, quod non tenetur confiteri, non erit peccatum grave, nec Sacramentum irritatur. Præterea. Confessio debet ordinariè esse integra materialitèr, ut depingitur à *Trid. sess.* 14. *de Pœnit. cap.* 5. *Ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discusionem, conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, & tantum adversus duo ultima Decalogi precepta commissa. Peccata venialia taceri citra culpam: multisque aliis remediis expiari possunt. Qui scientèr aliqua morta-*

lia retinent, nihil Divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat ægrotus vulnus Medico detegere, quod ignorat medicina, non curat. Colligitur propterea, etiam eas circunstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant; sed & impium est confessionem, quæ hac ratione fieri præcipitur impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare: constat enim nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quam, ut postquam quisque diligentius se excuserit, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & Deum suum mortalitèr offendisse meminerit. Reliqua autem peccata, quæ diligentèr cogitandi, non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur: pro quibus fidelitèr cum Propheta dicimus: ab occultis meis munda me Domine. Quoad modum confitendi secreto apud solum Sacerdotem, & si Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, tum ad aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem delicta sua publicè confiteri possit, non est tamen hoc Divino præcepto mandatum, nec satis consultè, humana aliqua Lege præciperetur, ut delicta præsertim secreta publica essent confessione aperienda. Circunstantias valdè agravantes intra eamdem speciem, esse confitendas, tenent *Suarez, Soto, Sanch. & alii contra S. Thom. S. Bonavent. S. Anton. & alios.* Sed omnes satis probabilitèr. *Vid. Lacr. lib. 6. p. 2. ex n. 975.* Si de numero certo peccatorum constat, debet pœnitens illum numerum confiteri. Si verò non constat, sufficit, si dicat probabilem, addendo: *plùs minusvè*; quæ verba non habent sensum absolutum, sed respectivum ad numerum, cui apponuntur, ac proindè plura, vel pauciora peccata includunt, æstimanda boni viri arbitrio; quod si deindè pœnitens cognoscat, se errasse, non tenetur repetere, nisi notabiliter numerus sit major, ita ut illis verbis non censeatur inclusus. Quod si nec probabilitèr possit numerus assignari, sat erit, dicere consuetudinem peccandi, tempus, & frequentiam, in die, hebdomada, mense, vel anno. Aliquando sufficit ad hoc Sacramentum, quod confessio sit formaliter, licèt non sit materialitèr, integra; hoc est, quod sit integra, quantum moralitèr hic, & nunc possit esse, ita tamen, ut posteà debeat pœnitens, si potest supplere defectum, non statim, sed quando obligetur, aut velit confiteri. Sic moribundus uno peccato dicto, potest absolvi; imò etsi tantum signa dederit.

363 Gravis est quæstio, an detur obligatio confitendi peccata dubia? Et quidem si positivè dubites de peccato comisso ita ut licèt omne judicium directum suspendatur, attamen pro utraque parte gravia sint motiva, se non elidentia, ita ut pro utraque parte prudens judicium formari possit, vel saltem refiexe judicari, quod pro utraque parte grave fundamentum militat, non tenereis illud confiteri: quia cum prudentèr possis judicare, te non peccasse, potest dubium deponere, præcipuè cum tua libertas sit in quasi possessione contra præceptum confitendi. Idem est, si scias, te peccasse, sed positivè dubites, an mortalitèr, vel venialitèr propter eamdem rationem, similitèr, si scias, te peccasse mortalitèr, sed positivè dubites, an sis confessus, non teneris confiteri, etiam si pro eo, quod peccasses mortalitèr, vel quòd non sis confessus, starent rationes probabiliores: nam adhuc ageres prudentèr, sequendo opinionem minus probabilem: *Suarez, Sylv. Sanch. Henriq. Bonacin. Laym. Lug. Castrop. Escob. Medin. & alii apud Lacroix L. 6. p. 2. ex n. 600.* Si negativè dubites, an peccaris mortalitèr, ita ut pro utraque parte sint aliqua motiva, non omninò levia, (hæc enim non sunt digna prudenti dubio) & omne judicium prudens directum debeat suspendi, quia fundamenta non sufficiunt ad prudens judicium pro alterutra parte, teneris confiteri; quia juxta *Trid. sess. 14. de Pœnit. cap. 5.* debemus confiteri *peccata, quorum conscientiam habemus*, ac proindè peccata dubia, ut dubia confiteri debemus. Quod, præterquamquod constat ex praxi timoratorum, qui in negotio salutis tutiorem eligunt viam, tenent hanc sententiam, *Cathec. Rom. de Pœnit. cap. 9. D. Thom. in 4. D. 21. q. 2. art. 3. Suar. in 3. p. tom. 4. D. 22. sect. 9. n. 7. Lug. de Pœnit. D. 16. n. 63. & alii plures apud & cum Sanch. in Decal. lib. 1. c. 10. n. 66. Lacr. lib. 6. p. 2. ex n. 606.* contra *Caram. in Theol. fundam. fund. 66. n. 1321.* Et *P. Marin. de Pœnit. D. 3. sect. 6. n. 85. dicit: Qui dubitat, sive precisè an peccaverit, vel non peccaverit mortaliter, sive certus peccasse dubitet, an peccaverit mortalitèr an venialiter*, & si magis inclinet quod peccaverit mortalitèr non tenetur confiteri; & ibi alios Doctores citat, quorum sententia non est contemnenda, cum gravibus fundamentis firmetur, adeò, *ut Lacr. lib. 6. p. 2. n. 609.* asserat, ra-

rationes intrinsecas hujus sententiæ illam facere probabiliorem sententia affirmante dari talem obligationem talia peccata confitendi; quod saltem potest deservire ad sedandas aliquorum conscientias, qui quolibet dubio nimis anguntur. Hac igitur occasione hic oportet aliquid de scrupulis dicere. *Scrupulus* enim *est innanis apprehensio, & hic ortus timor, & anxietas, alicubi esse peccatum, ubi peccatum non est.* Signum scrupuli præsentis est: 1. si quis experiatur, se per illum nimium angi, & perturbari: 2. si aliàs expertus sit, se apprehendisse similia sine fundamento. Scrupulosus cognoscitur in eo, quod in omnibus timeat peccatum, ac contra sapientium, & proprium sæpè dictamen, & judicium sit inquietus, nec Doctorum consiliis acquiescat, perturbatè agit, & cœco quodammodo in actionibus externis versatur, habens reflexiones extravagantes infinitarum circunstantiarum, & frequentèr ex levi apparientia judicium mutat. Sic in horis legendis aliquando decies judicium mutat de lecto, vel non lecto aliquo versiculo. Denique si confessarius judicet, aliquem scrupulosum, talis debet haberi, ac proindè debet judicio confessarii acquiescere, & destruere scrupulorum causas, meditando bonitatem Dei, humorem melancolicum evacuando, suum judicium frangendo, debetque non otiari, nec scrupulos fovere: imò contra illos agere, & contemnere, seque assuefacere ad sequendas sententias mitiores, & etiam minus tutas, non judicare, quidquam esse mortale, nisi certò sciat, nec in agendo tenetur adhibere examen, & diligentiam, nisi valdè mediocrem, & dum angit scrupulus, nec suppetit consilium, potest liberè agere, quod voluerit, nisi certum, & evidens sit, esse peccatum nec tenetur repetere aliquid ex confessionibus præteritis; nisi certò sciat, illud esse mortale, & se non esse ritè confessum. Et *Layman* suadet, ut numquam confiteatur dubia, & scrupulos. Et *Sanchez, Azor, & alii* dicunt, non teneri confiteri, nisi quæ jurare possit esse mortalia, & numquam esse confessum: quia in illo ex nimio timore peccandi turbatur ratio, & non tenetur cum tanto damno, & periculo anxietatis perpetuæ, vel incidendi in amentiam, vel desperationem: imò & abbreviandi vitam, integritatem confessionis procurare, cum etiam sæpè minores difficultates à tali integritate excusent, imò oportet, quod confessarius, postquam semel, vel iterum patientèr exaudivit ad sacietatem pœnitentem illum, aliquando non permittat confiteri, nec proponere scrupulos, vel dubia, ut sit aliquomodo fons scrupulorum exhauriatur; imò consulat, quod contra scrupulos agat, eos contemnendo. De scrupulis, & eorum causis, & remediis, latius agunt illud Theologiæ mysticæ splendidissimum luminare. *V. Fr. Ludov. Granatensis, Sanch. in Decalog. lib.* 1. *cap.* 10. *ex n.* 79. *Laym. Azor, & alii cum Busemb. & Lacr. lib.* 1. *ex n.* 511.

464 Forma hujus Sacramenti, essencialiter consistit in his verbis: *Absolvo te. D. Thom. in* 3. *p. q.* 84. *art.* 3. debet tamen dici forma integra: *Ego te absolvo à peccatis tuis. Trident. sess.* 14. *de Pœnit. cap.* 3. Quæ absolutio est actus judicialis, & non nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi, remissa esse peccata confitendi. *Tridentin. Can.* 9. ac proindè dicta verba hunc sensum habent: *confero tibi gratiam ex se remissivam peccatorum. Suar. & alii com.* contra *varios variè sentientes apud Lacr. lib.* 6. *p.* 2. *ex n.* 640. & additur *à Trident. cap.* 3. Quod præces, quæ de S. Ecclesiæ more laudabiliter adjunguntur, non spectant ad essentiam formæ, nec ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ. Forma autem *Clementis VIII.* qua, ut omnes utantur suadet *Paulus V.* est hæc *Misereatur tui Omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Amen.* Deindè elevata manu confessarius dicit: *Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens misericors Dominus. Amen. Dominus Jesus Christus te absolvat, & ego authoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis* (hæc vox omittitur, quando pœnitens est Laicus) *& interdicti, in quantum possum, & tu indiges: Deindè ego te absolvo* (& format manu crucem supra caput pœnitentis) *à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Passio D. N. Jesu-Christi, & merita B. Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali patientèr sustinueris sit tibi in remissionem peccatorum, in augmentum gratiæ, & premium vitæ æternæ. Amen.* Si quis ob reverentiam dicat: *Absolvo Majestatim, vel Excellentiam vestram, &c.* valet absolutio: quia non mutatur essentialiter: invalida tamen erit absolutio, si non verbis, sed nutu, signo, vel scrip-

scripto fiat, vel si Sacerdos dicat: *Absolvat te Deus: vel absolvat te Christus.* Sacramentum pœnitentiæ in re, vel in voto est necessarium necessitate medii, ita institutum ex præcepto Divino, ut gratiam recuperet, qui peccatum mortale comissit. *Trid. sess.* 14. *de Pœnit. cap.* 4. ibi: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius, & in homine post baptismum lapso, ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia Divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua conjunctus sit.* Cum aliqua pœnitentia secundum præsentem providentiam sit necessaria necessitate medii ad salutem illis, qui in peccatum mortale personale inciderunt, consequentèr dicendum est, quod datur præceptum, ipsos ad pœnitentiam obligans, juxta illud Christi D. apud *Luc.* 13. *v.* 5. *Si pœnitentiam non egeritis omnes similitèr peribitis.* Hoc præceptum pœnitendi, non tantum est positivum Divinum, sed etiam naturale. *D. Thom. in* 3. *p. q.* 84. *art.* 7. *ad* 1. sed non obligat per se statim post commissum mortale, ut ex praxi fidelium, & sensu Confessariorum constat: quia nemo se accusat de hoc, quod statim non pœnituerit post peccatum, nec Confessarii de hoc interrogant: nec de hoc aliundè constat. *Ita Div. Thom. Durand. Suarez, Vazquez, Valenz. & alii,* contra *S. Anton. Innoc. IV. Abulens. & alios.* Et licèt non constet ob DD. varietatem, quando extra periculum mortis hoc præceptum naturale pœnitendi per se obliget, tamen probabilius videtur, quod omnis homo regulariter teneatur ex præcepto naturali pœnitere per contritionem in articulo mortis, quia salutis æternæ negotium est omnium maximum, in quo semel errasse est in æternum periisse: ac proinde præceptum naturale charitatis erga se ipsum dictat adhibere medium ad salutem securius, quale est contritio, si copia Confessarii desit, vel confessio, si copia Confessoris habeatur. Vid. *Lacr. plures citans, lib. 6. p.* 2. *ex n.* 2003. Concilium Lateranense *in cap.* 12. *h. t. confirmatum à Trid. sess.* 14. *de Pœnit. cap.* 5. *& Can.* 8. statuit, ut omnes Christi fideles utriusque sexus usu rationis prædíti, saltem semel in anno proprio Sacerdoti peccata sua confiteantur. Et licèt ex præcepto Divino determinato ad certum tempus per Ecclesiam, solùm per se detur obligatio confitendi mortalia, etiam purè interna. *Trid. sess.* 14. *cap.* 5. *& Can.* 7. Non verò datur obligatio confitendi, etiam tempore Paschali, quando solum quis habet peccata venialia *Div. Thom. in* 4. *D.* 16. *art.* 2. *q.* 3. *Suar. de Pœnit. D.* 30. *sect.* 2. & deducitur ab *arg. Trid. sess.* 12. *cap.* 5. *& cap.* 7. contra *Bonav. Alens. Rich. & alios.* Tamen per accidens, ad vitandum scandalum, & ex aliis rationibus, debet confiteri tempore Paschali, etiam qui nullius mortalis culpæ conscientiam habet. *Suar. D.* 36. *sect.* 2. *n.* 9. *Vazq. q.* 9. *art.* 2. *dub.* 2. *num.* 19. Nec est necesse, quod quis 12. annum attingat, ut hoc præcepto teneatur, ut tenent communitèr DD. contra *Sotum*: nam ut ex Concilio Lateranensi obligantur fideles postquam ad annos discretionis pervenerint, hoc est, quod sint doli capaces, & discernere possint inter bonum, & malum: & quia prædictum, *cap.* 12. est basis totius materiæ: ejus litteram præ oculis apponam: sic enim ait: *Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere: suscipiens reverentèr ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi fortè de proprii Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum alioquin, & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens christiana careat sepultura. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata licentiam prius postulet, & obtineat à proprio Sacerdote, cum alitèr ipse illum non possit absolvere, vel ligare. Sacerdos autem sit discretus, & cautus, ut more periti Medici super infundat vinum, & oleum vulneribus sauciati, diligentèr inquirens, & peccatoris circunstantias, & peccati, quibus prudentèr intelligat, quale ei debeat præbere consilium, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad salvandum ægrotum. Caveat autem omninò, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenùs prodat peccaterem, sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ cautè requirat; quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum à Sacerdotali officio deponendum decernimus, verumetiam ad agendum perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum.*

365 Licèt in Concilio Lateranensi sta-

statutum sit tempus Paschale ad Sacram Eucharistiam suscipiendam, nullum certum tempus determinatum est ad Sacramentalem confessionem, *cap.* 12. *h. tit. L.* 34. *tit.* 4. *p.* 1. Tamen morem confitendi tempore Quadragesimæ, cujus memoria extat in *cap.* 64. *D.* 50. maximè probat *Trident.* & amplectitur tamquam pium, & meritò retinendum. *Ses.* 14. *de Pœnit. cap.* 5. Si quis dolosè omisserit adimpletionem præcepti confessionis annuæ, vel communionis Paschalis potest per sententiam fundatam in probatione delicti excommunicari, & sepultura Ecclesiastica privari, *cap.* 12. *h. tit.* Imò in aliquibus Diœcesibus est imposita à Synodalibus Constitutionibus excommunicatio major ipso facto incurrenda contra negligentes malitiosè, quodvis ex his præceptis adimplere: quæ incurritur, etiamsi delictum sit occultum, vel etiamsi confesio sit facta, non integra, sine dolore, vel sine proposito. *Suar. de Pœnit. D.* 36. *sect.* 8. *Fagund. in* 2. *Præcept. Eccles. L.* 1. *cap.* 4. Qui facit confessionem voluntariè nullam non satisfacit præcepto Ecclesiæ, ut constat ex propositione damnata ab *Alex. VII.* Imò nec fit satis, quando etiam sine culpa pœnitentis confessio fuit invalida: quia Sacerdos, vel ex malitia, vel ignorantia pœnitentem non absolvit. Teneturque talis pœnitens, cum defectum agnoscit, confessionem repetere: idem ferè est rem non facere, vel facere nullitèr; *arg. L.* 30. *ff. de Testam. Tutel.* Nam Ecclesia determinat semel in anno fieri confessionem, sicut hæc requiritur ex præcepto Divino, scilicèt ad recuperandam gratiam amissam per peccatum. Quod certè per confessionem invalidam, undecumque invaliditas proveniat, non obtinetur. *Suarez, de Pœnit. D.* 36. *sect.* 7. *n.* 3. *Navar. Man. cap.* 10. *n.* 4. *Laym. Fagund. Sot. Castrop. tr.* 23. *p.* 20. §. 3. *n.* 4. & 7. contra *Sylv.* V. *Confessio* 4. *n.* 3. *Palud. & alios.* Confessio invalida iteranda prorsus est, vel apud eumdem Confessarium: & tunc sufficiet, se accusare de peccatis illi cognitis, dum ipse saltem in communi recordetur, vel apud alium, de novo peccata repetendo. Confessio quidem est invalida ex parte Confessarii, si non habebat jurisdictionem, vel eam habebat impeditam per censuram, vel si non intendit absolvere: vel si nullum peccatum in ellexit: vel si formam substantialiter vitiavit. Ex parte verò pœnitentis est invalida, si aliquod peccatum mortale tacuit, vel de eo falso se accusavit: si non fuit attritus: si noluit tollere occasiones: si moraliter negligens fuit in examinanda conscientia: vel si erat excommunicatus. Defectus ex parte Confessarii rarò obest, si pœnittens inculpabiliter talem defectum ignorat: nam in sequenti confessione absolvetur, etiam ab illis peccatis, à quibus se bona fide credebat absolutum. Sacramentum Pœnitentiæ posse esse validum, quatenùs habeat omnes partes essentiales illius, & simul informe, quatenùs careat gratia, quæ est forma sanctificans animam, tenet *D. Thom. cum aliis*: negant *cum aliis Scotus*: quia dolor, quia est pars essentialis Sacramenti debet esse saltem virtualiter universalis ad omnia mortalia, ac proindè constituit Sacramentum validum, & causativum gratiæ, quod est esse validum, & firmatum. Vide *Marin de Pœnit.* ubi satis latè. Qui tempore Paschali, vel ea malitia, vel ob justum impedimentum, non satisfacit præcepto confessionis annuæ adhuc præcepto tenetur: quia illud tempus non est determinatum ab Ecclesia, ut illi satisfiat. Et quamvis ad Confessionem esset assignatum, sicut ad Commonionem annuam: adhuc esset præceptum adimplendum, cum commodè possit, quia illud tempus non est definitum tamquam terminus finiendæ, sed solùm tamquam terminus implendæ obligationis. *Suar. de Pœnit. D.* 36. *sect.* 4. *Medin. de Pœnit. q.* 18. *Navarr. Man. cap.* 21. *n.* 45. quin, & si quis prævidet futurum in Paschate impedimentum, debet confessionem, & communionem anticipare. *Suar. D.* 36. *sect.* 5. *Laym. & alii.* Tamen ex concessione *Urbani VIII.* conceditur Indis, & Æthiopibus degentibus in hoc novo Orbe, ut possint à principio Quadragesimæ usque ad festum Corporis Christi, & ejus Octavam adimplere præceptum confessionis, & communionis annuæ. *Alloza Summ.* V. *Indi, sect.* 2. *num.* 14.

366 Minister hujus Sacramenti est solus Sacerdos, ut contra Wiclef, Lutherum, & alios hæreticos credentes, omnibus Christi fidelibus, etiam pueris, & fœminis, potestatem absolvendi esse concessam, definitum est à *Trid. sess.* 14. *de Pœnit. cap.* 6. & *Can.* 10. *cap.* 49. *de Pœnit. D.* 1. ibi: *Sic Divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotis nequeat obtineri. Mediator enim Dei, & hominum homo Jesus Christus, hanc Præpositis Ecclesiæ tra-*

tradidit potestatem, cap. 51. *de Pœnit. D.* 1. *L.* 21. *tit.* 4. *p.* 1. Nec obest, quod in *capit.* 2. *de Furt.* videatur, Diacono tribui absolvendi potestas, ibi: *Si vulnerati Presbytero, vel Diacono confessi fuerint communionem eis non negamus.* Nam jam diximus, quod ibi non loquitur textus de Confessione Sacramentali, sed de confessione, quæ fit coram Presbytero, vel Diacono, ut possit testificari de pœnitentia excommunicati, ut ad communionem Ecclesiæ admittatur. Deindè: *in capit.* 88. *de Pœnit. D.* 1. dicitur: *Tanta denique vis confessionis est, ut si deest Sacerdos, confiteatur proximo.* Et expræssius *in L.* 39. *tit.* 4. *p.* 1. dicitur, quod quis potest confiteri Laico; sed hoc solùm intelligitur, quando pœnittens hunc humilitatis actum vult exercere, non verò quatenùs possit obtinere absolutionem Sacramentalem à non Sacerdote, ut clarè in ipsa Lege dicitur; *Puédese entonce confesar al Lego, maguer el Lego non haya poder de absolverlo de los peccados*: quod comprobatur *ex Trid. sess.* 14. *de Pœnit. cap.* 5. ☞ Et sic intelligendus ex Div. Thom. Hodie tamen hæc consuetudo cessavit: nec est permittenda: quia nullus debet se infamare sine causa, nec dare occasionem suspicandi de ipso, quod Lutheranorum adhæreat errori. Sic *Valent. & alii cum Benedicto XIV. de Syn. lib.* 7. *cap.* 15. * Omnibus Sacerdotibus in ipsa ordinatione confertur radicalitèr potestas absolvendi, licèt remota: quæ quidem per collationem jurisdictionis completur, & proximè expeditur designatione subditorum: ac proindè quilibet Sacerdos, etiam simplex, etiam excommunicatus, & degradatus potest absolvere constitutum, non solùm in verò articulo, sed in probabili periculo mortis à quocumque peccato, etiam hæresis, & à quacumque censura: nam pro eo articulo nulla est reservatio. *Trid. sess.* 14. *de Pœnit. cap.* 7. Si verò tunc adsit Sacerdos approbatus, & non ligatus censura, vel habens privilegium absolvendi à reservatis: non poterit simplex Sacerdos, vel excommunicatus, vel carens simili privilegio absolvere: quia tunc cessat omnino ratio, quam assignant Trid. ne scilicèt occasione reservationis aliquis pereat. Sic contra *Navarr. lib.* 5. *Consil. Sà, Rodriguez, Vega, Henriquez, lib.* 6. *de Pœnit. cap.* 11. *num.* 4. *aliosque DD.* tenent *Suarez, de Pœnit. D.* 26. *sect.* 4. *Sanch. in Decal. L.* 2. *cap.* 13. *n.* 7. *Castrop. Laym. Lacroix L.* 6. *p.* 2. *n.* 1562. & probatur *ex tit.* 4. *cap.* 5. *cap. fin.* 26. *q.* 6. ibi: *Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absente Episcopo, ultima necessitas cogat.* Cessante periculo mortis ille, qui fuit absolutus, à Sacerdote simplici, vel excommunicato, non tenetur iterum ea peccata, etiamsi fuissent reservata alteri confiteri: siquidem ab eis fuit directè absolutus: nisi fortè ipsa peccata reservata haberent censuram annexam. Nam tunc tenetur pœnitens cum primum possit, se Superiori præsentare, *cap.* 13. *de Sentent. excomm. cap.* 22. *eod. in* 6. *Navarr. Man. cap.* 26. *n.* 26. *Suar. D.* 26. *sect.* 4. Et censetur non adesse Superioris copiam, quando infirmus nequit ipsum adire, nec accersere, & si confessor possit infirmum adire. Nec tenetur infirmus per litteras facultatem à superiori petere, quia se exponeret periculo sui criminis detegendi: nec per Procuratorem; v. g. per ipsum confessarium, qui illi adest, tenetur facultatem à Superiori petere: imò nec tenetur accipere Bullam Cruciatæ, ut vi illius absolvatur: quia cum beneficio ordinario juris adjuvetur non indiget privilegium quærere. Articulum mortis censetur, quando mors est quasi in fieri, & ita certa, & proxima, ut moralitèr certa sit, & ferè inevitabilis, sivè ex morbo, sivè quia ipse est morte plectendus. Periculum mortis tunc contingit, quando est probabile dubium de morte, & frequentèr in eo casu evenire solet, v. g. Si quis incidat in morbum gravem, qui ex majori parte mortem solet inferre: vel si mulier partui sit proxima, & experta sit hoc periculum in aliis partibus: vel si quis inveniatur in gravi tempestate, vel in belli conflictu, &c. *Suarez, de Pœnit. D.* 26. *sect.* 4. *Sanch. in Decal. L.* 2. *cap.* 13. Potest etiam simplex Sacerdos à peccatis venialibus absolvere. Et licèt ex *Decret. Innoc. XI.* 12. *Februar. ann.* 1679. præcipiatur Ordinariis, ne permittant, quod venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato; tamen si defacto absolvat, erit valida absolutio: nam hæc tantùm prohibetur: non irritatur. *Lacr. L.* 6. *p.* 2. *n.* 1489. *Cardenas, & alii.* Imò, & à mortalibus, à quibus jam pœnitens aliquando fuit legitimè absolutus, potest Sacerdos simplex absolvere. Et in his tribus casibus ipse habet à jure facultatem, & jurisdictionem ad absolvendum. Confessarius ultra ordinem, & jurisdictionem, debet habere scientiam, virtutem, secretum, prudentiam, & fortitudinem: debet enim esse discretus, & cautus, ut more periti Medici, super in-

fun-

fundat vinum, & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens, & peccatorum circunstantias, & peccati: quibus prudentèr intelligat, quale debeat ei præbere consilium, & cujusmodi remedium adhibere diversis nempè experimentis utendo ad salvandum ægrotum. *c.* 12. *h. t. L.* 26. *tit.* 4. *p.* 1. In peccatis contra castitatem caute debet interrogare, ne ignorantem doceat, aut offendat: vel se, vel illum periculo exponat. Et ideò dicitur *in L.* 26. *tit.* 4. *p.* 1. ibi: *Pero si fuere muger, debela castigar, que se asiente á un lado del Confesor, è non muy cerca, nin delante, mas de guisa, que la oyga, è non la vea la cara: porque dice el Profeta Abacuc, que la cara de la muger es asi como llama de fuego, que quema al que la cata. Onde el Clerigo, que se debe guardar de non facer yerro con las mugeres ha menester de non le ver la cara, nin otra cosa, porque haya de moverse á errar.* Hodie in nostra Hispania mulieres non possunt confiteri, nisi in Ecclesiis, & quidem interposita inter faciem ejus, & faciem confessarii quadam craticula nisi in casu infirmitatis, ut in Edicto Inquisitionis stabilitum est. Etiam olim erat statutum pro confessariis nostræ Societatis in Reg. 15. Sacerdotum, ibi: *Confessarii ita audiat pœnitentes, ut mutuum aspectum fugiant: sic enim attentius, & liberius audient. Quod si locus non erit ejusmodi, ut tabula Confessarium à confitente dividat, manus interposita, inter faciem propriam, & confitentem, qui ad latus esse debet, id præstabit: mulierum verò confessiones non audiantur, nisi ad crates, etiam si sint puellulæ.*

367 Confessarius debet absolvere dispositum: & non alium. Ille pœnitens, qui sententiæ probabili adhæret benè dispositus est: quia quando agitur de honsetate actionis, an licita sit, vel non, potest quis sequi opinionem probabilem, relicta tutiori, imò: & minùs probabilem Probabiliori relicta sequi potest: Hac occasione aliquid dicam de probabilitate. Opinio probabilis est judicium incertum nitens motivo absolutè, & respectivè gravi. Dicitur judicium incertum: id est, nec certò verum, nec certò falsum. Opinio erit *extrinsecè probabilis* propter authoritatem Doctorum eam defendentium: sed potius debemus attendere doctrinam, quam Doctorum authoritatem, ut lepidè dicit Caramuel: nam non omnes DD. sunt docti. Erit *intritsecè probabilis* propter rationes eam suadentes, ab authoritate distinctas. *Probabilior intrinsicè est, quæ pro se habet meliores rationes. c.* 4. *de Feriis. Probabilior extrinsecè est, quæ pro se majorem authoritatem habet.* Dubiè probabilis est quando dubitatur, an ejus motivum sit grave: an leve, vel si dubitetur, an Authores eam defendentes sint omni exceptione majores. *Tenuiter probabilis est*, quando motivum est ita leve, ut censeatur imprudens, qui illi assentitur. *Opinio tucior* est illa, quæ magis recedit à periculo Legis, tam materialitèr, quam formaliter violandæ, aut alterius mali incurrendi, etiam si opposita sit probabilior: Nam potest aliqua opinio esse tutior quin probabilior sit. Ita sententia asserens, ad Sacramentum pœnitentiæ requiri contritionem perfectam tutior èst, quam sententia asserens, attritionem sufficere, & tamen hæc est altera probabilior. Quibus suppositis tenendum est, quod regularitèr licet operari sequendo opinionem probabilem, etiam tutori, & probabiliori relictis quia sic operans non temerè, sed prudentèr operantur, quin se exponat periculo peccandi formalitèr, licèt materialitèr fortè posset peccare, siquidem certum est, quod ille, qui prudentèr operatur, non se exponit periculo peccandi formaliter, & etiam est certum, quod sequens opinionem probabilem operatur prudenter, ac proindè, etiam esse certum convincitur, quod sequens opinionem probabilem relicta tutiori, & probabiliori, non se exponit tali periculo. Et quamvis opinio directa sit minùs probabilis, quam contraria; attamen judicium reflexum asserens, talem opinionem posse sequi est probabilius quam contrarium id negans: nec opinio directa etiamsi sit probabilior liberat à periculo peccandi materialiter: quin nec sententia, etiam quæ sit moralitèr certa, siquidem in re potest esse falsa. Et addit *Caramuel* quod hodie hæc sententia est omnium TT. nam plerique asserunt, ad securitatem conscientiæ sufficere opinionem minùs probabilem sequi, pauculi debere haberi ptobabiliorem dicunt, & id ipsum illi in suis libris non faciunt, ut vel hinc videas, non esse practicabilem eorum doctrinam. Peccare eum, qui sequitur minus probabilem impossibile sic demonstrat. Vel possumus sequi opinionem probabilem, (& habemus intentum; nam minus probabilis probabilis est) vel tenemur sequi probabiliorem, & probabilius est sufficere minùs probabilem. Et quidem hæc sententia omninò amplectenda est, quia benignior, & à pluribus scrupulis libe-

berat, & verè facit jugum Dei suave, & onus ejus leve, Et ita contra *N. P. Thyrsum Goz. Card. Aguirre*, *Fagnan.* & *alios* tenent *plurimi DD. Bañez*, *Azor*, *Mercado*, *Vazquez*, *Medin. Valent. Gutier. Nav. Ledesm. Lud. Lop. Less.* & *alii*, *cum Sanch. in Dec. lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 4. *Lacr. plures citans lib.* 1. *n.* 268. ☞ Et novissimè hæc omnia confirmat Benedict. XIV. de Synod. & præcipuè, *lib.* 7. *cap.* 28. *num.* 3. & 6. * Quibus maximum robur addunt tres Granatenses Egregii, nempè *Exim. D. Suarez de Cesur. D.* 4. *sect.* 5. *num.* 6. *Basil. Ponce de Leon*, ut com. pro nostra sententia citatur à *Caramuel*, *Lacr.* & *aliis.* Et noster amicus, & Collega III. DD. *Franciscus de Perea*, Archiepiscopus Granatensis in *Lelio lapide.* Et innuit *V. Ludov. Granatens.* Sed ne in aliquem impingamus errorem, oportet præ oculis habere quasdam propositiones damnatas. *Alex. VII.* hanc quæ est 27. damnavit. *Si liber sit alicujus junioris*, & *moderni*, *debet opinio censeri probabilis*, *dum non constet rejectam esse à Sede Apostolica tamquam improbabilem. Innoc. XI.* has damnavit. 1. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti*, *relicta tutiore*, *nisi id vetet Lex*, *conventio*, *aut periculum gravis damni incurrendi*: *hinc sententia probabili tantùm utendum non est in collatione baptismi*, *Ordinis Sacerdotalis*, *aut Episcopalis.* 2. *Probabilitèr existimo*, *judicem posse judicare juxta opinionem*, *etiam minùs probabilem.* 3. *Generatim dum probabilitate*, *sivè intrinseca*, *sivè extrinseca*, *quantumvis tenui modo à probabilitatis finibus non exeatur confisi aliquid agimus*, *semper prudentèr agimus.* 4. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.* 6. *Probabile est*, *nec singulis quidem rigorosè quinqueniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.* Et *Alex. VIII.* hanc damnavit, quæ est 3. *Non licet sequi opinionem*, *vel inter probabiles probabilissimam.*

368 Circa approbationem, quæ in confessariis ad confessiones audiendas requiritur sit statuit. *Trident. sess.* 23. *de Ref. cap.* 15. *Quambis Præsbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant*; *decernit tamen Sancta Synodus*, *nullum etiam Regularem*, *posse confessiones sæcularium*, *etiam Sacerdotum audire*, *nec ad id idoneum reputari*, *nisi*, *aut Parochiale beneficium*, *aut Episcopi per examen*, *si illis videbitur esse necessarium*, *aut alias idoneus judicetur*, *approbationem*, *quæ gratis detur*, *obtineat*: *privilegiis*, & *consuetudine quacumque*, *etiam immemoriali*, *non obstantibus.* Hinc approbatio, quæ est judicium, sive testimonium authenticum de idoneitate Sacerdotis ad confessiones audiendas, adeò est necessaria, ut absolutio à Sacerdote non approbato attentata sit nulla, sit pœnitens habeat peccata mortalia nondum confessa: vel sit extra mortis articulum, nec potest pœnitens, etiam virtute Bullæ Cruciatæ, vel cujuscumque Jubilæi eligere confessarium non approbatum ab Episcopo illius Diœcesis, in qua audit confessiones, etiamsi alibi sit approbatus. Valet tamen absolutio, stante hac approbatione, etiam si verè Sacerdos idoneus non sit, si ponit legitimam formam: imò valet absolutio, etiam si Episcopus cognoscat illius in idoneitatem, si externè, licèt injustè approbavit; v. g. propter favorem. Similiter si Episcopus fictè approbat externè sine intentione approbandi, cum Ecclesia non judicet de occultis, approbatus censetur, & absolutio erit valida: quæ omnia præcipuè ad vitandum periculum animarum statuta à Trid. videntur. *Suar. de Pœnit. D.* 28. *sect.* 5. *Barbos. de Offic. Episc. alleg.* 25. *n.* 40. & quidem si pœnitens sit Regularis, sufficit, quod confessarius Regularis, vel etiam Sæcularis habeat approbationem, & licentiam Prælati Regularis, ut à contrario sensu Trid. tenent *Suar. D.* 28. *sect.* 4. *Barb. de Offic. Episc. alleg.* 25. *num.* 64. & declaratum est à *Clem. VIII.* apud *Quarenta.* V. *Confessor.* Monialium verò confessiones nullus audire potest, sivè Regularis, sivè Sæcularis, qui ab Ordinario non est ad id approbatus ex Constit. *Greg. XV.* Si pœnitens sit Sæcularis debet confessarius, etiam Regularis, esse approbatus ab Episcopo: vel consecrato, vel saltem confirmato, vel à Capitulo Sedevacante, vel á Vicario eorum: nam potestas confessores approbandi, non est actus ordinis, sed jurisdictionis ordinariæ, ac proindè dari valet non solùm ab Episcopo, sed à capitulo, & eorum Vicario. Et quidem debet concedi ab Episcopo, in cujus jurisdictione sunt audiendæ confessiones. Hæc approbatio conceditur, vel per collationem beneficii habentis curam animarum, vel per authenticam idoneitatis declarationem, prævio examine, vel etiam sine eo, ab Ordinatio factam. Quicumque enim Sacerdos, etiam Regularis, etiam Doctor in Theologia, vel Jure Canonico in-

indiget tali approbatione ad confessiones Sæcularium audiendas: decet tamen, quod ab Episcopo ea concedatur talibus personis, de quarum doctrina constat, sine examine: si tamen Episcopus velit, jure suo utitur, eos ad examen redigendo. Nec potest Episcopus sine justa causa approbationem negare, sed debet, si aliquis Sacerdos petat, illum ad examen admittere, & si idoneum invenerit approbare. *Suar. de Pœnit. D.* 28. *sect.* 5. *Lug. eod. D.*21. *n.*49. Nec sufficit si ab Episcopo approbatio petatur, si ab hoc denegetur quantumvis injustè: nam licèt in hoc casu Regulares approbati censerentur: *ex Cl. Dudum*, 2. *de Sepult. & Extr.* 2. *eod. inter comm.* tamen hoc privilegium ex generalitate à Tridentino derogatum censetur. Et constat clarè ex propositione 13. damnata ab Alex. VII. *Suar. D.* 28. *sect.*5. *Vazq. D.*93. *art.* 3. *dub.*3. *Lug. D.*21. *n.*52. *Lacr. lib.* 6. *Barb. de Of. Episc. alleg.*25. *n.*47. *Nav. Man. cap.*27. *n.*265. *Laym. lib.* 5. *tr.* 6. *cap.* 11. Regularis ultra Episcopi approbationem requirit sui Superioris, Generalis scilicèt, vel Provincialis, approbationem. *Clem.* 2. *de Sepult.* Si tamen ea careat, illicitè confessiones, sed validè audiet: quia Tridentinum pro valore solum approbationem Episcopi requirit. Approbatio potest restringi ad certum locum, personas, & tempus, ex justa causa: vel quia ætas, adhuc non est matura ad audiendas fœminarum confessiones, vel ex defectu scientiæ ad certum genus personarum, v. g. ad Mercatores. Et etiam ad certum tempus postest concedi, ut timore privationis approbationis ad studium Confessor alliciatur. Et quidem quæ ad certum tempus conceditur, eo veniente spirat, similitèr cessat morte concedentis approbatio, ad ejus arbitrium, & beneplacitum data. *Lacr. lib.* 6. *p.* 2. *num.* 1492. *alios citans.*

369 Approbatio, quæ per collationem beneficii curati confertur, non potest revocari, nisi beneficiarius beneficio privetur, vel removeatur ab officio. Quando autem durat beneficium durat, & approbatio, saltem pro illa Diœcesi, licèt *Suar. Vazq. & Lug.* dicant, approbatum ob beneficium Parochiale esse approbatum pro tota Ecclesia. *Lacr. lib.* 6. *p.* 2. *n.* 1535. si desinat esse Parochus, desinit etiam ejus approbatio contra *Moyam*: nisi approbatus sit independentèr à beneficio. Quod si transeat de una ad aliam Parochiam, regulariter requiritur nova approbatio. *Lacr. lib.* 6. *p.* 2. *n.*1538. Et in his Indiarum partibus est necessaria approbatio, si transeat ad Parochiam diversi idiomatis. *L.* 12. *tit.* 15. *lib.* 1. *R. Ind.* Ea verò approbatio, quæ sine beneficio confertur, si absolutè, & sine limitatione detur, non potest revocari: cum jam Sacerdoti jus quæsitum sit, nisi justa superveniente causa, quia v. g. mutavit mores, vel oblitus est scientiæ moralis, &c. ut de Regularibus constat ex Bulla *Clem. X. Superna Magni Patrisfamilias.* Et latè tractant *Barb. de Offic. Episc. alleg.*25. *Suar. de Pœnit. D.*28. *sect.*8. *& alii.* Prædicta constitutio habetur apud *Lacr. lib.* 6. *p.* 2. *ex n.* 1502. *&* 1506. Et sic ait: *Regulares ad ejusmodi confessiones audiendas prævio examine simplicitèr, & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo: secus autem ab ejus Vicario, aut Antecessoribus Episcopis approbatos non posse ab eodem, qui sic approbavit iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quæ ipsas confessiones concernat, de qua haud necessarium est, ut in actibus constet, nec eam tenetur Episcopus ipsis Regularibus significare, sed Sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit.* Concordat. *L.* 7. *tit.* 15. *lib.* 1. *R. Ind.*

376 Ultra approbationem necessariò ad valorem absolutionis requiritur in Sacerdote jurisdictio. Approbatio enim solùm est judicium de idoneitate: sed non dat jurisdictionem in subditos. Cum enim hoc Sacramentum per modum judicii sit institutum. *Trid. sess.* 14. *de Pœnit. cap.*6. *& Can.* 9. Est necessarium, Sacerdotem, qui Judex est, jurisdictione gaudere: *Hæc enim est potestas judicialis ligandi, atque solvendi in foro interno pœnitentem subditum sibi confessum.* Licèt enim in ordinatione sit Sacerdoti concessa potestas radicalis, & remota absolvendi, est tamen necessarium, ut validè fiat, quod compleatur per jurisdictionis concessionem, quæ stat in designatione subditorum. Hæc jurisdictio, alia est *ordinaria* alia *delegata. Ordinaria* est illa, quando aliquis habet ratione officii, quod exercet habentis annexam curam animarum. Ea gaudent Papa, & ejus Summus Pœnitentiarius respectu totius Ecclesiæ: Episcopi, & eorum Vicarii, & Capituli Sedevacante Vicarii Generales respectu totius Diœcesis. Parochi respectu suæ Parochiæ. Prælati Regulares, etiam Vice-Rectores, & Vice-Guardiani respectu suorum subditorum. *Delegata* est, quam quis, non ex officio proprio, sed ex commissione alterius habentis ordinariam in ejus subditos exercet. Sic Papa, Episco-

pus, & etiam Parochus possunt alteri concedere facultatem audiendi suorum subditorum confessiones. Nam de Jure Communi quilibet confiteri debebat proprio Sacerdoti. *c.* 12. *h.t.* adeò ut de Jure Antiquo Episcopus suo Archiepiscopo, Archiepiscopus Patriarchæ, & hic Papæ confiteri debebat: quia nullus potest ligari, vel absolvi nisi à Judice, vel Prælato proprio, qui habeat in ipsum jurisdictionem ordinariam. Sacerdos proprius est Parochus pœnitentis. *L.* 21. *tit.* 4. *p.* 1. ibi: *E maguer dice de suso, que se deben confessar los omes à Clerigo Misa cantano, esto non se entiende, que lo han de facer à otro, si non aquellos, onde son Parrochianos cada uno en su Eglesia.* Sed hodie possunt pœnitentes cuicumque Confessario approbato confiteri, sivè Clericus sit, sivè Religiosus.

371 Religiosi quidem habent jurisdictionem delegatam; & quidem immediatè à Papa, ut possint audire confessiones omnium fidelium ad ipsos accedentium, eosque absolvendi ab omnibus peccatis: etiam Papæ reservatis; & ab omnibus censuris, pœnis Ecclesiasticis, illis exceptis, quæ in Bulla Cœnæ continentur. *Lacr. lib. 6. p. 2. n.* 1552. Hoc privilegium non est concessum immediatè Religiosis particularibus, sed ipsis Religionibus, & Prælatis earum. Hi enim suis subditis hanc facultatem concedunt, vel etiam ex justa causa, negant, vel concessam auferunt, vel restringunt ad certum personarum genus. Et ob privilegia Religionum hæc facultas non extenditur ad audiendas confessiones Religiosorum alterius ordinis, nisi ipsi à suis Prælatis licentiam habeant confitendi extraneis Religiosis, vel quando non habent Sacerdotem sui ordinis: v. g. Si iter faciant: nam tunc saltem in nostra Societate potest quis confiteri cuilibet Sacerdoti, etiam alterius ordinis, vel sæculari, si Confessarius Societatis non adsit; & probabiliter non requiritur in tali Sacerdote approbatio Episcopi: quia Prælatus censetur id permittere. Sic ex *Suar. & alii affert Lacr. lib. 6. p. 2. n.* 1524. Etiam consuetudine adquirit jurisdictio; quando hæc cum titulo 40. annis, vel sine eo, per tempus immemoriale possidetur sine interruptione. *Arg. c.* 1. *de Præscript. in 6.* Si Sacerdos jurisdictione carens credatur communi errore jurisdictione ad absolvendum gaudere, ne animæ ex alterius malitia detrimentum patiantur, Ecclesia benignè jurisdictionem supplet. *Arg. L.* 3. *ff. de Offic. Prætor.* Etiam indirectè solet delegari, hæc facultas, quando scilicet non ipsi Confessario immediatè, sed pœnitenti conceditur, quod Confessarium possit eligere. Et quidem in nostra Hispania, omnes qui habent Bullam Cruciatæ, possunt quemcumque velint Confessarium eligere, dum hic sit ab Episcopo approbatus. Episcopus etiam non consecratus: imò etiam si Titularis tantum sit, & Diœcesi careat: & etiam si Episcopatus renuntiasset: & Episcopo Superiores, ut Archiepiscopi possunt ex dispositione *Greg. IX. in C. fin. h. t.* Confessarium eligere. *L.* 21. *tit.* 4. *p.* 1. Prælati Regulares exempti, & quidem non solùm Provinciales, sed etiam Superiores Locales, possunt Confessarium eligere. Reges, & alii Principes Supremi, (non tamen eorum familia) & ex consuetudine etiam familiares Pontificis sibi possunt eligere Confessarium. Vid. *Lacr. lib. 6. p. 2. ex n.* 1486. Ubi varios casus, & Constitutiones affert, præcipuè celebrem Constitutionem *Clem. X. Superna Magni Patrisfamilias.* ☞ Benedictus XIV. consulens animarum saluti, hortatur Prælatos, ut non solum bis, vel ter juxta Tridentinum assignent Confessarium extraordinarium pro Monialibus, & in casu mortis, sed quoties aliqua necessitas detur faciles in hoc se exhibeant, ita in Constitutionis. *Pastoralis* 5. *August.* ann. 1748. *

372 Illi, qui habent potestatem concedendi aliis jurisdictionem ordinariam, vel delegatam possunt eisdem hanc jurisdictionem, ita restringere, ut pro certis peccatis eam non concedant; vel auferant concessam. Et hoc dicitur reservare peccata. Habent ergo facultatem ea resevandi Papa pro tota Ecclesia, Episcopus pro sua Diœcesi, Prælatus Regularis pro sua Religione, vel Domo, Parochus pro sua Parochia. *Suar. de Pœnit. D.* 29. *sect.* 1. *Lug. eod. D.* 20. *n.* 2. Peccata enim reservatur, tum, ut fideles ab eis committendis coerceantur ob difficultatem, & necessitatem adeundi superiorem; tum quia ob eorum atrocitatem non convenit, quod à quovis Confessario indiscriminatim remittantur; sed majorem pœnitentiam, exactius judicium, & severiorem coercitionem requirunt, sed hac potestate non debent superiores abuti in destructionem, sed tantum cum moderatione in Ecclesiæ ædificationem uti, ita ut non faciant Sacramentum Pœnitentiæ nimis onerosum. *Trid. ses.* 14. *de Pœnit. c.* 7. Quando reservatio solum imponitur in bonum fidelium, & Ecclesiæ ad ejus rectam gubernationem dicitur reservatio merè medicinalis; & hæc etiam ab ignorante eam incurritur; quia cum

sit

sit ablata jurisdisctio Confessario, non potest subsistere absolutio pœnitentis: etiam si ignoret tali delicto esse reservationem adjunctam. Si verò in odium delicti, & ad illud puniendum imponatur reservatio, prohibendo specialitèr delictum, & aliquam pœnam adjungendo; v. g. Censuram, dicitur reservatio pœnalis, & non incurritur ab eam ignorante: nam censetur habere tacitam conditionem: nisi delinquens invincibilitèr ignoret Legem, & reservationem ab ea impositam. *Sanch. de Matrim. lib. 9. D. 33. n. 18.* Ut ergo aliquod peccatum reservetur debet esse mortale externum, certum, & sine dubio, an sit mortale; & certo reservatum, & sine dubio, an sit, vel non reservatum, & in suo genere consummatum, & insuper perfectum, eo modo, quod Lex exprimit: v. g. *Temerè præsumptuosè, vel scientèr.* Cum verba debeant sumi cum effectu. *c. 4. de Cler. non resid. L. 1. §. Hæc, ff. Quod quisque jur.* Peccata enim venialia, vel etiam mortalia jam confessa, cum non sint materia necessaria Sacramenti, vel nequeunt, vel non solent reservari. Nec purè interna, quia licèt possint reservari, hoc non convenit ad externam Ecclesiæ gubernationem: ac proindè solum tunc reservantur, quando prodeunt in aliquem actum externum, qui ex se, & sine relatione ad actum internum, sit peccatum grave. Sicque, qui committit furtum rei levis cum affectu subripiendi rem gravem non incurrit reservationem. *Suar. de Pœnit. D. 29. sect. 3. Lug. eod. D. 20. ex n. 14. Laym. l. 5. tr. 6. cap. 12.*

373 Sed ne facilè in Religionibus casus reservati multiplicarentur. *Clem. VIII.* Motu proprio, *26. Maii Ann. 1593* ad 11. casus restrinxit Prælatis Regularibus facultatem reservandi; quos quidem tantum possunt reservare, si eos reservare velint, sed non debent, si tamen consultum sit plures ultra illos reservare, statuit ipse Pontifex, hoc non alitèr fieri, quam de consensu Capituli Generalis pro toto Ordine, vel Provincialis pro tota Provincia. 11. casus sunt sequentes. 1. Veneficia, incantationes, sortilegia. 2. Apostasia à Religione, sive dimisso, sive retento habitu, dummodo egressio extra septa Monasterii fiat. 3. Egressio nocturna, & furtiva è Monasterio, etiam sine animo apostatandi. 4. Proprietas, quæ sit peccatum mortale contra paupertatis votum. 5. Falsum juramentum in judicio regulari, vel legitimo. 6. Abortus procuratio post fœtum animatum, & auxilium, seu consilium ad illum, etiam si effectus non sequatur. 7. Falsificatio manus, vel sigilli officialium Monasterii. 8. Furtum de rebus Monasterii; quod sit peccatum mortale. 9. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. 10. occisio, vulneratio, vel percusio gravis cujuscumque personæ. 11. impedimentum, retardatio, vel apertio litterarum à superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad superiores, quando ex malitia provenit. In nostra Societate ultra 11. prædictos sunt reservati alii 10. à *Cong. Gen. V.* 1. Perjurium, & falsum testimonium in judicio, vel extra. 2. Furtum alicujus rei, quod sit peccatum mortale contra votum paupertatis. 3. Voluntarius lapsus carnis, & quidquid est contra castitatis votum, quod exeat in actum externum. 4. Expressa inobedientia, qua quis dicat, se obedire nolle. 5. Seditio in superiorem, & divisio à capite in grave societatis præjudicium. 6. Detractio bonæ famæ, & existimationis aliorum, & seminatio discordiarum inter fratres. 7. Reticuisse, vel mentitum fuisse in examine circa impedimentum excludens à Societate, quod grave damnum causare valet. 8. Missio, seu acceptatio litterarum absque licentia expressa, quando talis missio, vel acceptatio est peccatum mortale. 9. Transgressio votorum simplicium, quæ Professi post professionem emittunt. 10. Censuræ nostræ Societatis, seu peccata, quæ annexam excommunicationem habent in nostris Constitutionibus, Bullis, & Decretis. Hæc omnia reservantur superiori domus, vel Collegii, quando manifestè sunt mortalia, & in actum externum prodierunt, & à nullo possunt absolvi, nisi de expressa licentia Superioris Domus vel Collegii. Omnium horum casuum peculiarem explicationem prosequitur. *Lacr. lib. 6. p. 2. ex n. 1662.*

374 A peccatis reservatis possunt absolvere: 1. in articulo, vel periculo mortis quivis Sacerdos, & à quocumque peccato; quia tunc nulla est reservatio. *Trid. sess. 14. de Pœnitent. cap. 7. 2.* Qui reservavit peccatum, vel ejus Superior, vel successor in Dignitate, vel ab eo delegatus. 3. Regulares ex privilegio Apostolico possunt quoscumque absolvere, etiam à peccatis reservatis Pontifici extra Bullam Cœnæ 4. Episcopi possunt absolvere à peccatis occultis Pontifici reservatis. *Trid. sess. 24. de Ref. c. 6.* & etiam si Pontifex, aut ejus Legatus non possit adiri ob impedimentum stabile, senium, infirmitatem, &c.

Laym. lib. 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 6. *n.* 5. Imò & Parochus poterit absolvere, quando Episcopus, vel alius privilegiatus nequeat adiri. *Tamb. de Casib. reserv. c.* 12. §. 2. *n.* 28. In nostra Hispania maximum ad hoc privilegium in Bulla Cruciatæ habemus: siquidem pœnitens Bullam habens, potest à quocumque Confessario approbato absolvi semel in vita, & semel in articulo mortis vero, vel præsumpto à quibuscumque peccatis, quocumque modo Apostolicæ Sedis reservatis, excepto crimine hæresis externæ. A non reservatis verò toties quoties pœnitens confessus fuerit. Si autem peccatum, ac censura à qua quis cupit absolvi, exigat satisfactionem, non debet absolvi, quin talis pœnitens prius per se, aut si ipse non potest, per hæredes suos satisfactionem reddat. Qui fuit in periculo mortis virtute Bullæ absolutus, si à tali periculo liberetur non tenetur recurrere ad superiorum: & in hoc stat privilegium: si casus Sedi Apostolicæ reservati sunt occulti potest pœnitens ab illis toties quoties confiteatur absolvi, quia quando occulti sunt, solum Episcopo reservantur. *Trident. sess.* 24. *de Reform. c.* 6. nisi crimen hæresis, si sit externa, & formalis, etiam si occulta sit, idem est de Apostasia, quod semper excipitur, ut constat ex Edicto Generali Inquisitionis, sed hoc delictum ab ipsis Inquisitoribus absolvendum est, nisi pœnitentes sint Indi: nam hi ab episcopo, vel ab eo delegato absolvuntur ex Constitutione *Greg. XIII.* quam affert *Solorz. de Jure Ind. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 24. *n.* 30. Ab aliis peccatis, excepta hæresi, & apostasia, quamvis reservata sint Inquisitoribus, ut sunt sortilegia, incantationes, veneficium, præstigiæ, magicæ, invocationes Dæmonum, & alia, quæ in Edicto continentur, potest quis virtute Bullæ absolvi, & quidem toties quoties, cum non sint Sedi Apostolicæ reservata. Potest quis duas Bullas sumere sed non plures ex dispositione *Greg. XIII.* & tunc poterit bis absolvi in vita, & bis in morte à peccatis Pontifici reservatis: & bis poterit sibi applicare Indulgentiam in vita, & bis in articulo mortis. Regulares posse absolvere à peccatis Inquisitioni reservatis vi suorum privilegiorum, excepta hæresi tenent *Portel, Fr. Valentin, & alii.* Sed securius est facultatem ab Inquisitoribus, vel Comissariis petere. Cardinalis Pœnitentiarius habet potestatem absolvendi à censuris, & peccatis reservatis, & dispensandi in irregularitatibus pro foro interno: quod munus exercet per penitentiarios, qui Romæ in Ecclesiis Patriarchalibus assistunt, & sedentes in confessionariis in signum hujus potestatis virgam in manibus tenent, & in solemnibus Processionibus Pontificiis, & præcipuè in processione Corporis Christi incedunt parati cum planetis post universum Clerum Sæcularem, & Regularem prope Episcopos: Hujusmodi Pœnitentiarii eliguntur ex Religionibus. S. Dominici, S. Francisci, & Societatis Jesu. Alia species Officialium est illorum, qui Pœnitentiariam regunt per quamdam speciem Tribunalis, audiendo nempè supplicationes super petitis dispensationibus, & absolutionibus. Et super ipsis conceduntur litteræ Apostolicæ in forma Brevis, non quidem sub Annulo Piscatoris, sed peculiari Pœnitentiariæ sigillo. Expediuntur quidem dispensationes super irregularitatibus ex causa homicidii, illegitimorum natalium aut alterius defectus: ac etiam revalidationes matrimoniorum, & revalidationes simoniacarum prvisionum beneficiorum. Pœnitentiaria habet facultatem pro utroque foro, etiam in factis publicis absolvendi, & dispensandi in multis quoad Regulares, & volentes ingredi Religionem, si consensus, & supplicatio Superiorum Regularium accedat. *Lacr. lib.* 6. *p.* 3. *n.* 970. In reliquis autem solùm dantur absolutiones, & dispensationes pro occultis, cum in publicis concedantur per Datariam, vel Secretariam Brevium. Si petens extra Romam sit, Breve dirigitur Confessori Doctori in teologia, seu Jure Canonico, vel habenti privilegium. *Luc. lib.* 15. *p.* 2. *Lacr. lib.* 6. *p.* 3. *ex n.* 951.

☞ Benedict. XIV. in Constitut. *Pastor bonus*, an. 1744. ponit facultates Pœnitentiarii Majoris; & in Constit. *In Apostolicæ*, tractat de Officialibus Pœnitentiariæ. Qui his notitiis indigat, videat prædictas Bullas.*

375 Licèt probabile sit, Regulares sine speciali licentia Episcopi posse absolvere à peccatis Episcopo reservatis à jure, vel consuetudine, ut tenent plures, tamen certum est, non posse absolvere ab eis, quæ Episcopus specialitèr sibi reservat ex Constit. *Urban. VIII. ann.* 1628. & *Clem. X. Superna magni Patrisfamilias*, & ex propositione 12. inter damnatas ab *Alex. VII. Lacroix lib.* 6. *p.* 2. *n.* 1628. Qui in aliqua Diœcesi habet facultatem absolvendi à reservatis, po-

potest ab eis absolvere Peregrinos, qui bona fide ad ipsum accedunt, etiamsi illud peccatum in Diœcesi pœnitentis sit reservatum: nam ex tacito consensu Prælatorum, & generali consuetudine Peregrini pro incolis, quoad forum pœnitentiale, habentur. Si verò ad talem Diœcesim accedant præcisè, ut à peccatis absolvantur, non possunt absolvi, ne elusoria fiat reservatio. *D. Anton.* 3. *p. tit.* 17. *c.* 4. *Suar. de Pœnit. D.* 30. *sect.* 1. *Lugo eod. D.* 20. *num.* 71. contra *Navar. Sotum*, & *alios.* Imo potest Confessarius non habens facultatem specialem absolvere Peregrinum à peccato non reservato in Diœcesi Confessarii, licet sit reservatum in Diœcesi pœnitentis. Secus est, si in utriusque Diœcesi sit reservatum: imò etiam si in Diœcesi Peregrini non sit reservatum, si est reservatum in Diœcesi Confessarii, non potest hic à tali peccato absolvere, quia Peregrinus quoad forum pœnitentiale pro incola habetur, præcipuè cum reservatio potius, quam pœnitentem, afficiat Confessarium, cui pro tali casu tollitur jurisdictio. *Suar. de Pœnit. D.* 33. *sect.* 1. *n.* 5. contra *aliquos.* A peccatis reservatis à Generali, vel Provinciali pro suis subditis possunt absolvere, non solùm Ganeralis, & Provincialis, sed etiam Superiores Locales imediati, & delegati ab his omnibus, non verò alii: si non detur ad hoc aliquod speciale privilegium, quod quidem juxta ejus tenorem servari oportet: tale habent Fratres Minores, & Prædicatores. *Suar. de Relig. t.* 4. *tr.* 8. *L.* 2. *c.* 19. *Rodrig. tom.* 1. *q.* 62. *art.* 5. Regulares nequeunt absolvi à casibus reservatis virtute Bullæ Cruciatæ, neque à Confessario Ordinario Monasterii, ut daclaravit Urbanus VIII. Noviti verò benè possunt eligere Confessarium virtute Bullæ, cùm non sint Religiosi, nec in odiosis eorum nomine veniant.

376 Quamvis per confessionem, & absolutionem Sacramentalem remittatur peccatum quoad culpam, tamen remanet pœna temporalis illius luenda, vel in Purgatorio, vel in hac vita per opera satisfactoria, vel indulgentias, quæ pertinent ad secundam partem Rubricæ, in qua de remissionibus agitur. Pœnitentia ergo prout est satisfactio, est pars integralis confessionis, & quidem conformis institutioni Christi. *Trid. sess.* 14. *Can.* 14. & 15. non est de essentia Sacramenti: sed ex præcepto est regulariter imponenda à Confessario debetque esse talis, ut proportionetur culpæ & necessitati pœnitentis. Potest tamen aliquando levissima injungi, quando scilicèt, pœnitens est vehementèr contritus, vel debilis, vel infirmus, & impotens ad gravem pœnitentiam, vel si Jubilæum: vel Indulgentia applicetur, sed ut possit securius pœnitentia moderari, expedit, quod Confessarius addat illa verba: *Quidquid boni feceris, & mali patienter sustinueris.* Potest injungi opus internum; v. g. meditatio de morte: nam Confessarius opus internum nomine Christi, imò, & Ecclesiæ potest præcipere. *Lacroix L.* 1. *n.* 648. & *seqq.* Regulariter tamen debet esse externum. Per satisfactionem enim pro pœna intelligitur aliqua compensatio honoris, & authoritatis Dei læsæ per culpam. Si hæc compensatio in æstimatione morali sit æquivalens pœnæ subeundæ in vindictam peccati, dicitur satisfactio condigna, si tamen non habeat omnimodam proportionem, sed ex quadam convenientia censeatur admittenda à Deo offenso, dicitur congrua. Ad satisfactionem condignam ex parte operis requiritur, quod opus sit moralitèr *bonum*, *liberum*, & *voluntarium*, *supernaturale*, *afflictivum*, & *positivum* ex aliqua intentione satisfaciendi, etiamsi alias sit præceptum: quin, & patientèr tolerando flagella Dei, vel alia mala, & adversa, ea facimus per talem acceptationem voluntaria, & per ea satisfacere possumus. *Trid. sess.* 14. *de Pœnit. cap.* 9. Ex parte operantis requiritur *status viæ*, & *gratiæ*, quamvis satisfactio, saltem prout imponitur in Sacramento penitentiæ, etiamsi in peccato lætali adimpleatur, probabilitèr prodesse valeat: ut ex *Suarez*, *Cajet.* & *aliis* tenent *Lacr. L.* 6. *p.* 2. *n.* 1245. contra *D. Thom.* & *alios*: Opera, quæ in satisfactionem debent injungi, sunt triplicis generis, scilicèt, *oratio*, *eleemosyna*, *jejunnium.* Ad orationem reducitur omne opus bonum ad cultum Dei ordinatum. Ad eleemosynam omne opus bonum, quod in proximum dirigitur per opera misericordiæ. Ad jejunium omne opus bonum, quod est corporis afflictivum, ut maceratio carnis. Satisfactio, ut à Confessario imposita tanquam pars integrans Sacramentum Pœnitentiæ efficaciorem vim obtinet ex Christi institutione: & hanc vim habet ex opere operato, præter eam, quæ correspondet merito operantis. Sic *ex D. Thom. Suarez*, & *alii Salmantic. tom.* 1. *tr.* 6. *cap.* 10.

La-

Lacroix, lib. 6. p. 2. ex num. 1229. & 1302.

377 Cum Confessarius personam Medici, & Judicis in hoc Sacramento agat, utramque pœnitentiam imponere debet, & medicinalem, quæ pœnitentem præservet à lapsu; & vindicativam, ut Divinæ Justitiæ satisfiat à pœnitente per opera pœnalia, & ipsi deserviat ad compensationem pœnæ temporalis, quæ remanet ex dimissis peccatis quoad culpam. Et quia contraria contrariis curantur, oportet prorsus superbo humiliationem, avaro largitionem eleemosynæ, luxurioso carnis macerationem, & sic aliis alia hujusmodi injungere. *c. 10. 26. q. 7.* ibi: *In his ipsis, in quibus, deliquit, agens multa contraria, & Zachæus fecit. L. 25. tit. 4. p. 1.* ibi: *Debele dàr penitencia contraria del pecado que fizo, ò otra, segun su alvedrio, qual entendiere que podrà cumplir.* Debet Confessarius, tàm in electione opinionum, quàm in satisfactionis, & pœnitentiarum impositione, uti vino, & oleo, sicut ille Samaritanus Evangelicus. Non sit nimis rigidus, nec nimis blandus: ne rigore pœnitentes terreat, vel lenitate culpas foveat, ut olim Apollo Phaetontem alloquebatur. *Nec premè, nec summum molire per æthera currum— altius egressus Cœlestia tecta cremabis: inferius terras: medio tutissimus ibis:* sepè tamen, & in dubio semper oportet ad benignitatem declinare, ne odiosum reddatur Sacramentum. *c. 2. de Sacrileg. c. 12. 26. q. 7.* ibi: *Et si erramus modicam pœnitentiam imponentes nonnè melius est propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem? Ubi enim Paterfamilias largus est, dispensator, non debet esse tenax. Si Deus benignus est, ut quid Sacerdos ejus austerus? vis apparere Sanctus? circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus.* Et quia manifesta peccata scandalum in populo generant, licèt non conveniant quod Confessarius publicam pœnitentiam in foro Sacramentali imponat ob periculum revelandi peccatum, potest tamen obligare publicum peccatorem, ut se publicè emendatum ostendat. Pœnitens tenetur sub gravi adimplere pœnitentiam, si hæc rationabilis sit, & pro culpa gravi nondum confessa imponatur. Esse tantùm obligationem sub veniali ad pœnitentiam adimplendam, si imponatur tantùm pro venialibus, vel mortalibus aliàs confessis, vel si levis sit, vel si Sacerdos noluit sub gravi obligare, vel si pars tantùm levis omittatur, tenent *Suar. de Pœnit. D. 38. sect. 7. Laym. L. 5. tr. 6. c. 15.* Si pœnitenti sit nimis molesta, & dificilis pœnitentia, & Confessarius nolit eam moderari, non peccat pœnitens, si discedens sine absolutione se alii Confessario sistat, & ea confiteatur peccata: nam in hoc suo jure utitur. Nec est necessè pœnitentiam peragi ante absolutionem, ut olim docebat Petrus de Osma, cujus error damnatus à *Sixto IV.* fuit ab aliquibus rigoristis renovatus, & addiderunt, praxim non absolvendi, nisi peracta prius pœnitentia viguisse in Ecclesia per 12. prima sæcula. Certum tamen est, quod absoluta est retinenda praxis, qua utimur in Ecclesia absolvendi ante peractam pœnitentiam, licèt ut servetur ordo judicii, ante absolutionem injungatur. De quo *Lacroix L. 6. p. 2. n. 1230.* Hinc *Alexand. VIII.* has damnavit propositiones. 16. *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit, non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi Lex, & præscriptio naturæ rei, id ipsum quodammodo dictante.* 17. *Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus.* 18. *Consuetudo moderna, quoad administrationem Sacramenti pœnitentiæ, etiam si eam plurimorum hominum sustentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed pro abusu.* 22. *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.* In idem incidit prop. 87. *Kesnel.*

378 Cum manifesta peccata non sint occulta correctione purganda. *c. 1. h. t.* debet pro ipsis in foro externo publica pœnitentia imponi. *c. 19. 2. q. 1. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 8.* Ut hoc modo rei emendentur, & alii tali exemplo à peccatis committendis arceantur, dum vident, ea impunita non manere. Pœnitentia publica, alia est *solemnis*, alia *non solemnis. Solemnis* erat, quæ fiebat servatis certis ritibus, & solemnitatibus: nam pœnitentes in principio Quadragessimæ ante fores Ecclesiæ se presentabant Episcopo sacco induti nudis pedibus, vultibus in terram demissis, se reos esse ipso habitu, & vultu protestantes. Et variis precibus in Ecclesia factis Episcopus manus imponebat, aquam benedictam spargebat super eos, mittebat cinerem, & cilicio capita eorum operiebat, & cum gemitu, & crebris suspiriis denuntiabat, quod sicut

cut Adam projectus est de Paradiso, ita ipsi pro peccatis ab Ecclesia abjiciebantur: & tunc à Ministris expellebantur extra januas Ecclesiæ, & in Sacra Domini Cœna rursus admittebantur. *c.* 64. *D.* 50. *L.* 18. *tit.* 4. *p.* 1. Sed talis publica pœnitentia jam non est in usu, nisi fortè, quando excommucicatus solemnitèr absolvitur. Solus enim Episcopus hanc pœnitentiam indicebat, & quidem in Quadragessima tantùm, semel solùm in vita, & tantùm pro peccatis valdè gravibus, & scandalosis. Et non indicebatur Clericis, nisi depositis, & quidem sine spe restitutionis. *c.* 2. *de Pœnit. D.* 6. *c.* 65. *D.* 50. Nec conjugatis, sine uxoris consensu, imponebatur. Et quia crimen promulgabatur, pœnitens fiebat infamis. Pœnitentia publica non *solemnis* est, quæ à quolibet Sacerdote publicè, & in facie Ecclesiæ pro peccatis, non adeò gravibus, & in quocumque tempore, & sæpiùs, & indistinctè, etiam conjugatis imponebatur; v. g. peregrinatio cum pera, & baculo benedictis, ut deducitur ex *c.* 61. *c.* 66. *D.* 50. *c.* 17. *de Consecr. D.* 3. *c.* 2. *h. t. L.* 20. *tit.* 4. *p.* 1. Olim quidem gravissimæ pœnitentiæ trium nempè, septem, decem, vel quindecim annorum, quin & pro tota vita imponebantur in oratione, suspensione, pane, & aqua, detrusione, & aliis hujusmodi de quibus latè in Canonibus pœnitentialibus: quæ jam non sunt in usu.

379 In *c.* 2. *h. t.* dicitur: *Qui Presbiterum occiderit duodecim annorum pœnitentia ei secundum Canones imponatur: convictus, usque ad ultimum tempus vitæ suæ militiæ cingulo careat, & absque spe conjugii maneat.* Hodie tamen tàm impedimentum, quam pœna in desuetudinem abjit. *In c.* 9. *h. t.* præcipitur, quod audiatur confessio mulieris, nec ipsi denegetur absolutio, quia sibi partum supposuit, faciendo, quod venter ejus intumuisset ex certo succo herbarum, quem potavit, ne ejus bona devenirent ad extraneos: sicut non negatur absolutio ei, quæ filium proprium ex adulterio suscepit, nec vult illud marito detegere: nam licèt ipsa in quantùm potest sine famæ dispendio, & periculo vitæ curare debeat, ne damnum patiantur hæredes legitimi, ac proindè compensationem illis facere debeat, vel ex propriis bonis, vel suadendo filio illegitimo, & renuntiet hæreditati, & fiat Clericus, vel Religiosus: tamen regulariter non tenetur suum occultum delictum manifestare, ad impediendum damnum mariti, & filiorum legitimorum. Nam bonum famæ, & vitæ est superius bonis fortunæ, neque filius, qui in possessione nativitatis legitimæ est, tenetur credere matri asserenti, etiam cum juramentum, esse suppositum, vel ex adulterio susceptum. *L.* 6. *ff. de His, qui sui. c.* 10. *de Probat. & ibid. Gonz. n.* 8. *Less. de Just. lib.* 2. *cap.* 10. *ex num.* 47. Adulter non solùm quando est dubium, an prolex sit sua, sed etiam quando sibi persuadet, suam esse, regulariter excusatur à restitutione: quia regulariter nequit fieri sine gravi periculo vitæ, vel famæ; vel quia aliunde à matre fit compensatio: cessantibus tamen his causis, damna ex adulterio, si hæc constet, ab adultero compensanda veniunt.

380 Medici nequeunt sub anathematis pœna pro corporali salute, aliquid ægroto suadere, quod in periculum animæ convertatur; quia anima multo pretiosior est corpore. *c.* 13. *h. t. L.* 37. *tit.* 4. *p.* 1. Imò, Medici vocati ad infirmos, ante omnia debent infirmum ad confessionem inducere, ut cessante causa cesset effectus: cum infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proveniat, dicente domino languido, quem sanaverat, vade, & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. *c.* 13. *h. t. L.* 37. *tit.* 4. *p.* 1. ibi: *E por ende todo por bien Santa Eglesia, que ningun Fisico Christiano non sea ossado de melecinar al enfermo à menos de confesarse primeramente: è el que contra esto ficiere, que juese echado de la Eglesia. S. Pius V.* Motu proprio *super Gregem.* 8. *Mart. ann.* 1566. hanc decretalem innovit, & addidit, quod Medicus non visitet ægrotos ultra tertium diem, quando morbus periculum mortis habet, nec ad ipsos redeat, nisi Confessarius testetur, infirmum confessum esse. Et præcipit universitatibus, quod exigant à Medicis juramentum, hoc servandi, quando ad Doctoratus gradum eos promoverint, vel licentiam medendi dederint. Sed hæc constitutio, vel numquam fuit usu recepta, vel jam est abolita per desuetudinem. In nostra Hispania habetur in *L.* 3. *tit.* 16. *lib.* 3. *R. C.* ibi: *Mandamos, que los Medicos, y Cirujanos guarden lo dispuesto por Derecho Canonico, en advertir à los enfermos que se confiessen, especialmente en las enfermedades agudas, en las quales, el Medico, y el Cirujano que las curare, sean obligados, à lo menos en la segunda visita, de amonestar al doliente, que se confiesse, so pena de*

diez

diez mil maravedis para la nuestra Camara, y Fisco, por cada vez que lo dexaren de hacer. Et in *L. 5. tit. 1. lib. 1. R. C.* dicitur: *Todo Fiel Christiano, al tiempo de su finamiento, sea tenudo de confessar devotamente sus pecados, y de recibir Comunion del Sacramento Santo de la Eucharistia, segun lo dispone la Santa Madre Iglesia; y el que no lo hiciere, è finare sin confesion, pudiendolo hacer, que pierda la mitad de sus bienes, y sean para la nuestra Camara.*

381 Alius modus, & quidem facilior, satisfaciendi pro peccatis, est per indulgentias. *Indulgentia* est remissio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus extra Sacramentum facta ex thesauri Ecclesiastici dispensatione. Sic *com. DD.* In thesauro Ecclesiæ inveniuntur merita, & opera satisfactoria Christi Domini, quæ sunt valoris infiniti: B. Mariæ, & aliorum Sanctorum. Nam cum his non indiguiset ad satisfaciendum Deo, in deposito, & thesauro reservata Ecclesia ad aplicanda aliis fidelibus: *Extr. Unigenitus 2. h. t. intr. com.* ubi loquendo de infinitis Christi meritis, ait *Clement. IV. Quantùm ergo ex indè, aut nec supervacua, inutilis, ut superflua tantæ effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiæ adquisivit, volens suis thesurizare filiis pius Pater, ut sic sit infinitus thesaurus hominibus: quo qui usi sunt, Dei amicitiæ participes sunt effecti: quæ quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per B. Petrum Cœli clavigerum, ejusque Sucessores, suos in terris Vicarios commisit fidelibus salubritèr dispensandum. Et propriis, & rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporali pro peccatis debitæ tàm generalitèr, quàm specialitèr (prout cum Deo expedire cognoscerent) verè pœnitentibus, & confessis misericorditèr applicandum.* Indulgentia quidem pro diversis respectibus diversè dividitur nam alia *est totalis, partialis* alia. Indulgentia, *totalis, penalia,* seu *plenissima,* est per quam tota pœna, quæ esset in Purgatorio luenda remittitur. *Partialis* est per quam non tota pœna, sed aliqua pars remittitur, vel indeterminata; v. g. tertia pars pœnarum, vel determinata; v. g. Quadragena, id est, pœna, quæ per Quadragessimam erat subeunda; vel *Carena* sic dicta quasi carentia, id est, pœna per quadraginta dies in pane, & aqua sustinenda: vel unius anni, &c. Per has indulgentias remittitur pœna, quæ per pœnitentiam talis temporis respectivè esset remittenda. Alia insuper est *temporalis,* quæ scilicèt lapsu certi temporis finitur. Sic indulgentia concessa ad certum tempus, vel sub conditione, cessat, illo finito, & hac deficiente. Similiter ad beneplacitum concessa, mortuo concedente, utpotè cessante ejus beneplacito, etiam & ipsa expirat. *c. 5. de Rescript. in 6.* Alia item est *perpetua,* quæ semper durat, quousque revocetur. Sicque indulgentia concessa à Papa, vel Episcopo simplicitèr, non cessat morte concedentis *arg. c. 16. de Reg. jur. in 6.* etiam si cesset causa, ob quam fuit concessa: dum hæc à principio fuisset concessioni proportionata. *Suar. de Pœnit. D. 52. sect. 2. n. 4.* Indulgentia quamtumvis ex sua concessione perpetua sit, pendet tamen in ejus conversatione, & cessatione à voluntate concedentis, sicut ab eo in concessione pendet; *arg. cap. 1. de Reg. jur. L. 35. ff. eod.* ac proindè potest revocari ab ipso concedente, ab ejus successore, & supperiore utriusque. *Extr. 4. & 5. h. t. inter com. Suar. de Pœnit. D. 57. sect. 2. n. 8. p. 11. Lacroix, L. 6. p. 2. num. 1382.* Deindè: Alia est *personalis,* quæ personæ: alia *realis,* quæ rei; v. g. Rosario; vel Cruci: alia *localis,* quæ certo loco, v. g. altari, vel Ecclesiæ est concessa. Si locus, vel res, cui est concessa indulgentia, sine spe reædificationis destruatur indulgentia cessat. Si verò cum reædificationis spe destruatur, suspenditur indulgentia, & si brevi tempore reædificetur locus indulgentia resurgit. *Suar. de Pœnit. D. 52. sect. 1. n. 8. & 9. Lacroix, L. 6. p. 2. num. 1383.* Usum indulgentiarum, non solum antiquissimum esse constat. *Extr. 1. h. t. Inst. com. Trid. sess. 25. Decret. de Indulgentiis,* sed à tempore Apostolorum derivari probat. *Suarez de Pœnitent. D. 49. sect. 2.*

382 S. Pontifex habet illimitatam potestatem dispensandi Ecclesiæ thesaurum, ac proindè potest ipse, & quidem solus, plenarias indulgentias, non solùm pro vivis, sed & pro defunctis concedere, *arg. c. 4. h. t. Extr. 2. eod. inter com.* non tamen potest tot concedere, ut Purgatorium exhauriat: qui non videtur posse tantam profussionem juxta causa cohonestari. *Lacr. L. 6. p. 2. ex n. 1317.* Quippe cum non sit dominus, sed dispensator, si absque juxta, & legitima causa: & quidem concessioni proportionata, indulgentias concedat, non solum hæ erunt illicitæ, sed & invalidæ; *arg. c. 14. h. t.*

vel

vel in totum, vel saltem qua parte indulgentia causam excedat, *cap.* 1. *C. fin. h. t. in 6.* Tales causæ sunt propagatio fidei Catholicæ, hæresum extirpatio, concordia inter Principes Christianos: conversio infidelium, exaltatio Ecclesiæ, excitatio ad devotionem, & virtutem, &c. *Suar. de Pœnit. D.* 52. *sect.* 2. *Lacr. l.* 6. *p.* 2. *ex n.* 1301. Indulgentiæ nequeunt primo publicari sine licentia, & approbatione Ordinarii. *Trid. sess.* 21. *de Reform. cap.* 9. Indulgentiæ verò jam olim concessæ possunt publicari à Religiosis, vel illis, quibus sunt concessæ, sine Ordinarii licentia juxta *Gallemart.* In Hispania ultra licentiam Ordinarii requiritur etiam licentia Commissarii Cruciatæ, vel delegati ab ipso, ut possint indulgentiæ publicari, vel typis mandari. *L.* 12. *tit.* 10. *lib.* 1. *R. C.* Pro Indiis tamen habemus Decretum Regium post *tit.* 20. *lib.* 1. *R. Ind.* ibi: *En Consulta del Consejo de* 27. *de Abril de* 1651. *sobre otra del Consejo de Cruzada, fue su Magestad servido de resolver, que las Bulas, ò Breves de Indulgencias, que su Santidad concediere para las Indias, se presenten por aquel Consejo, y pasen por el de Indias; y estando pasadas por ambos Consejos, no sea necesario pasarlas por los Tribunales de las Indias.* In praxi tamen hic præsentatur Bullæ Indulgentiarum Ordinario, & Subdelegato Cruciatæ. Episcopi confirmati, etiamsi consecrati non sint, possunt indulgentias concedere, sed tantùm pro sua Diœcesi, etiamsi actu in ea non existant, cum sit actus jurisdictionis voluntariæ, & tantum suis subditis, *capit.* 4. *h. t.* Exempti tamen intra Diœcesim existentes bene possunt lucrari indulgentias ab Episcopo concessas, ne in eorum damno retorquatur exemptio, quæ est in eorum favorem inducta contra *capit.* 61. *de Reg. jur. in* 6. *L.* 6. *C. de Leg.* Ipse concedens etiam eas lucrari potest. *Suar. de Leg. lib.* 6. *cap.* 12. *n.* 8. Extranei, qui in tali Diœcesi, nec domicilium, nec quasi domicilium habent, non possunt lucrari indulgentias ibidem concessas, nisi eorum Episcopus specialitèr consentiat. *Barb. de Offic. Episc. alleg.* 88. *n.* 25. Archiepiscopo specialitèr concessum est, ut possit non solùm pro sua Diœcesi, sed pro tota sua Provincia, etiam, quando actu eam non visitat, concedere indulgentias, *cap.* 15. *h. t.* Quod non extenditur ad Patriarcham, vel Primatem, qui solùm in sua Diœcesi, si est Episcopus, vel in sua Provincia, si est Archiepiscopus, non verò potest in toto Regno indulgentias concedere. Archiepiscopus, & Episcopus solùm possunt 40. dies concedere, nisi in die Dedicationis Ecclesiæ, in quo indulgentiam unius anni possunt concedere, *cap.* 14. *h. t. Barb. de Offic. Episc. alleg.* 88. *n.* 14. *Suar. de Pœnit. D.* 55. *sect.* 3. *n.* 7. *Lacr. l.* 6. *p.* 2. *n.* 320. *& seq.* Cardinales in Ecclesiis sui tituli ex privilegio 100. dies concedere valent, vel ex consuetudine: siquidem hanc facultatem consuetudine posse obtinere saltem est probabile. *Sanch. in Decal. L.* 4. *cap.* 38. *n.* 21. *Laym. l.* 5. *tr.* 7. *cap.* 4. *n.* 4. *Castrop. tr.* 24. *D. un. p.* 6. *n.* 7. contra *Suar. de Pœnit. D.* 55. *sect.* 4. *n.* 3. *Nav. Sot. Turrecr. & alios.* Legati à Latere, aliique Prælati, sive Sæculares, sive Regulares Episcopo inferiores, quibus Jure Communi non conceditur hæc facultas, solent privilegium habere ad concedendas indulgentias. Parochi, Vicarius Generalis Episcopi, vel Capituli: imò nec ipsum Capitulum, Sedevacante, nec Concilium Generale habent potestatem concedendi indulgentias. *Dian. in Sum.* V. *Indulgentia.* Nam hæc facultas est meræ gratiæ, & per se est Dignitati reservata: possuntque Episcopi hanc potestatem, cum sit ordinaria, alteri delegare. Et cum concessio indulgentiarum non sit actus ordinis, sed jurisdictionis, Papa, vel Episcopus, etiam nec dum Sacerdos, posset, & indulgentias concedere, & delegare concessionem cuivis simplici Clerico. Sed cum Episcopus, non per modum dispensationis Thesauri Ecclesiæ: nam hoc pertinet ad Papam, sed solùm per modum absolutionis possit indulgentias concedere, non valet eas concedere pro defunctis, in quos jurisdictionem non habet, sed solùm pro vivis, si sui subditi sint: quippè in eos jurisdictionem habet: *Bellarmin. lib.* 1. *de Indulg. cap.* 14. *lib.* 6. *p.* 2. *n.* 1315. *&* 1320. ☞ Nunc Benedictus XIV. in Constit. *Pia Mater*, Nonis Aprilis ann. 1747. Thesaurus Ecclesiæ in favorem fidelium liberalitèr aperiens, concedit Episcopis facultatem impertiendi benedictionem cum Indulgentia plenaria fidelibus in articulo mortis constitutis, etiam per alios, tàm in Civitatibus, quàm in Diœcesibus, ab ipsis subdelegatos. * Prælati Regulares, licet non possint applicare alteri satisfactionem suorum subditorum, sine illorum saltem præsumpta licentia: (quamvis aliqui contrarium teneant) possunt quemlibet admittere ad communicationem bonorum operum suorum subditorum, quoad meritum de congruo, & impetrationem: quia in hoc nihil auferunt à subditis: possunt tamen subditis

præcipere, ut alicui applicent satisfactionem in necessitate. *Alloza in Sum.* V. *Indulgentia, sect.* 1. *n.* 21. *Suar. & alii.*

383 Ut quis possit lucrari indulgentias: 1. debet esse baptizatus. Pro Catechumenis vivis, & defunctis, posse indulgentias applicari ex *Granado* contra *Præpositum* tenet *Diana in Sum.* V. *Indulgent. n.* 6. 2. debet esse non excommunicatus, *cap.* 32. *cap.* 107. 11. *q.* 3. debetque omnia opera præscripta adimplere, alias cum non servet formam, vel conditionem, eas non lucrabitur, etiamsi per ipsum non stet, nisi alitèr in concessione exprimatur. *Extr.* 2. *h. t. inter com.* debet esse in gratia, saltem, quando ultimum opus completur: Siquidem non potest per indulgentiam tolli reatus pœnæ, si stet reatus culpæ gravis. *Dian. in Sum.* V. *Indulgentiæ requisita, num.* 3. *Lacr. l.* 6. *p.* 2. *n.* 1301. Indulgentiæ pro aliqua festivitate concessæ incipiunt à primis illius vesperis, & durant usque ad occasum solis diei sequentis. Concessæ ad septennium incipiunt à die publicationis factæ in illo loco, & licèt consultius sit habere actualem intentionem lucrandi indulgentias, sufficere intentionem habitualem, & interpretativam, quam generalitèr habent Christiani, de eo quod sua opera prosint, quantum possunt tenent *Suar. de Pœnit. D.* 56. *sect.* 1. *n.* 7. *Lug. de Sacr. D.* 27. *n.* 82. *Lacr. L.* 6. *p.* 2. *n.* 1325. Si pro alio quis velit indulgentiam lucrari est necessarium habere intentionem lucrandi determinatè pro illo: sufficit tamen intentio habitualis, id est, semel habita, & non revocata, dum tamen ille, pro quo applicatur, sit in statu gratiæ. Et potest applicari absenti, ignoranti, & non petenti, & probabilitèr positivè invito: sicut à censura potest invitus absolvi: quia licèt fructus meriti non possit alii applicari, cum meritum sit ad gratiam, & gloriam merentis, fructus tamen satisfactionis alteri potest applicari, ut patet in Christo D. qui pro nobis satisfecit. Pro defunctis nullus, nisi Papa potest indulgentias applicare: quippè ipse solus habet claves Thesauri Ecclesiæ, easque applicat solùm per modum solutionis, cum defuncti jam sint extra ejus jurisdictionem. Et licèt aliqui dicant, posse aliquem, qui non sit in gratia lucrari indulgentiam pro defuncto, qui est in Purgatorio, qui certè est in gratia, securius est illam in statu gratiæ applicare. Indulgentiæ applicationem pro defuncto habere infallibilem effectum, alii negant, alii concedunt: utrique probabiliter. *Lacr. lib.* 6. *p.* 2. *n.* 524. & 1350. Indulgentia, quæ conceditur alicui festo non transfertur cum officio illius festi. Si verò cum officio etiam festum transferatur, & in concessione non fiat mentio diei mensis, sed solùm festivitatis, transfertur indulgentia, quia tunc est festum alicujus Sancti, cum celebratur ejus festum, & officium. Sic *Diana in Sum.* V. *Indulgentia, n.* 9. Indulgentiis vivis concessæ non possunt defunctis applicari, nisi hoc in Bulla specialitèr concedatur. Quando indulgentia est applicata alicui grano, Cruci, vel Imagini, si alteri commodetur, non lucratur Commodatarius indulgentiam ex declaratione *Innoc. X.* Qui ab alio, quam à Papa accepit facultatem concedendi indulgentias non potest alteri concedere, ut applicet: quia delegatus non potest delegare. *Diana in Sum.* V. *Indulg. requis. n.* 13. & 15.

384 Sed quia solent aliquæ indulgentiæ falso supponi, quæ in re non sunt concessæ, referam Decretum de Indulgentiis apocryphis, quod affert *Lacr. l.* 6. *p.* 2. *ex n.* 1367.

Decretum de Apocryphis Indulgentiis.

DElatæ sæpiùs fuere ad S. Congregationem Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præpositam Indulgentiæ quædam confictæ, & omninò falsæ, quæ per diversis Orbis Christiani partes circunferuntur: aliæ verò examinandæ, quæ adhibito studio inventæ sunt, vel apocryphæ, vel à Romanis Pontificibus revocatæ, vel nullæ: quod datum eis tempus præteriisset, quarum quidem primæ, cum non facilem cognitionem habeant, Christi fideles harum rerum minus peritos fallunt, qui spe Indulgentiæ, remissionisque peccatorum suorum consequendæ frustrantur. Quamobrem eadem S. Congregatio vehementèr cupiens huic malo magis in dies serpenti occurrere, animarum profectui, & Indulgentiarum dignitati consulere, plures illarum singulari diligentia colligi, & Indicem referri curavit.

Tales in primis sunt illæ, uti asserunt, concessæ à Joanne II. & Sixto IV. recitantibus orationem charitatis Jesu-Christi Domini nostri: *Præcor te piissimè Domine, &c.* Ab Urbano II. Ecclesiæ S. Mariæ, ut vulgo dici solet, Compagnolæ, & S. Victoriæ. Ab Eugenio III. Revelationi de plaga in humero Jesu-Christi factæ S. Bernardo. Ad Innocentio III.

Ar-

Archiconfraternitati, & Ordini Redemptionis. A Bonifacio IX. visitantibus Capellam S. Nicolai de Tolentino in ejus die festo. A Joanne XXII. osculantibus mensuram plantæ pedis B. Mariæ Virginis. Ab Alexandro VI. Imagini B. Mariæ, vulgo dictæ Laphetti. A Leone X. gestantibus funiculum S. Francisci primum in Urbe impresse, deindè Mediolani anno 1665. (suas tamen habent, & veras confratres Archiconfraternitatis Cordigerorum S. Francisci) recitantibus salutationem Angelicam ad pulsum horologii, & Imagini Conceptionis Mariæ Virginis Immaculatæ in circulo depictæ, cujus pedibus luna subjecta est. A Pio IV. vel S. Pio V. Principi Senarum. A Clemente VIII. dicentibus orationem: *O magnum Mysterium &c.* Et Ecclesiæ S. Mariæ, quam vocant, Montis Serrati Avenione impressæ. Tum aliæ pro animabus Christi fidelium defunctorum, impræsse Matriti 20. Julii 1606. A Paulo V. cantantibus hymnum: *Te Matrem Dei laudamus, te Mariam Virginem confitemur, &c.* Vel si die Sabbati intererint, dum idem canitur. Et Coronis, Rosariis, Imaginibus, Numismatibus, quæ Medallias appellant, ab eo benedictis, Federico Cardinali Borromæu supplicante, anno 1611. dum Ecclesia Romæ in honorem S. Caroli adificaretur: & ab eodem Paulo, & Gregorio XV. dicentibus: *Sia lodato il Santissimo Sacramento, laus Santissimo Sacramento.* Ab Urbano VIII. in honorem ejusdem Sacramenti, precibus Cardinalis Magalotti, & Sacerdotibus celebrata Missa dicentibus: *Ave Filia Dei Patris, Ave Mater Dei Filii, &c.* A Clemente X. recitantibus manè, meridiè, ab vesperè consuetam Antiphonam. *Angelus Domini, &c.* Et in fine: *Deo gratias, & Mariæ.* Ac demum aliæ à nonnullis Romanis Pontificibus tributæ, ut ajunt, Coronis Mysteriorum Passionis Domini Nostri Jesu-Christi, prece magni Ducis Etruriæ.

Talis Indulgentia Sodalitatis S. Nicolai, qua repetita, quinquies oratione Dominica, & Salutatione Angelica, unam liberari animam, quolibet die à Purgatorii pœnis, affirmant. Tales aliæ Perusii Confraternitati Sanctorum Sebastiani, & Rochi, de Romæ Societatis S. Bernardi, ad Columnam Trajani: Tales demum aliæ Cruce signatorum. S. Eustorgii, Medionali, Arimini, & Bononiæ.

Ejus generis sunt, & illæ concessæ, ut ajunt, Capellæ Rosarii in Ecclesia S. Antonii de Rovigo, seu Rodrigii, vel Ecclesiæ SS. Trinitatis Bergonis, aut S. Petri Montis Tondoni, die festo Inventionis SS. Crucis, vel gestantibus funiculum S. Francisci de Paula: vel celebrantibus Missas S. Augustini, aut alias quinque in honorem quinque Festivitatum B. Virginis: vel recitantibus Officium S. Francisco Romanæ, aut Antiphonam: *O Passio magna, &c.* in memoriam Passionis Jesu: aut Rosarium S. Annæ (quod Congregatio Sacrorum Rituum non probat) aut oratione: quæ impressa cum Imagine. Annæ circumferri solet: *Ave gratia plena &c.* (quæ oratio prohibetur) aut Officio Conceptionis B. Virginis Immaculatæ, quod afferunt à Paulo V. probatum fuisse: aut Orationem *Deus qui nobis in S. Syndone &c.* (excipitur Indulgentia centum dierum, ann. 1671. concessa precibus Ducissæ Sabaudiæ ad annos 25. cunctis in illius Ditione degentibus) aut aliam: *Ave Filia Dei &c.* post communionem recitandam: vel aliquo conspicuo signo venerantibus SS. Eucharistiæ Sacramenti nomen. Indulgentiæ rursus octoginta millium annorum veteri de tabula exscriptæ, quàm in Basilica Lateranensi asservari affirmant, pro dicentibus orationem illam verè piam. *Deus, qui pro redemptione mundi, &c.* Tùm quæ impressæ fuerunt Papiæ, Anno 1670. sub hoc titulo: *Sommario dell Indulgenze concesse dalla Santita di nostro Signore Papa Leone X. all Immagine della Concezione della Gloriosa Virgine Maria.* Vel Pisauri sub nomine B. Joannæ, Anno 1608. evulgatæ: vel Balette seu Barula recitantibus quasdam, non sanè malas orationes, lucrandæ: vel Parmæ á visitantibus per quadragessimæ dies Ecclesias Tertii Ordinis S. Francisci: vel Pistorii, & Vastallæ à recitantibus orationem: *Ave Sanctissima Maria Mater Dei Regina Cœli &c.* Et aliæ in peculiari impresso libro descripta, quibus frui dicunt devotos Seraphicos, & Benefactores.

His annumerandæ sunt, quæ Crucibus Caravacensibus tributæ dicuntur, vel Coronæ, sive Stellario Conceptionis immaculatæ, quod ex duodecim globulis precariis constat; vel granis, Crucibus, & Coronis Aloysiæ ab Ascensione Hispaniæ Monialis Ordinis S. Claræ, vel mensuræ altitudinis Jesu-Christi Domini nostri: vel Imagini, aut mensuræ vulneris lateri ejus inflicti: vel orationi, ut ajunt, in sepulcro Domini nostri reper-

tæ; & indulgentiæ, ut ajunt, innixæ revelationi factæ Sanctæ Birgittæ, Methildi, & Elisabeth, vel B. Joannæ de Cruce. Et concessæ, uti asserunt, granis, quæ aliquod ex tribus granis tetigerint extantibus penes Romanum Pontificem, Hispaniarum Regem, & Ministrum Generalem Fratrum Minorum Observantiæ Sancti Francisci.

Omnes verò, & singulas jam dictas indulgentias S. Congregatio partim esse confictas, & planè fallas declarat; partim apocryphas, vel ex alio capite nullas: quæ nemini suffragari possunt, easque in futurum ullo in loco, ut veras publicari, & lucrandas Christifidelibus proponi vetat; foliaque, & libros, ubi sic proponuntur, seu aufferuntur, omninò præcipit aboleri, nisi prædictæ indulgentiæ fuerint diligenter expunctæ. Nec ideò tamen vult alias, quas hoc Decretum non continet pro veris, & legitimis, tacitèque probatis haberi.

Ac demum, omnes indulgentias concessas ante Decretum Clementis VIII. latum die 9. Jan. 1597. Coronis, Rosariis, Granus, seu Calculis, Crucibus, & Imaginibus Sacris: vel ante Breve Pauli V. quod incipit: *Romanus Pontifex*, &c. Editum 23. Maii 1606. personis Regularibus quarumcumque Religionem, & Ordinum etiam Mendicantium, vel ante Constitutionem 115. Clementis VIII. cujus initium. *Quæcumque*, &c. & 68. Pauli V. incipientem: *Quæ salubriter &c.* habitas per aggregationem, vel aliam communicationem ab Archiconfraternitate ulla, Ordine, Congregatione, Societate, etiam Jesu, Capitulo: vel cœtu quocumque, vel ab eorum Officialibus, Superioribus, aliisque personis, vel persona, etiamsi earum, vel ejus mentio specialis, & individua facienda esset, nisi fuerint deindè Romani Pontificis authoritate innovatæ, aut confirmatæ, nullius roboris esse, & momenti pariter declarat.

Porrò summaria indulgentiarum pro Congregationibus Doctrinæ Christianæ, Confraternitatibus SS. Trinitatis, & Redemptionis Captivorum, B. Mariæ de Monte Carmelo, cincturæ S. Agustini, & S. Monicæ, nisi ab eadem Congregatione recognita, non permittuntur.

Indulgentias verò stationem Urbis, quæ à Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio, vel communicatæ sunt, vel communicabuntur interdum, aliquibus locis, ordinibus, aut personis, diebus, tantùm stationem in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat: semel autem dumtaxat in die plenarium indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri.

De quibus relatione facta per Secretarium ad Sanctisimum, cuncta Sanctitas sua probavit, & inviolatè servari jussit. Datum Romæ die 7 Martii 1678. Die 12. Martii affixum, & publicatum, &c.

385 Prætereà: R. Pontifex, & quidem solus potest Jubilæum concedere, vel in Anno Sancto, ut ordinariè fit, vel pro alia urgente necessitate: v. g. quando in Pontificem eligitur, vel quando Ecclesia ab infidelibus invaditur. Jubilæum ergo, præter indulgentiam plenariam, comprehendit alias speciales gratias, & facultates: nam potest pœnitens confessarium eligere dum tamen ab Episcopo sit approbatus. Et Confessarius potest absolvere ad ipsum accedentes ab omnibus peccatis, & censuris etiam Ordinario, quin & Papæ reservatis, & probabiliter, etiam à casibus Bullæ Cœnæ. Potest item commutare vota, etiam jurata. Deindè potest opera in Jubilæo præscripta in alia pia opera commutare; sed tantùm hanc facultatem habet respectu illorum, qui aliquo impedimento irretiti nequeunt mortaliter peragere opera in Jubilæo præscripta: v. g. qui Claustro, perpetuo Carcere, infirmate, vel captivitate sunt detenti. Non tamen potest absolvere excommunicatum à Judice, vel publicè, & nominatim denuntiatum ob excommunicationem, suspensionem vel interdictum. Nec potest commutare quinque vota reservata, scilicèt, *Religionis*, *perpetuæ castitatis*, *& trium peregrinationum*, *scilicèt*, *in Romam ad limina Apostolorum Petri*, *& Pauli visitanda*, *in Compostelam*, *& Terram Sanctam.* Imò nec votum in favorem tertii emissum, & ab eo acceptatum. *Suar. de Vot. cap.* 25. *Gobat. de Jubil. n.* 290. In Lege quidem veteri annus Jubilæus erat annus remissionis, qui texebatur septem hebdomadis annorum, ac proindè constabat 49. annis. Et dicebatur: *Jubilæus*, à verbo Hebræo *Jobel*, quod justa aliquos 50. significat: juxta alios significat arietem, cujus cornu, tamquam buccina annus remissionis annuntiabatur. Vel sic fortè dicitur *à Jubal*, qui fuit inventor instrumentorum musicorum, quibus annuntiabatur annus Jubilæi. *Dict. Trevoux*, V. *Jubilè*: nam in signum lætitiæ tubis buccinabant. *Josuè 6. v.* 13. Et meritò quidem,

dem, nam tunc servi adquirebant libertatem, exules in patriam restituebantur, & debitores non poterant cogi absolvendum: sed debita, & delicta remittebantur, prædia, possessiones, vineæ, agri venditi, vel oppignorati ad pristinos dominos sine pretio revertebantur. Populus ab agricultura vacabat. *Num. c. fin. v.* 4. Hinc *Bonifacius VIII.* exemplo veteris Legis Jubilæum indixit ann. 1300. visitantibus limina Apostolorum, & concedebatur centessimo quoque anno *Extr. 2. h. t. inter com. Paul. II. & Sixtus IV. ad* 25. ut hodie servatur, reduxit *Extr.* 4. *h. t. inter com.* Annus igitur Jubilæi, qui *Sanctus* dicitur Romæ promulgatur die Ascensionis Domini, & incipit à primis vesperis Nativitatis Christi Domini, à quarum initio Porta Sancta aperitur, & durat usque ad primas Vesperas ejusdem Nativitatis anni sequentis, sub quarum finem Porta Sancta recluditur. *Navar. de Indulg. Notab* 24. *Filiuc. tr.* 8. *num.* 250. Extra Urbem etiam post lapsum anni Jubilæi ex concessione Pontificis tempus pro indulgentiis lucrandis determinatur ab Ordinario, & solent 15. dies, duo, vel tres menses assignari. Et licet semel tantùm possint obtineri indulgentiæ, etiam si sæpius opera præscripta repetantur, ad majorem seccuritatem laudabiliter repetuntur: nam gratia Jubilæo non conceditur copulativè, ut in una, & altera hebdomada obtineri possit: nec indefinite, ut pro aliis duabus hebdomadibus comparetur; sed expresse sub forma disjunctiva; v. g. *Qui prima hebdomada post publicationem, vel in sequenti post illam*: ac proindè semel potest indulgentia obtineri, ut clare ex mente Pontificis deducitur, & esse ferè certum asserunt. *Suar. de Voto, lib. 6. cap.* 16. *n. fin. Sanch. in Decal. lib.* 4. *cap.* 54. *n.* 30. *& alii contra Henr. lib* 7. *de Indulg. cap.* 11. *n.* 1. *Navar. & alios.* Etsi securius sit omnia opera præscripta una hebdomada, & in uno loco complere: tamen probabile est, posse in duabus hebdomadis, & locis impleri. *Laym. Bonac. Castrop. Lacr. lib. 6. p.* 2. *n.* 1409.

386 In Jubilæis solent præscribi hæc opera, 1. Sacra communio, quæ licèt dignitate sit prior, expedit quod post cætera opera adhibeatur, vel etiam repetatur. 2. Confessio: quæ quidem in re debet præcedere communionem, saltem, si detur notitia peccati mortalis; si nullum peccatum mortale gravet conscientiam volentis lucrari Jubilæum potest probabiliter omitii confessio, sed tutius, & securius est ad lucrandas indulgentias confiteri. *Lacr. lib. 6. p.* 2. *n.* 1414. *Soto, Sanch. Bonac. & alii.* Indi possunt lucrari Jubilæum sola confessione adhibita. *L.* 23. *tit.* 1. *lib.* 1. *R. Ind.* ibi: *Nuestro muy Santo Padre Paulo V. fue servido de expedir à nuestra instantia un Breve, dado en Roma à* 28. *de Abril del año de* 1609. *para que los Indios puedan ganar los Jubileos, è Indulgencias con solo el Santo Sacramento de la Confession.* Imò ex concessione Pii IV. possunt lucrari Indulgentias, & Jubilæa, quæ confessionem, communionem, & jejunium requirunt, si contriti jejunent, quando non adest confessarius: dum habeant intentionem opportuno tempore, vel saltem intra mensem confitendi. *Alloza*, V. *Indi, sect.* 2. *n.* 9. 3. Ecclesias præscriptas, & tempore asignato visitare: & quidem respectu Romæ incolarum 30. dies continui, vel interpolati: pro forensibus, & peregrinis. 15. assignantur à Bonific. VIII. *in Extr.* 1. *h. t. inter com.* 4. Oratio: quæ regularitatè debet esse vocalis, licèt alii mentalem sufficere dicant. Debetque esse devota, sine distractione voluntaria, & fiet ad intentionem Papæ, scilicèt pro extirpatione hæresum, pro fidei exaltatione, pro concordia inter Principes Christianos: si indeterminatè exigatur oratio, sufficit unum *Pater noster*, & *Ave Maria* recitare: si dicatur, quod debent orare per aliquod temporis spatium, sufficit fieri per medium quadrantem. Et ad ordinarias indulgentias sufficit orare septies *Pater nester*, & *Ave Maria*, debetque oratio fieri tempore, & loco in Bulla designatis. Locus ordinariè est ubi est indulgentia, tempus est inter utrasque Vesperas. *Lacr. lib. 6. p. 2. ex n.* 1421. Nec interest, qua lingua quis recitet, vel an solitariè, vel alternatim cum socio, sedendo, stando, ambulando, vel flexis genibus, operto, vel discooperto capitè, longè, vel brevitèr *Diana in Sum.* V. *Indulg. Requis. n.* 6. 5. Jejunium tribus diebus, scilicèt feria 4. 6. & Sabbato: Et hoc observare tenentur, si indulgentias velint lucrari, etiam pueri, infirmi, senes, & alii, qui excusantur à jejunio Quadragesimali: potest tamen hoc in aliud opus compensari. *Lacr. lib. 6. p.* 2. *n.* 1424. 6. Eleemosynæ largitio, & quidem sufficit, si fiat in minima quantitate, quando simpliciter, vel pro arbitrio præscribitur eleemosyna; *arg. c.* 18. *de Censib. c.* 30. *de Regul. jur. in 6.* Et sat est, quod fiat, vel per

se,

se, vel per alium, dummodo verè, & in effectu pauperi tradatur: si tamen procujusque facultate largienda dicatur, debet major à divitibus, & Magistratibus, quàm à pauperibus, & opificibus largiri: sufficitque, si semel eleemosyna detur, licèt in Bulla dicatur *eleemosynis*. Nec interest, an ante, an post communionem detur, nec obstat esse debitam ex voto, vel pœnitentia, dum ex justitia non debeatur: nam tunc non erit eleemosyna, sed solutio debiti. Omnes, qui possunt, debent eleemosynam dare; si quis non possit, sufficit, si fructum panis, vel quid simile det: quin commutatio, juxta *Navar.* & *alios*, requiratur: consultius tamen est commutari. Religiosus cum licentia Superioris potest per amicum sæcularem dare eleemosynam. Pauperes censentur Monasteria Religiosorum, Ecclesiæ, & alia pia loca indigentia luminaribus, ornamentis, vel ædificiis, & quicumque alii non habentes necessaria ad statum juxta suam qualitatem, & conditionem, sed etiam si qui accepit non sit verè pauper, lucratur indulgentias si censebatur pauper. *Lacr. l. 6. p. 2. ex n.* 1424.

387 Qui fuit absolutus à peccatis reservatis, vel à censuris, vel cujus votum fuit commutatum tempore Jubilæi: qui tunc Jubilæum lucrari volebat, si posteà mutata intentione lucrari negligat, non reincidit in reservationem, vel censuram, vel obligationem voti. *Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 4. ex n. 42. Suarez, & alii* contra *aliquos*. Quia jam omnia opera finierat in 1. hebdomada potest in secunda absolvi à reservato, si quod de novo commissit; & votum ejus, si quod edidit commutari valet, ut contra aliquos probabilitèr tenet. *Lacroix, lib. 6. p. 2. n.* 1450. *& alii*. Imò si cum tempore Jubilæi fuisset confessus, est obitus peccati reservati, etiam elapso Jubilæi tempore potest absolvi à quocumque ordinario Confessario: nam reservatio ablata censetur per confessionem tempore Jubilæi factam; & ejus vota possunt commutari: non tamen potest absolvi, nec ejus vota commutari, si tempore Jubilæi noluit Jubilæum lucrari. *Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 54. ex n. 42. Lacroix, lib. 6. p. 2. ex n.* 1447. Si quis ultimo die veniat ad locum Jubilæi potest petere, quod sibi commutentur opera, quæ facere nequit, cum jus adquisierit veniendo, idem tenent *Lugo, Viva, & alii* de eo, qui sponte opera præscripta neglexisset, si ultimo die dolens velit lucrari Jubilæum: & posse opera commutari, quod plures negant. *Lacroix, lib. 6. p. 2. n.* 1440. Ut ergo major concursus populi Christiani Romæ inveniatur, in Beatissimi Apostoli Petrus, & Paulus amplius honorificentur, toto anno, quo durat Jubilæum, suspenduntur à R. Pontifice omnes indulgentiæ plenariæ. *Extr. 4. h. t. inter com.* (secus partiales) per totum Orbem; & anno transacto, iterùm reviviscunt; quin innovatio aliqua requiratur. *Lacr. lib. 6. p. 2. num.* 1404. *contra alios*. Non tamen suspenduntur indulgentiæ, etiam plenariæ, concessæ Ecclesiis Romæ, nec Sanctæ Domui Lauretanæ, nec Compostellæ, nec Portiunculæ Asisii: suspenduntur tamen Indulgentiæ Portiunculæ extra Asisium, nec suspenduntur Indulgentiæ Bullæ Cruciatæ, nec concesse immediatè pro defunctis, nec concessæ pro articulo mortis, etiam si mors non sequatur, nec concessæ ab Episcopis. Suspenduntur verò illæ indulgentiæ plenariæ, quæ pro vivis concessæ sunt, licèt sint applicabiles defunctis, quales sunt Agoniæ, Animarum, seu Communionis generalis revocantur. *Lacroix, lib. 6. p. 2. n.* 1401. *Sanch. Mendo, Viva, Castrop. & alii*. Etiam suspenduntur facultates concessæ à Pontifice gratia indulgentiæ lucrandæ, ut facultas eligendi Confessarium, ut à reservatis, censuris, & aliis pœnis absolvat, votaque commutet, vel dispenset. *Extr. 4. h. t. inter com.* Si tales facultates non concedantur intuitu Jubilæi non suspenduntur, sic Regulares his facultatibus, etiam durante anno Jubilæi, rectè utuntur. Si tales facultates proveniant ab Episcopo, non suspenduntur. *Lugo, Castropal. Lacr. lib. 6. p. 2. n.* 1403. Demum, & per *Sacramentalia* remittuntur peccata venialia, ut tenet antiqua traditio; sed hoc non habent ex se, & ex opere operato, in quo aliqui dissentiunt, quia non sunt instituta à Deo, vel Christo, sed hoc habent, quatenus in nobis pios motus excitant, quod quidem conforme est institutioni Sacramentalium: quæ fit per preces Ecclesiæ, quibus ipsa nobis precatur tales motus. Hæc Sacramentalia nihil aliud sunt, quam quidam actus externi Religionis accomodati ad colendum Deum: ut sunt oratio Dominica, aqua benedicta, esus elogiarum, confessio generalis, eleemosyna, & benedictio data ab Episcopo, vel Abbate consecrato. Et hoc versu comprehenduntur: *Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens*. Ad quæ reducuntur con-

consecrationes, & benedictiones variarum rerum, & personarum, tunsio pectoris, unctio Regum, cerei agni, signum Sanctæ Crucis, & alia hujusmodi, de quibus agunt. *Suar. Lug. Bellarm. Machad. Lacr. lib. 6. p. 1. ex n. 218.* Dicuntur *Sacramentalia*, quia sunt velut umbræ, & imagines Sacramentorum, non inanes, & vacuæ, sed gratiæ supernaturalis collativæ.

388 In nostra Hispania maximo gaudemus privilegio pro indulgentiis lucrandis ex Bulla *Cruciatæ*, quæ sic dicitur à rubea Cruce, qua insigniebantur illi, qui ad Terræ Sanctæ Infideles expugnandos militiæ nomen dabant, in quorum favorem primo concessa fuit. Cujus concessio durat per unum annum in Hispania, qui ab una promulgatione ad aliam computandus est; in Indiis vero per biennium, adeò, ut nec morte Pontificis cesset, quia gratia est, *cap. 9. de Offic. Judic. Delegat. in 6.* Nec revocatur per Bullam Cœnæ, nec per publicationem Jubilæi, ut declararunt *Greg. XIII. & Clem. VIII.* quia Bulla conceditur per modum contractus onerosi. *Medin. de Bull. D. 1. num. 48.* Et ut solemnius promulgetur Bulla, suspenditur interdictum per octo dies ante, & post Bullæ promulgationem. Ut quis ergo gaudeat privilegiis Bullæ debet militare, vel aliter servire per unum annum in Exercitu nostri Regis contra Turcas, Mauros, vel alios Infideles. Qui non adfuerit personaliter exercitui satisfacit alium pro se mittens; vel elargiendo eleëmosynam pro Bulla taxatam, expendendam ad infidelium expugnationem. Hæc eleëmosyna, quæ communiter est in Hispania duorum regalium. *Vulgo dos reales de vellon*: in Indiis tamen sunt duo argentei: *Vulgo dos reales de plata.* At verò pro personis in Dignitate constitutis variæ summæ juxta cujusque gradum assignatæ sunt. Et licèt sit necessarium Bullam impressam sumere: non tamen est necessarium, eam corporaliter retinere, nec nomen in ipsa inscribere. Euntibus ergo ad bellum, vel accipientibus Bullam, & eleëmosynam assignatam dantibus conceditur semel in vita, & iterum in articulo mortis, ut possit illis plenaria indulgentia applicari. Deindè: si prædicti diebus Quadragesimæ, quibus Romæ assignata est statio, visitaverint quinque Ecclesias, sivè Hospitalia, Templa Regularium, Sacella, vel Oratoria privata, etiamsi sint in campo, fundis hortis, seu carceribus, vel si visitent quinque Altaria, vel ubi non sint quinque Ecclesiæ, aut Altaria, Ecclesiam unam, aut Altaria quinquies visitaverint, & ibi devotè oraverint pro victoria contra Infideles obtinenda, & pro unione inter Principes Christianos, ipsis conceduntur omnes indulgentiæ, & remissiones, quæ conceduntur visitantibus Ecclesias Romæ, intra, & extra Urbem. Et possunt applicari per modum suffragii tales indulgentiæ animabus Purgatorii. Etiam aliæ indulgentiæ partiales conceduntur, ut ex ipsa Bulla constat. Deinde potest quis accipiendo Bullam, quam dicunt defunctorum, applicare indulgentiam plenariam per modum suffragii pro aliqua anima Purgatorii. Et quidem potest pro eadem anima duas Bullas sumere, & securius erit, si in gratiæ statu sit, quando applicat indulgentiam. Potest applicari indulgentia à Sacerdote, etiam extra confessionem, & quibuscumque verbis applicationem significantibus: imò, & mentaliter potest applicari, & etiam absenti, & alienato à mentis judicio in casu mortis repentinæ: imò potest quis lucrari indulgentias, etiam sine applicatione confessarii: sufficit enim, quod moriens sit in statu gratiæ, vel quod contritionem eliciat, & fretus hoc privilegio non fuisset negligens in confitendo tempore statuto ab Ecclesia. Et potest simul cum illa indulgentia alia plenaria applicari. Indi etiam indigent Bulla. Quando publicatur Bulla, suspenduntur omnes aliæ indulgentiæ præter concessas Regularibus. Non tamen suspenduntur concessæ ab Ebiscopis. Nec concessæ à Pontifice in Jubilæo per 15. dies concedi solitos. At verò, ut quis alias indulgentias possit lucrari, indiget Bulla, & sic communiter notatur, nec aliæ indulgentiæ possunt publicari, nisi sciente, & consentiente Comissario, ut suprà diximus.

389 Difficultatem sanè, & arduitatem, quam ex se habet Sacramentum pœnitentiæ magna ex parte mitigat gravissima tacendi obligatio, qua tenentur Confessarius, & alii, qui quomodocumque, justè, vel injustè notitiam, mediatè, vel immediatè habuerunt peccatorum, quæ pœnitens est sacramentaliter confessus, si animo se accusandi, & subjiciendi peccata clavibus Ecclesiæ, accedat: etsi per accidens ex aliquo defectu, vel Confessarii, vel pœnitentis non sequatur absolutio. Hæc obligatio dicitur

si-

sigillum, quæ non solum à jure Ecclesiastico provenit, *cap.* 2. *de Pœnitent. D.* 9. *cap.* 13. *de Exces. Prælat. cap.* 12. *h. t.* Sed etiam à Jure Naturali: tùm ob tacitam promissionem tacendi ibidem audita: tùm quia natura docente, nemo debet alteri facere, quod sibi nollet fieri. Etiam oritur à Jure Divino, siquidem ex perpetua praxi, & Ecclesiæ traditione præsumitur cum hac obligatione sigilli fuisse institutum à Christo Domino, hoc Sacramentum. *Innoc. & Abb. in cap.* 12. *h. t. Suar. de Pœnit. D.* 33. *sect.* 2. *Lacroix, lib.* 6. *p.* 2. *n.* 1934. Hac obligatione tenetur non solus Confessarius, qui verè talis erat, sed qui cum non esset, à pœnitente talis bona fide fuit existimatus. Item superior, à quo Confessarius petiit facultatem absolvendi à reservato: Interpres confessionis, vel qui eam scripsit, vel scriptam invenit: vel audivit bona, vel mala fide à confitente, vel à Confessario de licentia pœnitentis, vel sine ea. Imò, & omnes, qui publicè confitentem audierunt in naufragio, vel prælio. *D. Thom. in* 4. *D.* 21. *q.* 3. *art.* 1. *q.* 8. *Scot. ibid. q.* 2. *Suar. de Pœnitent. D.* 33. *sect.* 4. *Lug. de Pœnitent. D.* 23. *Diana in Sum.* V. *Sigillum*, *ex n.* 1. *Lacr. lib.* 6. *p.* 2. *ex n.* 1951. Sub talli sigillo continentur omnia peccata mortalia, & venialia pœnitentis declarata in confessione, etiamsi publica sint, & notoria: item ea, à quibus non fuit pœnitens absolutus: imò, & defectus occasione confessionis cogniti; v. g. pœnitentis ignobilitas, illegitimitas, ægritudo, scrupulosa conscientia, sed hoc ab aliis negatur. Etiam comprehenduntur peccata complicis justè, vel injustè, à pœnitenti detecti. Et etiam pœnitentia imposita. *Dian. in Sum.* V. *Sigillum*, *ex n.* 15. Dona, & virtutes pœnitentis non continentur sub sigillo, quia ex earum manifestatione non redditur odiosa confessio. Potest tamen pœnitens obligare Confessarium ad tacendum sub naturali sigillo. *Diana in Sum.* V. *Sigillum*, *num.* 19. Adeò stricta est sigilli obligatio, ut nulla causa temporalis, vel spiritualis, quantumvis publica, & gravissima, vel utilitatis adquirendæ, vel incommodi vitandi excuset à tali obligatione, nec possit sigillum violari, etiam ad tuendam vitam propriam, nec ob bonum, sivè temporale, sivè spirituale totius mundi: potiusque debet Confessarius mortem pati, quam revelare audita in confessione, ut varios casus decidens affert *Dian. in Sum.* V. *Sigillum*, *num.* 28. *& seq.* Nec in hac obligatione valet ipse Summus Pontifex dispensare, ut tenent omnes *DD. Catholici in cap.* 12. *h. t.* & communis usus, & traditio Ecclesiæ; imò nec cum ipso pœnitente extra confessionem de eis valet loqui Confessarius sine ejus licentia. In ipso actu confessionis, etiam post absolutionem, dum adhuc Confessarius in confessionali sedet, & pœnitens genibus flexis existit, potest Confessarius errorem, si quem notavit, corrigere, modum restitutionis faciendæ præscribere ipsi pœnitenti: quin & in alia confessione potest pœnitentem admonere de aliquo defectu, in præcedentibus confessionibus commisso. *Lacr. lib.* 6. *p.* 2. *n.* 1776. *& seq. &* 1980. *& seq.* Imò *Nung. Suar. Filiuc. Merat. Laym. lib.* 5. *tit.* 6. *cap.* 14. *n.* 15. *& alii*, dicunt, quod etiam extra confessionem, non petita licentia, quin etiam renuente pœnitente, posse Confessarium cum eo loqui, & monere de defectu: sed hoc periculosum est. Si Confessarius in testem alicujus delicti, quod præcisè per confessionem novit, adductus rogetur sub juramento, an tale sciat, vel audiverit in confessione, potest, & debet respondere, se tale delictum nescire: Nam intelligitur, quod nescit ad revelandum: quinimò, etiamsi illud in judicio revelet, non potest Judex reum ad torturam condemnare ex tali notitia. *Barb. in cap.* 12. *h. t. num.* 18. *alios citans.* Si verò melius famæ pœnitentis consulatur non negando, quam negando, potest dicere: & ipse confessus est, & ego meo officio functus sum. Quando pœnitentes debent ferre schedulam confessionis, si non timeat revelari confessionem neget illam indisposito: si timeat revelari, & non absoluto potest eam dare. *Dian. in Sum.* V. *Sigillum*, *ex num.* 32. *Lacr. lib.* 6. *p.* 2. *ex num.* 1982.

390 Si pœnitens, in cujus favorem principalitèr hæc adeò stricta obligatio est introducta, concedat Confessario licentiam, ut notitia habita ex confessione utatur: cum possit pœnitens suo juri renuntiare. *L.* 29. *C. de Pact.* poterit utique Confessarius de tali peccato, vel cum ipso pœnitente extra confessionem, vel etiam cum aliis tractare, observando strictè tenorem licentiæ, & non ea abutendo; *arg. L.* 5. *ff. Mandat.* Et sanè debet talis licentia esse expressa, & formalis, voluntaria, & libera, non quidem extorta metu, dolo, vel vi, & non revocata; siquidem potest pœnitens licentiam, etiam

etiam concessam, revocare. *D. Thom. in* 4. *dist.* 21. *q.* 3. *art.* 2. *Navar. Man. Suar. de Pœnit. D.* 33. *sect.* 5. *n.* 6. *Laym. L.* 5. *tr.* 6. *c.* 14. Pœnitens per se non tenetur sigillo Sacramenti in non manifestanda pœnitentia, cum in sui favorem sit inductum: poterit tamen aliquando obligari sigillo naturali non tamen Sacramentali, ad occultanda facta, vel dicta in confessione. *Dian. in Sum.* V. *Sigillum*, *n.* 13. *& alii comm.*

391 Non violat sigillum Sacerdos, qui utitur notitia peccati sibi confessi: si aliundè illud sciat extra confessionem, vel ante, vel post eam: dummodò solùm tali notitia utatur, quatenùs eam extra confessionem habet, vel si tantùm in genere dicat, se tale peccatum audiisse, si nec verbo, signo, facto, vel aliis circunstantiis possit cognosci pœnitens. *D. Thom. in* 4. *Sent. D.* 21. *q.* 3. *art.* 1. *q.* 1. *Sylvest. Navar. & com. DD.* Si pœnitens accedat ad Confessonarium animo simulandi confessionem, de nullo tamen peccato se accusat, sed tantùm petit schedulam, vel etiamsi peccata sua confiteatur, si hoc faciat animo Confessarium trahendi ad suum delictum, vel ipsum decipiendi, non tenetur Confessarius sigillo, si de hoc animo constet, quia non intendit pœnitens confessionem Sacramentalem facere: quando verò dubitatur de animo, præsumitur pro confessione Sacramentali, & ligat sigillum. Et quidem olim fuit quidam Cardinalis mulctatus à S. Pontifice, eo quod non manifestaverit conspirationem in Papam, quam alter in confessione ipsi aperuerat, non intentione se accusandi, sed animo illum ad conspirationem trahendi. Ex *Soto* refert. *Barbos. in c.* 12. *h. t. n.* 16. Nec sub sigillum cadunt, quæ pœnitens dicit Confessori sine animo confitendi, & absolutionem obtinendi, etiamsi flexis genibus, & fronte crucis signo signata dicat, hoc tibi aperio in confessione: sed solùm tunc Confessarius tenetur ea tacere, sicut alia sub secreto commissa. *Barbos. in c.* 12. *h. t. n.* 25. *Sanch. de Matr. lib.* 3. *D.* 13. *n.* 6. Potest verò Confessarius notitia peccatorum uti, si ex tali usu pœnitentes non absterreantur, sic potest moveri ad orandum pro pœnitente, vel ad inquirendum modum, illum ad salutem suæ animæ promovendi. Vel si sciat, sibi alicubi parari insidias, vel sibi in aliquo poculo parari venenum, potest illas ocasiones declinare; vel etiam ad examinandum complicem diligentiùs moveri potest ob notitiam ab alio complice in confessione habitam, caute tamen, ne cognoscat pœnitens talem usum. Quando pœnitens confitetur deliberationem hæresim disseminandi, vel alterius gravis criminis perpetrandi, à quo nolit desistere, potest Confessor in generali insinuare Episcopo, vel Magistratui, ut invigilet super gregem suum, quia lupus rapax tentat illum invadere, ita ut delicto, & periculo obvietur, sine aliqua tamen pœnitentis manifestatione, nec offensione illius, nec aliorum scandalo. Sic alios citans *Barbos. in c.* 12. *h. t. n.* 17. Alitèr non potest aliquid loqui. *Dian. in Sum.* V. *Sigillum*, *n.* 49. Quando tamen ex tali usu aliquod incommodum, pudor, vel molestia potest pœnitenti inferri, ita ut Sacramentum fiat onerosum, & molestum, non potest Confessarius tali uti notitia. Sic Superior non potest diligentiùs vigilare super eum, quem ex confessione alicui peccato assuetum cognovit. Nec Collator, Patronus, vel Elector possunt negare collationem, præsentationem, vel sufragium illi, quem ex confesione indignum agnoverunt. Nec Parochus potest negare Eucharistiam, vel benedictionem nuptialem ob notitiam indignitatis ex confessione hausta: imò nec ferventius & extraordinariè exhortari ad virtutem, vel pœnitentiam eum, quem ex confessione obstinatum, vel deditum vitiis esse cognovit. Deniquè nullo modo Superiores, vel Confessarii possunt uti notitia Sacramentali ad gubernationem externam, ex *Decreto Clement. VIII.* 26. *Maii*, *Ann.* 1594. *Dian. in Sum.* V. *Sigillum*, *ex n.* 46. *Sanch. de Matr. lib.* 3. *D.* 16. *n.* 4. *Lacr. L.* 6. *p.* 2. *ex n.* 1975. contra *D. Anton. D. Bonav. Scot. Durand. Suar. & plures ex antiquis*, *quos citat. Sanch. n.* 2.

392 Violatio sigilli est peccatum ex suo genere grave, non solùm quando materia revelata est gravis, quia peccatum grave detegitur; sed etiam si peccatum levissimum reveletur: nam etiam tunc illud revelans irrogat Sacramento gravissimam irreverentiam, illudque odiosum facit, & homines ab ejus usu absterrat. Ratione tamen inadvertentiæ potest talis revelatio esse solùm culpa venialis: imò & nulla. Et quatenùs violatio cedit in irreverentiam Sacramenti, est peccatum contra Religionem: quatenùs verò lædit pœnitentis famam, & existimationem, est contra Justitiam: ac proindè Sacerdos famam læsam tenetur reparare. *Suar. de Pœnit. D.* 33. *sect.* 1. Judex tantùm Ecclesiasticus est competens, respectu hujus criminis: siquidem causa est spiritualis, &

reus est immunis à Judice Seculari, etsi fortè aliquando Judex Secularis hoc crimen punivit, ut dicit *Aldret. L. 2. Eccles. Discip. c. 19. n. 2.* de Rege Jacobo I. Aragoniæ, qui Episcopo Gerundiensi fecit à tergo linguam extrahi; vel hoc fecit ex commissione Papæ speciali, post Episcopi traditionem brachio Sæculari. Nec hæc causa est ab Ordinario exempta, & ad Inquisitores adjudicata, nisi aliquam hæresis suspicionem admixtam habeat. *Dian. in Sum.* V. *Sigillum*, *n.* 57. Potestque Judex procedere ad probationem sigilli violati, non solùm licentia pœnitentis præcedente, sed etiam sine ea; *arg. c. 2. de Pœnit. D. 6. c. 12. h. t.* Nam per talem punitionem, & per Inquisitionem, & probationem necessariam promovetur reverentia Sacramenti; ac proindè licitè examinantur testes, & ipsi tenentur respondere, secundum quod in re sciunt. Hoc igitur delictum probatum censetur, si ipse Sacerdos illud fateatur. Si verò neget, probatio denuntianti, vel accusanti incumbit. Et hæc per testes singulares fieri potest, propter delicti enormitatem. Si verò Sacerdos dicat, peccatum sibi innotuisse extra confessionem, hoc debet ipse probare. Si afferat, habuisse licentiam, à pœnitente, hoc etiam probare tenetur, quando ab ipso pœnitente accusatur: & quidem potest hæc licentia probari, etiam per simplicem assertionem Confessarii, quando ipse est vitæ integræ, & res est parvi præjudicii. Quod si res est magni momenti, & pœnitens est vitæ integræ debet deferri Confessario juramentum purgationis, eique statur. Si verò ab alio tertio accusetur, ipse accussans probare debet, non esse datam licentiam à pœnitente. Semper tamen, ac datur dubium, præsumptio stat pro Confessario, cum quilibet bonus præsumatur. *c. fin. de Præsump.* & delicta non præsumantur, nisi probentur. *L. 15. ff. Pro Sotio*, adeo ut dicto Sacerdotis fide digni asserentis, mortuum, seu morientem dedisse sibi licentiam ad revelandam confessionem credatur. Sine tali tamen licentia, nec post mortem sunt revelanda peccata. *Barbos. in c. 12. hoc tit. plures citans.*

393 Sacerdos violans sigillum deponitur ab omni Officio Sacerdotali. *c. 12. h. t.* sed non cogitur nunc, ut olim perpetuò peregrinari. *c. 2. de Pœnit. D. 6.* ne detur vagandi necessitas in opprobium status Clericalis. Nec detruditur in Monasterium ad perpetuam pœnitentiam agendam, ut jubetur in *c. 12. h. t.* nam hæc pœna ferè in desuetudinem abiit, in cujus locum hodiè in perpetuum Carcerem, vel ad triremes condemnatur. Nec irregularitas, nec aliæ pœnæ ipso jure incurruntur. *Lacr. lib. 6. p. 2. n. 1999.* Tamen non ordinaria, sed extrordinaria pœna imponitur. 1. Quando Sacerdos non alteri, sed ipsi pœnitenti objicit suum peccatum: nam tunc non revelat. 2. Quando licèt alteri revelet, hoc non præsumptuosè, sed ex ignorantia, vel inadvertentia facit; imò & nullæ pœnæ subjicietur, si non humano modo revelet: v. g. in delirio. 3. Quando Sacerdos non revelat peccatum, sed aliquem defectum pœnitentis ex confessione cognitum. 4. Quando qui confessionem excepit, non erat Sacerdos, sed alius Clericus, vel etiam Laicus, si hic revelet, etiam pœnæ extraordinariæ est subjectus. *Suar. de Pœnit. D. 33. sect. 8. Lugo de Pœnit. D. 23. n. 147. Vallens hic*, §. 13. *n. fin.*

394 Deniquè pro pleniori materiæ comprehensione libuit hic adjungere propositiones in hac materia damnatas. Et quidem *Joannes XXII. in Extr. 2. de Hæretic. inter comm.* damnavit errores Joannis de Poliaco, qui asserebat. 1. *Quod confessi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones tenentur eadem peccata, quæ confessi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti.* 2. *Quod stante: omnis utrius sexus edicto in Concilio Generali R. Pontifex non potest facere, quod Paræciani non teneantur omnia peccata sua, semel in anno proprio Sacerdoti confiteri, quæ dicit esse paræcialem curatum imò nec Deus posset hoc facere, quia (ut dicebat) implicat contradictionem.* 3. *Quod Papa non potest dare potestatem generalem audiendi confessiones: imò nec Deus quin confessus habenti licentiam teneatur eadem confiteri proprio Sacerdoti. Clemens VIII.* per *Constitutionem* 87. damnat hanc propositionem *ad minus, ut falsam, temerariam, & scandalosam, nimirum, licere per litteras, seu internuntium Confessario absente peccata sacramentalitèr confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere. Alex. VII.* damnavit has propositiones. 11. *Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam non tenemur in sequenti confessione exprimere.* 12. *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.* 13. *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.* 14.

Qui

Qui facit confessionem voluntariè nullam satisfacit præcepto Ecclesiæ. 15. *Pœnitens propria authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.* 16. *Qui beneficium Curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.* 37. *Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocata à Paulo V. hodie sunt revalidatæ.* 41. *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad delectamentum concubinarii, vulgò regalo, dum deficiente illa nimis egrè agere vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis dificilè inveniretur. Innocentius XI.* sequentes damnavit. 56. *Frequens confessio, & communio in his, qui generaliter vivunt, est nota prædestinationis.* 57. *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.* 58. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* 59. *Licet sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis* v. g. *potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut indulgentiæ.* 60. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei Naturæ, aut Ecclesiæ: etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dumodò ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.* 61. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere: quinimò directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.* 62. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua, utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.* 63. *Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.* 64. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiam si per negligentiam, etiam culpabilem nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Jesu-Christi. Alex. VIII.* damnavit sequentes. 20. *Confessiones apud Religiosos factæ pleræque, vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.* 21. *Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, seu satisfactione ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis.* ☞ Benedict. XIV. damnat, & reprobat praxim Confessariorum, qui à suis pœnitentibus nomen complicis exquirunt, atque ad illud sibi revelandum, non solùm suadent, sed negatione absolutionis compellunt. Sic in Constit. Suprema 7. Jul. ann. 1745. Confirmata ann. 1746. Præterea ipse R. Pontifex absolutè tollit jurisdictionem Confessariis, ne possint audire Confessiones, nec absolvere suos complices in peccato contra 6. Decalogi præceptum extra articulum mortis, quando non datur alius Sacerdos, etiam simplex, & non approbatus pro Confessionibus, nisi fortè scandalum resultaret, vel infamia confessario proprio sequeretur: nam tunc posset proprius confessarius complicis audire confessionem. Tenetur tamen ita res disponere, ut quantum possibile sit hanc auditionem refugiat. Nec virtute Bullæ Cruciatæ, nec Jubilæi, nec alterius privilegii potest confessarius complicem absolvere. Si secùs facere audeat incurrit excommunicationem Pontifici reservatam. Sic habetur in Constit. *Sacramentum.* 1. Jun. an. 1741. & *Apostolici* 8. Februar. an. 1745. *

395 Præterea: in Edicto Generali Inquisitionis reservatur puniendum ab Inquisitoribus crimen gravissimum, quod committit ille, qui cum non sit Sacerdos audit alicujus confessionem. ibid. *N.* 8. dicitur: *O que no siendo Sacerdote haya dicho Missa, ò confessado à alguna persona.* Et quidem ex *Const. Paul. IV. Greg. XIII. Sixti V. & Clem. VIII.* Laici, & Ecclesiastici non Sacerdotes, etiam si sint verè pœnitentes tradendi sunt curiæ Sæculari, sed hoc non est in usu inquisitione Hispanica, sed Laicus, si est persona vilis fustibus cæditur, & ad triremes mittitur; aliæque pœnæ spirituales superadduntur. *Dian. in Sum.* V. *Inquisitorum jurisdictio, quoad pœnas, n.* 164. Etiam ab inquisitoribus puniuntur Confessores solicitantes ad turpia in confessione. Et tales in Hispania abjurant de levi, licèt in Inquisitione Romana abjurent de vehementi: & condemnantur ad triremes per quinquennium, vel septenium, & in perpetuum suspenduntur ab audiendis confessionibus. Et Regularibus potest imponi, quod teneant ultimum locum inter Regulares sui Monasterii. *Dian. in Sum.* V. *Inquisitorum jurisdict. Cæsar. Carena de Offic. Inquisit. p.* 2. §. 17. *ex n.* 89. *fol.* 157. Quando hoc crimen incurratur, & detur obligatio denuntiandi constat ex Bulla *Greg. XV.* Audiamus illam.

Universi Dominici gregis curam, &c. Statuimus, decernimus, & declaramus, quod omnes, & singuli Sacerdotes, tàm Sæculares, quàm Regulares, cujuscumque Digni-

tatis, &c. qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonesta, sivè inter se, sivè cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu Sacramentalis Confessionis, sivè ante, sivè post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis hujusmodi: etiam ipsa Sacramentali Confessione non secuta, sivè extra occasionem confessionis, in Confessionario, aut loco quocumque, ubi confessiones Sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire: solicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sivè tractatus habuerint, in Officio S. Inquisitionis severissimè, ut infrà puniantur, &c. Mandantes omnibus Confessariis, ut suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra solicitatos, moneant de obligatione denuntiandi solicitantes: seu ut profertur, tractantes, Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis prædictis. Quod si hoc officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint, non teneri ad denuntiandum confessarios solicitantes, seu tractantes, ut supra, iidem locorum Ordinarii, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant, &c. Datum, &c. die 30. *August.* 1623. ☞ Benedict. XIV. in Constit. *Sacramentum.* 1. Jun. an. 1741. confirmat antecedentem Gregorii Constitutionem, & ad vertendas calumnias in hoc puncto non infrequentes addit: Ut igitur tàm nefaria audacia, & tàm detestabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur, quæcumque persona, quæ execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per se ipsum innocentes confessarios impiè calumniando, vel scelestè procurando ut ab aliis fiat, à quocumque Sacerdote, quovis privilegio auctoritate, & dignitate munito, præterquam à nobis, nostrisque successoribus, nisi in fine vitæ, & excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendæ, quàm nobis, & successoribus prædictis reservamus, perpetuò careat. Præterea de S. Univ. Rom. Inquisitionis Consilio, perpetuò inhabilitat ad Missæ Sacrificium solicitans, & ad turpia, & abutentes Sacrificio Missæ ad sortilegia, & jubet legi hoc Decretum feria 6. post Octavam Assumptionis, & in Capitulis Generalibus, & Provincialibus. Sic Decretum est 21. August. an. 1745.*

Confessarius solicitans non tenetur se ipsum denuntiare, quia nullus tenetur se ipsum prodere, ut commune proclamat axioma deductum ex *c.* 87. *de Pœnit. D.* 1. & in nostro casu tenent *Leand. de Pœnit. tr.* 3. *D.* 13. *q.* 43. & 44. *Dian. p.* 1. *tr.* 4. *resol.* 8. *Potestas, tom.* 2. *p.* 3. *n.* 493. Siquidem præceptum humanum, quale est denuntiandi solicitantes, non obligat cum tàm gravi nocumento. Et hac ratione excusantur ab eo denuntiando Pater, Mater, Filius, vel Frater, nec alius, si indè timeat grave malum sibi, aut suis conjunctissimis, scilicèt, Patri, Matri, marito, filiis, aut fratribus: Nec est denuntiandus Confessarius, si jam est mortuus, *Potestas tom.* 2. *p.* 3. *n.* 595. & 597. Confessarius solicitans potest à quolibet Confessario absolvi, quia solicitatio nullo jure invenitur reservata. *Potestas n.* 601.

TIT. XXXIX.

De Sententia Excommunicationis, Suspensionis, & interdicti.

396 *Censura* Ecclesiastica sic dicitur à *Censoribus* Romanis, quorum officium erat censere, & castigare mores, & errores Civium. Et quia ipsi in hoc valdè observantes erant, & rigidi, juxta illud: *Rigidique severos Censoris mores, etiam collega timeret*, ideò censura pro correctione, & severitate sumitur, teste *Nebrissensi.* Prius quidem de ea agendum est, ut posteà de tribus ejus speciebus, de quibus in rubrica fit mentio, suo ordine agamus: scilicèt, de *Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto.* Censura ergo est pœna spiritualis, & medicinalis, per quam homini baptizato, & contumaci aufertur per Ecclesiasticam potestatem usus quorundam bonorum spiritualium, ita imposita, ut per eandem ordinariè absolvi possit. *Suar. de Cens. D.* 1. *sect.* 1. *n.* 5. Est enim pœna, qua Ecclesia utitur in foro externo per modum medicinæ ad infrigendam contumaciam fidelium: ac proindè emendatione, & correctione posita, est auferenda censura. In quo distinguitur à depositione, degradatione, aliisque pœnis vindicativis, quæ ob peccatum præteritum possunt infligi. *c. fin.* 2. *q.* 1. *c.* 2. *q.* 1. Est pœna Ecclesiastica, qua solùm Ecclesia utitur, non verò potestas Sæcularis, nisi ex delegatione Pontificis. *c.* 6. *D.* 96. *c.* 10. *de Const. c.* 6. *Mayor. de* In Ecclesia enim sicut in quavis benè ordinata Republica debet esse potestas excludendi homines noxios à suo corpore: & suspendendi à quibusdam officiis malè ea administrantes: & aliis aliquos actus interdicendi. Et quidem hac po-

potestate ussi sunt D. Petrus contra Simonem Magum *Act. Apost.* 8. *v.* 21. *D. Paul.* 1. *Cor.* 5. *v.* 3. ibi: *Jam judicavi, ut præsens, qui sic operatus est in nomine Domini nostri Jesu-Christi, congregatis vobis in meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu-Christi tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit, in die Domini nostri Jesu-Christi.* Esse in Ecclesia potestatem ad instituendas, & ferendas censuras fide docemur ex predicto, aliis Sacræ Scripturæ locis, ut probat *Suar. de Cens. D.* 1. *sect.* 2. *ex n.* 14. Et usus censurarum suo modo fuit obumbratus apud Judeos juxta illud *Joan. 9. v.* 22. *Jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret.* Et etiam apud Gentiles, ut ex Tito Livio, Cæsare, Plinio, & aliis colligitur, & ex illo Poetæ: *Innocui veniant procul, ò procul impius esto.* Solùm enim Ecclesia potest privare usu bonorum spiritualium: & quidem directè privat bonis illis, quæ consistunt in actionibus, & ceræmoniis, quæ ex sua institutione fructum spiritualem, & interiorem, operantur, ut sunt sacramenta, sacrificia, Officia Divina, suffragia, satisfactio Christi, & Sanctorum, quæ fidelibus justis per indulgentias applicantur: indirecte etiam privat censura bonis temporalibus; v. g. communicatione politica cum fidelibus, fructibus beneficii, &c. minimè tamen potest privare bonis merè internis, qualia sunt fides, charitas, & gratia, qua fideles inter se & cum Christo mysticè sunt uniti: character Sacramentalis, vel virtutes. Quippè Ecclesia in hæc jurisdictionem non habet. *Suar. de Cens. D.* 1. *sect.* 1. *n.* 6.

397 Censuræ sunt tres, & non plures, scilicet excommunicatio, suspensio, & interdictum. *c.* 20. *de V. S. c.* 1. *c.* 13. & 20. *h. t. in* 6. Nec alii speciei, præter assignatas, convenit definitio censuræ. *Nav. Man. cap.* 27. *n.* 1. *Suar. de Cens. D.* 1. *sect.* 3. *n.* 1. & 2. nam illa definitio Pontificis est doctrinalis, & ideò licèt indefinita videatur, universali æquivalet, ac si diceret omnem censuram comprehendi sub illis tribus membris. Censura alia est *à jure*, alia *ab homine*: *à jure* est, quæ infligitur à Sacris Canonibus, Constitutionibus, & Statutis Ecclesiasticis. *Ab homine* dicitur illa, quæ per modum mandati vel sententiæ infligitur à Superiore. Alia est *latæ sententiæ*, alia *sententiæ ferendæ*: *latæ sententiæ* est, quæ incurritur, hoc ipso, quod crimen committatur, etiam sine alia sententia condemnatoria. *c.* 53. §. *Verum, de Appellat.* v. g. si dicatur: *Sit ipso facto excommunicatus, vel suspensus: vel excommunicamus, vel excommunicationi subjaceat Sententiæ ferendæ* est, quæ licet statuta à jure sit, non incurritur ipso facto: sed tantùm post Judicis sententiam; v.g. quando dicitur: *excommunicetur*, vel *excommunicabitur*, vel *sub excommunicatione prohibemus*, &c. & ut talis habetur quando non constat, an excommunicatio sit latæ sententiæ, aut ferendæ, quia in dubiis est benignior interpretatio facienda. *L.* 55. §. *fin. ff. de Reg. jur. c.* 49. *eod. in* 6. *Suar. de Cens. D.* 3. *sect.* 3. *n.* 6.

398 Possunt ferre censuras potestate ordinaria S. Pontifex respectu totius Ecclesiæ *Extr.* 1. *de Major. inter com.* Concilia Generalia, & Provincialia in sua Natione, aut Provincia. Legati à Latere in Provincia suæ Legationis. *c.* 7. *de Offic. Legat.* Cardinales in Ecclesiis sui Tituli. *c.* 11. *de Major. Et ibid. DD.* Episcopus, & Arciepiscopus in sua Diœcesi, respectu suorum subditorum. *c.* 1. *c.* 16. *de Offic. Ordin. c.* 21. *h. t.* Eorumque Vicarii Generales: Capitulum sedevacante, & ejus Vicarius Generalis *c.* 7. *h. t. in* 6. *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 16. Præpositi Ecclesiarum Collegiatarum, & alii, qui in foro externo jurisdictionem obtinent. *c.* 20. *de V. S. c.* 1. *h. t. in* 6. Superiores Regulares, non solùm Generales, & Provinciales; sed & locales ex privilegio perpetuo suo muneri annexo. *c.* 10. *de Major.* Congregationes, & Capitula quarumdam Religionum. *Nav. Man. cap.* 27. *n.* 5. *Suar. de Cens. D.* 2. *sect.* 2. *Lacr. lib.* 7. *n.* 17. Parocus, cum non gaudeat jurisdictione in foro externo, non potest ferre censuras Jure Ordinario; *arg. c.* 20. *de V. S. c.* 1. *h. t. in* 6. Nisi ex delegatione, vel privilegio. *c.* 3. *de Offic. Ordin.* vel consuetudine, vel præscriptione. *c.* 18. *de Præscript. Suar. de Cens. D.* 2. *sect.* 2. *n.* 8. & 10. *Lacr. lib.* 7. *n.* 21. Ex potestate delegata possunt censuras ferre illi, quibus habentes potestatem ordinariam, eam delegarint *c.* 7. *de Offic. Ordin. in* 6. dummodo delegatus sit homo viator, sit baptizatus, usum rationis, & saltem primam tonsuram habeat, & non sit conjugatus. *c. un. de Cleric. conjug. in* 6. Summus Pontifex de plenitudine potestatis potest hanc jurisdictionem Laico, imò, & fœminæ delegare. Nam cum non sit potestas Ordinis, sed jurisdictionis, eorum incapacitas non procedit à Jure Divino, sed tantum à Jure Ecclesiastico, in quo Pontifex potest dispensare. *c.* 12. *de Major.* non tamen decet,

cet, quod fœminis hæc facultas communicetur, ac prohindè, nec consuetudine introduci potest, quod fœmina censuras ferat. *Suar. de Cens. D. 2. sect. 3. per tot. Navar. Palud. Ugolin. Lacr. lib. 7. n. 19.* contra *Avila, Coninck, & alios.* Ut aliquis censura ligari possit, debet esse 1. baptizatus, 2. vivens, id est, vivens in præsenti vita, quasi in via ad alteram: mortuus enim censurari non potest. Nec enim in cadaver, quod incapax est cognitionis, obligationis, contumaciæ, & emendationis, censura ferri potest, nec in animam separatam, cum jam sit extra forum, & jurisdictionem Ecclesiæ. 3. Debet esse doli capax. 4. Subditus ferentis censuram. Gentiles, Judæi, etiam si cathecumeni sint, cum non subsint Ecclesiæ jurisdictioni, non ligantur censura. *Ex Apost. 1. Cor. 5. v. 12.* ibi: Quid enim mihi de iis, qui foris sunt judicare? *Trid. ses. 24. de Pœnit. cap. 2.* Hæretici, & Apostatæ, cum per baptismum sint ingressi in Ecclesiam, & sub ejus sint jurisdictioni, censuris utique ligantur. *c. 5. D. 45. c. 3. §. Item, de Baptism.* Licèt mortui aliquando declarentur excommunicati ad aliorum terrorem, & ne fideles, cum eis communicent in sepultura, vel precibus publicis. *c. 28. h. t.* Deindè: quando excommunicati dederunt signa pœnitentiæ in morte, post eam absolvantur indirectè, ad hoc ut vivi possint eorum cadaver sepelire, & orare pro eis: attamen non possunt excommunicari mortui. *c. 1. c. 2. c. 4. 24. q. 2.* Christus namque Prælatis Ecclesiasticis tantùm dedit potestatem ligandi *super terram* non *subtus* eam: Nam si anima defuncti est in Cœlo, vel Purgatorio, quia grata Deo non potest affici censura: si in Inferno non est capax correctionis. *Nav. Man. cap. 27. n. 13. Suar. de Cens. D. 5. sect. 1. n. 3.* Furiosi, infantes, & alii carentes usu rationis non ligantur censura: quia non sunt capaces delicti, nec contumaciæ, nec emendationis. Impuberes tamen usum rationis habentes censuris à jure latis comprehenduntur. *c. 1. & fin. h. t.* Non tamen expedit, quod censuræ ab homine in eos, licèt possit, ferantur: ita probante consuetudine. *Suar. de Cens. D. 5. sect. 1. n. 19.* Si aliquando Ecclesia anathematizat creaturas irrationales, ut locustas, non fert propriè censuram: quia incapaces sunt doli, & peccati; sed tantùm eas detestatur, & execrat, & per exorcismos relegare intendit. Sic Berengarius *in c. 42. de Consec. D. 2.* anathematizat omnem hæresim; cum nec hæreticus possit ferre censuras, nec hæreses capaces sint censuræ. Sic etiam *Josue c. 6. n. 17.* dicitur: *Sit Civitas hæc* (id est Hiericho) *anathema, & omnia quæ in ea sunt Domino.* Hoc est execravilis, ac destruenda. Sic etiam Dœmones anathematizantur: quin & Apostolus per quamdam exagerationem dixit anathema in eum, qui aliud evangelizasset, quamquod ipse evangelizaverat, etiam si angelus esset: Quo suæ doctrinæ firmitatem significavit. Qui verò vellet censuras propriè ferre in creaturas irrationales, superstitiosus esset *Suar. de Cens. D. 5. sect. 1. n. 2.* nisi bona fide excusaret. In Ovetensi tamen Episcopatum post annum 1532. rustici petierunt à Vicario Generali D. Didaco Perez de Villaviciosa, quod censusras indiceret contra mures, qui fructus agrorum devastabant. Vicarius assignavit Procuratorem, & Advocatum, qui mures defenderent. Et auditis allegationibus partium, Vicarius jussit sub censuris, quod omnes mures intra tres dies illud territorium desererent, & intra montium latebras se abderent. Audita hac sententia ab Advocato murium petiit, quod pontes, qua possent fluvios transire, formarentur, & quod interim sententia suæ parti præjudicium non afferret: jussit ergo Vicarius, quod varia ligna in fluminibus in modum pontium superponerentur. Quo facto mures censuris, & sententiæ obedierunt, nullusque intra terminum præscriptum permansit in illo territorio. Sic *Gonzalez Davila*, qui processum se vidisse, testatur *in Theat. Eccles. Ovet. f. 150.* fides tamen sit apud Authorem.

399 Solum potest censura ligari, qui subjectus est jurisdictioni ordinariæ, vel delegatæ censuram ferentis. *c. 21. h. t.* Episcopus non solum in suos Diœcesanos potest censuram ferre, sed etiam in peregrinum in sua Diœcesi delinquentem. Quippè ratione delicti fit subditus Episcopo. *C. fin. de Foro compet.* Etiam Episcopus alienus, ibidem commorans, potest excommunicari, imò & Archiepiscopus in Diœcesi sui suffraganei delinquens fit subditus suo suffraganeo ratione delicti, ac proindè censura ligatur. *Pignatel. tom. 1. cons. 170. n. 8. Lacr. lib. 7. n. 32.* Quamvis id neget *Lug. Resp. Moral. lib. 6. D. 22.* imò si Episcopus per præceptum, vel sententiam specialem, sub censura aliquod delictum prohibuit, & ipse delinquens exeat ab Episcopi Diœcesi adhuc ligatur censura, quia magis consideratur præsentia moralis, qua in Diœcesi deliquit, quam præsentia physica, qua extra Diœcesim est:

non

non tamen posset agi contra eum strepitu judiciali. Si verò prohibitio sit facta per statutum territoriale, vel sententiam generalem censura adjecta, hæc non comprehendit existentes extra Diœcesim. *c. fin. de Const. in 6. Lacr. lib. 7. ex num. 43.* Quando Episcopus est extra Diœcesim suam non potest censuram ferre, etiam in suos subditos in Diœcesi existentes, nisi consentiente Ordinario loci, ubi est: vel nisi delictum sit adeò notorium, ut cognitione judiciali non indigeat: vel si est à sua Diœcesi expulsus nam tunc potest censuram ferre in suos injustos expulsores, & fautores eorum. *Cl. un. de Foro compet.* Papa, cum non habeat superiorem in terra, à nullo potest censura ligari; imò nec censuris ab ipso latis tenetur, cum non ligetur suis Legibus, saltem quoad vim coactivam. Si verò in hæresim incederet, tunc posset Concilium illum cogere per censuras, ut pareret. *c. 6. D. 40. Lacr. l. 7. n. 22. Belarm. de Pont. L. 2. q. 30.* Nec Episcopus censuram à se latam incurrit, si tamen communicent cum excommunicato ab ipso incurrit excommunicationem minorem à Papa in communicantes cum excommunicatis inflictam. Reges (secus est de Proregibus) ob supremam dignitatem solùm à Pontifice possunt censurari, licèt olim Episcopi in eos ferre possent censuras: ut patet in Imperatore Theodosio, quem D. Ambrosius excommunicavit. *Lacr. lib. 7. n. 33. Solorz. Polit. Ind. lib. 5. c. 13. f. 883.* Indi, qui sunt perspicatiores, quos, *Hispanè: Ladinos* dicimus, incurrunt excommunicationes Juris Communis; v. g. si clericum percutiant. Et sic de aliis. At verò, qui rudiores sunt, & vix, quod sit censura, vel excommunicatio audierunt, nullam incurrunt excommunicationem. Hi enim magis corporalibus, quam spiritualibus pœnis plectendi sunt, ut Conc. Limense disponit. *Alloz. Sum. V. Indi. sect. 7. n. 17.* Episcopi non ligantur censura interdicti, & suspensionis generaliter lata nisi expressa mentio ipsorum fiat *c. 4. h. t. in 6.* Et cum in hoc textu nihil dicatur de excommunicatione, non debet hoc privilegium ad ipsam extendi. *Lacr. l. 7. n. 34. Suar. & alii.* Archiepiscopi nequeunt ligare subditos suffraganeorum, nisi quando actu visitant, vel ad ipsos per appellationem pervenit causa. *c. 7. h. t. in 6. Lacr. n. 29.* Communitas, Universitas, sivè Collegium potest censuræ subjacere: & quidem omnes, etiam innocentes ligantur interdicto generali *c. 17. h. t. in 6.* Solùm verò nocentes excommunicatione ligantur. *c. 5. in h. t. in 6.* Suspensione verò, quoad actus, & functiones communitatis, qua talis, etiam innocentes tenetur: quoad functiones, & jura, quæ singulis sigillatim competunt, solùm nocentes ligantur. *Laym. lib. 1. tr. 5. p. 2. cap. 1. Castropal. tr. 29. D. 1. p. 6. & alii.* Censura lata contra aliquod delictum committentes non extenditur ad consulentes, vel mandantes: quia cum sit odiosa, non debet extendi. *c. 15. de Reg. jur. in 6.* nisi alias redderetur censura inutilis. *c. 17. h. t. in 6.* vel nisi à lege fiat extensio, declarando, talem casum ibi comprehendi, ut in *c. 6. §. Ille verò, h. t.* & in *c. 6. & 11. de Judæis. Nav. Man. c. 27. n. 51. Sanch. de Matrim. lib. 3. D. 49. n. 2.* contra *Sylv. V. Excommunicatio, 9. n. 79. Rosel. & alios.* Etiam si censura mandantes, & consulentes comprehendat, non incurrit illam, qui efficacitèr mandatum revocavit ita verè non sit commissum delictum: imò sufficit, ut à censura excusetur, si quantum in se fuit revocavit mandatum, vel consilium, quamvis delictum verè sit commissum: vel quia non potuit delinquenti notam facere revocationem: vel quia ille noluit revocationi annuere; quia cum jam non detur culpa, inobedientia, nec contumacia, nequit contra ipsum dari censura, quæ contumaciam supponit, ut contra *Coninck. D. 4. dub. 15. concl. 3. n. 183. Dicast. & alios*, tenent *Innoc. in c. 6. h. t. Avila, Hurtado, & alii.*

400 Cum censuræ excommunicationis majoris, suspensionis, & interdicti, prout communitèr feruntur, sint pœnæ gravissimæ, non possunt infligi nisi detur culpa: quæ hic, & nunc saltem ex circunstantiis, ut in *c. 22. D. 23. c. 4. de Vita, & honest. Cler.* gravisi sit, ut pœna Proportionatur culpæ. Undè si delinquens à culpa gravi excusatur ob ignorantiam, inadvertentiam, vel aliam causam, etiam à censura delicto annexa excusatur; *arg. c. 41. c. 42. 11. q. 3. Trid. sess. 25. de Ref. c. 3. Nav. Man. c. 27. n. 9. Suar. de Cens. D. 4. sect. 4. Sanch. in Decal. lib. 6. c. 4. n. 5. Lacr. l. 7. n. 47.* Nec sufficit peccatum sit merè internum. Quippè hujus punitio Deo tantùm relinquitur. *c. 14. de Pœnit. D. 1. & ibid. Glos.* Nec Ecclesia punit, nisi actus externos, de quibus potest cognoscere. *c. 33. de Simon.* Imò cum Leges censuram infligentes sint pœnales, & odiosæ adeo strictè interpretantur, ut solùm comprehendat peccatum in suo genere perfectum, attenta proprietate verborum,

quæ

quæ continetur in Lege. *c.* 7. *de Elect. in* 6. *Nav. Man. c.* 23. *n.* 38. *c.* 27. *n.* 56. *Suar. de Cens. D.* 4. *sect.* 2. & 3. Excommunicatio minor à jure lata incurritur propter culpam venialem, & etiam ob culpam venialem potest ferri aliqua suspensio, vel interdictum purè personale, non reservatum: quia cum sint minores pœnæ aliquam cum culpa proportionem habent. *Lacr. lib.* 7. *n.* 47. Censura, utpotè pœna medicinalis principalitèr infligitur ad corrigendam contumaciam, & contemptum delinquentis contra præceptum Ecclesiæ. *c.* 23. *de V. S. c.* 1. *h. t. in* 6. Et hac ratione non fertur ob peccatum solùm Jure Naturali, vel Divino prohibitum. *Suar. de Cens. D.* 4. *sect.* 5. *n.* 6. *Lacr. lib.* 7. *n.* 47. Nec ob peccatum merè præteritum. *c.* 48. *h. t. c.* 1. *c.* 5. *c.* 9. *eod. in* 6. nisi fortè aliquomodo in futurum pendeat. Sic in *c.* 27. 23. *q.* 4. *c.* 10. *D.* 96. Censura imponitur, ut pro peccato præterito detur satisfactio. In *c.* 30. 23. *q.* 4. Sylverius excommunicat eos, qui eum in exilium miserunt, ne illum ibidem detinerent. In *c.* 2. 5. *q.* 1. Gregorius usum Eucharistiæ interdixit sub excommunicatione cujusdam libelli authori, donec se manifestaret. Quæ omnia in futurum pendent, ac proindè possunt continere contumaciam, contemptum, & inobedientiam, contra quam possit censura infligi. *Nav. Man. c.* 27. *n.* 9. *Suar. de Cens. D.* 4. *sect.* 5. *ex n.* 6. *Covar. Lacr. l.* 7. *n.* 47. & *alii.*

401 Ut quis censuras ferre possit, non solùm debet habere jurisdictionem actualem, expeditam, non suspensam appellatione legitima, & eam in proprio territorio existens debet exercere. *c.* 7. 9. *q.* 2. *Clem. un. de Foro compet.* sed præcedere debet regulariter monitio. *c.* 48. *h. t. c.* 19. *c.* 13. *eod. in* 6. Nam qui monitus non est, nequit dici rebellis, & inobediens. Hæc monitio regulariter debet esse trina, vel una pro tribus, quæ spatium tribus monitionibus respondens comprehendat: nisi facti necessitas aliter suaserit. *c.* 9. *h. t. in* 6. Si monitio trina non præcedat, censura erit injusta, non tamen invalida. *c.* 5. *h. t. in* 6. nisi lata sit in communicantes cum excommunicatio ab eodem Judice: nam tunc ad valorem trina requiritur monitio. *c.* 3. *c.* 13. *h. t. in* 6. Hæc monitio debet in scriptis fieri, ibidemque est exprimenda causa, ob quam imponitur *text. in c.* 1. *h. t. in* 6. Prætereà: prædicta monitio est prorsus coram testibus facienda ad personam rei. *c.* 48. *h. t.* nisi hic malitiose latitet: tunc namque citatio fit ad domum suam, vel ad valvas Ecclesiæ, vel in alio publico loco, ita ut ad ejus notitiam pervenire possit. *c.* 5. §. *Porrò. Ut lite non contest. Cl.* 3. *de Elect. Suar. de Cens. D.* 3. *sect.* 8. potest fieri monitio verbo tantum, quando datur causa urgens. Si tantum verbo fiat absque causa, illicita erit censura, & eam sic ferens, si Episcopus non sit *c.* 4. *h. t. in* 6. Ipso jure suspenditur per mensem ab ingressu Ecclesiæ, & Divinis Officiis. Et si illo tempore Divinis se ingerat, erit irregularis: probabilitèr tamen non erit irrita, cum nullo jure irritetur. *c.* 1. *h. t. in* 6. Quando censura à jure imponitur, non est necessaria alia specialis monitio, nisi specialitèr in jure requiratur, cum jus ipsum perpetuo moneat; *arg. C. fin. Locat. Suar. de Cens. D.* 3. *sect.* 8. *n.* 3. Hinc, qui commisit delictum, cui ipso jure censura latæ sententiæ est imposita, si delictum est notorium, vel per sententiam, vel ipso facto, & de eo non pœniterit reus, potest hic absque prævia monitione declarari, & denuntiari à Judice tamquam censura ligatus *c.* 26. *de Appellat.* Nec requiritur monitio, quando delictum, & contumacia sunt notoria: nam tunc nec probatio requiritur. *c.* 15. 2. *q.* 1. *c.* 9. *de Accusat. Suar. de Cens. D.* 3. *sect.* 10. *n.* 18. Interdictum, & suspensio, aliquando ut pœna vindicativa imponuntur: ac proindè tunc non est necessaria monitio. *c.* 7. §. *fin. de Elect. c.* 1. *h. t. in* 6. Secus est excommunicatio, quæ nunquam infligitur, nisi ut vera censura. Judex tamen in causa propria potest censuram per modum defensionis ferre, quasi vim vi repellendo; *arg. L.* 3. *ff. de Just. & jur.* Imò per modum judicii, & sententiæ, quando causa est manifesta, nec cognitione indiget. Honestius tamen est abstinere, & causam ad alium Judicem remittere, ne sinistro affectu procedatur. *Lacr. lib.* 7. *n.* 20. Censura imponi debet voluntariè, & humano modo: nec obstet si ejus impositio à metu gravi procedat: nam adhuc est voluntaria, & Jure Naturali valida, ac proindè Jure Positivo etiam valet, cum nullibi irritetur, sicuti irritatur absolutio à censura metu extorta. *C. un. de His, quæ vi metusvè caus. in* 6. Ut quis tamen censuras justè, & licitè ferat debet non esse censura ligatus, neque interdictus aliquo Superioris præcepto, nec ex pravo affectu odii, aut vindictæ procedere debet. *Lacr. lib.* 7. *n.* 27.

402 Censura absolutè lata, & incursa, non cessat, etiam quoad forum internum satisfactione facta parti læsæ, &

ces-

cessante contumacia, *c. 5. h. t.* Hinc *Alex. VII.* hanc propositionem, quæ est 44. damnavit: *Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.* Cessaret verò posita satisfactione, & reus pro absoluto erit habendus, si censura feratur, quousque reus satisfecerit. *Suar. de Cens. D. 7. sect. 1. n. 11. & seq.* ubi refert utriusque sententiæ fundamenta. *Lacr. lib. 7. n. 159.* Et quidem licèt censuratus per contritionem fiat membrum vivum Ecclesiæ, & hac ratione communicet cum cæteris fidelibus in orationibus, & suffragiis particularibus, & absolutus sit coram Deo, non tamen habetur ab Ecclesia, ut absolutus, *c. 28. h. t. Suar. de Cens. D. 9. sect. 3. n. 2. Lacr. lib. 7. n. 205.* Nec cessat ceusura morte ejus, qui eam tulit, *c. 40. 11. q. 3. c. 11. §. Præterea, de Offic. Ordin.* imò nec morte censurati plenè cessat. Nam etiam eo mortuo nequeunt vivi ejus cadaver in loco sacro sepeliere, nec preces publicas, & suffragia pro ejus anima offerre, *c. 28. c. 38. h. t. c. 20. eod. in 6. Suar. de Cens. D. 7. sect. 1. n. 5.* Solùm ergo potest tolli per potestatem concessam D. Petro solvendi ligatos: quæ potestas solùm per absolutionem exercetur. *Suar. de Cens. D. 7. sect. 1. n. 2.* Qui hanc conclusionem, quoad partem affirmantem, quod per absolutionem tolli potest censura, esse certissimam, & de fide asserit: quoad partem negantem, quod alio modo tollatur censura, eam ab inductione probat ex *n. 3.* Absolutio potest fieri: 1. Simplicitèr tollendo absolutè censuram: 2. Ad reincidentiam, quando scilicèt, reus absolvitur à censura, ita tamen, ut si intra certum tempus non satisfaciat, vel solvat, rursus in excommunicationem incidat. Sic in *c. 22. h. t. in 6.* Qui in articulo mortis est absolutus à censura à simplici Sacerdote, in ipsam reincidit, si non se præsentet Superiori: 3. Ad cautelam quis absolvitur, quando scilicèt dubitatur, an ipse incurrerit aliquam censuram, vel an censura lata, valida sit, vel non: 4. Sub conditione: quando scilicèt absolutio ita datur, ut aliqua conditione, non solùm de præsenti, vel de præterito, sed etiam de futuro deficiente, corruat absolutio. *Suar. de Cens. D. 7. sect. 8. n. 7. Nav. Cov. Lacr. lib. 7. n. 155. & 157.* contra *S. Anton. Sylv. & alios.*

403 A censura à jure lata non reservata specialitèr possunt absolvere suos subditos respectivè, non solùm Episcopi, Abbates, Prælati Regulares, Generales, Provinciales, Guardiani, Præpositi, Rectores, & alii, qui jurisdictionem habent in foro externo, sed etiam Parochi, & alii Confessarii approbati; vel quia nulla specialis facultas ad hoc requiritur, vel si hæc sit necessaria, à jure conceditur in *c. 29. h. t.* ibi: *Quia conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialitèr non retinuit eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi. Suar. de Cens. D. 7. sect. 3. n. 2. & 10. Nav. Man. c. 27. n. 39. Cov. & alii.* Omnes prædicti possunt etiam absolvere à censura ab homine per sententiam generalem lata: cum hæc æquivaleat censuræ à jure latæ. Ab his namque censuris possunt absolvere omnes, qui censurarum possunt absolvere à mortalibus. *Lacroix, lib. 7. n. 126.* A censura ab homine specialitèr lata, solùm potest absolvere: 1. Qui illam tulit: 2. Ejus superior: 3. Ejus successor: 4. Delegatus. Qui enim eam tulit si non sit merus executor, *c. fin. §. fin. de Offic. Deleg.* potest ab ea absolvere. *c. 51. de Pœnit. D. 1. cap. 11. §. Præterea, de Offic. Ordin.* Quia nihil tàm naturale est, quàm eo genere quidquam dissolvere, quo colligatum est. *L. 35. ff. de Reg. jur. c. 1. eod.* Etiamsi reus domicilium mutet; *arg. c. 19. de Foro compet.* Vel appellationem interposuerit. Nam adhuc à Judice Ordinario potest absolvi à censura; *arg. cap. 10. de Appellat. in 6.* non tamen à delegato, postquam appellationem admisit, quippè ejus jurisdictio expirat, statim ac appellationem Superior admittit. *Suar. de Cens. D. 7. sect. 2. n. 26. & 32.* Non tamen potest absolvere, si posteà jurisdictione privetur, quia fiat excommunicatus vitandus: vel si Pontifex ex certa scientia censuram ab Ordinario latam confirmet: Nam eo ipso sibi reservat absolutionem; *arg. c. 1. de Confirmat.* & defacto sibi reservat censuram ab ordinario latam in incendiarium, *c. 19. h. t.* & latam à delegato Papæ si intra annum non absolvit. Itaque eo elapso, absolvere nequit, *c. 26. de Offic. Delegat.* 2. Superior, qui pleno jure superior est, potest absolvere censuratos ab inferiori, *c. 29. h. t.* Et cum suo jure utatur, nullam ei facit injuriam. *Clem. 2. de Elect.* Archiepiscopus verò, Patriarcha, vel etiam Legatus à latere non possunt absolvere censuratos ab Episcopis suæ Provinciæ, nisi per appellationem ad ipsos causa devoluta sit: nam solùm in his casibus habent in tales subditos superioritatem, *c. 5. c. 7. h. t. in 6.* Et Archiepiscopus tempore visitationis, *c. 16. de Præscript. Navar. Man. c. 27. n. 40. Suar. de Cens. D. 7. sect. 2. Lacr. lib. 7. num. 137.* 3. Successor, sivè Judices Ordinarii, sivè de-

legati, cùm eamdem, ac ejus antecessor habeat potestatem, absolvere valet in eisdem casibus, in quibus ejus antecessor absolvere valebat: & è contra nequit absolvere in casibus, in quibus antecessor non poterat, *cap.* 40. 11. *q.* 3. etiamsi ad tempus tantùm succedat: ac proindè Capitulum, Sedevante, potest per suum Vicarium absolvere excommunicatum ab Episcopo, *cap. un. de Major. in 6. Suar. de Cens. D.* 7. *sect.* 2. *n.* 6. 4. Delegatus, dummodò non sit merus executor delegantis, sed habeat cognitionem causæ potest à censura à delegante lata absolvere. *Nav. Man. cap.* 27. *n.* 40. *Suar. de Cens. D.* 7. *sect.* 2. *n.* 6. Mortuo Papa nemo potest absolvere à censura Papæ reservata, nisi Congregatio Cardinalium, vel cui Papa ante, vel Congregatio tunc commisserit. *Lacr. lib.* 7. *num.* 150.

404 Solùm prædicti possunt etiam absolvere à censura à jure lata, quæ specialitèr est reservata, *cap.* 29. *h. t. Suar. de Cens. D.* 7. *sect.* 5. *ex n.* 1. *Lacr. L.* 7. *n.* 116. Tamen pro articulo mortis, quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, potest à quacumque censura absolvere moribundum, cum pro tali casu nulla detur reservatio. *Trid. sess.* 14. *de Pœnit. cap.* 7. *Suar. de Cens. D.* 7. *sect.* 5. *n.* 2. Debet tamen pœnitens jure, se præsentaturum, elapso periculo, superiori, à quo erat absolvendus: quod si posteà non faciat, reincidit in censuram, *cap.* 22. *h. t. in* 6. Laicum posse à censuris in articulo mortis absolvere, tenent *Dian. Laym. Alloza*, & *alii.* Mihi tamen prorsus verum videtur, quod Laici etiam in articulo mortis, & in defectu Sacerdotis non possunt à censura absolvere, quia ex se est Laicis negatum spiritualia, & præcipuè, quæ ad absolutionem spectant, administrare: quod etiam respectu Clericorum, non Sacerdotum locum habet; *arg. Trid. sess.* 14. *de Pœnit. cap.* 7. & aliundè neque ex jure, neque ex consuetudine constat, Ecclesiam hanc facultatem, non Sacerdotibus concessisse. *Suar. de Cens. D.* 7. *sect.* 6. & *alii*, cum tamen *Henriq. Dian. Laym.* & *alii*, teneant Laicum tunc posse à censura absolvere, *ex cap.* 8. *de Pœnit. D.* 1. ibi: *Tanta est vis confessionis, ut si deest Sacerdos confiteatur proximo.* Et aliundè, illa absolutio non possit obesse, & prodesse valeat, poterit tunc Laicus imò, & debebit absolutionem impendere, in quantum valere possit. *Sanch. in Decal. L.* 2. *cap.* 13. *n.* 13. *Lacr. l.* 6. *p.* 2. *n.* 130. Etiam Episcopus potest absolvere à censuris Pontifici reservatis, si publicæ non sint, nec ad forum contentiosum deductæ. *Trid. sess.* 4. *de Ref. cap.* 6. facultas absolvendi à censuris, quando sunt occultæ, vel quando Papa non potest adire juxta *Sanch. Dicast.* & *alios*, etiam censetur concessa Abbatibus jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus. Contrarium tamen tenendum est: quia hæc facultas speciali jure est Episcopis concessa. Et eorum industria censetur electa, ut tenent. *Suar. Bonac. Lacr. lib.* 7. *numer.* 141. & *alii.* Etiam potest Episcopus absolvere à censura Canonis ob Clericī percussionem mulieres, senes, infirmos, vel alitèr impeditos adire Romanum Pontificem, *cap.* 13. *h. t.* Mendicantes, & quī cum ipsis communicat in privilegiis, possunt absolvere ab omnibus censuris Pontifici reservatis extra Bullam Cœnæ. *Lacr. l.* 7. *n.* 126. & 142. In nostra Hispania potest confessarius approbatus absolvere pœnitentes virtute Bullæ Cœnæ Cruciatæ à censuris Sedi Apostolicæ reservatis semel in vita, & semel in morte: quod sī tales censuræ sint occultæ, potest ab eis absolvere, toties quoties ab aliis censuris non reservatis Pontifici. Non tamen potest Confessarius absolvere à censura incursa ob hæresim formalem externam: nam hæc ipsa Bulla excipitur.

405 Absolutio à censura, supposita potestate, & voluntate omninò libera in absolvente, solùm debet dari, quando reus satisfecit parti læsæ, vel si impotens sit, præstet cautionem pignoribus, vel fidejussoribus: vel si hanc non possit, saltem juramento præstet cautionem de satisfaciendo. Si alitèr Judex absolvat peccat: valet tamen absolutio, saltem, quando Judex Ordinarius est: nam si delegatus sit, communior sententia tenet, esse invalidam absolutionem, quamvis alii probabilitèr validam propugnent. *Sanc. de Matr. L.* 2. *D.* 33. *n.* 1. *Laym. L.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *cap.* 2. *n.* 8. Potest hæc absolutio dari etiam quoad forum internum extra confessionem, & etiamsi absolvens non sit ordinarius in Sacris: quod pendet ex concessione à Pontifice facta, cujus tenor omninò inspici debet. *Suar. de Cens. D.* 7. *sect.* 5. *n.* 36. *Sanch. de Matr. lib.* 8. *D.* 16. *n. fin.* Si reus intra annum absolutionem non petat, sed in censura insordescat, se suspectum de hæresi facit, & inquisitioni subjicitur. *Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 3. *in fin.* Potest tamen absolutio dari extra confessionem ignoranti, & invito: & absentī per litteras, vel ejus procuratori, si aliqua justa causa hoc exigat; expedit tamen

ad

ad reverentiam censuris debitam, & humilitatem pœnitentium, quod absolutio ab ipsis petatur, & quod sint præsentes. *Suar. de Cens. D. 7. sect. 7. n. 5. Lacr. lib. 7. n.* 155. *&* 161. Absolutio vi, metu, vel fraude extorta invalida est. *c. un. de His, quæ vi metusvè caus. in 6.* In absolutione, quæ fit à Judice, decet (non tamen debet necessariò) servari forma prescripta in *c.* 28. *h. t.* & Pontificali Romano. Scilicèt, quod fiat cum pœnitentiali Psalmo, & tàm oratione Dominica, quàm alia consueta. Ejus tamen omissio non facit absolutionem invalidam: imò, nec gravitèr illicitam. Debet, & sufficit, quod fiat sub quibuscumque verbis, seu scriptura, quæ voluntatem absolvendi explicet, etiam si causa, non exprimatur. Regularitèr tamen sic fit absolutio excommunicationis pro foro externo: *Ego te absolvo à vinculo excommunicationis, quam incurristi propter causam:::: & te restituo Sacramentis Ecclesiæ & Communioni fidelium in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* pro suspensione dicitur: *Ego te absolvo à vinculo suspensionis, quam incurristi propter causam:::: Et te restituo executioni tuorum ordinum, officiorum, & beneficiorum in nomine Patris &c.* Si absolvens sit delegatus præmittit. *Authoritate Omnipotentis Dei, SS. Apostolorum Petri, & Pauli, & Sanctissimi D. N. Clement. XII. in hac parte tibi concessa, & mihi commissa, absolvo te, &c.* Eisdem formulis potest quis in foro interno uti ad absolvendum. Et in foro pœnitentiali præmittitur regularitèr absolutio ad cautelam hoc modo: *Dominus Jesus-Christus te absolvat, & ego authoritate ipsius te absolvo à vinculo excommunicationis, suspensionis,* (hæc vox omittitur, si pœnitens sit Laicus) *& interdicti, in quantum possum, & tu indiges, &c.* Quando quis pluribus censuris, etiam ejusdem rationis, est ligatus, ut potest, non solùm ex diversis causis, sed etiam probabilitèr ob unam causam, dùm à diversis principiis, scilicèt à jure, & homine, vel à duobus judicibus procedant censuræ. *Suar. de Cens. D. 5. sect. 2. ex n. 4. Lacr. l. 7. ex n.* 8754. Debet in plurali absolvi ab omnibus censuris, si omnes sunt auferendæ: nam benè potest absolvi ab una, quin ab alia absolvatur, cum inter se connexionem non habeant.

406 Non incurrit censura. 1. Si eam ferens jurisdictione careat, vel quia privatus est officio, vel quia jam est appellatum ab ejus sententia: siquidem post appellationem causa eximitur à Judice *à quo*, & devolvitur ad Superiorem, ac proindè si tunc ferat censuram non valet. 2. Qui metu gravi coactus facit rem sub censura prohibitam, eam non incurrit: nam tunc non datur contemptus. Regularitèr enim metus à præcepto Ecclesiastico excusat: nisi talis metus incutiatur directè in contemptum Religionis, aut Ecclesiasticæ potestatis: nam tunc potius quis debet mortem sustinere, quam Legem Ecclesiasticam violare, siquidem jam non de sola Legis observatione agitur, sed de gravi damno nostræ Religionis vitando; cujus bonum debet quilibet propriæ vitæ præferre. Et Ecclesia in hoc, vel simili casu habet potestatem cum tanto rigore obligandi. *c.* 5. *de His, quæ vi. Suar. de Cens. D.* 4. *sect.* 3. *ex n.* 12. *Lacr. lib.* 7. *n.* 98. Si delinquens habeat ignorantiam censuræ, dùm non sit crassa, & supina: cum tunc non detur cotumacia, vel contemptus, non incurritur censura, vel si post factam sufficientem diligentiam adhuc dubitet de censura, an sit lata, vel etiam dubitet illo facto, cui est annexa censura, tùm eam non incurrit: siquidem est in possessione juris, quod per baptismum habet ad bona spiritualia. Si verò jam censuram incurrit, & dubitat, an sit absolutus, possessio stat pro censura. *c.* 39. *h. t.* 4. Si peccatum sub censura prohibitum non sit in sua linea perfectum: sic quando censura fertur in homicidam, non incurrit illam vulnerator, vel percussor. 5. Si censura feratur in eum, qui innocens est in utroque foro, est nulla: & non timenda, siquidem sine culpa non incurritur. *c.* 2. *c.* 7. §. *Potest, h. t. in 6.* Si verò delictum verè sit commissum, sed non possit probari, sic delinquens incurrit in foro interno censuram à jure lata. Judex vero, etsi privatim sciat delictum, nequit infligere censuram: vel si ferat, erit nulla, quia non est lata ob scientiam publicam, ut debebat: si tamen censura feratur ob delictum, quod verè probatum est, sed verè non est commissum: ille, in quem hoc modo fertur censura, non est ligatus in foro conscientiæ, & coram Deo, nec privatus suffragiis Ecclesiæ, & communione fidelium: in foro tamen externo, & in publico debet se gerere, tamquam si ligatus esset, quippè Jus Naturale obligat illum superiori obedire, ne cum scandalo fidelium videatur Judicis authoritatem contemnere. Nam ut ait *D. Greg. in c.* 1. 11. *q.* 3. *Sententia Pastoris, sivè justa, sivè injusta fuerit, timenda est.* Sic *Suarez*, Na-

Navar. Soto, Covar. Castropal. tr. 29. D. 1. p. 8. exn. 14. contra *Gloss. in c. 1. h. t. in 6. V. Propter quam, Duran. in* 4. *D.* 18. *q.* 4. *Cordub. & alios*, qui tenent, innocentem censura ligari.

407 Omnium Ecclesiasticarum pœnarum gravissima est excommunicatio, qua teste Augustino, nulla major est pœna in Ecclesia. *c.* 17. 24. *q.* 3. adeò ut Cœlestinus in *c.* 10. *de Judiciis* dicat, Ecclesiam non habere, quid ultra faciat, post eam. Et ideò dicitur nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, ac propterea jubetur *in Trid. sess.* 25. *de Reform. cap.* 3. Ne Judices Ecclesiastici temerè, & ex levibus causis hoc gladio utantur. Idem dicitur in *L.* 47. *tit.* 7. *lib.* 1. *R. Ind. Excommunicatio* sic dicitur, quasi *extra communicationem* Sacramentorum, & fidelium. *L.* 1. *tit.* 9. *p.* 1. ibi: *Descomunion tanto quiere decir, como descomunaleza, que aparta, è estraña los Christianos de los bienes espirituales, que se facen en Santa Eglesia. Excommunicatus* est, quasi *extra communicationem* factus, juxta illud Christi D. apud *Matth.* 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus*, id est, ab Ecclesia segregatus. Excommunicatus est sic dictus à quodam verbo Græco, quod separare seu eliminare significat. Sic *in c.* 107. 11. *q.* 3. dicitur: *Ecclesiarum Dei violatores à gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ, & à consortio totius Christianitatis eliminamus.* Frequentèrque à SS. Patribus, dicitur, talem segregari, & abscindi ab Ecclesia: non tamen ita, ut non maneat subjectus Ecclesiæ ratione characteris: nam character nec per mortem tolli potest. Nec ita, ut non maneat unitus per fidem Ecclesiæ: nam fides non per censuram, sed per hæresim, vel infidelitatem tantùm amittitur: sed quatenùs privat excommunicatio jure proximo & morali, quod fidelis habet ad communicationem fidelium, usum Sacramentorum, & alia hujusmodi. Nec item per se privat gratia, seu charitate: quippè hæc amittitur per peccatum, quod ad excommunicationem præsupponitur, & per quod peccator traditur Satanæ in interitum carnis, & à Corpore Christi separatur. *c.* 21. 11. *q.* 3. *Suar. de Cens. D.* 8. *sect.* 1. *Gonz. in c.* 18. *h. t. & alii. Excommunicatio ergo est censura Ecclesiastica separans excommunicatum à communione fidelium. c.* 32. *c.* 107. 11. *q.* 3. *L.* 1. *tit.* 9. *p.* 1. ibi: *Descomunion es sentencia, que estraña, è aparta al ome contra quien es dada à las veces de los Sacramentos de la Eglesia, è à las vegadas de las compañas de los leales Christianos.* Dicitur *censura*: quæ se habet tanquam genus, per quod convenit cum aliis censuris. *c.* 20. *de V. S.* per alia verba ab illis differt. Siquidem suspensio, solùm usu beneficii, & officii Ecclesiastici privat. Interdictum Officiis Divinis, secundum eorum naturam privat. Excommunicatio sanè multiplicitèr dividitur pro diversis respectibus: & quidem 1. alia est *valida*, *invalida*, *seu nulla alia.* Excommunicatio *valida est*, quæ à legitimo Judice propter contumaciæ peccatum fertur, & quidem *justa* erit, si debitus juris ordo servetur: quod si non servetur aliqua solemnitas accidentalis, vel circunstantia debiti finis *injusta* erit. *Invalida* est, cui aliquid substantiale deest, quia: v. g. fertur à non habente jurisdictionem, vel post appellationem interpositam, vel contra privilegium, vel quia intolerabilem errorem continet. Et hæc nullum habet effectum, ac proindè nec servanda est, nisi aliquando ratione scandali. 2. Alia est *major*, alia *minor* Hæc unicè usu passivo, seu receptione Sacramentorum privat excommunicatum. *c. fin. de Cleric. excommun. lib.* 1. *tit.* 9. *p.* 1. *Major.* autem privat paticipatione omnium bonorum communium inter fideles. *c.* 59. *h. t. L.* 1. *tit.* 9. *p.* 1. Et licèt antiquitus hæc vox: *Excommunicatio* absolutè prolata pro minori sumeretur *c.* 12. 3. *q.* 4. Hodie tamen solùm pro majori sumitur. *c.* 59. *h. t.* Et hæc regulariter dicitur *anathema. c.* 12. 3. *q.* 4. Quæ vox execrationem, & maledictionem significat. Et hinc *D. Paul.* 1. *ad Cor.* 16. *v.* 22. ait: *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum-Christum sit anathema. Maran. Atha*, quæ vox Chaldea est composita ex duabus, id est, *Dominus venit* quasi exterminare illum, qui Christum non recognoscit, ut Messiam. Et hæc est communior expositio, quasi dicat Apostolus sit anathema, qui illum non diligit, quia jam venit. Augustinus tamen sic exponit: anathema sit usque ad adventum Domini, id est, si non resipiscat, & hæc vox invenitur in *c.* 30. 23. *q.* 4. *Suar. de Cens. D.* 8. *sect.* 2. *n.* 7. *Arias Levit. Eccles. Diccion. Trevoux.* Et regulariter dicitur *anathema* excommunicatio, quæ fit cum magna solemnitate, scilicèt, extinctis candelis, & aliis ritibus ab Ecclesia præscriptis. *c.* 106. 11. *q.* 3. *L.* 13. *tit.* 9. *p.* 1. ibi: *Entonce debe decir el Obispo, que asi sea muerta su alma de aquel que descomulgan, como*

mue-

mueren aquellas candelas, si non ficiere emienda à Santa Eglesia, de aquello porque lo echan de ella. E esta descomunion llama Santa Eglesia Anathema, que quiere tanto decir, como espada del Obispo, con que deben matar à los que facen grandes pecados, è non se quieren emendar.

408 Licèt antiquitus omnes excommunicatione majori ligati essent vitandi. *c.* 8. *c.* 14. *h. t.* Posteà tamen in Concilio Constantiensi, quadam Constitutione, hoc restrictum est solùm ad notorios percussores Clericorum, & ad denuntiatos expressè: quam Constitutionem posteà *Martinus V. Edidit in percelebri Extrav. Ad evitanda*: cujus tenor talis est. *Ad evitanda scandala, & multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, statuit etiam, quod nemo deinceps, à communione alicujus in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque Divinis, vel extra, prætextu cujuscumque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis ab homine, vel à jure generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura hujusmodi fuerit in vel contra personam, Collegium, Universitatem, aut locum certum, aut certam, à Judice publicata, vel denuntiata specialitèr, & expressè: salvo, si quem pro sacrilega manuum injectione in Clericum sententiam latam à Canone adeò notoriè constiterit incidisse, quod nulla possit tergiversatione celari, aut aliquomodo juris suffragio excusari: nam à communione illius abstineri vult juxta Canonicas Sanctiones. Per hoc etiam hujusmodi excomunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos, non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.* Hanc litteram tenent *D. Anton.* 3. *p. tit.* 25. *cap.* 3. *Soto in* 4. *D.* 1. *q.* 5. *art.* 6. *Victoria apud Gonzal. Suar. de Paz in sua Praxi, p.* 1. *tom.* 1. *temp.* 5. *n.* 77. *fol.* 48. Et hunc sensum probat ipsa praxis Ecclesiæ. Et licèt in *Concil. Basileensi*, hæc constitutio fuit extensa ad quoscumque excommunicatos notorios: in hoc tamen punto non fuit confirmatum tale Concilium à *Nicolao V.* ac proindè non habet authoritatem, *Eugenius IV.* declaravit. *Sic Suar. de Cens. D.* 9. *sect.* 2. *n.* 5. *Laym. L.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 4. *Henrique, & alii DD.* contra *Sylv.* V. *Excommunicatio*, 5. *n.* 9. *Gel. Navar. & Paz in sua Pax. p.* 1. *tom.* 1. *temp.* 5. *ex n.* 72. *fol.* 47. Hodie ergo tantùm sunt vitandi à fidelibus: 1. Qui sunt expressè denuntiati. *Hispanè*: *Puesto en la tablilla.* 2. Qui sunt notorii percussores Clericorum. Cum his enim nullus fidelium potest communicare, sed eos tenentur vitare, nisi juxta causa aliud suadeat. Alii verò excommunicati, præter dictos, tolerati, seu non vitandi dicuntur; qui licèt non possint se ingerere communicationi fidelium, fideles tamen non tenentur eos vitare; sed possunt cum illis communicare, si velint: non tamen communicare tenentur; quia cum hoc in favorem fidelium sit introductum, non debet in eorum detrimentum detorqueri. *c.* 61. *de Reg. jur. in* 6. Possuntque recusare, imperium Prælati excommunicari, declinare Judices, repellere actorem, procuratorem, & testem excommunicatos, & à Missa Parochi excommunicati recedere: nisi aliud sit consuetudine inductum, ut in Germania, ubi nequeunt Catholici excludere Hæreticos à Judiciis, contractibus, &c. *Lacr. lib.* 7. *n.* 184.

409 Excommunicatus vitandus privatur. 1. Usu activo, & passivo Sacramentorum: ac proindè nequit Sacramenta administrare, nec ea suscipere. *c.* 32. *h. t.* Si Sacramentum ordinis suscipit, perpetuo suspenditur: si in eo ministrat fit irregularis. Sacramenta tamen, vel administrata, vel suscepta ab excommunicato, quamvis illicita, tamen valida sunt, cum non ex voluntate Ecclesiæ, sed ex Christi institutione pendeant; nisi sit Sacramentum pœnitentiæ, quod ab excommunicato ministratum, est prorsus invalidum ob defectum jurisdictionis: & ab ipso susceptum etiam est invalidum: nam excommunicatus suscipiendo tale Sacramentum contra Ecclesiæ prohibitionem, caret debita dispositione cum velit à peccatis absolvi, priusquam à censura absolvatur. Si verò in pœnitente detur debita dispositio, cæteraque requisita, sed fortè ex oblivione, vel ignorantia, non manifestaret Confessario censuram, nec is ab ea absolveret, in hoc casu, cum nihil desit ad valorem Sacramenti valeret absolutio, cum nullo jure irritetur. *Nav. Man. c.* 9. *n.* 7. *Suar. Covar. in C. Alma, p.* 1. §. 6. *n.* 7. *Filiuc. Lacr. lib.* 7. *ex n.* 196. contra *Sylv.* V. *Confessio*, 1. *q.* 3. *cas.* 5. *Vazq. de Excommun. dub.* 4. *Hurtad. & alios.* Potest excommunicatus vitandus, etiam licitè, in extrema necessitate: quia sic præsumitur ex benignitate Ecclesiæ, quæ est pia Mater fidelium, administrare Sacramentum pœnitentiæ, & baptismi, & quando non potest moribundus confiteri potest excommunicatus ei ad-

administrare Sacramenta Eucharistiæ, vel Extremæ-Unctionis. Nam tunc posset moribundus, eis susceptis, consequi salutem, cum quodlibet Sacramentum ex attrito possit contritum facere. Si verò moribundus jam est sacramentaliter confessus, non potest excommunicatus Extremam-Unctionem dare, & juxta aliquos, nec Eucharistiam. Sed Eucharistiam, etiam confesso, posse ab excommunicato ministrari ob maximam ejus utilitatem, tenet *Suar. de Cens. D.* 11. *sect.* 1. *n.* 17. & 23. Similiter, licitè ministrat vitandus ad vitandum periculum mortis, mutilationis infamiæ, vel gravis bonorum jacturæ, dum incontemptum censuræ non fiat ista communicatio. Quippè Ecclesia, ut pia Mater non obligat cum tanto dispendio. *Lacr. l.* 7. *ex n.* 196. 2. Privatur communibus suffragiis, quæ nomine Ecclesiæ præstantur, ut sunt officia, sacrificia, indulgentiæ, quæ ex communi Ecclesiæ thesauro in satisfactionem peccatorum applicantur. Et si fortè Minister Ecclesiæ hujusmodi suffagia pro excommunicato velit applicare, nihil facit, etiamsi excommunicatus vitandus contritus sit, & per eum non estet, non absolvi. *c.* 28. *h. t. Suar. de Cens. sect.* 3. *n.* 2. *Lacr. l.* 7. *n.* 205. contra *alios* apud ipsos. Solùm in die Parasceves Ecclesia publicè orat pro Hæreticis, & Schismaticis, ut significet, Passionem Christi, quæ tunc repræsentatur ex se ad omnes extendi: possunt tamen non solùm fideles, sed etiam Ecclesiæ Ministri, ut particulares personæ pro excommunicatis, etiam vitandis, privatim orare, etiam in Memento Missæ. Nam Ecclesiæ dispositioni hæc bona particularium non subjacent. *Nav. Man. cap.* 27. *n.* 36. *Suar. de Cens. D.* 9. *sect.* 4. *n.* 3. 3. Privatur Sacrificio Missæ: nec enim eam celebrare, si est Sacerdos, nec ei assistere potest, adeò, ut si Missæ assistat, debet moneri, ut exeat, quod si nolit, novam excommunicationem reservatam Pontifici incurrat, & vi debet expelli: si hoc modo expelli nequeat, fideles Missæ interessentes tenentur saltem sub veniali recedere, ne cum ipso in eadem oblatione communicent. Si Canon nondum cœptus sit, debet Sacerdos Sacrificium abrumpere, si jam consecratum sit, debet subjungere sumptionem, & omissis orationibus, & aliis, quæ post sumptionem solent dici, ad Sacristiam debet recedere. *c.* 20. *h. t. in* 6. *Cl.* 2. *eod.* Si autem scienter coram eo celebret, peccat gravitèr, minorem excommunicationem incurrit, & ab ingressu Ecclesiæ interdicitur. *c.* 8. *de Privil. in* 6. *Nav. Man. cap.* 27. *n.* 33. *Suar. de Cens. D.* 12. *sect.* 1. *ex n.* 11. *Lacr. l.* 7. *n.* 196. 4. Nec aliis Divinis Officiis excommunicati assistere valent, ut sunt publica recitatio Horarum Canonicarum, publica processio, benedictio Chrismatis, Olei sancti, aquæ benedictæ, olivarum, & alia hujusmodi: ac proindè, licèt excommunicatus privatim teneatur Horas recitare, si Clericus, vel Religiosus sit, omisso tamen *Dominus vobiscum*, & substituto: *Domine exaudi orationem meam*; deobligatus est publica recitatione Horarum. *Nav. Man. cap.* 27. *n.* 103. *Suar. de Cens. D.* 12. *sect.* 2. *n.* 13. *Lacr. l.* 7. *n.* 196. & 224. Similiter, licèt possit Templum adire ibique orare, concionem audire, utl aqua benedicta, imaginibus, reliquiis, & aliis Sacramentalibus; non tamen potest tempore, quo celebrantur Divina ingredi templum: quod si ingrediatur expelli debet per Ostiarios. *Nav. Man. cap.* 27. *n.* 17. *Suar. de Cens. D.* 12. *sect.* 3. *ex n.* 4. *Lacr. l.* 7. *n.* 210. 5. Privatur excommunicatus capacitate ad obtinenda beneficia, officia, & Dignitates Ecclesiasticas: & etiam ad impetranda rescripta Justitiæ, aut Gratiæ. *c.* 1. *de Rescript. in* 6. Nam cum excommunicato sit prohibitum exercere officium Ecclesiasticum, à beneficio, utpotè tale exercitium requirente, excluditur. Irrita enim, & nulla est electio, vel collatio, qua excommunicatus, etiam toleratus, & etiam si ignoret, se esse excommunicatum, promovetur ad beneficium: quin & ad pensionem Ecclesiasticam. *Suar. de Cens. D.* 13. *sect.* 11. *ex n.* 2. *Lacr. l.* 7. *n.* 196. & 218. Nec sufficit, quod beneficium collatum excommunicato acceptetur post absolutionem: nam quod ab initio vitiosum est tractatu temporis non convalescit. Si beneficium conferatur ante excommunicationem, si post eam acceptetur, invalida est acceptio: nam tunc excommunicato adquiritur beneficium; *arg. c.* 7. *de Cleric. excomm. Suar. de Cens. D.* 13. *sect.* 1. *n.* 17. *Laym. lib.* 1. *tr.* 5. *p.* 2. *c.* 2. contra *Covar. in C. Alma, p.* 1. §. 7. *Garc. de Benef. p.* 7. *c.* 13. qui tenent, acceptationem validam esse contra Sch. Beneficiis tamem, quæ obtinuit legitimè non privatur excomunicatus, sed tantùm illorum fructibus. *c.* 53. §. *Verum, de Appellat.* & quidem ipso jure, & ante sententiam: nam in illo textu æquiparatur substractio fructuum privatione communicationis cum fidelibus, quæ ipso jure per excomunicationem inducitur, & in ip-

ipso textu videtur supponi, nullam amplius actionem requiri. *Suar. de Cens. D. 13. sect. 2. n. 2. Garc. de Benef. p. 7. cap. 13. n. 90. Gutier. Can. L. 1. c. 1. n. 70.* contra *Gloss. in d. c. 59. Vazq. de Benef. c. 3. §. 3. dub. 4. Laym. L. 1. tr. 5. p. 2. c. 2.* Qui solùm post sententiam privari excommunicatum fructibus tenent : ipso tamen jure privari excommunicatum distributionibus quotidianis facilè omnes concedunt.

410 Sextò privatur Ecclesiastica sepultura, etiamsi pœnitens decesserit, nisi priùs absolvatur, ut quibus non communicamus vivis, non communicemus defunctis, *c. 12. de Sepultur. cap. 28. h. t.* Si verò erat toleratus, & dedit signa pœnitentiæ, licèt expediat, illum prius absolvi, tamen potest sepeliri in loco sacro. 7. Privatur jurisdictione Ecclesiastica, adeò ut actus non solùm illicitus, sed etiam invalidus sit; v. g. sententia, *c. 24. de Sentent. & re judic.* Item collatio beneficii, vel electio, præsentatio, postulatio, vel nominatio, vel quomodocumque jurisdictio in aliquo actu legitimo exerceatur. *C. unic. Ne sedevacant. in 6. c. 8. de Consuetud. c. 5. de Conces. Præb.* & resignatio in favorem tertii: de quibus latè *Suar. de Cens. D. 14. sect. 2. Cov. in C. Alma, p. 1. §. 7.* contra *aliquos* alitèr sentientes. Si tamen merum factum, non jurisdictio exerceatur, ut in possessionis concessione, hæc valida erit; etiamsi ab excommunicato vitando fiat : 8. Privatur communicatione : 1. In Civilibus, vel in forensibus, seu judicialibus : 2. In commercio civili : 3. In Politicis. Itaque excommunicatus vitandus nequit esse Judex, nec arbiter, nec Advocatus, nec Procurator, nec Testis, nec Tabellio, nec Actor, potest tamen ut reus trahi ad judicium, ne de sua malitia commodum reportet, *c. 7. de Judic.* potestque respondere, excipere, appellare, & facere, quidquid ad ejus defensionem, quæ Juris Naturalis est, conducat : vel per se, vel per Procuratorem, *c. 8. c. fin. de Except.* latè *Suarez, de Cens. D. 16. per tot. Lacr. lib. 7. n. 278.* Etiam commertium civile excommunicato prohibetur. Si tamen excommunicatus, etiam vitandus, contractum celebret illicitè, validè tamen illum contrahet; cum nullo jure irritentur tales contractus, *c. 103. 11. q. 3. c. 34. h. t.* Potestque capere ex testamento, imò, & testamentum validè quamvis illicitè, conficere : valet quoque matrimonium, quod contrahitur ab excommunicato vitando : & etiam professio religiosa, quia quasi contractus naturales considerantur. *Lacr. lib. 7. n. 280.*

411 Etiam ab officiis publicis, & politicis arcetur excommunicatus : potest tamen exercere validè, quamvis illicitè, munera Tutoris, & Curatoris. Etsi Parochus sit, potest assistere matrimonio, vel delegare alteri Sacerdoti hanc facultatem : imò & professio religiosa potest à Prælato excommunicato admitti. Nam in his omnibus non propriè exercetur jurisdictio, sed aliqua superioritas. *Suar. de Cens. D. 16. sect. 8. Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 4. n. 78. Lacr. lib. 7. n. 214.* Deniquè privatur excommunicatus omni communicatione politica privata cum fidelibus in casibus, de quibus in *cap. 17. cap. 18. cap. 19. 11. q. 3. L. 34. tit. 9. p. 1.* qui continentur in his Versiculis : *Si pro delictis anathema quis efficiatur : os, orare, vale, communio, mensa, negatur.* Dicitur 1. *Os*, quo nomine venit omne colloquium, & confabulatio, sivè verbo, litteris, nutibus, vel internuntio, vel quolibet modo fiat, & quodvis signum benevolentiæ; comprehenditur enim omnis sermo cum excommunicato, sivè palàm, sivè secretè fiat, sivè mutuo colloquendo, sivè loquendo tantùm, aut aures ei præbendo. *Suarez, de Cens. D. 15. sect. 1. num. 2.* ubi dicit, quod sic explicatur ab omnibus hic effectus : 2. *Orare*, id est, communicatio in Divinis : 3. *Vale*, quo nomine saltem venit salutatio verbalis honorifica; ac probabilitèr tamen alia signa urbanitatis licent; v. g. assurgere excommunicato, caput ei aperire, eum resalutare, ut tenent *Angel. Soto, & alii*, & securum in praxi judicat. *Suarez, de Cens. D. 15. sect. 1. num. 3. 4. Communio*, quæ omnem contractum, & societatem, etiam in itinere, vel habitatione comprehendit. *Suarez, de Censur. D. 15. sect. 1. num. 5. 5. Mensa*, quæ significat omnem convictum, & convivia per modum societatis, & comercii, non tamen prohibetur communicatio casualis, quando v. g. casu excommunicatus incidit in eodem itinere, domo, vel mensa, vel lecto. *Suar. de Cens. D. 15. sect. 1. ex n. 6.*

412 Possunt tamen fideles communicare, etiam cum excommunicatis vitandis, in casibus, de quibus, in *cap. 103. 11. q. 3. L. 34. tit. 9. p. 1.* qui in sequentibus Versiculis continentur.

Utile, Lex, humile, res ignorata, necesse
Hæc faciunt anathema, ne possit obesse.

Dicitur 1. *Utile*, quando aliqua resultat uti-

utilitas, vel spiritualis, vel ipsi excommunicato, ut ipse convertatur, *arg. c.* 43. *h. t.* vel alteri, qui ab excommunicato consilium petat, quod non facilè ab alio haberi possit, vel etiamsi utilitas temporalis oriatur solvendo ei debitum, vel dando ei eleemosynam; vel ab eo accipiendo debitum, vel eleemosynam. *Suar. de Cens. D.* 15. *sect.* 3. *n.* 9. 2. *Lex*: nam ob matrimonii legem potest conjux, sivè vir, sivè uxor, cum alio conjuge excommunicato communicare in reddendo debito, in mensa, & alis domesticis obsequiis: imò, & conjux excommunicatus debitum petere potest, ut sic periculum incontinentiæ vitetur, *c.* 31. *h. t. c.* 103. 11. *q.* 3. *Suarez, de Cens. D.* 15. *sect.* 4. 3. *Humile*: sic excusantur servi, filii naturales, adoptivi, etiam emancipati, nepotes, affines, uti Gener, Nurus, Privignus, & privigna: famuli, pupilli, Minores, Clerici, Religiosi, Milites, qui communicant cum his, quibus subduntur, *cap.* 103. 11. *q.* 3. *c.* 34. *h. t.* 4. *Res ignorata*: excusat enim ignorantia sivè juris, sivè facti, non solùm invincibilis: sed probabilius etiam vincibilis, dum non sit afectata, quæ scientiæ æquiparatur, *cap.* 103. 11. *q.* 3. ac proindè solùm à communicatione cum excommunicato abstinere tenemur, non quando dubitamus, sed quando nobis de excommunicatione moralitèr constat per famam publicam, vel per litteras Parochi, vel per dictum duorum, vel trium. *Suarez, de Cens. D.* 15. *sect.* 3. *ex n.* 2. 5. *Necesse*: necessitas enim sivè spiritualis, sivè temporalis excusat, *c.* 103. 11. *q.* 3. *c.* 31. *c.* 34. *h. t.* Prædicatores, & Confessores specialitèr possunt petere ab excommunicatis eleemosynas, etiamsi æquè ab aliis possent eas habere, *c.* 54. *h. t. Suar. de Cens. D.* 15. *sect.* 3. *n.* 8. Qui extra hos casus cum excommunicato vitando communicat simili excommunicationi subjacet, *c.* 17. 11. *q.* 3. Hoc est, quod sicut ille est excommunicatus excommunicatione majori, sit cum eo communicans excommunicationem minorem incurrit. Et regularitèr tantùm culpam venialem committit in civilibus communicans. *Suarez, de Censur. D.* 15. *sect.* 3. *n.* 8. Nisi communicatio sit valdè frequens, vel facta cum scandalo, vel præberet excommunicato occasionem perseverandi in delicto. Communicare cum excommunicato in Divinis, & Officio Divino, saltem publicè dicto, peccatum mortale est ob gravitatem materiæ: imò aliquando etiam in civilibus. Et insuper aliquando incurritur excommunicatio major: 1. Quidem si quis cum eo in crimine criminoso communicet, hoc est in crimine, ob quod alter est excommunicatus præstando auxilium, consilium, vel favorem, ne resipiscat ab ejusmodi crimine. Si ergo in hoc communicet scientèr cum excommunicato non solùm nominatim, sed etiam denuntiato incurrit excommunicationem majorem, *cap.* 29. *c.* 55. *h. t.* 2. Si quis communicet cum excommunicato, post sententiam latam contra participantes: debet tamen prius moneri sigillatim, & specialitèr, & quidem trina monitione, *cap.* 30. *h. t. cap.* 3. *c.* 9. *c.* 13. *eod. in 6.* 3. Si Clericus spontè in Divinis communicet, cum excommunicato à Pontifice, sciens, esse ab ipso nominatim excommunicatum, & denuntiatum, *cap.* 18. *h. t. Navarr. Man. cap.* 27. *num.* 98. Sanè cum per extravagantem *Ad evitanda*, nullus favor fiat excommunicatis, etiam toleratis, dicendum est, quod tales directè privantur, eadem communicatione, ac vitandi; secus indirectè: quia fideles possunt, cum ipsis communicare; v. g. in mensa, habitatione, colloquiis, contractibus, societate, & aliis hujusmodi. Excommunicati tolerati possunt Sacramenta validè ministrare. Etsi à fidelibus requirantur, etiam licitè, dum sint in statu gratiæ, & non possint prius absolutionem à censura obtinere. Et quamvis illicitè se ingerant communicationi forensi; v. g. agendo Judices, Advocatos, Notarios, vel Testes: acta ab ipsis facta valent, si à parte contraria contra ipsos non objiciatur excommunicationis exceptio, vel à Judice removeantur. Effectus mediati excommunicationis majoris sunt: 1. Quod excommunicatus per annum perseverans in excommunicatione majori ab homine lata, fit suspectus de hæresi, de levi tamen. *Trid. sess.* 25. *de Ref. cap.* 3. Et ut hæreticus, si in sua contumacia perseveret, potest puniri, *cap.* 7. *de Hæret. in 6.* Similitèr, qui per annum in excommunicatione perseverat pro convicto, & confesso habetur, *cap.* 36. *cap.* 37. 11. *q.* 3. Imò, & potest, si Clericus est, beneficiis à Judice privari: quod si per triennium perseveret, debet, & tenetur Judex eum beneficiis privare: quia non debet fructibus Ecclesiæ gaudere, qui adversus illam rebellis est, *cap.* 8. *de Ætate, & qualit.*

413 Excommunicatio minor, sic dicta comparativè ad majorem, quia facilius

lius quam illa tollitur, & ob minorem culpam incurritur, paucioribusque bonis privat: licèt olim ob plures causas incurreretur, hodie solùm ipso jure, non à Judice imponitur. Et quidem ex unica causa, scilicèt, ob communicationem cum excommunicato, sivè vivo, sivè mortuo: & sivè in divinis, sivè in politicis, & civilibus. *Lacr. l. 7. n. 189. Suar. de Cens. D. 24. sect. 3.* Directè tamen prædicta excommunicatio solùm privat passiva receptione Sacramentorum. *c. 2. de Except. c. fin. de Cler. excom. c. 59. h. t.* adeò, ut ea recipiens gravitèr peccet, sed validè etiam Sacramentum pœnitentiæ recipit, si illud bona fide credens se non ligatum recepit, vel si petiit absolvi ab excommunicatione minori, & Sacerdos ignorantia, vel malitia non absolvit: nam talis irritationis nullum est injure fundamentum. *Suar. de Cens. D. 24. sect. 2.* Cum ergo excommunicatus non possit ordines suscipere, nec sacrificium Missæ celebrare, & ad hoc conferatur beneficium: ideò indirectè excommunicatio minor privat excommunicatum electione passiva ad beneficium. *c. fin. de Cler. excomm. ministr. L. 6. t. 9. p. 1.* & idem dicendum est de præsentatione, & collatione. Hinc, qui sic excommunicatum eligit, vel illi beneficium confert, cum præceptum Ecclesiæ in re gravi frangat, mortalitèr peccat: & electio facta de Excommunicato scientèr, id est, quando talis excommunicatio scitur, erit irritanda, non verò est irrita ipso jure. *c. fin. de Cleric. excom. Suarez de Cens. D. 24. sect. 2. ex n. 19. Barbos. & Gonz. in c. fin. de Cler. excom. & alii* contra *Host. Nav. Man. cap. 27. n. 24. Covar. in C. Alma, p. 1. §. 8. n. 3. & alios*, qui ipso jure irritam esse ajunt. Potest tamen minori excommunicatione ligatus aliis Sacramenta administrare, sed propter indecentiam administrandi Sacramenta, qui eis est indignus, culpam saltem venialem comittet; *arg. c. fin. de Cleric. excomm. ministr.* Alii tenent, gravitèr peccare, & habetur satis clarè *in L. 6. tit. 9. p. 1.* Alii tamen dicunt cum *Navar. & Suar.* nullum peccatum committere præcisè ob administrationem, nisi accedat Sacramentorum susceptio, ut in *c. fin. de Cleric. excom.* ubi excommunicatus celebravit Missam: sicque Sacramentum confecit, illudque suscepit: ac proindè peccat mortaliter. *Lacr. lib. 7. n. 190.* Ab excommunicatione minori potest absolvere in foro externo, qui in eo jurisdictionem habet. In foro interno posunt absolvere Episcopus, vel Parochus, etiam si Sacerdos non sit, cum hæc absolutio non sit actus ordinis, sed jurisdictionis. *c. 24. h. t.* vel qui habet jurisdictionem delegatam, qualem ad hunc effectum habent omnes Confessarii approbati: imò juxta *Navarr. Man. cap. 27. n. 25. & 39. Tolet. Sum. lib. 1. cap. 17. n. 7. & alios.* Etiam simplex Sacerdos: qui à venialibus potest absolvere: sed probabilius non potest, cum in *d. c. 29. h. t.* non sit ei concessa talis jurisditio. *Covar. in C. Alma, p. 1. §. 12. n. 6. Suar. de Cens. D. 7. sect. 4. n. 17. Lacr. lib. 7. n. 189. & alii.*

414 Quia ob percussionem Clerici incurritur excommunicatio, quæ vitandum facit ipsum excomunicatum, & celeberrima est, & de qua sæpè in jure, & præcipuè in hoc titulo fit mentio, diciturque *Canonis excomunicatus*: de ea profectò hic agendum est. Hanc igitur decrevit *Innoc. II.* in *Conc. Lateranensi*, & habetur in *c. 29. 14. q. 4.* ibi: *Si quis suadente Diavolo hujus sacrilegii reatum incurrit, quod in Clericum, vel Monacum violentas manus injecerit anathematis vinculo subjaceat & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere (nisi mortis urgente periculo) donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat. L. 2. tit. 9. p. 1.* ibi: *La quarta es, si alguno fiere, ò mete manos ayradas, como non debe, ò en Clerigo, ò en Monge, ò en otro ome, ò muger de Religion.* Hic conceditur privilegium, quod dicunt *Canonis* in favorem Ordinis Clericalis: ac proindè à nullo in particulari potest renuntiari; *arg. c. 12. de Foro compet.* Et hac ratione siquis aliquem Clericum consentientem in sui percusionem percutiat, non liberatur ab excommunicatione. Prohibetur enim quævis contumeliosa actio exterior, & mortalis, sive gladio, sivè manu, sivè baculo, vel alio modo fiat: ita ut possit manuum injectio appellari: contra Clericum, vel res illius, ita ut licèt respectu corporis sit levis, gravis injuria sit respectu honoris: ac proindè hanc excommunicationem incurrit, qui occidit, vulnerat, percutit, dat venenum, vel persequitur Clericum, ut in flumen, vel fossam incidat: qui illum concludit, vel detinet violentèr in carcere, vel in loco, unde sine dedecore nequeat exire: qui evellit crinem, conspuit, conspurcat luto, vel pulvere, vestem lacerat, eripit pallium, vel pileum, sistit ejus equum,

vel alitèr ipsum, vel res ejus vexat violentèr. *Suar. de Cens. D. 22. sect. 1. n. 28.* Nec enim necessè est, ut semper manus interveniat: nam satis est pedibus percutere. Quippè illa appellatio injectionis manuum est quasi mataphora quædam, qua significatur omnis corporalis injuria. *Suar. de Cens. D. 22. sect. 1. n. 28.* Diceturque violenta illa injectio, non solum si naturæ; sed etiam si justitiæ repugnet, si versetur circa ipsam personam Ecclesiasticam, & per aliquam exteriorem actionem fiat, ita ut sit offensio in personam. *Suar. de Cens. D. 22. sect. 1. n. 23.*

415 Non tamen incurrit hanc excommunicationem. 1. Qui non injicit manus violentas in Clericum, suadente Diabolo. Et idcircò ab excommunicatione est immunis, qui solùm verbis contumeliosis afficit Clericum, vel qui hastam vibrat volens percutere, sed non percutit: quia vel ictum erravit, vel illum declinavit Clericus. Nec item excommunicationem incurrit, qui tollit vestem Clerico, vel crumenam clam subripit, etiam abscindendo eam, quia hæc actio non violenta, sed fraudulenta reputatur. *Suar. de censur. D. 22. sect. 1. n. 23.* Nec excommunicatur ille, qui occidit, vel percutit Clericum ad defendendum se, vel uxorem, vel filios, vel res suas. *c. 3. c. 10. h. t.* dum hoc fiat servato moderamine inculpatæ tutelæ; *arg. L. 3. ff. de Just. & jur.* vel qui debitorem Clericum detinet, ne fugiat, ut eum suo Superiori præsentet, & suum creditum recipiat. Vel si mulier fuste, vel verbere percutiat Clericum, ut se ab ejus turpi importunitate defendat. Vel qui jocosè, vel casualitèr percutit: v. g. si pueri primam habentes tonsuram, se pugnis percutiant: vel qui capiunt Clericum, quem probabilitèr aliquod delictum commissurum timent, ut suo superiori illum præsentent. Vel quando ob imperfectionem, vel levitatem actus percussio non esset mortalis: v. g. Siquis subita passione, sine plena advertentia percutiat: vel siquis percutiat, quem Clericum esse ignorat, quippè qui Laicali veste est indutus, vel quia ob obscuritatem illum non discernit: Siquidem ignorantia quæ non sit crassa, & supina excusat ab actione injuriosa statui Clericali. *c. 4. h. t.* vel si prelatus, Magister, vel Pædagogus moderatè percutiat causa correctionis subditum, vel Discipulum, etiam in majoribus constitutum. *c. 1. c. 10. c. 24. c. 54. §. fin. h. t.* Pater etiam potest castigare filium, saltem in minoribus constitutum. *c. 54. §. fin. h. t.* Et cum ibi præcisè loquatur de Clerico in monoribus, dicendum est, non posse Patrem Clericum in majoribus constitutum castigare, ut tenent *Felin. Hostiens, Abb. Barbos. in cap. 54. h. t. ex n. 6. Suar. de Cens. D. 22. sect. 1. n. 48.* Qui præcipit Clerico exilium, aut confinia, intra quæ se contineat, cum solùm vis præcepti, & non violentia exterior interveniat, non incurrit censuram Canonis. Nec ille, qui percutit Clericum, qui hoc privilegio non gaudet; v. g. si Clericus sit realitèr degradatus; *arg. c. 2. de Pœnis in 6.* vel si inventus sit turpitèr agens cum uxore, matre, sorore, vel filia vel mulierem solicitans, vel si exerceat publicè officium macellarii, vel cauponis. Vel si sint joculatores, bufones, vel Goliardi, & post trinam monitionem non cessent. *C. un. de Vita, & honest. in 6. Clem. 1. eod.* vel si habitu Clericali dimisso enormitatibus, tyranidi, assasiniis, & seditionibus se immisceant. *c. 14. c. 23. h. t. c. 1. de Homic. in 6.* Vel si sint Clerici bigami bigamia vera, vel interpretativa, & in minoribus constituti; vel conjugati non dèferentes habitum, vel tonsuram. *C. un. de Cleric. conjugat. in 6.* vel si dimisso habitu, & tonsura se immisceant militiæ, vel aliis sæcularibus negotiis, & ter specialitèr moniti non resipiscant. *c. 25. c. 45. h. t.*

416 Hoc privilegio Canonis gaudent 1. Clerici: etiam prima tonsura initiati; etiam si nec beneficium, nec alias qualitates habeant à *Trident.* pro privilegio fori requisitas. *Arg. c. 1. D. 21. c. 11. de Ætat. & qualitat.* Etiam si irregulares sint, censurati, vel verbalitèr depositi, & etiam si conjugati sint, dum habitum, & tonsuram deferant, & si cum una, eaque virgine contraxerunt. *c. un. de Cler. conjug. in 6. Suar. de Cens. D. 22. sect. 1. Lacr. lib. 7. n. 300.* 2. Monachi utriusque sexus, etiam conversi, imò & Novitii. *c. 10. c. 33. h. t. c. 21. §. fin. eod. in 6.* Equites Melitenses *c. 50. h. t.* & alii, qui sint verè Religiosi. Fratres Tertiarii S. Dominici, & S. Francisci, si in comuni vivant, habitum deferant, & aliquod votum ediderint: secùs alitèr. Similitèr Eremitæ privilegio gaudent, si edito voto paupertatis, sub aliqua regula, & Superiore vivant, vel alicui Ecclesiæ serviant: secùs alitèr. *Suar. de Cens. D. 22. sect. ex n. 19. Lacroix lib. 7. n. 300.* De Equitibus S. Jacobi, & aliis disputant

DD. an privilegio gaudeant, in quo standum est privilegiis, & consuetudini.

417 Ex universalitate vocis: *siquis* in Canone positæ deducitur, omnes, & singulos utriusque sexus fideles, etiam pueros, dum tamen doli sunt capaces, hanc excommunicationem incurrere, si percutiant Clericum, vel Monachum, *cap. fin. h. t.* Etiamsi aliàs Clericus dignus supplicio sit: nam hoc debet à suo Judice imponi. Etiam excommunicationem incurrit percutiens Clericum mortuum, male tranctans ejus cadaver, quia injuriam statui Clericali facit: non tamen fit irregularis, si mutilet, vel confodiat, quippè non tollit vitam membro, vel homini. *Lacr. lib. 7. n. 319.* Imò si Clericus ex malitia, vel passione se ipsum percutiat injuriose, vel occidat, incurrit excommunicationem; *arg. cap. 9. 23. q. 5. Suar. de Cens. D. 22. sect. 1. n. 59. Navar. Man. cap. 27. n. 78. Barbos. in cap. 36. h. t. n. 7. & alii.* Etiam excommunicationem incurrit ipsum percutiens, etiamsi Clericus sui percussionem alteri mandet, vel consentiat in sui percussionem, vel occisionem, *cap. 36. h. t.* quia hic favor est toti ordini Clericali, non verò privatis principaliter concessus. Non tamen censuram incurret; qui se ex devotione, & bono zelo percutiat, vel fortè vulneret, etiamsi in Sacris constitutus sit. Hanc excommunicationem incurrunt etiam percussionem Clerici injuriosam mandantes, consulentes, consentientes, vel percussionem suo nomine factam ratam habentes aliquo signu externo; vel non impedientes, si ad hoc ex justitia teneantur, ut Reges, Judices, & alii Superiores, dummodo ex vi mandati, vel consilii in effectu sequatur percussio, *cap. 6. cap. 47. h. t. cap. 23. eod. in 6.* Hinc est, quod non incurretur censura, si percussio in effectu non sequatur, vel etiamsi sequatur, non sit ex vi mandati, vel consilii, quia jam sit posita sufficiens revocatio. Ut mandatum sufficienter revocatum sit, sufficit, quod mandans seriò significet mandatario suam revocationem verbo, epistola, vel nuntio, at verò, ut consilium sufficienter revocetur, non sufficit notam facere revocationem, sed insuper debet proponere rationes dissuadentes à proposito: nam sicut rationes à consulente allatæ fuerunt causæ mali propositi, ita est necessarium per rationes contrarias impedire illum influxum: quod si hæ ex se sint sufficientes, & notæ fiant illi cui fuit datum consilium, & adhuc in suo proposito ipso persistat, jam ipsi solum, non verò consulenti imputabitur percusio. *Lacroix, lib. 7. n. 303.*

418 Quilibet Sacerdos in mortis articulo potest ab hac censura absolvere. Et quidem non tantùm, quando pœnitens gravi infirmitate laborat, sed etiam, si aliter periculum mortis timeat; v. g. si navigationem periculosam sit facturus, vel si hostes, vel latrones, vel quid simile timeat. Sanè licèt olim solus Pontifex posset absolvere ab excommunicatione Canonis in *cap. 29. 17. q. 4.* Hodie tamen ex privilegiis Apostolicis possunt absolvere: 1. Legatus à latere, & quidem omnes ad ipsum accedentes ex die, quo Roma egreditur usque ad diem, quo Romam revertitur: & à quacumque percussione, & in utroque foro, utpote Pontificia gaudens authoritate, *c. 20. h. t.* 2. Legatus missus, quem Apostolicum appellamus: sed hic solum absolvi, dum est in sua Provincia, & eos, qui de Provincia sunt, non alios, nec alibi, *cap. 9. de Offic. Legat.* 3. Episcopi, & habentes quasi Episcopalem jurisdictionem cum territorio. Vicarius Generalis Episcopi; & delegati ab Episcopo, vel Vicario possunt absolvere in utroque foro, sed tantum ab excommunicatione contracta ob levem percussionem, *cap. 17. h. t.* Enormitas, gravitas, vel levitas percussionis arbitrio prudentum definienda est: nam licèt percussio non sit levis, sed gravis in linea culpæ; est tamen levis in linea percussionis respectivè ad percussionem gravem, vel enormem. Enormis, seu attrox erit, si vulnus infligatur, membrum mutiletur, vel copia sanguinis effundatur, aliundè, quam à naribus. Etiam ratione loci, status personæ, & partis corporis fit enormis percussio, quæ alias talis non esset; v. g. si quis percutiat Clericum in Theatro, platea, coram Rege: vel percutiat Episcopum, Abbatem, Judicem, Superiorem, Nobilem, &c. vel si in facie, vel oculo gravitèr percutiat. *Arg. §. 9. Inst. de Injur. Navarr. Man. cap. 27. num. 92.* Gravis percussio erit, si sugillatio carnis relinquatur, vel sanguis in magna copia, etiam sine læsione gravi, effundatur, vel dens, vel capillorum copia extrahatur. Levis erit, si baculo, lapide, pede, vel manu fiat, absque sugillatione carnis, vel quin sanguinis copia effundatur, nisi forte à naribus uti facile accidere solet, effluat. A censura autem ob percussionem enormen, & gravem, si delictum est occultum

tum potest Episcopus in foro interno absolvere. *Trident. sess.* 24. *de Reform. cap.* 6. Secus si sit notorium, vel deductum ad forum contentiosum. Episcopus quidem jure speciali potest absolvere ab excommunicatione ob percussionem gravem, & enormem Moniales. *C.* 33. *h. t.* & alias quascumque mulieres, etiamsi Pontificem possint adhire, cum earum peregrinatio sit periculosa. *C.* 6. *cap.* 13. *h. t.* item Clericos in eodem seminario commorantes. *C.* 9. *de Vita, & honestat.* Impuberes etiamsi post pubertatem petant absolutionem. *C.* 1. *cap.* 58. *cap. fin. h. t.* Servos, non verò famulos. *C.* 37. *h. tit.* senes, ægrotos, claudos, cœcos, & alios, quoscumque ratione muneris, vel itineris, pestis, vel belli habentes impedimentum: ita ut eis valdè difficile sit Pontificem adire. Ita tamen, ut habentes impedimentum, non perpetuum debeant jurare, Romanum Pontificem, vel ejus Legatum adituros, impedimento cessante, *cap.* 13. *h. t.* nisi impuberes sint. *Suar. de Cens. D.* 22. *sect.* 1. *ex n.* 63. *Lacr. lib.* 7. *n.* 300. Non tamen tenentur Nuntium, vel litteras mittere, qui in sua persona sunt impediti. *Sayr. Thesaur. L.* 3. *cap.* 28. *num.* 38.

419 Episcopus quidem absolvit Religiosum, non exemptum percutientem. Clericum Sæcularem, nisi percussio gravis, vel enormis esset: nam tunc Sedem Apostolicam debet adire. *C.* 21. *h. t. in* 6. Imò, & Religiosum exemptum, sed cum consensu Prælati Regularis. *C.* 32. *h. t.* Prælati Regulares etiam Locales, ut Abbates, Guardiani, Priores, vel Rectores possunt absolvere suos Religiosos, alios ejusdem Communitatis percutientes levitèr, vel gravitèr. *C.* 2. *h. tit.* Imò, & enormitèr; licèt non de Jure Communi. *C.* 50. *h. t.* Saltem ex privilegio; quale habent Mendicantes. Si Abbas indebite percusserit Monachum, absolvi valet à Confessario per Abbatem electo. Etiam potest Abbas absolvere suos subditos, si percutiant Religiosos alterius Monasterii; sed non aliter, quam præsente superiore percussi, ut utriusque consensu satisfactio imponatur. *C.* 32. *h. tit.* Nisi percussoris Prælato suas vices committat Superior percussit. Idem ac de Religiosis dicendum est de Novitiis. *C.* 32. *h. tit.* etiamsi ante ingressum percusissent. Si verò ante professionem egrediantur, cum jam cesset impedimentum, & privilegium debent Pontificem adire: alias rursus incident in excommunicationem. *C.* 22. *h. tit. in* 6. Si Monachus Abbatem proprium percutiat, de Jure Communi absolutio spectat ad Episcopum; sed juxta privilegia Religionum spectabit ad Abbatem Superiorem, vel poterit absolvi ex potestate delegata ipsius Abbatis. *Suarez, de Cens. D.* 22. *sect.* 1. *ex n.* 71. *Lacroix, lib.* 7. *num.* 321. *Navarr. Molin. & alii.* Regulares Mendicantes saltem possunt absolvere in foro interno, Sæculares quoscumque, etiamsi percussio sit enormis; quia solùm casus Bullæ Cœnæ excipiuntur in eorum privilegiis, & percussio occulta, etiam enormis, ibidem non est comprehensa. Itaque hodie post Trident. Solùm tenetur se Romano Pontifici sistere ille, qui, stante impedimento, fuit absolutus à non habente potestatem, vel etiam, qui fuit absolutus ab Episcopo, si censura, quæ erat occulta deducatur ad forum contentiosum; *in L.* 4. *tit.* 9. *p.* 1. afferuntur 13. casus, in quibus Clericum percutiens non tenetur Romam adire, ut possit absolvi, *& ibi Gregor. Lop.*

420 Secunda censura, de qua in secunda parte Rubricæ agitur, est *suspensio*, quæ sic definitur: *Suspensio est censura, qua Clericus prohibetur aliquas functiones Ecclesiasticas exercere. L.* 14. *tit.* 9. *p.* 1. ibi: *Suspension, tanto quiere decir, como tener el home colgado, è non lo dexar usar de su oficio, nin de su beneficio, non gelo tolendo del todo.* Dicitur *censura*, in quo convenit cum excommunicatione, & interdicto per cætera verba ab ipsis differt, siquidem excommunicatio, & interdictum, etiam in Laicos feruntur: secus suspensio, quippè solùm Clerici sunt capaces officii, & beneficii Ecclesiastici, quibus privat suspensio, & licèt excommunicatio privet functionibus Ecclesiasticis; privat diversa ratione, ac suspensio. Nam hæc eis privat, quatenùs sunt usus Ecclesiasticæ potestatis, quæ ab officio, vel beneficio procedit; excommunicatio verò eis privat, quatenùs sunt quædam communicationes cum fidelibus. Deindè differt ab interdicto, quia hoc privat aliquorum Sacramentorum receptione, Divinis Officiis, & sepultura Ecclesiastica, quibus non privat suspensio. Hæc censura, sicut & reliquæ, vel à jure, vel ab homine infertur, & alia est *latæ*, alia *ferendæ sententiæ.* Item suspensio alia est *totalis* ab officio, scilicèt, & beneficio simul: quia, scilicèt, Clericus utroque privatur, & talis esse intelligitur, non solum quando exprimitur in

ju-

jure: sed quando absolutè, & simplicitèr profertur. Alia est *partialis*, & potest esse, vel à solo officio: qua quis removetur ab exercitio ordinis, vel jurisdictionis: & etiam potest esse à certo beneficio, si plura habeat suspensus, vel etiam ab aliqua parte beneficii; v. g. dimidia parte fructuum. *Suarez, de Censur. D. 25. sect. 2. Lacr. lib. 7. num. 395.* Licèt suspensio fieri debeat absolutè, hoc est, sane certa temporis determinatione, aliquando pro certo tempore fertur, quo elapso, cessat, etiam sine absolutione: sed hæc potius delicti pœna, quam censura est.

421 Suspensionem ferre potest regularitèr, qui potest excommunicari, ac proindè debet esse Clericus. Et licèt *in cap. 12. de Major. & obed.* videatur, Abbatissam suspensionem tullisse, non propriè suspensio, sed prohibitio fuit. *Gloss. in cap. 12. de Major. V. Jurisdictionem.* Et quidquid sit, an olim validè potuisset Episcopus Clericos suspendere sine consensu Capitali, *cap. 1. de Excessib. Prælat. cap. 6. 15. q. 7.* Hodie tamen, etiam sine tali assensu possunt Eiscopi suspensionem ferre: vel quia sic consuetudine est inductum: vel quia nunquam illa dispositio, *cap. 6. 15. q. 7.* fuit ab Ecclesia admissa: quippè dessumpta fuit à Concil. Cartaginensi Provinciali: quod ex se nequit universalem Ecclesiam obligare. Suspensio non fertur, nec à jure, neque à Judice, nisi ob culpam gravem, quia cum grave malum sit, gravem supponit culpam, ut contra *Nav. Cajet. Henr. & alios* tenet *com. DD.* Nisi forte à Judice aliqua suspensio ad breve tempus feratur: nam tunc probabilitèr potest ob culpam venialem imponi. *Suarez, de Cens. D. 28. sect. 4. Sanchez, de Matrim. L. 9. D. 32. n. 9.* Et cum culpa tantùm suos authores tenere debeat, non potest ferri suspensio propriè talis contra aliquem ob alterius culpam, *cap. 7. D. 56. cap. 2. de His, quæ fiunt à major. parte capit. Nav. Man. cap. 27. n. 151. Suar. de Cens. D. 28. sect. 4. n. 3. Sanch. de Matr. L. 9. D. 32. n. 9. Lacr. lib. 7. n. 396.* Si deest culpa, non est propriè suspensio, ut *in cap. 14. de Tempor. ord. cap. 1. de Ordinatis ab Episcop. qui renunt.* Quando suspenditur Communitas, personæ illius innocentes non suspenduntur, quoad actiones, & munus, quod exercere possunt, ut particulares; sed solùm quoad actio est Communitatis, quia talis. *Lacr. lib. 7. n. 396.* Ad suspensionem non requiruntur verba determinata; sed ea tantùm, quæ illam sufficientèr declarent. Debet tamen in scriptis ferri, ibidem ejus causa expressa. Quod si Judex alitèr faciat, per mensem suspenditur à Divinis, & ingressu Ecclesiæ, & Superior illum ad expensas, & interesse, imò & ad aliam condignam pœnam condemnabit; *arg. cap. 1. h. t. in 6.* Et quando ad correctionem delinquentis imponitur, debet præcedere monitio; alias non constat Ecclesiæ de contumacia: secus est, si tantùm in puram pœnam delicti infligatur, *c. 33. de Testib. cap. 5. h. t. in 6.*

422 Suspensio propriè non potest ferri in Laicos, etiamsi Religiosi sint: quamvis hac ratione aliquomodo, sint personæ Ecclesiasticæ. Hæc namque censura dicit in suspenso capacitatem ordinis, aut beneficii, à quo suspenditur, vel ab ejus consecutione, quæ cum deficiat in Laicis, hinc est, quod non possunt propriè suspendi. *Navar. Man. cap. 17. ex num. 150. Suar. de Cens. D. 28. sect. 2. n. 1. Lacr. lib. 7. n. 395.* Quando Laici suspenduntur à communione Eucharistiæ, non est propriè suspensio: sed pars excommunicationis majoris, quæ Sacramentorum receptione privat. Similitèr Abbatissæ, non propriè suspenditur ab aliquo actu Ecclesiastico ratione jurisdictionis Ecclesiasticæ, vel ordinis Clericalis; sed tantùm suspenduntur ab actibus, & officio Æconomico. Ut ergo aliquis propriè suspendatur debet esse viator, seu vivus. Nam mortuus non suspenditur, licèt ob suspensionem antecedentem possit fructibus privari. Et insuper debet esse Clericus, saltem prima tonsura initiatus; nec obstat, quod jam alias sit suspensus: nam suspensiones non solùm quando sunt diversæ rationis, sed etiam si ejusdem rationis sint, pro multiplicitate causarum multiplicari possunt. Communitas Clericalis, sivè quoad communitatem, sivè quoad personas singulares suspendi potest. *Suar. de Cens, D. 28. sect. 3.* Suspensio generalitèr lata in Clericos, etiam Religiosos, qui Clerici sunt, comprehendit; secus Episcopos, nisi de eis fiat expressa mentio, *cap. 4. h. t. in 6.* etiamsi tantùm confirmati sint. R. Pontifex non potest ulla suspensione comprehendi: quia est suprà totum Jus Positivum, *cap. 4. de Conces. Præb. Suar. de Cens. D. 28. sect. 2. per tot.*

423 Cum suspensio sit odiosa, & pœnalis potius restringi, quam extendi debet, *cap. 15. de Reg. jur. in 6.* Ita ut præci-

cisè intelligatur secundum verborum proprietatem. *L.* 17. *tit.* 7. *p.* 1. ibi: *Ca la pena non se extiende à mas de quanto dice la sentencia del Derecho , ó del Prelado que la da.* Et posteà in particulari affert casus, ad quos restringitur , vel extenditur supensio. Hinc, si suspensio absolutè sit ab officio ab omni officio, tàm ordinis , quàm jurisdictionis suspendit ; quia hæc omnia veniunt nomine officii, ac proindè sic suspensus non poterit celebrare Missam, Sacramenta administrare , concedere indulgentias , nec eligere : imò nec ad beneficium eligi ; *arg. C. fin. de Cleric. excomm.* quia suspensus est ab officio , propter quod datur beneficium. *C. fin. de Rescript. in 6.* Et probabilius erit electio ipso jure irrita ; *arg. cap.* 8. *de Ætat. & qualitat.* Poterit tamen sic suspensus temporalem jurisdictionem, si quam habet , exercere, ingredi Ecclesiam , ibique Divinis assistere , Sacramentaque recipere , sicut cæteri Laici : quin , & vocem in Capitulo habere , cum hoc non sit actus ordinis, vel jurisdictionis Ecclesiasticæ : Hoc enim etiam Laicis aliquando conceditur. Potestque beneficium retinere , fructusque ex eo percipere , si per alium obligationibus beneficii satisfaciat ; alias suspensus ab officio , esset eo ipso à beneficio suspensus , & superflua distinctio fieret inter suspensionem ab officio tantùm , à beneficio , tantùm , & ab utroque simul. *Suar. de Cens. D.* 26. *sect.* 3. *n.* 4. *Sanch. L.* 3. *de Matr. D.* 51. *n.* 12. *& plures alii* contra *alios variè sentientes.* Suspensus ab ordine , non censetur à jurisdictione suspensus , ac proindè potest ea uti , si actum ordinis non includat : ne quod una via prohibetur altera concedatur contra *cap.* 84. *de Reg. jur. in 6.* v. g. Episcopus ab ordine suspensus , licèt non possit audire confessiones , quia actus ordinis est, potest alteri facultatem absolvendi delegare , quia est actus jurisdictionis. Similitèr , qui ab aliquo ordine determinato est suspensus , potest exercere actus ordinis inferioris , vel superioris , quatenùs non includat actum prohibitum. Sic Episcopus à Pontificalibus , seu ordine Episcopali suspensus , licèt exercere non possit actus ordinis Episcopalis , tamen potest exercere actus ordinis Sacerdotalis, v. g. potest audire confessiones, Missam, sine Pontificalibus celebrare , & alia hujusmodi , suspensus ab officio Sacerdotali , potest Epistolam , ut Subdiaconus: vel Evangelium , ut Diaconus cantare. Sacerdus suspensus ab ordine Diaconatus potest confessiones audire, vel solemnitèr baptizare , quia hæ actiones , non continent actum prohibitum , non tamen poterit Missam celebrare , quia hæc actio continet actum Diaconatus prohibitum. *Suar. de Cens. D.* 26. *sect.* 4. *Lacr. lib.* 7. *ex n.* 398. *& alii.* Suspensio à beneficio absolutè lata intelligitur de omnibus beneficiis , quæ habet suspensus , nisi aliud ex intentione ferentis , & circunstantiis colligatur, *cap.* 37. *de Elect. in 6.* Qui ergo à beneficio suspenditur non privatur beneficio , ac proindè non est immunis ab ejus oneribus , sed tantùm beneficii administratione , & ejus fructibus privatur, *cap.* 1. §. *de Elect. in 6.* adeòque beneficio suspensus , non potest illud commutare, nec resignare , nec illius bona , nec fructus vendere , &c. Cum hæc omnia administratio , quædam , & usus beneficii sit. Non tamen privatur distributionibus quotidianis , quæ ex fundatione aliqua particulari proveniunt , secus si ex ipsis fructibus sint extractæ : imò nec privatur, jure eligendi , vel conferendi beneficium, nam est distincta potestas , *cap.* 7. §. *fin. de Elect. Suar. de Cens. D.* 27. *sect.* 1. *Lacr. l.* 7. *n.* 395. *&* 401. contra *Navar. Man. cap.* 27. *n.* 160. *Henr. L.* 13. *cap.* 32. *& alios,* qui jure eligendi privari defendunt.

424 Suspensio verè , & propriè talis, quæ scilicèt , ut pœna medicinalis ad corrigendum delinquentem infligitur solùm per absolutionem tollitur. Et quidem , si à jure sit lata , & non specialitèr reservata , potest Episcopus , vel ab eo delegatus ab ea absolvere , *cap.* 25. *h. t.* ibi: *Quia tamen conditor Canonis ejus absolutionem , sibi specialitèr non retinuit , eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* A suspensione ab homine lata regulariter solùm absolvit , qui eam tulit, vel ejus successor, vel delegatus. Et licèt superior possit validè sententiam inferioris relaxare , illicitè faciet : nam sic inferioris authoritas contemneretur : licitè tamen absolvet Superior , si fortè sit appellatum ab inferioris sententia , *cap.* 40. *h. t.* vel si ad ipsum recurratur , quia inferior sine debita solemnitate sententiam tulit, *cap.* 1. *h. t. in 6.* Nec obstat textus in *cap.* 13. §. *Credentes , de Hæret.* nam loquitur de privato ab officio per depositionem. Et *cap.* 11. *de Cler. non resident.* loquitur de degradato , & ideò solùm à Pontifice possunt restitui. *Navarr. Man. cap.* 27. *n.* 162. Suspensio pro tempore determinato , vel sub aliqua conditione lata , cessat , etiam absque absolutione,

tem-

tempore elapso, vel impleta conditione. Quippè actus agentium non operantur ultra agentium voluntatem. *L. 19. ff. de Rebus credit.* tempore tamen intermedio potest tolli ab eam ferente, vel successore, vel superiore ipsius. A suspensione, quæ per modum puræ pœnæ est inflicta, si proveniat ex delicto occulto, non deducto ad forum contentiosum potest absolvere Episcopus. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 6.* Item, & Regulares juxta sua privilegia pro foro interno. Et licèt Episcopus non possit absolvere à suspensione perpetua, quæ per modum puræ pœnæ est inflicta, probabiliter potest absolvere ab ea, quæ sine temporis determinatione est lata; nam talis suspensio differt profectò ab ea, quæ expressè fertur in perpetuum. *Suar. de Cens. D. 29. sect. 1. n. 19. Covarr. & alii* contra *Navar. Man. cap. 27. n. 162. & alios.* Absolutio non requirit alia verba, quam quæ sufficienter intentionem absolvendi significent, sivè à puribus suspensionibus, si plures sint incursæ, sivè ab una, sivè ad cautelam absolvatur. *Suar. de Cens. D. 29. sect. 3.* Nec est necessarium præmittere absolutionem à suspensione ad confessionem Sacramentalem, sicut est necessarium absolvere ab excommunicatione. Suspensus toleratus, seu non denuntiatus, licet non possit licitè se ingerere exertitio, à quo est suspensus, actus tamen valebit. Si tamen à fidelibus ad hoc requiritur, & prius non possit absolvi à suspensione, licitè potest illum actum exercere; secus dicendum est de denuntiato: nam hic solum potest tale officium exercere in urgentissima necessitate: alias actus cujus valor ab Ecclesia dependeat, uti est jurisdictio, & beneficium, nullus, & irritus erit: & prætereà, peccatum incurret, & quidem ex genere suo mortale, cum gravem censuram, & præceptum Ecclesiæ violet. Aliquando erit veniale ex parvitate materiæ; v. g. si ab ordine suspensus ordinis minoris officium exerceat, cum hoc etiam à Laicis frequentèr fiat. *Navar. Man. cap. 27. n. 168. Suar. de Cens. D. 28. sect. 5. n. 6. Lacr. lib. 7. n. 395.* Violans suspensionem ab ordine, exercendo solemnitèr illius officium irregularis est: secus si violet suspensionem à beneficio, vel jurisdictione: quia solum pro illo casu, est stabilita irregularitas, & non debet extendi ad casus non expressos: licèt violans suspensionem à beneficio debeat eo privari. *c. 1. §. fin. de Elect. in 6.*

425 Interdictum, *est censura Ecclesiastica, per quam prohibetur participatio certorum Sacramentorum, omnium Divinorum Officiorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ, quatenùs hæc omnia spectant ad Divinum cultum. L. 14. tit. 9. p. 1.* ibi: *Entredicho tanto quiere decir en latin, como vedamiento en romance, que pone por pena, sobre los logares en que facen las cossas, porque deben ser entredichos.* Per prima verba convenit cum aliis censuris, à quibus per ultima differt, siquidem interdictum his rebus privat quatenùs sacræ sunt: excommunicatio, quatenùs sunt quædam cum fidelibus communicationes: suspensio, quatenùs sunt actus potestais; aut ministerii Ecclesiastici. Interdictum aliud est *locale*, aliud *personale. Locale* est cum locus immediatè afficitur interdicto, ne ibi fiant functiones sacræ tempore interdicti prohibitæ, licèt extra talem locum existentes non liget. *c. 16. h. t. in 6.* Et hoc rursus, vel est *generale*, quando scilicèt locus generalis, plura alia loca sub se continens interdicitur; v. g. Regnum, provincia, Diœcesis. Vel est *speciale*, quando unus particularis locus interdicitur; v. g. una Ecclesia. Hinc est, quod cum interdictum locale, non tàm personam, quàm locum afficiat, ne ibi celebrentur Divina, obligat Sæculares, Regulares, incolas, exteros, & etiam exemptos, nisi speciale super hoc habeant privilegium. *c. 4. c. 10. de Privil. in 6.* imò & ipsum, qui interdictum imposuit. *Navarr. Man. cap. 37. n. 161. Lacr. l. 7. n. 414.* Et quidem interdictum locale secum affert interdictum personale illorum, qui causam interdicto dederunt, ita, ut ipsi, nec in loco interdicto, nec etiam alibi possint participare Divina. *c. 16. h. t. in 6. Suar. de Cens. D. 37. sect. 1. n. 15.* Interdictum *personale* est, quando immediatè ipsis personis prohibetur, ubique exercere functiones sacras per interdictum prohibitas: & personas interdictas ubicumque committatur. *c. 16. h. t. in 6.* Hoc iterum, vel est *generale*, quando scilicèt, aliquod corpus Politicum interdicitur; v. g. si feratur in incolas alicujus Regni, Provinciæ, Civitatis, Collegii, vel cujuscumque Communitatis. Vel est *speciale*, quod scilicèt, fertur in aliquam particularem personam: vel determinate; v. g. in Titium: vel in genere, in quemcumque talis Legis transgressorem. Quodcumque ex his interdictis, vel potest esse *totale*, quod scilicèt, habeat omnes effectus interdicti: vel tantùm

par-

partiale, quod certos, & non omnes interdicti effectus habeat; v. g. privationem sepulturæ tantùm.

426 Interdictum, quando absolutè fertur, & non restringitur ad certum effectum privat. 1. Collatione, & susceptione quorumdam Sacramentorum. *c.* 43. *h. t. c.* 16. *C. Alma mater, eod in 6.* Privat enim susceptione Eucharistiæ in loco interdicto etiam personas non interdictas. *c.* 11. *de Pœnit. & remis. c.* 57. *h. t. c. fin. eod. in 6.* In periculo mortis, undecumque provenient, potest, ministrari Viaticum, etiam illud deferendo ad domum ægrotorum cum solita solemnitate. *c.* 10. *de Celebrat. Missar.* Imò & his, qui causam interdicto dederunt, vel specialitèr sunt interdicti, potest ministrari, sed non aliter quam præstita condigna satisfactione: vel si non posint, cautione pignoratitia, vel fidejussoria, vel saltem juratoria præstita. *c.* 11. *de Pœnit. & remis. c.* 57. *h. t. c. fin. eod. in 6.* Religiosi utriusque sexus habent privilegium suscipiendi Eucharistiam etiam tempore interdicti. Extrema-Untio nequit ministrari tempore interdicti, etiam illis diebus, nec ab illis Sacerdotibus, quibus exercere Divina permittitur *in C. fin. h. t. in 6.* Nisi ægrotus aliud Sacramentum nequeat recipere: vel ad hoc detur speciale privilegium, quale habent Mendicantes. Ordo non potest ministrari in loco interdicto, & personis specialitèr interdictis: benè tamen in loco interdicto personis generalitèr interdictis. *c.* 43. *h. t. Navarr. Man. c.* 27. *n.* 179. *Suar. de Cens. D.* 33. *sect.* 1. *n.* 45. *Covarr. in C. Alma, p.* 2. §. 3. *& alii.* Matrimonium non potest celebrari à personis specialitèr interdictis, si in contumacia persistant: nam obicem gratiæ per Sacramentum recipiendæ ponunt; imò, nec contrahi potest in loco interdicto à personis generalitèr interdictis: nam matrimonium est unum exseptem Ecclesiæ Sacramentis, quin possit hac ratione exui, etiam si aliundè contractus sit. *c.* 8. *de Divort. Trid. sess.* 7. *Can.* 1. *de Sacr. in gen. Et sess.* 24. *de Matr. Can.* 1. ac proindè ejus receptio sicut aliorum Sacramentorum tempore generalis interdicti est prohibita ex generalitate. *c.* 11. *de Sponsal. L.* 15. *tit.* 9. *p.* 1. ibi: *Nin dàr los Sacramentos, fueras ende el baptismo. Suar. de Cens. Ugolon. Bonac. & alii.* contra *Covarr. in C. Alma, p.* 2. §. 2. *n.* 7. *Navarr. Man. cap.* 27. *n.* 179. *Sanch. de Matr. L.* 7. *D.* 8. *n.* 2. *& alios plures.* Qui facilè concedunt, nuptias non posse benedici, nisi in festivitatibus contentis in *C. fin. h. t. in 6.* Nec obstat testus in *c.* 4. *de Feriis*, ibi: *Quod licèt ea sit Romanæ Ecclesiæ consuetudo, ut quocumque tempore matrimonium contrahatur consensu interveniente legitimo de præsenti.* Nam hoc potest inteligi, de quocumque tempore non prohibito; vel certè, quod licèt possit omni tempore contrahi matrimonium, ita ut sit validum, non tamen ita ut etiam licitum sit. *Ita Suar. de Cens. D.* 33. *sect.* 1. *num.* 51. Baptismus ob ejus necesitatem tempore cujuscumque interdicti, etiam solemnitèr ministrari potest, tàm parvulis, quàm adultis. *c.* 19. *h. t. in 6.* Minister specialitèr interdictus solùm in casu necessitatis potest privatim baptizare. Similiter confirmatio cum solitis ritibus, & cæremoniis potest ministrari; quia tanquam baptismi complementum censetur. *c.* 19. *h. t. in 6.* Generalitèr tantùm interdictus, & ministrare, & recipere hoc potest Sacramentum; secus specialitèr interdictus. *c.* 16. *h. t. in 6.* Pœnitentiæ Sacramentum olim tantùm concedebatur moribundis, & peregrinis. *c.* 11. *de Pœnit. & remis.* Hodie ob ejus necessitatem omnibus permittitur, exceptis illis, qui interdicto causam dedere, nisi prius satisfaciant; vel si non possint, cautionem pignoribus, vel fidejussoribus præstent: vel si hoc non possunt, saltem jurent, se satisfacturos cum primum possint. *C. fin. h. t. in 6.* Generalitèr interdictus potest hoc Sacramentum ministrare: secus specialitèr interdictus. Sed cum tale interdictum, non jurisdictionem, sed tantum usum Divinorum tollat, quamvis illicitè, validè tamen Sacerdos specialitèr interdictus & denuntiatus ministrabit. *Suar. de Cens. D.* 33. *sect.* 1. *ex n.* 13. *Nav. Cov. & alii com.*

427 Interdictum privat Divinis Officiis. *c.* 57. *h. t. C. fin. eod. in 6. L.* 15. *tit.* 9. *p.* 1. Nomine Divini Officii veniunt actiones Sacræ primò, & per se alicui Ordini Sacro annexæ: quæ à solis Clericis peraguntur, ut Sacrificium Missæ, horæ Canonicæ, Officium B. Virginis, Psalmorum, Litaniarum, & aliarum Sacrarum precum decantatio, si solemnitèr in Choro cantentur. Et huc reducitur, etiam recitatio publica, & solemnis horarum Canonicarum, à Monialibus facta. Item prohibentur benedictiones chrismatis, olei, fontis baptismalis, Templorum, aquæ benedictæ, vestium, aut vasorum Sacrorum, nuptiarum,

rum, cereorum, in die Purificationis, Ramorum in die Palmarum, consecratio Altaris, & alia hujusmodi. Non tamen prohibentur, quia nomine Divinorum Officiorum non comprehenduntur, concio, cum non ad Deum colendum, sed ad instructionem Populi dirigatur; nec Mensæ benedictio, vel recitatio privata Officii B. Virginis, vel Psalmorum absque Ordine Divini Officii, nec recitatio Littaniarum, vel Salutationis Angelicæ, vel aliorum precum, vel itinerarii Clericorum, nec adoratio non solemnis Crucis in feria 6. Hebdomadæ Sanctæ: possuntque pulsari campanæ pro concione, vel Salutatione Angelica. Etiam licent aliæ privatæ orationes, etiam si publicè in Ecclesia fiant. Imò possunt Clerici, non solùm in domo privata, vel in campo, sed etiam in Ecclesia bini, vel terni dicere horas canonicas, non cantando, sed legendo. *c.* 11. *de Pœnit. & Remission. Navar. in Man. cap.* 27. *Suar. de Cens. D.* 33. *sect.* 3. *& alii com.* Olim permittebatur tempore interdicti semel in hebdomada Missam celebrare ad Eucharistiam conficiendam pro infirmis. *c.* 57. *h. t.* Quin, & hodie, hæc constitutio debet servari, quando locus specialitèr, est interdictus, nam *C. Alma Mater, h. t. in 6.* Solùm debet inteligi de interdicto generali locali, siquidem est extensio *c.* 25. *de Privileg.* quod tantùm loquitur de locali generali Infamigerato *Text. in C. Alma Mater fin. h. t. in 6.* Suspenditur interdictum in festivitatibus Natalis D. N. J. Christi, Paschæ, Penteconstes, & Assumptionis B. M. Virginis. Ac proindè licet cum omni solemnitate celebrare Divina, possuntque fideles Sacrificio Missæ assistere; dum non sint specialitèr interdicti, vel interdicto causam dedissent. Et probabilitèr Eucharistiam suscipere possunt: Hanc interdicti suspensionem protraxerunt *Mart. V. in Const. Ineffabile. Eugen. IV. in Const. Excelentissimum*, ad festum Corporis Christi, & totam illius octavam; & *Leo X.* ad festum Immaculatæ Conceptionis pro nostra Hispania *Suar. de Censur. D.* 34. *sect.* 1. *ex n.* 37. In super *in d. C. Alma.* Ne Populi devotio tepescat, & Ecclesiæ priventur debitis obsequiis, conceditur, quod singulis diebus Missa, & Divina Officia possint celebrari in quibuscumque Ecclesiis, & Monasteriis: quorum nomine, etiam conventus Monialium, & Hospitalia erecta authoritate Episcopali, comprehenduntur: secùs oratoria privata. *Cov. in C. Alma, p.* 2. §. 4. *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *D.* 8. *n.* 13. Debent tamen Divinæ Officia recitari sine cantu, & submissa voce, ita ut non audiantur ab his, qui extra Ecclesiam sunt, non debent pulsari campanæ, imò, nec campanula ad *Sanctus*: vel elevationem Hostiæ. Januæ debent esse, clausæ, nec foramen habere, quo Divina Officia videri possint; *arg. Cl.* 1. *h. t.* Excommunicati, & interdicti denuntiati sunt excludendi: quin, & Laici, nisi fortè admitti sit necessarium: v. g. ut in Missa Sacerdoti ministrent. *Sylv.* V. *Interdictum*, 5. *Covarr. in C. Alma, p.* 2. §. 4. *Suar. de Cens. D.* 34. *sect.* 1. *ex n.* 12.

428 3. Interdictum privat Ecclesiastica sepultura. *c.* 11. *de Pœnit. & remis.* ac proindè tempore generalis interdicti non possunt sepelire fideles, etiam infantes in loco Sacro, & probabilius, nec in festivitatibus contentis *in C. Alma Mater*, nam solùm loquitur hic text. de Divinis Officiis, non de sepultura. *Gloss. in Cl.* 1. *de Sepult. Covar. in C. Alma, p.* 2. §. 5. *Suar. de Cens. D.* 35. *sect.* 1. *n.* 13. *Lacr. lib.* 7. *num.* 421. contra *S. Antonium, Navar. & alios.* Clerici (quorum nomine veniunt in præsenti, utriusque sexus Regulares, imò, & Novitii) possunt sepeliri in cæmeterio, & jam ex usu, in quocumque loco Sacro. *c.* 11. *de Pœnit. & remis.* Et probabilitèr in Ecclesia specialitèr interdicta, etiam aliena. *Suarez de Cens. D.* 35. *sect.* 2. *n.* 4. Cum silentio tamen, non pulsatis campanis, nec Officiis Divinis more Ecclesiastico dicendis. Non tamen possunt, etiam Clerici, sepeliri in loco Ecclesiastico, si interdicto speciali personali sunt ligati, vel si dederunt causam culpabilem interdicto, etiam personalitèr interdicti, si non sunt nominatim denuntiati, in loco Sacro non interdicto sepeliri possunt: nam *ex Extr. Ad evitanda.* Solùm post denuntiationem privantur sepultura. *c.* 8. *de Privil. in 6.* Imò, & denuntiati nominatim, si dederunt signa pœnitentiæ. Et tunc, etiam post mortem, prius absolvuntur indiretè à censura interdicti. *Lacr. lib.* 7. *n.* 421. Personalitèr interdictus, sivè generalitèr, sive specialitèr, & qui causam culpabilem interdicto dedit non sunt sepeliendi in loco Sacro, sed profano. *c.* 8. *de Privileg. in 6.* Qui ob interdictum generale loci est sepultus in loco profano, interdicto ablato, debet ejus cadaver in Sacrum locum transferri. Aliquando per interdictum privatur quis ingressu Ecclesiæ.

siæ. Sed cum hunc effectum non habeat ex se interdictum, requiritur specialis sententia, & quasi novum interdictum. Sic ergo interdictus, nullum Templum authoritate Episcopali deputatum ad Sacra peragenda potest ingredi: nec ibi audire Divina Officia. *c.* 15. 33. *q.* 2. Nec Sacrum Ordinem exercere; *arg. c.* 9. *de Immun. Eccles.* Potest tamen privatim in Ecclesia orare, & Sacramenta recipere; nam cum hæc non exprimantur in jure. *c.* 20. *h. t. in* 6. Non debet extendi prohibitio, utpotè odiosa, ut contra *aliquos* tenent *Navar. Man. cap.* 27. *n.* 170. *Suar. de Cens. D.* 35. *sect.* 4. *n.* 15. Et cum hæc prohibitio non sit absoluta, sed limitata, potest sic interdictus in Oratorio Divina Officia audire, vel celebrare; imò, & in cæmeterio, non tamen potest ibidem sepeliri; *arg. c.* 20. *h. t. in* 6. *Covar. in C. Alma, p.* 2. §. 1. *Sur. de Cens. D.* 35. *sect.* 4. *ex n.* 3.

429 Interdictum ferre possunt Papa, Legatus, Episcopus, & quidem hodie, saltem ex consuetudine: etiam sine Capituli assensu requisito in *c.* 1. *de Excesib. Prælator.* Item Capitulum Sedevacante, medio ejus Vicario. *Trid. sess.* 24. *de Ref. cap.* 26. *& Prælati Regulares*; *arg. c.* 3. *de Offic. Ord.* Hodie tamen saltem ex consuetudine solùm possunt ligare suos subditos interdicto personali, non tamen locali loca sibi subjecta. *Suar. de Cens. D.* 36. *sect.* 1. Licèt interdictum partiale, & ad breve tempus; quia levis pœna est, & facilè auferibilis, possit ob culpam venialem imponi, non tamen interdictum absolutum ob rationem contrariam. Interdictum personale speciale potest potestate ordinaria imponi ob æris alieni restitutionem culpabilem contra eum, qui est in culpa; non tamen potest absque speciali licentia Pontificis imponi interdictum locale generale pro delicto commisso à Capite communitatis in retentione æris alieni. *Extrav.* 2. *h. t. inter com.* imò nec locale speciale, ut ex ipsa Extrav. deducunt, & meo judicio litteralitèr. *Covar. in C. Alma, p.*2. §. 1. *Avil. de Cens. p.* 5. *D.* 3. *dub.* 3. *concl.* 2. *& alii* contra *Navar. Man. cap.* 27. *n.* 168. *Suar. D.* 36. *sect.* 3. *n.* 8. Et ob identitatem rationis ejusdem *Extrav.* 2. *h. t. inter com.* ne scilicèt innocentes graventur ob causam temporalem, & quæ alia via tolli potest, qualis est repetitio æris injustè detenti dicendum est, quod nec interdictum personale generale imponi potest ob retentionem æris alieni factam à Capite communitatis. Ut interdictum *locale* à jure impositum obliget, & necessarium, quod Judex declaret, & denuntiet interdictum, ita ut nullus possit ignorantiam prætendere, declarando delictum, cui interdictum est annexum, verè esse commissum, & quod interdictum servetur ab eis in quorum gratiam appositum est: si ipsi non servent Ecclesia illud remittere censetur. *c.* 20. *de Paivileg.* Personale autem debet personæ specialitèr denuntiari, alias fideles eum non tenentur vitare, licèt ipse non possit se Divinis ingerere, si tamen à fidelibus requiratur, potest Divina Officia, & Missas, si Sacerdos sit, celebrare. Non solùm persona particularis doli capax, sed etiam communitas subjecta interdicenti ab eo potest personalitèr interdici: quo interdicto comprehenduntur, etiam absentes, & qui post interdictum latum, fiunt ejusdem communitatis partes, etiam Clerici, & Religiosi, & Magnates. Interdictum etiam innocentes afficit, non tamen propriè puniuntur, sed Ecclesia justè substrahit suos favores, & officia tàm nocentibus, quàm innocentibus: non tamen comprehenduntur infantes, vel amentes talis communitatis, nisi quia nequeunt in loco Sacro sepeliri, nec illi, qui ibi habeant tantùm quasi domicilium, cum sint exteri, nec qui recedunt animo mutandi domicilium. Qui duo domicilia habent, interdicto populo, in quo de præsenti habitant, ut partes illius interdicto subjacent, ut contra *Lacr. lib.* 7. *n.* 416. *& alios* tenent *Suar. de Cens. D.* 32. *sect.* 2. *n.* 16. *& alii.*

430 Interdicto populo non censetur interdictus Clerus: nec interdicto Clero censetur interdictus populus: imò, nec Religiosi, ut contra *Navar. Man. c.* 27. *n.* 167. *Covar. in C. Alma, p.* 2. §. 1. *n.* 8. *Suar. de Cens. D.* 32. *sect.* 2. *n.* 13. tenent plures nisi interdictum sub nomine personarum Ecclesiasticarum feratur: nam tunc veniunt Regulares utriusque sexus. *Sylv.* V. *Interdictum*, 2. *n.* 19. *Castropal. tr.* 29. *D.* 5. *p.* 2. §. 2. *aliique DD. cum Lacr. lib.* 7. *n.* 410. Interdicto alicujus Ecclesiæ Clerico, non creditur Ecclesia interdicta, ac proindè alii Clerici in ea possunt Divina celebrare, & Laici audire, nunquam tamen nisi expressè nominetur, censetur Episcopus interdictus. *c.* 4. *h. t. in* 6. Interdicta localitèr terra alicujus Principis, omnes terræ in quibus ipse habet dominium plenum interdicuntur, etiam si eas posteà vendat: secùs si habeat,

beat, tantùm jurisdictionem, vel usumfructum. Et non solùm templa existentia, sed si quæ posteà extruantur in toto, vel in parte comprehensa censentur, non tamen extenditur interdictum ad terras, quas post ipsum latum, Dominus adquirit, nisi expressè in sententia contineantur; *arg. c. fin. de Rescript.* Interdicta Diœcesi, omnia loca, & Civitates illius, & Chatedrales subjacent interdicto. Interdicta Ecclesia, Capellæ, & Cæmeterium contiguum continentur. Interdicta Civitate etiam Cathedralis Ecclesia est interdicta; imo, & suburbia, & ædificia continentia, etiam extra ambitum murorum Civitatis, & etiam si non sint subjecta interdictum ferenti, si scilicèt adeò contigua, vel proxima sint, ut facilè ad ea possent accedere ad Divina percipienda fideles Civitatis interdictæ. Nam si hoc posset fieri, facilè sententia interdicti eluderetur, & contemneretur: secus si ei contigua non existant. *c.* 17. *h. t. in 6. Suar. de Cens. D.* 32. *sect.* 2. *ex n.* 19. *Lacr. lib.* 7. *n.* 410. Interdicta Capella, vel Cœmeterium, non censetur interdicta Ecclesia principalis, nam hæc in accessorio non comprehenditur.

431 Ab interdicto locali, sivè generali, sivè speciali: & à personali generali solum potest absolvere, qui habet jurisdictionem Episcopalem, in locum, & communitatem. Religiosi verò non possunt absolvere, nam nec locus, nec communitas foro Sacramentali, in quo tantùm absolvere possunt, subjiciuntur. *Lacr. lib.* 7. *n.* 424. Ab interdicto personali à jure lato, & non reservato possunt absolvere quicumque Confessarii approbati. Si reservatum sit, solus Pontifex, ut conditor juris absolvit. Ex privilegio, quando delictum est occultum, absolvunt in foro interno Episcopi. *Trid. sess.* 24. *de Reform. cap.* 6. Et Mendicantes. Ab interdicto lato per Judicis sententiam, sivè locale, sivè personale sit, solùm, potest absolvere, qui tulit illud, vel ejus successor, vel delegatus, vel superior. Interdictum locale in Ecclesiam latum cessat, si Ecclesia destruatur, etiam si alia de novo extruatur: secus est, si affixum sit solo; nam tunc, etiam Ecclesia destructa, durat. Etiam personale cessat, si communitas interdicta extinguatur, quatenùs communitas est, etiam si aliquis ex communitate subsistat; dummodò non sit, qui interdicto causam dedit. Nam hic interdicto speciali personali manet ligatus. *Suar. de Cens. D.* 38. *sect.* 1. *n.* 9. §. 2. *Lacr. lib.* 7. *n.* 412. Interdictum, quod pro certo tempore, vel conditione est impositum, etiam absque absolutione cessat tempore elapso, vel conditione possita, medio autem tempore solùm absolvit, qui illud tulit, vel ejus succesor, vel delegatus, vel superior. *Suar. de Cens. D.* 38. *sect.* 1. *num.* 3. *& alii com.*

432 Qui interdictum violat, committit peccatum grave contra Ecclesiæ prohibitionem in re gravi operando, nisi inadvertentia, vel materiæ parvitas excuset. Interdicti violatores, si sint Clerici, variè puniuntur; nam 1. fiunt ipso jure irregulares, si celebrent, vel exerceant actum alicujus Ordinis Sacri, si sint personalitèr, vel generalitèr interdicti, vel hoc in loco interdicto faciant. *c.* 1. *c.* 18. §. 1. *c.* 20. *h. t. in 6. de Sentent. & re judic. in 6. Suar. de Cens. D.* 34. *sect.* 4. *ex n.* 14. 2. Amittunt privilegium, quo in loco Sacro possent tempore interdicti sepeliri; *arg. c.* 11. *de Pœnit. & remis.* 3. Religiosi, etiam exempti, qui non servant in suis Ecclesiis interdictum locale, quod servatur in Matrice admittendo ad Divina interdictos, vel ea celebrando, excommunicationem incurrunt. *Clem.* 1. *h. t.* Clericus, vel Religiosus, vel Monialis violantes interdictum reale, neque eligere, nec eligi, nec postulare, nec postulari ad Dignitates Ecclesiasticas possunt. *c.* 18. *h. t. in 6.* Etiam Clerici suspendendi sunt à beneficio, si interdictum locale violent; *arg. c. fin. de Excesib. Prælator.* Qui hominem interdictum sepelit in loco Sacro non interdicto, vel non interdictum in loco interdicto majorem excommunionem incurrit. *Cl.* 1. *de Sepult.* Non tamen hujus cadaver exhumandum erit, sivè bona, sivè mala fide sepultum sit, in loco interdicto: dùm persona sepulta non sit speciali censura affecta. Ecclesia namque solùm prohibet actum aliquem sepeliendi in loco interdicto, non verò effectum, seu terminum ejus postquam jam est factus: nec prohibet fidelium corpora semel sepulta in loco Sacro manere, licèt interdictus sit. *Suar. de Cens. D.* 35. *sect.* 1. *n.* 20. Laici specialitèr interdicti, & denuntiati si non exeunt de templo, postquam jussi sunt, ut Missa celebretur, excommunicationem Papæ reservatam incurrunt & quicumque impediunt, ne excommunicati, vel interdicti nominatim exeant ex loco Sacro, vel si pulsatis campanis Populum, ad audienda Divina in loco in-

terdicto convocent; vel si Clericum, ad celebrandum publicè in loco interdicto compellant. *Cl. 2. h. t.* Alios casus efferunt. *Suar. de Cens. D. 34. sect. 5. & alii com.* In nostra Hispania, qui habent Bullam Cruciatæ possunt tempore interdicti, sivè Apostolicum, sivè Ordinarium sit, Missam audire, in Ecclesiis aut Monasteriis, aut in Oratorio privato assignato, & approbato ab Ordinario. Etiam possunt celebrare Missam, & alia Officia Divina, vel per se, si Presbyteri fuerint, vel curare, ut alii celebrent coram se, & in præsentia suorum familiarium, & consanguineorum, usque ad 4. gradum. Deindè valent suscipere Eucharistiam, & reliqua Sacramenta excepto die Paschatis, modo ipsi non dederint causam interdicto, nec per ipsos steterit, quod non fuerit sublatum, & quotiescumque dicto Oratorio ad dictos effectus utantur, debent orare mentalitèr, aut vocaliter ad arbitrium suum pro victoria contra infideles, & unione inter Principes Christianos. Etiam tempore interdicti possunt sepeliri in loco Sacro cum moderata funeris pompa. Qui habet Bullam, tenetur die festo Missam audire tempore interdicti, quia cum possit Missam audire virtute Bullæ tenetur eam audire virtute precepti, quamvis aliqui censeant ad hoc non teneri, ne alias quis privilegio uti cogatur, & profectò eo cogitur uti, quia per ipsum potest auferri impedimentum ad adimplendum præceptum Ecclesiæ. Nec tunc audire Sacrum censetur purum privilegium; sed privilegium mixtum cum præcepto, & in quo quidem ratio præcepti prævalet.

433 Quia aliquando crescente contumacia fidelium, non sufficiunt alia remedia ordinaria, etiam censurarum, ad infringendam eorum proterviam, est necessarium novis morbis nova applicare medicamenta: & propterea ad significandum mærorem tristitiam, & afflictionem Ecclesiæ ob gravissimam injuriam sibi, & honori Divino illatam, solent Prælati Ecclesiastici habentes jurisdictionem in foro externo, ut Pontifex, Episcopus, Capitulum, Sedevacante, vel ejus Vicarii aliique habentes jurisdictionem quasi Episcopalem indicere *Cessationem à Divinis: quæ est probibitio Ecclesiastica Clericis imposita, ut abstineant à Divinis Officiis in aliquo loco.* Etiam vocatur *suspensio organorum, & laudis divinæ*, sic suum mærorem, & afflictionem significabant Israelitæ in *Psalm.* 136. *Super flumina Babylonis, illic sedimus, & flevimus: cum recordaremur tui Sion, in salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra.* Ut validè licite indicatur, debet esse pro delicto gravissimo, & notorio notorietate facti, & delinquens debet prius moneri, an velit satisfactionem præstare, & tradendum est instrumentum autenticum indictionis cum expressione causæ, ob quam imponitur, ipsi contra quem indicitur. Qualibet ex his conditionibus deficiente cessatio erit nulla; *arg. c. 8. de Offic. Ordin. in 6.* Non est quidem Censura Ecclesiastica, licèt valde affinis sit interdicto: nec à jure, sed solùm ab homine imponitur, & immediatè afficit locum: personas autem solum mediatè ratione loci vel Generalis, ut Provinciæ, Civitatis, vel Villæ: vel particularis, ut Ecclesiæ, Oratorii, vel Cæmeterii: ac proindè etiam innocentes comprehendit. Et eam, si à Matrice servetur, etiam Religiosi exempti tenentur sub excommunicatione majori ipso facto incurrenda, servare. *Cl. 1. h. t. Castropal. tr. 29. D. 5. p. 9.* §. 4. Si cessatio sit particularis, & non servetur à Matrice nulla pœna imposita in jure, nec irregularis fit, qui cessationem hanc violat, cum in nullo jure sit statuta talis irregularitas, licèt gravitèr peccet ob transgressionem Legis Ecclesiasticæ in re gravissima. *Navarr. Man. cap. 27. n. 188. Suar. de Cens. D. 39. sect. 1. Laym. l. 1. tr. 5. p. 4. cap. 6. Castropal. tr. 29. D. 5. p. 9. §. 1. aliique DD.* Et quidem eisdem, & eodem modo, ac in tempore interdicti. *Cov. in C. Alma, p. 2.* §. 4. *Suarez D. 39. sect. 2.* Cessatio à Divinis privat Divinis Officiis, & Ecclesiastica sepultura. *c. 11. de Sponsal.* scilicèt solemni: nam valdè probabile est, Clericos, & Laicos posse in Ecclesia sepeliri; dum sine Divinorum Officiorum solemnitate fiat, quia hoc nullibi invenitur prohibitum. *Suar. de Cens. D. 39. sect. 2. n. 31. Laym. Castropal. & alii.* Nec possunt Clerici uti facultate in *c. fin. h. t. in 6.* Concessa pro Interdicto, ut scilicèt clausis januis, & non pulsatis campanis celebrent Divina: nam cessatio non est interdictum, quin ob graviores causas, quam interdictum imponitur: ac proindè non benè fit illatio. *Nav. Man. cap. 27. n. 188. Suar. de Cens. D. 39. sect. 2.* Nec privilegiatus ad divina celebranda pro tempore interdicti censetur privilegiatus pro tempore cessationis. *Navar. n. 189. Suar. &c.* Tempore cessationis possunt ce-

celebrari Divina in festis Natalis Domini, Paschæ, &c. nam cum hoc à Pontifice concedatur, *c.* 24. *h. t. in* 6. non potest certè ab inferiori prohiberi. Etiam potest semel in hebdomada in qualibet Ecclesia Missa celebrari pro conficienda Eucharistia, & consecrati tot formæ debent, quot pro infirmis censeantur necessariæ. Possunt etiam Clerici in Ecclesia bini, & bini recitare horas: nam hæc recitatio nec tempore interdicti prohibetur, quia non publica, & solemnis, sed privata est. *Suar. de Cens. D.* 39. *sect.* 2. *n.* 14. Capitulum non potest, nisi ex privilegio, vel consuetudine cessationem indicere, debetque esse de consensu Episcopi, vocarique debent omnes, qui pro electionibus debent vocari, & consultatione facta decernitur cessatio, si in eam major pars Capituli consentiat. Si aliqua ex his conditionibus desit, nulla erit cessatio. *c.* 8. *de Offic. Ord. in* 6. Et has duas ultimas conditiones debet etiam observare Capitulum, Sedevacante, saltim quando per se, & non per Vicarium eam indicit. Cessationem profectò relaxare valet, qui eam imposuit, ejus successor, delegatus, vel Superior. Quin & sine expressa relaxatione cessat, si qui eam imposuit, eam non mittat Romam, postquam intra mensem partes non se composuerunt. *c.* 8. *de Offic. Ord. in* 6. Non tamen tollitur, si stet per eum contra quem est lata, non mitti Romam. Deinde postquam utraque pars Romam missit, potest qui eam imposuit, eam relaxare: nam ejus jurisdictio in hoc casu non suspenditur. *Suar. de Cens. D.* 37. *sect.* 3. *ex num.* 12. Quando justè, & validè imponitur, tenetur, qui ei causam dedit, damna innocentibus indè secuta, compensare, scilicèt, Canonicis, & Clericis, stipendia, quæ ex Missis, & Divinis Officiis adquisissent, & insuper est condemnandus in aliqua quantitate convertenda in augmentum Divini cultus; *arg. c.* 2. *c.* 8. *de Offic. Ord. in* 6. *Suar. de Cens. D.* 39. *sect.* 3. *n. fin.* Si tamen sine justa causa imposita est, qui eam imposuit damna compensare tenetur. *Suar. de Cens. D.* 39. *sect.* 3. *n.* 15.

434 Ad materiæ complementum necessarium videbatur censuras in jure infictas explicare; sed quia angustia temporis, & operis, hoc non permittit, Lectores remitto ad DD. qui de hoc latiori calamo scribunt, præcipuè ad *Eximium Suarez*, qui eximiè hac pro suo more tractat.

Excommunicationes in jure Pontifici reservatæ.

Contra omnes.

435

1. Percutientes Clericum, vel Monachum. *C. Si quis suadent*, 17. *q.* 4.

2. Perseverantes per annum in excommunicatione lata à Delegato Papæ. *C. Quærenti, de Offic. delegat.*

3. Falsarios litterarum Apostolicarum *C. ad Falsariorum, de Crim. falsi.*

4. Habentes litteras Apostolicas falsas, & illas non destruentes. *C. Dura, eod.*

5. Incendiarios à Judice excommunicatos, & denunciatos. *C. Tua nos, de Sent. excom.*

6. Sacrilegos effractores Ecclesiarum. *C. Conquesti, eod.*

7. Communicantes in crimine cum excommunicatis à Papa. *C. Nuper, eod.*

8. Eligentes potentia insignem in Senatorem Romanum. *C. Fundamenta, de Elect. in* 6.

9. Vexantes eos, qui censuram in aliquos tulerunt. *C. Quicumque, de Sent. excom. in* 6.

10. Absolutus ab excommunicatione sub conditione, & non implentes. *C. Eos qui, eod.*

11. Offendentes Cardinales. *C. Felicis, de Pœnis.*

12. Exigentes tributa à personis Ecclesiasticis. *C. Clericis, de Immunit. in* 6.

13. Violantes interdictum modis prohibitis. *Cl. Gravis, de Sent. Excom.*

14. Falsificantes monetam Regis Galliæ. *Extrav. Joan. XXII. Prodiens, de Crim. fals.*

15. Exenterantes corpora defunctorum. *Extrav.* 2. *de Sepult.*

16. Violantes interdictum Sedis Apostolicæ. *Extrav. Etsi, de Pœnit.*

17. Conspirantes in personam Romani Pontific. *Ibid.*

18. Dantes, & recipientes, ob ingressum Religionis. *Extr. com.* 1. *de Simon.*

19. Simoniacos in Ordine, & Beneficio. *Extrav.* 2. *eod.*

20 Taxantes opinionem de Immaculata Conceptione Beatæ Mariæ Virginis. *Extrav. Grave, de Reliq.*

21. Dantes, & recipientes pro gratia, aut justitia apud Sedem Apostolicam. *Extrav.* 1. *de Sent. excom. Bulla Bonifacii VIII.* 1. *& Greg. XIII.* 24.

22. Offendentes Rectores, seu Præsides

des Provinciæ Marchiæ Anconitanæ. *Extrav. Joan. XXII. Dierum. de Pœn.*

23. Occupantes bona Cardinalium tempore Conclavis. *Bulla 16. Leonis X.*

24. Mentientes personas in Litteris Apostolicis, ut earum expeditionem gratis assequantur. *Bulla Leonis X. 27.*

25. Impedientes executionem litterarum Sacræ Pœnitentiariæ. *Bulla Julii III. Rationi congruit. 1.*

26. Simulantes, & supponentes, se alios esse, pro obtinendis Beneficiis à Dataria. *Bulla 12. Pauli IV. inter. cæteras.*

27. Committentes duellum, & illud consulentes. *Concil. Trident. cap. 19. sess. 25. de Reform. Bulla Clem. VIII. 2. Illius vices.*

28. Mittentes litteras aut Nuncium in Conclavi, vel indè recipientes. *Bulla Pii IV. 63. In eligendis.*

29. Occupantes bona Ecclesiarum, Montium Pietatis, seu alterius loci Pii: vel impedientes, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur. *Concil. Trident. cap. 11. sess 22. de Reform.*

30. Fœminas ingredientes Clausuram Monasteriorum Regularium sub prætextu privilegii *Bull. S. Pii V. 20. Regularium.*

31. Fœminas, & masculos ingredientes septa Monasteriorum Monialium prætextu licentiarum in casibus non necessariis. *Gregor. XIII. Bulla 28. Ubi gratiæ.*

32. Suadentes Papæ, ut alienet, vel infeudet loca status Ecclesiæ. *Bulla S. Pii V. 35. Admonet Nos.*

33. Capientes, & retinentes Christianos habitantes inter Turcas, & illorum bona diripientes, aut remigare cogentes. *Bulla S. Pii V. 149. Licèt.*

34. Non revelantes conspiratores, & insidiatores contra Cardinales. *Bulla ejusd. Pontif. 93. Infelices.*

35. Publicantes Indulgentias, & facultatem dantes eligendi Confessores iis, qui aliquid solvunt. *Bulla ejusd. Pontif. 99. Quam plenum.*

36. Accipientes, & retinentes fructus Beneficii vacantis, vel impedientes Beneficii possessionem non solventibus dulciaria, sivè aliam solutionem. *Bulla ejusd. Pontif. 104. Durum nimis.*

37. Facientes jurare illicita, & contraria libertati Ecclesiasticæ. *Bulla Greg. XIII. 93. Inter Apostolicas.*

38. Diripientes animalia, & bona, vel illa furata, ementes ex statu Ecclesiastico *Bulla ejusd. Pontif. 98. Non sine.*

39. Violantes immunitatem Ecclesiarum. *Bulla Greg. XIV. 7. Cum. alias.*

40. Docentes posse fieri confessionem Sacramentalem in absentia per litteras. *Bulla Clem. VIII. 87. Sanctissimus.*

41. Extrahentes frumentum, blada, legumina, & oleum extra statum Ecclesiasticum sine licentia. *Paulus V. Bulla 12. Inter gravisimas.*

42. Docentes, aut defendentes, etiam disputativè opiniones damnatas. *Decreta S. Congreg. S. Officii, annis 1665. 1666. 1679. & 1690. emanat.*

Contra Clericos.

43. Participantes in Divinis cum excommunicato à Papa. *C. Significavit, de Sent. excom.*

44. Inducentes ad jurandum de eligenda, vel de electa non immutanda sepultura in eorum Ecclesiis. *Clem. Cupientes. §. Sanè, de Pœn.*

45. Commissarios, seu Delegatos interponentes Decretum, per gratiam, aut timorem, vel sortes in alienatione bonorum Ecclesiæ, aut per alios fieri alienationem dolosè procurantes. *Bulla 2. Pauli II. Cum in omnibus.*

46. Prædicatores non servantes Decreta pro eis lata in Concilio Lateranensi. *Bulla Leonis X. 12. Supernæ.*

47. Retinentes Beneficia in confidentiam. *Bulla Pii IV. 85. Romanum Pontificem. Bulla S. Pii V. 85. Intolerabilis.*

48. Absolventes sub prætextu privilegiorum à casibus Bullæ Cœnæ, vel Ordinariis reservatis. *Decretum S. Congreg. Episc. & Regular. à Clem. VIII. approbatum anno 1601.*

49. Trahentes personas Ecclesiasticas ad forum Laicale. *Bulla Martini V. 10. Ad reprimendas.*

50. Consentientes usurpationibus bonorum Ecclesiarum. *Concil. Trid. cap. 11. sess. 22. de Reform.*

Contra Regulares.

51. Administrantes Sacramenta Extremæ-Unctionis, & Euchatistiæ infirmis, vel matrimonia solemnizantes sine licentia Parochi. *Clem. 1. de Privileg.*

52. Absolventes sub prætextu privilegiorum à casibus Bullæ Cœnæ, vel Ordinariis reservatis. *Decret. Cle. VIII. in suprà.*

53. Euntes ultra mare sine licentia superiorum. *Extrav. Ad nostram de Regular.*

54. Mendicantes transeuntes ad non Mandicantes. *Extrav. Viam ibid.*

55. Moniales exeuntes de clausura absque licentia. *Bulla S. Pii V. 8. Decori.*

Su-

56. Superiores non denuntiantes Religiosos, qui sunt suspecti de hæresi Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum. *Bulla Pauli V. 26. Romanus Pontifex.*

57. Minores de observantia subornantes vota in electionibus. *Bull. S. Pii V. 128. Pastoralis.*

58. Claustrales recipientes Minimos sine licentia Papæ. *Bulla Julii II. Virtute conspicuus*, extra Bullarium.

59. Tertiarios portantes habitum minorum. *Bulla Leonis X. Licèt alias*, extra Bullarium.

60. Minores admitentes in eorum Ecclesiis tempore interdicti ad Divina Fratres, & Sorores Tertii Ordinis. *Clem. Cum ex eo, de Sent. excom.*

61. Clericos Regulares Societatis JESU discedentes sine licentia à Societate, etiam si prætextu melioris frugis transeant ad alium ordinem (exceptis Cartusianis) *Bulla Gregor. XIII. 89. Ascendente.*

62. Clericos Regulares Congregationis de Somascha transeuntes ad arctiorem sine licentia Superioris (exceptis Cappuccinis, & Cartusianis) illorumque Receptores. *Sixtus V. Bulla 4. Æquum.*

63. Inducentes adjurandum de eligenda, vel de electa non mutanda sepultura in eorum Ecclesiis. *Clem. Cupientes, §. Sanè, de Pœnis.*

Contra Personas publicas.

64 Prælatos vexantes censuris commorantes in servitio Papæ. *Extrav. 3. de Priv.*

65. Cardinales contravenientes in electione Pontificis. *Bulla Julii II. 3. Cum tàm Divino.*

66. Cardinales revelantes ea, de quibus Papa eis silentium indixit. *Bulla Leonis X. 7. §. 31. Et quotiescumque.*

67. Episcopos, qui conferunt Beneficia, contra præscriptum Bullæ S. Pii V. in eorum manibus resignata. *Bulla 58. Quanta.*

68. Cardinales ambiantes Papatum, & Simoniacos ejus causa. *Pauli IV. Bulla 16. Cum secundum.*

69. Cardinales Simoniacos in Beneficiis. *Bulla S. Pii V. 85. Hodie in Consistorio.*

70. Judices, Officiales Laicos, ac Prælatos Ecclesiasticos, trahentes personas Ecclesiasticas ad forum Laicale. *Bulla Martini V. 10. Ad reprimendas.*

71. Dominos temporales, qui in terris eorum supposititis interdicto, cogunt celebrare, & audiri Divina Officia. *Clem. Gravis, de Sent. excom.*

72. Officiales, ac Dominos temporales, bannientes, seu facientes, & mandantes bannire personas Ecclesiasticas. *Bulla Urbani VI. 3. Quia sicut.*

73. Officiales, Judices, & Dominos temporales percutientes, vel bannientes Episcopos, vel hæc mandantes, aut facta ab illis ratificantes. *Clem. 1. de Pœnit.*

74. Principes, & Dominos temporales, concedentes locum, vel permittentes duellum in terris suis. *Conc. Trid. sess. 25. de Reform. cap. 19. Bulla Clem. VIII. 11. Illis vices.*

75. Episcopos, & Inquisitores, eorumque substitutos, qui faciendo, vel omittendo contra diffamatos de hæresi, delinquunt in officio. *Clem. Multorum. §. Verùm, de Hæret.*

76. Officiales, & Ministros Cameræ Apostolicæ non reddentes integra computa. *Bulla Pauli III. 40. Cum sicut.*

77. Gubernatores Civitatum, & locorum status Ecclesiastici recipientes munera: præter comestibilia. *Bulla Pauli II. 3. Munera.*

Excomunicationes juris non reservatæ.

Contra omnes.

436

1. Qui ex Magistris, aut Scholaribus Bononiæ conducunt domos alterius Doctoris, aut Scholaris. *c. 1. de Locato.*

2. Qui ratas habent Collationes Ordinum, & Beneficiorum à Scholasticis. *c. 1. de Schismat.*

3. Qui vexant Ecclesiasticos, quod non eligerint eum, pro quo rogabatur, *C. Sciant, de Elect. in 6.*

4. Qui titulo regaliæ, aut defensionis occupant bona Ecclesiæ vacantis. *C. Generali, eod.*

5. Qui tanquam directores præsident electionibus Monialium, & discordias fovent. *C. Indemnitatibus, eod.*

6. Qui procurant, ut conservatores Regularium se immisceant in aliis, quam in manifestis injuriis, & violentiis. *C. fin. de Offic. deleg. in 6.*

7. Qui extorquent absolutionem, à censuris per vim, aut metum. *C. un. de His, quæ vi metusvè in 6. Et absolutio est nulla.*

8. Qui ex Judicibus accedunt ad mulieres ex causa ficta, ad excipiendum testimonium. *c. 2. de Judic. in 6.*

9. Qui ex Laicis compellunt Ecclesiasticos, ut sibi submittant jura Ecclesiæ. *c. 2. de Reb. Eccles. non alien. in 6.*

10. Qui exigunt pedagia, &c. ab Ecclesiasticis personis. *c.* 4. *de Cens. in 6.* Videtur nunc reservata in Bulla Cœnæ. *Can.* 18.

11 Qui docent Jus Civile, vel Medicinam Religiosos habitum dimittentes. *c.* 2. *Ne Cleric. in 6.*

12. Qui sepeliunt hæreticos in loco Sacro scientèr. *c.* 2. *de Hæret. in 6.*

13. Qui mandant interfici Christianum per Assassinos. *c.* 2. *de Homic. in 6.*

14. Qui concedunt, vel concessas repressalias extendunt adversus Ecclesiasticos. *C. un. de Injur. in 6.*

15. Qui secuestrum ab Ordinario super beneficio factum impediunt, vel fructus occupant. *Cl. un. de Sequestr. possess.*

16. Qui tempore interdicti, vel interdictos nominatim publicè excommunicatos, aut usurarios manifestos sepeliunt in loco Sacro. *Cl.* 1. *de Sepult.*

17. Qui impediunt Visitatores Monialium. *Cl. Attendentes, de Statu Monach.*

18. Qui scientèr contrahunt Matrimonium in gradibus prohibitis, vel cum Moniali. *Cl. un. de Consang.*

19. Qui impugnant litteras Papæ non coronati. *Extrav. ult. h. t.*

20. Qui imprimunt libros absque licentia Superiorum. *Bulla* 12. *Leonis X.*

21. Qui edunt Glossas, & Scholia in Tridentinum. *Bulla* 73. *Pii IV.*

22. Qui asserunt ante susceptionem Eucharistiæ, non esse necessariam Confessionem peccato mortali obstrictis. *Trid. sess.* 13. *Can.* 11. *de Eucharist.*

23. Qui rapiunt mulieres, & rapientibus favent. *Trid. C.* 9. *sess. cit.*

24. Qui cogunt, vel impediunt mulieres ab ingressu Religionis. *Trid. sess.* 25. *C.* 9. *de Regul.*

25. Qui vexant personas, res, & Officiales Sancti Officii. *Bulla* 82. *S. Pii V.*

26. Qui pingunt, deaurant, &c. Agnos Dei à Pontifice benedictos. *Bulla* 2. *Greg. XIII.*

27. Qui non denuntiant S. Officio, vel Ordinario, hæreticos, magos, sortilegos, & hæreticalitèr blasphemantes Deum, B. Virginem, & Sanctos. *Edictum Sancti Officii.*

Contra Clericos.

28. Qui se ingerunt in alterius Episcopatu ad officium sine licentia proprii Episcopi. *C. Quoniam, de Offic. ordin.*

29. Qui publicè audiunt Medicinam, aut Leges, & Sacerdotes suum personatum habentes. *C. fin. Ne Clerici.*

30. Qui ex Sacerdotibus recipiunt præfecturas Sæculares, & moniti non dimittunt. *C. Clerici, eod.*

31. Qui procurant, ut alii occupent jura, & bona Ecclesiarum vacantium. *C. Generali, de Elect. in 6. Sed in Trid. sess.* 22. *cap.* 11. *de Reform.* Videtur hæc excommunicatio esse reservata.

32. Qui in Sacris constituti contrahunt matrimonium. *Clem. un. de Consang.*

33. Qui alienant, vel ultra triennium locant bona Ecclesiarum. *Extrav. Ambitiosæ, de Reb. Eccles. alien.*

34. Qui fictè resignant, vel permutant beneficia. *Bulla* 58. *S. Pii V.*

45. Qui in concionibus, vel disputationibus impugnant Montes pietatis. *Bull.* 11. *Leon. X.*

Contra Religiosos.

36. Qui non adimplent disposita in Alexandri VII. Bulla, quæ incipit: *Felici*: in visitatione Monialium sibi subjectarum.

37. Qui audiunt, vel docent extra Claustra Jus Civile, vel medicinam *C. Non magnopere. C. Super specula. Ne Clerici.*

38. Qui instituunt novum Ordinem (vel locum acquirunt, secluso privilegio) sine licentia Papæ. *C. un. de Relig. Dom. in 6.*

39. Qui ex professis temerè dimittunt habitum. *c.* 2. *Ne Clerici, in 6.*

40. Qui occupant decimas Ecclesiis debitas, vel illas solvi prohibent. *Clem.* 1. *de Decim. Clem. Cupientes, de Pœnis.*

41. Qui adeunt Curias Principum ad nocendum suis Prælatis, vel Monasteriis. *Clem. Ne in agro*, §. *Quia verò, de Stat. Monach.*

42. Qui tenent arma intra Claustra sine licentia Abbatum, & sunt Monachi nigri. *Ibid.*

43. Qui ex professis contrahunt Matrimonium. *Clem. un. de Consang.*

44. Qui ex Mendicantibus recipiunt novas domos, vel receptas alienant sine licentia Papæ, & privilegio. *Cl. Cupientes, de Pœnis.*

45. Qui non observant interdictum à Papa, vel Episcopo positum. *Cl.* 1. *h. t.*

46. Qui ex Cappuccinis recipiunt Minores de Observantia sine licentia Sedis Apostolicæ, aut Ordinis Generalis, & qui recipiuntur. *Bull.* 20. *Sixti V.*

Contra Episcopos, & Nuntios.

47. Qui veniunt ad Urbem, & inde re-

recedunt sine licentia Papæ. *Extrav.* 2. *& 3. de Majorit. & obed.*

48. Qui impetrant litteras à Principibus ad Dignitates. *Bull. 99. Pii. IV.*

Contra Dominos temporales.

49. Qui prohibent subditis, ne quidquam vendant Ecclesiasticis, aut emant aliquid ab eisdem, neque eis blandum molant, aut alia obsequia præstent. *C. Eos, qui de Immunit. Eccles.*

50. Qui se opponunt, vel impediunt Episcopos, vel Inquisitores in officio Inquisitionis. *C. Ut inquisitionis, de Hæret. in 6.*

51. Qui concedunt repressalias contra Ecclesiasticos. *C. un. de Injur. in 6.*

52. Qui retinent in Italia nomen Vicarii Imperatoris vacante Imperio. *Extravag. Si fratrum. Joann. XXII. Ne Sedevacante.*

53. Qui contra persecutores Cardinalium non servant statuta in *C. Felicis, de Pœnis, in 6.*

54. Qui permittunt agitationes taurorum in terris suis, nempè periculosas. *Bull. 48. S. Pii V.*

Contra Magistratus, & Judices.

55. Qui post tertiam admonitionem negligunt reddere Jus Ecclesiasticis. *C. Administrationes, 12. q. 5.*

56. Qui faciunt servari statuta contra libertatem Ecclesiasticam. *C. Noverit. h. t.*

57. Qui extorquent pecuniam prætextu officii Inquisitoris. *Clem. 2. de Hæretic.*

58. Qui fovent usuras, & approbant. *Clem. 1. de Usuris.*

59. Qui auxilium non præstant Episcopo pro conservanda clausura Monialium. *Trid. sess. 25. c. 5. de Regular.*

60. Qui ex Rectoribus Universitatum promovent ad Doctoratum, vel professuram eos, qui non emisserunt professionem Fidei. *Bull. 88. Pii IV.*

61. Qui Cardinalibus Inquisitoribus in rebus ad officium Inquisitionis pertinentibus, non obediunt. *Bull. 1. S. Pii V.*

Catalogus Suspensionum.

Contra Episcopos.

437

1. Qui primam tonsuram conferunt infanti, illitterato, conjugato. *C. Nullus, de Temp. ordin. in 6.*

2. Qui ordinent simoniacè. *C. penult. de Simon. Extrav. 2. eod.*

3. Qui Sacrum Ordinem conferunt Religiosis non professis. *Bull. 75. S. Pii V.* exceptis Religiosis Societatis Jesu.

4. Qui ordinant Monachum sine licentia Abbatis, vel alium non subditum sine licentia proprii Ordinarii. *C. fin. D. 58. Trid. sess. 23. c. 8. de Ref.*

5. Qui ordinant proprios subditos in aliena Diœcesi sine licentia Ordinarii. *Trid. sess. 6. c. 5. de Ref.* Taceo suspensiones ferendæ sententiæ in malè ordinantes à jure decretas.

6. Qui beneficiis privant commorantes in Curia Romana. *Extrav. Divina, de Privil.*

7. Qui jura, & bona Ecclesiæ submittunt Laicis sine Capituli, & Papæ consensu. *C. Hoc consultissimo, de Reb. Eccles. non alien. in 6.*

8. Qui in proprium usum convertunt bona Beneficiorum vacantium. *C. fin. de Offic. ordin. in 6.* sed tantùm est suspensio ab ingressu Ecclesiæ.

9. Qui abutuntur potestate delegata in causa alienationis bonorum. *Bull. 2. Pauli. II.*

10. Qui admittunt resignationes Beneficiorum contra formam præscriptam in *Bull. 58. S. Pii V.*

11. Qui negligunt procedere contra simoniacos. *C. 102. 1. q. 1.*

12. Qui sunt Inquisitores, & delinquunt in officio. *Clem. 1. de Hæret.*

13. Qui procurant capi Ecclesiasticos, ut renuntient beneficiis, vel citatos impediunt ab accesu ad Sedem Apostolicam. *Clem. 2. de Pœnis.*

14. Qui quoad fructus beneficiorum vacantium non servant. *Extrav. 2. Joan. XXII. de Elect.*

15. Qui confirmant, & conservant electum sine prævia inquisitione. *C. Provida, eod. in 6.*

16. Qui promoti ad Ecclesias accedunt, non expeditis litteris, ac non præstito fidelitatis juramento. *Extrav. 1. eod. int. com.*

17. Qui ob crimen concubinatus mo-

niti à Synodo Provinciali se non emendant. *Trid. sess. 25. c. 14. de Ref.*

18. Qui relaxant incendiariis pœnas à jure inflictas. *C. Pessimam, 23. q. 8.*

19. Qui publicant Indulgentias, & facultatem eligendi Confessarios dant solventibus aliquid. *Bull. 99. S. Pii V.*

20. Qui non visitant limina Apostolorum tempore præscripto. *Bulla 15. Sixti V.*

21. Qui ingrediuntur Monasteria Monialium in casibus non necesariis. *Bulla 28. Greg. XIII.*

Contra Capitula, & Communitates.

22. Quæ occupant bona à Prelato relicta, vel obvenientia tempore vacationis. *C. Quia sæpè, de Elect. in 6.*

23. Quæ recipiunt Prælatum in Curia promotum absque litteris Papæ *Extrav. 1. eod.*

24. Quæ in Religionis ingressu à se admisso ex pacto recipiunt prandia, pastum, pecunias, jocalia. *Extrav. Sanè, de Simon.*

25. Quæ in resignatione beneficiorum non observant contenta in *Bulla 58. S. Pii V.*

Contra Clericos privatos, & singulares.

26. Qui recipiunt Ordines Sacros ante legitimam ætatem, vel non servatis interstitiis: vel extra tempora: vel censura irretiti: vel à schismatico (quod communiter extendunt ad eos, qui ab excommunicato) vel ab eo, qui renuntiavit Episcopatui: vel à proprio Episcopo in aliena Diœcesi sine debita licentia: vel ab Episcopo Titulari tantùm sine licentia Ordinarii proprii: vel ab alieno Episcopo sine licentia proprii. *C. Vel non est compos. C. Cum. quidam, de Tempor. ordin. Bull. 7. Pii II. C. illorum, de Sentent. excomm. c. 1. & 2. de Schismat. c. 1. de Ord. ab Episc. qui renunt. Trid. sess. 6. cap. 5. de Reform. sess. 14. cap. 2. de Ref. sess. 23. cap. 8. de Ref.*

27. Qui ordinantur sine, vel ficto titulo. *C. Neminem C. Sanctorum, D. 70. Bull. 33. Urban. VIII.*

28. Qui ordinantur in Sacris post matrimonium, etiam ratum tantùm. *Extrav. Antiquæ, de Voto.*

29. Qui ordinantur in Sacris cum litteris dimissoriis à Capitulo infra annum, sedevacante, datis: & qui ordinantur per saltum. *Trid. sess. 7. c. 10. de Ref. & sess. 23. c. 14. de Ref.*

30. Qui impugnant personam electi, & in probatione deficiunt. *C. 1. de Elec. in 6.*

31. Qui electo à se Episcopo infra 8. dies non præsentant electionem. *C. Cupientes, eod. in 6.*

32. Qui eligunt per abusum sæcularis potestatis. *c. 13. de Elect.* sed est ferendæ sententiæ.

33. Qui eligunt indignum ad Episcopatum, vel Beneficium curatum: licèt sint compromissarii tantùm. *C. Cum in cunctis. C. Compromissarius, eod. in 6.*

34. Qui postulant in Episcopum minores 27. annis, vel Religiosos Medicantes. *Extrav. un. de Postul. Prælat.*

35. Qui ab usurariis manifestis recipiunt oblationes, vel eos sepeliunt. *C. Quia in omnibus, de Usur.*

36. Qui publicè utuntur virgata, vel partita veste sine causa. *Clem. 2. de Vita, & honest.*

37. Qui occupant bona Ecclesiarum vacantium, vel à Prælatis relicta. *C. Quia sæpè de Election. in 6.*

38. Qui Ecclesias sibi commissas gravant alienis debitis. *c. 2. de Solut.*

39. Qui recipiunt procurationes pro visitatione, officio non impenso. *C. Exigit. de Censib. in 6.*

40. Qui sunt notorii concubinarii. *C. fin. de Coabit. Cleric.*

41. Qui celebrant Missam, & in ea non communicant. *C. Relatum, D. 2. de Consecrat.*

42. Qui Missam jam inchoatam abrumpunt sine gravi causa. *c. 57. D. 1. de Consecrat.*

43. Qui simoniacè ordinantur. *C. penult. de Simon.*

44. Qui spontè jurant de tenendo schismate. *c. 1. de Schismat.*

45. Qui celebrant coram excommunicato. *c. 18. & ibi Glos. de Sent. exc. in 6.*

46. Qui in concionibus disputant de Immaculata Conceptione B. V. vel eam impugnant, vel de ea scribunt in vulgari lingua. *Bull. 114. S. Pii V. Bull. 29. Gregorii XV.*

47. Qui recipiunt Prælatos, à Sede Apostolica promotos sine litteris. *Extr. 1. de Election.*

48. Qui rapiunt mulieres. *Trid. sess. 24. c. 6. de Reform. matrim.*

Qui

49. Qui nefandum Sodomiæ crimen exercent. *Bull.* 72. *S. Pii V.*

50. Qui aliquid faciunt in judicio per gratiam, vel sordes in gravamen injustum partis. *C.* 1. *de Sent. & re jud. in 6.*

51. Qui ex Parochis jungunt sponsos alterius Parochiæ sine licentia proprii Parochi. *Trid. sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform. matrim.*

52. Qui ex conservatoribus Regularium se immiscent in aliis, quam manifestis injuriis. *C. fin. de Offic. delegat.*

53. Qui ex superioribus Ecclesiarum non exigunt singulis annis rationem de adimpleto onere Missarum. *Bull. Innoc. XII.* 1607.

Contra Regulares Prælatos, & Subditos.

54. Qui ex Superioribus concedunt reditus aut possessiones Monasteriorum aliis: vel aliquid ratione excessuum suorum Religiosorum adquirunt; & non sasisfaciunt damnificatis, vel qui à Sacristis, &c. non exigunt singulis annis rationem de adimpleto onere Missarum. *Clem.* 1. *de Reb. Eccl. Clem.* 1. *de Privil. Bull. Innoc. XII. cit.*

55. Qui tam Superiores, quam subditi recipiunt alumnos ad Professionem ante expletum probationis annum: vel sibi appropriant decimas ad se non pertinentes. *C. Non solùm, de Regular. in 6. Clem.* 1. *Decimis.*

56. Qui nondum Professi recipiunt Ordines Sacros. *Bull.* 75. *S. Pii V.* nempè extra Societatem Jesu.

57. Qui mulieres introducunt intra Clausuram Monasteriorum. *Bull.* 20. *S. Pii V.*

58. Qui confitentibus non faciunt conscientiam de solvendis decimis. *Clem. Cupientes, de Pœnas.*

59. Qui non deferunt habitum in Regula prescriptum. *Cl.* 1. *de Stat. Monach.*

60. Qui faciunt Apostasiam ab Ordine, & in ea recipiunt Ordines. *C. fin. de Apostat.*

61. Qui ejiciuntur á Religione. *Bulla* 26. §. 1. *& Urban. VII.*

Catalogus Interdictorum.

Interdicta localia.

438

1. Contra Dominos temporales, quorum loca subjacent Interdicto, si impediant, ne Legatus, vel Nuntius Papæ fungatur suo officio. Item siquis injuriosè percutit, capit, bannit, Episcopum. *Extrav. Super gentes, de Consuet. Clem.* 1. *de Pœnis.*

2. Contra Civitatem, quæ supponitur interdicto, si hostialiter insequitur Cardinales. *C. Feliciis, de Pœnis in 6.*

3. Contra Ecclesias tàm Sæcularium, quàm Regularium, qui aliquem inducunt, ut juret, vel promittat ibi eligere sepulturam, si posteà ibi sepeliatur jurans, vel permittens. *C.* 1. *de Sepultur. in 6.*

4. Contra Collegia, & Universitates, quæ exigunt gabellas, &c. vel aliquid contra libertatem Ecclesiasticam. *Bull.* 39. *Gregor. XIII.*

Contra Universitates.

5. Quæ usurariis locant habitationem, vel fœnus publicè exercere sinunt. *C.* 1. *de Usur. in 6.*

6. Quæ concedunt, vel extendunt repressalias contra Ecclesiasticos. *C. un. de Injur. in 6.*

7. Quæ non servant circa fructus beneficiorum vacantium statuta in *Extrav. un. Ne Sedevacante.*

8. Quæ à sententia Papæ apellant ad futurum Concilium *Bulla Cœnæ casu* 2.

9. Quæ ex Capitulis Cathedralibus infra annum, Sedevacante, concedunt Dimissorias litteras. *Trid. sess.* 7. *c.* 10.

10. Quæ exigunt tributa ab Ecclesiasticis. *C. Quamquam, de Censib. in 6.*

Interdicta personalia specialia.

Contra personas singulares.

11. Quæ in ferendis censuris non observant formam, à jure præscriptam. *C.* 1. *de Sent. excom. in 6.*

12. Quæ violant interdictum locale, vel personale. *C. Episcoporum, de Privil. in 6.*

13. Quæ dant causam interdicto locali. *C. Si sententia, de Sentent. excom. in 6.*

14. Quæ de manu Laici recipiunt Prælaturam, vel Dignitatem Ecclesiasticam. *C. Siquis deinceps*, 16. *q.* 7.

15. Quæ ad Ecclesias Cathedrales promotæ intra unum mensem se non com-

committunt itineri ad faciendam residentiam. *Bull. 190. Urb. VIII. cum Trident. sess. 23. cap. 2. de Ref.*

16. Si Clerici in Sacris constituti jaceant in crimine fornicationis. *C. Siqui sunt, disert. 81.*

17. Si Prælatus usurpet bona vacantium Beneficiorum. *Extrav. un. Ne Sedevacante.*

18. Siquis Ecclesiarum Secularium Rector, vel Minister recipiat onera perpetua Missarum sine licentia Ordinarii. *Bull. 42. Urb. VIII.*

19. Siquis Prælatus edat Comentarios in Concilium. *Trident. Bull. Pii IV.* Confirmatoria ejusdem Trid.

20. Siquis Episcopus, vel Abbas bona Ecclesiæ alienet non servata forma. *Extr. Ambitiosæ de Reb. Eccl. alien.*

21. Siquis Episcopus, vel inferior Prælatus exigat in visitatione excessivam procurationem, & contra jus. *C. Exigit. de Censib. in 6. Trident. sess. 24. cap. 3. de Reformat.*

22. Siquis Ordinarius privet Beneficiis commorantes in Urbe, & qui talia beneficia recipit, idem incurrit. *Extr. 3. de Privileg.*

23. Siquis Metropolitanus non moneat intra præscriptum tempus Pontificem, quod sui suffraganei non resideant, vel antiquior ex suffraganeis, si Metropolitanus non resideat. *Trid. sess. 6. cap. 1. de Reform.*

TIT. XL.

De Verborum significatione.

439 JUS Canonicum, ad imitationem Juris Civilis, hos duos titulos generalis toti operi communes de V. S. Et de Reg. jur. in fine continet. Et quia plures, & diversas materias amplectuntur, ideò satius duxi ex testibus præpositis ordine, quo in jure continentur, præcipuas deducere decisiones, & ad eas alias doctrinas pro faciliori, & pleniori intelligentia significationis verborum, seu vocum adjungere. Et quia, teste *J. C. in L. 24. ff. de Legib. in civile est, nisi tota Lege perspecta, una aliqua particula ejus proposita judicare, vel respondere*: ideò debet totus contextus legis, rescripti, privilegii, testamenti, contractus, vel instrumenti, vel alterius cujuscumque dispositionis attentè, & circumspectè legi, ut sic mens disponentis deducatur, declarando verba sequentia per antecedentia, & è contra. *L. 50. §. fin. ff. de Leg. 1.* Debet item ex prœmio, & rubrica sensus dispositionis, vel operis declarari. *L. 134. §. 1. ff. de V. O.* Verba debent intelligi circa subjectam materiam, de qua proferuntur, & juxta qualitatem personarum. *c. 6. h. t. L. 69. ff. de Leg. 3.* Ita tamen ut jura juribus concilientur, & eorum correctio, quantum possibile sit, vitetur. *c. 29. de Elect. in 6.* His igitur prælibatis, jam operi manus applicemus, ut huic tuguriolo quasi subgrumdam adjungamus.

Cap. 1.

440 *D. Hieronymus, vel Glossa Interlinealis* ad ea verba *Oseæ, c. 10. Innovate vobis novale*: adjungit: *Novale est ager nunc primum præcisus.* Et ut explicat nostri Textus epigraphe: est terra noviter ad culturam redacta, & *c. 21. h. t. L. 8. tit. 33. p. 7.* ibi: *Novalios tanto quiere decir. como montaña, ò xara, que es rompida de nuevo para meterla à labor.*

Cap. 2.

Ad illud *Danielis 1. nam, & Rex Nabucodonosor Pater tuus.* Ubi vocat Nabucodonosor Patrem Baltasaris addit *D. Hieronymus*: id est, *proavus* more scripturæ, quæ avos, & deinceps patres appellat: idem de jure Civili accidit: nam nomine patrum omnes ascendentes solent intelligi. *L. 201. ff. h. t.* Sic liberorum appellatione omnes descendentes continentur. *L. 220. ff. h. t.* Et nomine viri, etiam fœmina intelligitur. *L. 1. ff. h. t. L. 6. tit. 33. p. 7.* Et hic obitèr notandum est, quod Sacra Scriptura in quadruplici sensu potest intelligi, in sensu nempè litterali, allegorico, tropologico, seu morali, & anagogico; & quid unusquisque significet in his versibus declaratur. *Littera gesta docet: quid credas Allegorica: Moralis quid agas: quid speres Anagogia.* Sic hæc vox *Jerusalem* secundum sensum litteralem Civitatem Jerusalem significat, secundum allegoricum Ecclesiam: secundum tropologicum, seu moralem, animam fidelem: secundum anagogicum, cœlestem patriam, quam in hoc Mundo peregrini inquirimus significat.

Cap. 3.

In *c.* 4. *Prov.* dicitur *Salomon unigenitus*, cum fratrem uterinum constet præcessissè: quia ait D. Hieronymus hic: *Ille mox natus sine nomine, quasi nunquam esset, de vita decessit.* Nec enim natus videtur, qui confestim, est mortuus. *Sanchez. de Matrim. lib.* 3. *D.* 18. *n.* 6. Nec nomine filiorum veniunt, qui mortui nascuntur. *L.* 8. *tit.* 33. *p.* 7. nec monstruosi habentes figuram bestiæ, *L.* 14. *ff. de Stat. hom.* Verba enim in Legibus, contractibus, testamentis, privilegiis rescriptis, sententiis, quin & in dispositionibus odiosis, & pœnalibus, ita debent sumi, ut non superflua, sed cum effectu sint, etiam si ad hoc sit necessarium, verba aliquantulùm impropriari. *c.* 17. *de Pœnit. D.* 1. *c.* 4. *de Cler. non resid. L.* 1. §. 2. *ff. Quod quisque jur.* Deindè dicitur *unigenitus*, etiam si *ex lib.* 1. *Paralip. cap.* 3. *v.* 5. Constet David ex Bersabe suscipisse alios tres filios. Dicitur denique *unigenitus coram matre sua*, quia erat præ omnibus dilectus.

Cap. 4.

Matth. cap. 1. dicitur: *Cum esset desponsata Mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu Sancto.* Ex hoc textu malè inferebant aliqui hæretici, quod B. V. Maria post partum cognita à Divo Josepho fuisset, ut refert S. Epiphanius. Nam ut benè notat. *D. Hieronym.* hic, *non sequitur, ut posteà convenerint, sed Scriptura, quod factum non sit, ostendit.* Imò potius sunt verba improprianda, quam admittere absurdum, ut in præsenti sequeretur. Similitèr impropriantur; quando natura rei illis repugnat, vel quando jus tertii lædìtur, vel quando sequitur correctio juris; vel superfluitatem continerent, vel actus perire, vel delictum probarent: nam cum in dubio de nullo delictum præsumatur. *L.* 51. *ff. Pro socio,* debet potius aliquantulum verborum significatio impropriari, quam declinare in pejorem partem. *c.* 2. *de Reg. jur. Barbos. Axiomat. juris* 202. *per tot.*

Cap. 5.

Matth. cap. 1. ait de Divo Josepho: *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Ubi D. Hieronymus ait, ex hoc loco, quidam perversissimè suspicantur, & alios filios habuisse Mariam, dicentes primogenitum: cum primogenitus non debeat dici, nisi qui habeat fratres: cum hic mos Divinarum sit scripturarum, ut primogenitum, non eum vocent, quem fratres sequuntur, sed eum, qui primo natus sit. Si verò duo simul nascuntur ex eodem partu, & ignoretur, quis prius, vel posterius natus sit, præsumitur prius natum fuisse Marem, quam fœminam: si ambo sint mares, ambo dividunt honorem provenientem ex primogenitura. Deindè: si vir, & uxor simul perierunt: v. g. in naufragio præsumitur, si alias non constet, uxorem prius periisse. Si cum filio pubere simul perierunt parentes, isti prius decessisse creduntur. Si verò ipse erat impubes, ipse creditur prius mortuus. Et juxta has regulas successio hæreditarum dotis, & majoratus definienda erit. *L.* 9. *L.* 10. *ff. de Reb. dub. L. fin. tit.* 33. *p.* 7. Etiam hæc vox *major*, aliquando pro positivo ponitur: ita reservatio Cancellariæ de Dignitatibus majoribus habet locum, ubi est una dignitas tantùm. *Garc. de Benef. p.* 5. *cap.* 1. *n.* 26. Regularitèr tamen sumitur pro comparativo positivum supponente. *L.* 1. *ff. de V. O. ibid. DD. Barbos. in Præsent. num.* 3.

Cap. 6.

Ubi *D. Hylarius lib.* 4. *de Trinitate,* ait intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus: nam ut communitèr: dicitur intentio verbis deservire non debet, sed verba intentioni. *c.* 11. 22. *q.* 5. *L.* 5. *tit.* 33. *p.* 7. Et hinc *scire Leges non est verba tenere, sed mentem. L.* 17. *ff. de Legib. L.* 13. *tit.* 1. *p.* 1. Alia quando interpretatio dispositionis sumitur ex causa ibidem assignata; *arg. L.* 53. *ff. Solut. matrim.* licèt quandoque latior sit ratio quam disposito; *arg. c. fin. de Immun. Clem.* 1. *de Election.* Verba simpliciter prolata, simpliciter, non secundum quid debent intelligi, alias non propriè sumerentur. *L.* 45. *L.* 69. *ff. de Leg.* 3. *L.* 1. §. 3. *ff. de V. O.* Sic residentia in jure requisita, de personali debet intelligi. *c.* 3. *de Cleric. non resident.* provisio de beneficio vacaturo per mortem alicujus, non de casu mortis civilis, quæ per privationem,

nem, vel depositionem contigit, sed de mortis naturalis casu intelligitur; *arg. L. 121. §. 2. ff. de V. O.*

Cap. 7.

D. August. loquens de consensu Evangelistarum ait: *Nihil obstat narrandi diversitas, ubi eadem dicuntur, maximè, cum quisque Evangelistarum ex ordine credat, se dicere, quo Deus voluit.*

Cap. 8.

D. Gregor. lib. 1. Epist. 28. ait: *Si prolixam epistolam ad interpretandum accipere fortasse contigerit, rogo, non verbum ex verbo, sed sensum ex sensu transferre: quia plerumque dum proprietas verborum attenditur, sensus veritatis amittitur.* Quando ergo ex subjecta materia, vel fine constat de disponentis intentione, hæc debet attendi, etiam si verba aliquantulùm improprientur: cum intentio Legislatoris, vel cujuscumque alterius agentis sit, velut anima dispositionis illius. *L. 69. ff. de Leg. 3. c. 6. c. 15. h. t. L. 5. tit. 33. p. 7.*

Cap. 9.

D. Isidor. L. 10. Ethymolog. ait: *Quamvis omnes, qui præsunt præpositi ritè vocentur, usus tamen obtinuit, eos vocari præpositos, qui quandam prioratus curam super alios gerunt.* Quando non aliter constat de intentione disponentis, verba sumenda sunt in sensu, quem habent, juxta communem hominum usum. *L. 69. ff. de Leg. 3.* Et quidem secundum modernum modum loquendi, & secundum usum illius Provinciæ, & Regionis; *arg. L. 50. §. 3. ff. de Leg. 1.* Nam usus, teste Horatio in Arte Poetica, est unicus Legislador, in materia de Verborum, & vocum significatione, ibi: *Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque, quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus, quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi.* Verba, quæ & usum naturalem, & civilem habent, secundum naturalem, ut magis proprium inteligenda sunt. *L. 121. §. 2. ff. de V. O.* Nisi specialiter disponatur, quod in civili sumantur; *arg. c. 6. Qui filii sunt legit.* vel nisi inveniantur in Legibus, rescriptis, sententiis Judicum, responsis Juris Consultorum, instrumentis authenticis, &c. Nam tunc magis, quam secundum vulgarem sensum, secundum juridicam significationem intelliguntur.

Cap. 10.

D. Isidor. L. 8. Ethymolog. c. 15. Forus est litium exercendarum locus, à fando dictus, sivè à Foroneo Rege, qui primus Græcis legem dedit: Constat forus causa, lege, & judicio. Causa à casu, quo venit dicitur, dum negotium proponitur est causa, dum discutitur judicium, dum definitur justitia. Vocatur autem judicium, quasi jurisdictio, & justitia, quasi juris status. Jurgium dicitur, quasi jurisgarrium, eo, quod hi, qui causam dicunt, jure disceptant. His autem à contentione limitis prius nomem sumpsit, de qua Virgilius. Limes erat positus litem, ut discerneret agris. In omni negotio hæ personæ quæruntur: Judex, accusator, reus, & tres testes. Judex dictus, quasi jus dicens Populo, sivè, quod jure, disceptet. Jure autem disceptare, est justè judicare: non est ergo Judex, id est justu si non est in eo justitia. Accusator vocatus est, quasi causator qui ad causam vocat eum, quam apellat, reus à re, quæ petitur, nuncupatur. Testes antiquitus superstites dicebantur, eo, quod super causæ statu proferebantur. Testes autem considerantur conditione, natura, & vita. Conditione, si liber, non servus. Natura, si vir, non fœmina. Vita, si innocens, & integer actu: nam si vita bona defuerit, fide carebit, non enim potest justitia, cum scelerato homine habere commercium. Sanè. Hic testus materiam amplissimam continet, cujus partes in suis locis pro nostra tenuitate exposuimus.

Cap. 11.

D. Isidor. L. 5. Ethymol. c. 14. ait: *Pactum dicitur inter partes ex pace conveniens scriptura Legibus, aut moribus comprobata: Dicitur pactum quasi ex pace factum.*

Cap. 12.

D. Isidor. cap. 25. ait: *Jus dictum est à jure posssidendo, hoc enim jure possidetur, quod justè, hoc justè, quod benè: quod autem malè possidetur alienum: malè autem possidet, qui vel suis malè utitur, vel aliena præsumit. c. 11. 14. q. 4.* Quod autho-

thoritate legis, vel superioris fit, justè sit, & qui authoritate Prætoris possidet, justè possidet. *L.* 11. *ff. de Adquir. posses.*

Cap. 13.

Sic Paschalis Papa XI. rescribit: *Cæterum primitiæ, decimæ, oblationes in solis Ecclesiarum bonis præcipuè numerantur. Oblationes dicimus, quæcumque de propriis, & licitis rebus Ecclesiæ à fidelibus offeruntur.* Oblatio est quædam donatio bonorum temporalium Deo, vel Ecclesiæ facta. *c. 9. cum. seqq.* 13. *q.* 2. de quibus omnibus jam aliquid diximus *ad tit. de Decimis*

Cap. 14.

Alex. III. Sic ait: *Nos itaque tibi duximus respondendum, quod Sacerdos uno præsente Clerico, & etiam solus infirmum ungere potest.* Sacramentum Extremæ-Unctionis ministratur gravitèr infirmis febri, vulnere, vel alia quacumque infirmitate naturali, seu violenta; non tamen aliis, etiam de vita periclitantibus, ut sunt navigantes, prægnantes, vel ultimo suplicio condemnatis, quia solùm infirmus est subjectum illius capax. *C. un. de Sacr. Unct.* Quoad ministrum attinet, tantùm Parochus, vel alius Sacerdos de voluntate saltem præsumpta illius, illud licitè confert. *Cl.* 1. *de Priv.* validè tamen quilibet Sacerdos illud confert. *Trid. sess.* 14. *de Extrem. Unct. cap.* 3. etiam si aliis Sacerdotibus non societur: nam licet in Epist. *S. Jacob. cap.* 5. dicatur: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*, solùm ibi qualitas personæ, non numerus significatur, ut dicam in *c.* 40. *de Reg. jur. in 6.*

§. I.

Festum B. Matthiæ juxta consuetudinem Ecclesiasticam Vigilia eatenus præcedat, ut nec pro bissexto, nec quolibet alio modo inter se, & solemnitatem, aliam diem admittat. In qua utique nisi Vigilia venerit in Dominica die jejunium celebretur, ipsum autem festum, sivè fiat in præsenti die, vel in sequenti, qui duo quasi pro uno reputantur, nullus error, sed Ecclesiæ consuetudo teneatur. Ex hoc textu Vigilia festivitatum, quæ secunda feria celebrantur, fit in Sabbato antecedenti. In nostra Hispania festum S. Matthiæ semper celebratur die 24. Februarii. In Italia, & alibi, quando annus est bissextilis die 25. celebratur.

Cap. 15.

Cœlest. III. ait: quod sententia definitiva Judicis non aliter potest finem controversiæ imponere, nisi absolvat, vel condemnet, ac proindè si non absolvat, nec condemnet nullius roboris est. *L.* 3. *C. de Sent. & interlocut.* sed non requiritur verborum superstitiosa scrupulositas, sed quæcumque mentem Judicis declarent sufficiunt ad valorem sententiæ, etiam per verba: *statuo, & præcipio,* ut in præsenti dicitur *L.* 5. §. 1. *ff. de Re judic. L.* 5. *L.* 15. *tit.* 22. *part.* 3. *ibid. Greg. Lop. L.* 10. *tit.* 17. *lib.* 4. *R. C. & ibid. Acev.* Quia non verba, sed voluntatem considerare debemus, cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant deservire. Verba enuntiativa, seu narrativa; quibus scilicèt, aliquid incidentèr refertur, quod non de præsenti ab ipso disponente agitur, sed actum est ab alio, vel de præterito est actum, non inducunt dispositionem: sed debent esse verba dispositiva, quæ scilicèt rem, vel actum, vel id, quod de præsenti actum est à disponente per se, & principaliter exprimant: tunc enim probant, & inducunt dispositionem, si verò verba enuntiva roborata sint juramento probant, & inducunt, dispositionem, vel si geminata sint: nam ipsa iteratio significat majorem deliberationem, & magis enixam, & seriam voluntatem disponentis, & ideò etiam tollunt suspicionem metus, erroris, vel fraudis. *L.* 32. *ff. ad S. C. Trebell.* Idem dicendum est, quando inveniuntur in instrumentis valdè antiquis, præcipuè possessione favente, instrumenta, alleganti, vel si per modum causæ finalis sint adjecta: Etiam probant contra proferentem, vel eum, qui passus est instrumento inseri: & juxta aliquos etiam probant in favorem dotis, & causæ piæ. *Masc. de Prob. conc.* 627. *Menoch. de Præs. l.* 3. *pras.* 34. Deindè: affirmatio, & negatio magis, quam ex cortice exteriori vocum ex sensu sumendæ sunt. *Gloss. in Cl. fin. de Reser.* Duæ negationes regulariter affirmant. *L.* 237. *ff. b. t.* licèt aliquando aliter sit dicendum, vel quia sequeretur absurdum, vel quia est usitatus modus loquendi, vel quia ad fortius negandum adhibentur.

Cap.

Cap. 16.

Privilegium Principis, quod cedit in præjudicium juris tertio jam quæsiti, strictè interpretandum est. *C. fin. de Præbend.* etiamsi clausula, *ex certa scientia*, vel *motu proprio* adjiciatur. *C.* 15. *de Offic. deleg.* nam jus jam quæsitum solùm ex causa publica potest auferri, sed adhuc ea urgente, in dubio non præsumitur in Supremo Principe illud velle tollere. *c.* 2. *de Offic. ordinar. c.* 31. *de Privil. c.* 8. *de Rescript.* Quod à fortiori dicendum est de Contractibus, Testamentis, & Rescriptis Principum. Illud tamen beneficium, quod non ita tertio præjudicat latissimè oportet interpretari, ut in præsenti *L.* 28. *tit.* 34. *p.* 7. *c.* 6. *de Donat. L. Beneficium*, 3. *ff. de Const. Princip. Suarez de Legib. lib.* 8. *cap.* 27. *Sanch. lib.* 2. *de Matrim. D.* 2. *Barbos. & Gonz. hic*: præcipuè cum hic agatur, non tàm de privilegio, quà de mandato de providendo, quod ex motu proprio S. Pontificis emanavit, & ideò latissimè interpretatur. *c.* 24. *de Præbend. in* 6.

Cap. 17.

Interdictum Generale dicitur, non solùm quod in Regnum, vel Provinciam, sed etiam quod in Villam, vel Castrum fertur, & ut tale debet observari; *arg. L.* 14. *tit.* 9. *p.* 1.

Cap. 18.

Cum Episcopo Altissiodorensi esset indultum, quod ordinario rerum Clericorum decedentium ab intestato, in ejus potestate, & dispositione liberè permaneret. Rom. Pontifex ad dubia ab Episcopo proposita respondet 1. Quod appellatio Clericorum, non solùm alios, sed & Canonicos comprehendit. 2. Quod qui extremam voluntatem in alterius dispositione committit, non videtur decedere intestatus. Nomine enim Clericorum, etiam veniunt Canonici Regulares Divi Augustini. *Barbosa in h. text. n.* 2. Nam verba generalia generalitèr accipiuntur. *L.* 1. §. 1. *ff. de Legat. præstand. L.* 5. *tit.* 33. *p.* 7. ubi enim Lex non distinguit, necnon distinguere debemus, ut commune dicit axioma, quod exornat *Barbos. in Axiomat. jur.* Et etiamsi in singulari loquantur Leges ad omnia sub tali voce contenta extenduntur, nisi specialitèr aliqua excipiantur. *L.* 1. §. 4. *ff. de Offic. Præs. Urb.* Restringuntur tamen, si alias actus periret *c.* 2. 23. *q.* 1. vel si subjecta materia, vel præjudicium tertii, vel aliud inconveniens generalitatem ipsorum restringi suadeat. *L.* 3. §. 11. *ff. de Statu liber.* Si in aliqua dispositione, vel in diversis circa eamdem rem, verba generalia, & specialia inveniantur, hæc debent attendi: nam cum magis declarent intentionem agentis, quam generalia. *L.* 41. *ff. de Pœn.* Et ideò generi per speciem derogatur. *c.* 34. *de Reg. jur. in* 6.

Cap. 19.

In hoc juramento: *Ego ab hac hora in anteà fidelis ero*, & obediens Placentinæ Ecclesiæ, & Domino meo Episcopo Placentino, non venit nomine Ecclesiæ Clericus totius Diœcesis, etsi Capitulum intelligatur Ecclesiæ Cathedralis: Is tamen, qui præstat hujusmodi juramentum, Episcopo tanquam capiti principalitèr obligatur. In odiosis quidem non venit Cathedralis nomine Ecclesiarum Diœcesis: secus in favorabilibus. *Barb. hic, n.* 3.

Cap. 20.

Cum Innoc. III. rogaretur, quid intelligeretur nomine *censura Ecclesiasticæ*, quando in Rescriptis Pontificiis hujusmodi vox apponitur: respondit: *Intelligi excommunicationem, suspensionem, & interdictum.* Et Judex juxta circunstantias infliget eam, quam magis viderit expedire. Hinc infertur, quod irregularitas non est propriè censura: nam cum Magistralitèr respondeat Pontifex generalitèr, & absolutè debet ejus Rescriptum sumi. *c.* 12. *de Decimis.* alias non plenè responderet Pontifex. Verba enim indefinita dispositioni universali æquivalent. *c.* 22. *de Privileg.* quod deindè corroboratur: nam censura est medicina ad curandam contumaciam fidelium supponens culpam. *c.* 1. *de Sent. excom. in* 6. cum irregularitas etiam sine culpa contrahatur. *c.* 8. *D.* 50. imò nec est censura etiam irregularitas ex delicto proveniens. *Suar. de Censur. D.* 1. *sect.* 3. *Barbos. in h. text. num. fin. & alii* contra

Gonz.

Gonzal. hic, n. 3. cum *Bañez, & Aragon, ad 2. 2. q. 64. art. 8. Soto, & alios*, qui præter tres species dictas alias censuras ponunt, scilicèt, irregularitates, & cessationem à Divinis. Præterea, censura communione fidelium, & participatione Sacramentorum privat. *C. de Re judic.* Cum irregularitas tantùm susceptione, & exercitio Ordinum privet. Denique censuram per absolutionem tollitur, irregularitas per dispensationem. *Trid. sess. 14. de Reform. cap. 7.*

Cap. 21.

Novale in privilegiis de non solvendis decimis Novalium, illud vocatur, de cujus cultura non est memoria, & quod prius nullum, vel modicum fructum afferebat.

Cap. 22.

Romana Ecclesia verè est Mater, & Magistra Ecclesiarum totius Orbis, *cap. 1. D. 12. cap. 1. de Rescript. Trid. sess. 6. de Bapt. Can. 3. & sess. 22. cap. 8.* Et ideò prima Matrix potest, & debet appellari; at verò quando Ecclesia Episcopo subjecta alteri unitur, vel committitur gubernanda, salvo jure Matricis Ecclesiæ, per Matricem Ecclesiam, non Romana, sed Cathedralis intelligitur, quia ipsa est Mater Ecclesiarum totius Diœcesis, *cap. 1. de Rescript.* Licèt aliquando lato modo Ecclesiæ, quæ sub se habent alias, Matrices appellentur, *cap. 3. de Eccles. ædificand. cap. 10. de Transact.*

Cap. 23.

Qui excommunicatus, vel interdictus est tantùm ob contumaciam, quia noluit stare juri cum fuisset citatus, congruè satisfacit, ut absolvatur, si præstet cautionem sufficientem, pignoribus scilicèt, vel fidejussoribus standi juri. *L. 10. tit. 33. p. 7.* non tamen potest absolvi, nisi prius sufficientem præstet emendam, quando fuit censuratus pro manifesta offensa, quando dubia, sufficit cautio de parendo Ecclesiæ mandato.

Cap. 24.

Idem dicit, ac procedens, & addit: offensa manifesta intelligitur illa, quæ nota est per confessionem, vel probationem legitimam, vel rei evidentiam, ita, ut nulla possit tergiversatione celare. *Barb. in h. textu.*

Cap. 25.

Quoties in privilegio alicujus concessionis apponitur hæc clausula: *Fiat juxta, vel secundum morem præteriti temporis.* Potest dupliciter intelligi 1. *Conditionaliter*, ita ut sensus talis sit: *Si mos præteriti temporis talis fuit*: 2. *Causaliter*, id est, *quia mos præteritis temporis talis fuit.* Et hic modus rectior videtur, quia cum privilegium sit Lex privata, *cap. 3. D. 3.* Et Lex non debeat esse obscura, vel captiosa, sed certa, & manifesta: nec esset privata Lex, seu privilegium, nisi aliquid specialitèr concederet, *cap. 30. de Privil.* alias esset otiosum, & superfluum, quod de beneficio Principis non licèt præsumere, ideò sic intelligenda sunt illa verba, ut res, de qua agitur, valere possit potius quam perire. In dubio enim semper potius pro actus valore, quam contra illum standum est. *L. 12. ff. de Reb. dub. L. 80. ff. de V. O. L. 2. t. 3. p. 7.* ac proindè, quando verba continet duas sententias, ea præfertur, quæ rei gerendæ aptior est. *L. 67. ff. de Reg. jur.* vel quæ conformior rationi, & verisimilior est, *cap. 45. de Reg. jur. in 6. L. 2. tit. 3. p. 7.* ubi additur, quod si dubium non potest ex aliqua conjectura resolvi, debent contra proferentem verba dubia interpretari, *cap. 57. de Reg. jur. in 6.* Verba tamen dubia, quæ in sententiis inveniuntur non contra Judicem interpretantur, sed ipse ea declarat. *L. 3. tit. 33. p. 7.* Si in Legibus, Rescriptis, vel Privilegiis inveniantur, Rex solus, vel antiqua consuetudo ea interpretatur. *L. 4. tit. 33. p. 7. L. fin. C. de Legib.* Quando est consuetudo, ut ex aliquo Monasterio Abbas sumatur ad aliud Monasterium intelligitur valere, donec ibidem viguerit observantia regularis, & idoneæ personæ inveniantur in illo, quæ possint in Abbates assumi.

Cap. 26.

Ad varias quæstiones respondet in præsenti Innoc. III. & quidem 1. ait: Manifesti hæretici sunt, qui contra Fidem Catholicam publicè prædicant, aut profitentur, vel defendunt errorem, vel

qui coram Prælatis suis convicti sunt, aut confessi, vel ab eis sententialitèr condemnati super hæretica pravitate. Et eorum bona propria confiscantur, & ipsi juxta legitimas sanctiones puniuntur: 2. Quando Legatus Apostolicus interdicit pedagia, guidagia, vel salinaria, intelliguntur illa esse interdicta, quæ non apparent, Imperatorum, vel Regum, vel Lateranensis Concilii largitione concessa, vel ex antiqua consuetudine à tempore, cujus non extat memoria introducta. Variæ sunt: videlicèt 1. pedagia, quæ dantur à transeuntibus per certum locum, ab ingredientibus aliquod Regnum, Portum, vel Civitatem, & *Hispanè* dicuntur: *Portazgos*, *passages*, *ò almojarifazgos*: 2. Guidagia, siquidem proprium est Imperatorum, & Regum tributa imponere. *L.* 11. *tit.* 28. *p.* 3. *Suar. de Legib. lib.* 5. *cap.* 18. *& com. DD.* tales impositiones, quæ alicui dantur productu, vel conductu per alicujus territorium, vel ditionem, ut securus vadat, *Hispanè*: *salvo conducto*: 3. Salinaria, licèt enim Jure Naturæ ad dominium privatorum pertineant. *L.* 4. §. 7. *ff. de Sensib.* Posteà in eis vectigal, & tributum impositum fuit. *L.* 11. *tit.* 28. *p.* 3. Et denique hodie in nostra Hispania omnes salinæ ad Regem pertinent. *L.* 2. *tit.* 13. *lib.* 6. *R. C. Gonz. in h. text. n.* 5. *Acev. in L.* 31. *tit.* 18. *lib.* 6. *R. C. ex n.* 10. *Solorz. Polit. Ind. lib.* 6. *cap.* 3. ubi notat, quod in nostra Hispania est admissa hæc impositio, secus in Regno Peruano. Sic etiam in his Insulis earum incolæ in percipiendo sale, sicut, & aliis fructibus summa libertate gaudent: 3. Quando Legatus Apostolicus mandat alicui Principi Sæcularii, ut secundum arbitrium Legati, vel Judiciis Ordinarii, vel Delegati Apostolici Justitiam exhibeat, intelligendum est, ut in omni causa, quæ ratione personarum, vel rerum ad Ecclesiasticum forum pertinent, ac super universis capitulis, quæ pro pace servanda sunt per dictum Legatum statuta, vel Apostolica authoritate statuenda, justitiam faciat: item viduis, pupillis, orphanis, & personis miserabilibus tenentur in judicio Ecclesiastico respondere.

Cap. 27.

Clericus degradatus, tunc censetur Curiæ Sæculari traditus, quando degradatio præsente potestate Ecclesiastica celebratur, & post degradationem potestati Sæculari prænuntiatur, ut in suum forum degradatum recipiat: debet tamen Ecclesia, saltem ex decentia efficacitèr intercedere pro degradato, ut citra mortis periculum sententia circa eum moderetur. *L.* 60. *tit.* 6. *p.* 1.

Cap. 28.

Quando Papa reo, qui non potest possessionem, propter actoris absentiam recuperare, indulget, quod ei elapsus anni non noceat, hæc indulgentia juxta Jus Commune debet intelligi. Similitèr quælibet dispositio, Judicis sententia, instrumenta, statuta, Rescripta, Leges, imò, & privilegia, quæ aliquo dubio laborant debent ita interpretari, ut Jus Commune, quo minimum lædatur, vel corrigatur, ne uno verbo destruatur, quod tot vigiliis, studio, consideratione, & maturitate elaboratum est. *L.* 28. *ff. de Legib. cap.* 28. *de Reg. jur. in* 6.

Cap. 29.

Nomine *oblationis* comprehenduntur ea, quæ in festivitate omnium Sanctorum ad Ecclesiam portantur, vel ad Sacerdotis dominium intuitu defunctorum, & quæ ponuntur in Criminali, id est, in Cimelio, seu loco, ubi oblationes reconduntur. *Gonz. hìc*, *& in cap.* 3. *de Offic. Archidiac.* Et quæ suscipiuntur de Altari, & quæ ante Crucem, & in Missa Trinitatis, & quæ dantur pro desponsatis, & lampades cum oleo, & quæ alicui capelle offeruntur, & quæ dantur Nuntio per Parochiam destinato, & pro Missis mortuorum, & pro septimis, trigesimis, & anniversariis, & panes, & quæ infra hebdomadam offeruntur, & judicia mortuorum, & denique quidquid ad Ecclesiam quocumque titulo pervenerit. Indè, cui tertia pars oblationum, ut in præsenti debetur, horum omnium tertia pars dari debet. *L.* 6. *tit.* 19. *p.* 1.

Cap. 30.

Cum in quadam sententia in puncto novi operis nuntiationis pronuntiatum esset molendinum esse reædificandum in eo statu, in quo fuerat tempore litis motæ, non relatè ad tempus, quo lapillus inde-

denuntiationem novi operis jactus fuit, sed ad tempus, quo litis contestatio facta fuit intelligendum est, licèt in aliis casibus lis à citatione censeatur incipere juxta *Vegam Rubric. de Judic. n.* 44. *& Gonzal. in C. un. de Litis contestat.*

Cap. 31.

Quando Legatus constitutionem facit de solvenda Episcopo tertia mortuariorum parte, inteligitur de eis mortuariis, quæ secundum Jus Commune debentur, non de illis, quæ pertinent, ad Ecclesiæ ornamenta, vel fabricam necessariam, vel ad luminaria, vel quæ relinquuntur pro anniversario, septimo, vicesimo, aut tricesimo, faciendis, nec de eis, quæ specialitèr fiunt personis, ut Rectori Ecclesiæ, nisi Ecclesiæ ratione fiant.

Cap. 32.

Quando Episcopo pro honesta, & favorabili causa privilegium conceditur, ut fructus beneficiorum percipiat; nomine beneficii, etiam majora beneficia, & præbendæ continentur. *Barb. in Præs.*

Cap. 33.

Cum allegaretur coram Gregor. IX. quod numerus Canonicorum Xantoniensis Ecclesiæ ob diminutionem facultatum, non possit observari, & ideò esset diminuendus dedit commissionem, ut numerus juxta facultates, moderaretur, sed cum videret delegatus facultates auctas esse, etiam numerum præbendarum augere volebat, sed respondit Papa, quod numerum Canonicorum dimittat in eodem statu, in quo hactenùs dignoscitur extitisse, & in Ecclesiæ utilitatem converteret augmentum suorum redituum. Deinde in epigraphe dicitur, quod verbum moderationis diminutionem continet, non augmentum.

TIT. XLI.

De Regulis Juris.

441 REgula sic à regendo dicta est, quæ rem, quæ est, brevitèr enarrat. Teste *J. C. Paul. in L.* 1. *ff. h. t.* ac proindè sicut Hypocrates totius Medicinæ materiam, ad quædam brevia præcepta reduxit, quæ aphorismos vocavit, sic Jurisconsulti ad quasdam breves regulas, tanquam ad indicem immensam juris extensionem aliquomodo reduxerunt, ut sic facilius ejus quæstiones resolvere valerent. Regula enim non constituit novum jus, sed illud supponit constitutum, adeò ut non ex regula jus sumatur, sed ex jure, quod est, regula fit. *L.* 1. *ff. h. t.* Per regulam igitur brevis rerum narratio traditur, & ut ait Sabinus, quasi causæ conjectio, est, quæ simul cum in aliquo vitiata est perdit officium suum; & pro eo pro quo estat regula pronuntiandum est, nisi adversarius, cui onus probandi incumbit, probet quæstionem, vel casum in illa regula non comprehendi. *L.* 5. *ff. de Probat. c. fin. de Restitut. spoliat. in 6.* Multamque vim in jure habent, dum opportunè ad casum, & circunstantias allegentur: nam cum nulla sit regula sine exceptione; regula quæcumque allegetur, nihil probabit, si adversarius, illum casum, de quo est quæstio, ab illa regula excipi, probet. Regulæ etenim aliæ sunt *autenticæ*, quæ scilicèt, vel ex Jure Canonico, vel Civili deducuntur; aliæ verò *Brocardica* nuncupantur, quæ scilicèt per modum axiomatis à DD. proferuntur, & quidem sæpè, quin ex aliquo textu deducantur: imò & ex Philosophorum, & Poetarum dictis desumuntur. Sed cum ex principiis unius facultatis argumentum desumptum ad aliam debile sit, juxta *Aristot.* 1. *Posteriorum.* Hinc tales regulæ, nisi firmiori principio nitantur, vim in jure non habent. Possunt nihilominus aliquam addere authoritatem. Et quia regulæ contentæ in hoc titulo, & in *6.* frequentisimè allegantur in jure, eas expedit, saltem summo digito tangere, ut aliquantulum earum genuinus sensus percipiatur, licèt latius requirerent examen.

Cap. 1. Joan. Chrysostomus.

442 *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. L.* 35. *L.* 153. *ff. h. t.* In contractibus enim humanis, qui à dispositione contrahentium dependent in esse, & conservari, sicut ipsorum consensu, & voluntate contrahuntur, & fiunt, ita ipsorum dissensu, vel consensu contrario distrahuntur, &

dissolvuntur. Sic verborum obligatio verbis tollitur, & nudi consensus obligatio contrario dissolvitur consensu. *L.* 35. *ff. h. t.* Sic tollitur pactum pacto. *L.* 27. §. *Pactus*, *ff. de Pact.* Lex lege. *L.* 28. *ff. de Legibus.* Testamentum testamento. *L.* 1. & 2. *ff. de Injust. rup.* Etiam sponsalia, quæ mutuo consensu contrahuntur, mutuo dissolvuntur consensu. *c.* 2. *de Spons.* Secus est matrimonium; nam si semel constiterit, Jure Naturali, & Divino indisolubile est, nec jam amplius est in contrahentium potestate illud vinculum dissolvere: nam quod Deus conjunxit, homo separare non potest. Hinc etiam eadem solemnitas, quæ servatur in Clerici ordinatione, servatur in ejus degradatione. *c.* 2. *de. Pœnis*, *in 6.* Et in Militis exauthoratione. *L.* 2. §. *Ignominiæ. ff. de His*, *qui notantur infam.*

Cap. 2. Beda in Homiliis.

Estote misericordes sicut Pater vester Cœlestis misericors est, *nolite judicare*, & *non judicabimini.* Licèt enim facta manifesta secundum ejus naturam sint judicanda, ac proindè, ut mala sunt judicanda homicidium, stuprum, adulterium, & alia hujusmodi, tamen ea, quæ dubia sunt. in meliorem partem debent interpretari, ut hortatur. *S. Bernard. serm.* 40. *super Cant. Excusa intentionem*, *si opus non potest*: *puta ignorantiam*, *puta subreptionem*, *puta causam. D. Thom.* 2. 2. *q.* 6. *art.* 4. *in corp.* ibi: *Hoc ipso*, *quod quis habet malam opinionem de alio absque sufficienti causa injuriatur ei*, & *contemnit ipsum*, *nullus autem debet alium contemnere*, *vel nocumentum quodcumque inferre absque causa cogente*, & *ideò ubi non apparent manifesta indicia*, *de malitia alicujus*, *debemus eum*, *ut bonum habere*: *in meliorem partem interpretando*, *quod dubium est.* Et posteà ad 1. *quod potest contingere*, *quod ille*, *qui in meliorem partem interpretatur*, *frequentius fallitur*, *sed melius est*, *quod aliquis frequentèr fallatur habens bonam opinionem de aliquo malo homine*, *quamquod rarius fallatur habens malam opinionem de aliquo homine bono*; *quia ex hoc fit injuria alicui*, *non autem ex primo. In rerum judicio debet quis niti ad hoc*, *ut interpretetur unumquodque*, *secundum quod est.*

Cap. 3. Idem.

Utilius scandalum nasci permittitur, *quam veritas relinquatur. L.* 50. *tit.* 5. *p.* 1. Scandalum Græcè juxta D. Hieronymum dicitur, quod nos offensionem, vel ruinam, vel impactionem pedis possumus dicere: & ideò convenientèr describitur sic: *Dictum*, *vel factum*, *minus rectum præbens occasionem ruinæ. D. Thom.* 2. 2. *q.* 43. *art.* 1. *in corp.* Scandalum est duplex, scilicèt *activum*, quod ex se tendit ad inducendum peccatum alterius: *passivum* est ruina ipsa, sivè peccatum, in quod labitur proximus ex occasione dicti, vel facti, vel omissionis alterius. Et quidem *manifestum est*, *quod nullus debet*, *mortalitèr peccare*, *ut alterius peccatum impediat*, *quia secundum ordinem charitatis plus debet homo suam salutem spiritualem diligere quam alterius. Et ideò ea quæ sunt de necesitate salutis prætermitti non debent propter scandulum vitandum. In his autem spiritualibus bonis*, *quæ non sunt de necessitate salutis*, *videtur distinguendum*, *quia scandalum*, *quod ex eis oritur*, *quandoque ex malitia procedit*: *cum scilicèt aliqui volunt impedire hujusmodi spiritualia bona scandala concitando. Et hoc est scandalum Pharisæorum*, *qui de doctrina Domini scandalizabantur*, *quod esse contemnendum Dominus docet Matth.* 15. *quandoque verò scandalum procedit ex infirmitate*, *vel ignorantia*, & *hujusmodi est scandalum pussillorum*: *propterquod sunt spiritualia bona*, *vel occultanda*, *vel etiam interdum differenda*, *ubi periculum non imminet*, *quosque reddita ratione hujusmodi*, *scandalum cesset. Si autem post reditam rationem hujusmodi scandalum duret*, *jam videtur ex malitia esse*: & *sic propter ipsum non sunt hujusmodi spiritualia bona dimittenda.* Sic *D. Thom.* 2. 2. *q.* 43. *art.* 7. *in corp.* ex quo facilè noster textus intelligitur. Faciunt *Text. in c.* 10. *de Renunt. c.* 4. *de Stat. Monach.* & *alii.*

Cap. 4. Id. super Marcum.

Quod non est licitum in Lege necessitas facit licitum, seu ut communitèr dicitur: *Necessitas caret lege*: si quidem necessitate urgente, non obligat Lex Positiva, sivè Civilis, sivè Ecclesiastica, sivè Divina sit. Hinc licèt Sabbatum

tum custodire præceptum Legis veteris fuisset: Machabæi tamen sine culpa in Sabbato pugnabant, Discipuli Domini spicas vellebant: itemque Elias fugiens iter faciebat. Sic & hodie: si quis jejunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur. *c.* 2. *de Observ. jejun.* nec furtum committit, qui in extrema necessitate accipit rem alienam. *c.* 3. *de Furtis*, *D. Thom.* 1. 2. *q.* 96. *art.* 6. *in corp.* ait: *Si verò sit subitum periculum non patiens tantam moram, ut ad Superiorem recurri possit, ipsa necessitas dispensationem habet annexam, quia necessitas non subditur legi.* Quando verò aliquid Jure Naturali est illicitum nulla necessitate fieri potest licitum talia sunt, quæ non sunt mala, quia prohibita, sed sunt prohibita, quia mala, ut blasphemia, perjurium, mendacium, adulterium, hæresis, & alia hujusmodi.

Cap. 5. Gregorius VII.

Quod latentèr, aut per vim, aut alias illicitè introductum est, nulla debet stabilitate subsistere. Sicut ea, quæ palam fiunt à suspicione sunt aliena. *L.* 54. *ff. de Administr. Tutor.* Sic ea, quæ clam fiunt contra se præsumptionem, & suspicionem habent juxta illud Christi D. *Joan.* 3. *v.* 20. *Qui malè agit odit lucem. c.* 24. *de Offic. Delegat.* Quæ per vim fiunt nulla sunt, & irrita, quia deest voluntas, & consensus: quæ per metum gravem, aliquando sunt nulla, ut matrimonium *c.* 14. *de Spons.* aliquando rescindenda, ut in contractibus accidit.

Cap. 6. Id. Variensi Episc.

In ipso causæ initio, non est à quæstibus inchoandum. Et quidèm meritò: nam solùm tormenta, seu tortura est adhibenda in subsidium, quando aliæ probationes non dantur, & tunc non aliter quam si semiplena præcesserit probatio.

Cap. 7. Stephanus Papa.

Quidquid in sacratis Deo rebus, & Episcopis injustè agitur, pro sacrilegio reputatur, quia sacra sunt, & à quoquam violari non debent. c. 3. 12. *q.* 2.

Cap. 8. Augustinus.

Qui ex timore facit præceptum, alitèr facit, quam debeat, & ideò jam non facit. Difficilis est hic textus pro explicando dolore necessario, & sufficienti ad Sacramentum Pœnitentiæ: ac propterea, ut triticum, à zizaniis, & loliis separetur quadruplex timor distingui oportet. 1. Est timor filialis, quo quis reverentiam exhibet Deo: Et est quasi quoddam genus ad dilectionem Dei, & principium quoddam omnium eorum, quæ in Deo observantur reverentia. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 22. *art.* 2. *in corp.* satisque apte à quodam Gentili depingitur dum ait: *Pœnitet, ò (si quid miserorum creditur ulli.) Pœnitet, & facto torqueor ipse meo: cumque sit exilium magis est mihi culpa dolori, estque pati pœnam, quam meruisse minus. Mors faciet certè, ne sim, cum venerit, exul, ne non peccarim mors quoque non faciet.* Hic timor profectò sufficit, sed non necessariò requiritur ad Sacramentum pœnitentiæ. 2. Est timor servilitèr servilis, quando scilicèt, quis ita detestatur peccatum propter gehennam, ut simul sic condicionatè tendat: non detestaret culpam, si non esset gehenna, ita ut habeat voluntatem condicionatam peccandi. Et hic certè non deservit ad pœnitentiam: & de hoc intelligitur illud: *Charitas perfecta foras mittit timorem*, & sic intelliguntur *August.* in præsenti *SS. Greg. Bern. Thom. Bonav. & alii*, quando dicunt, quod solo timore non excluditur voluntas peccandi. 3. Est timor simpliciter servilis, quando, scilicèt homo detestatur culpam propter pœnam ibi sistendo. 4. Initialis, qui est medius inter utrumque *D. Thom.* 2. 2. *q.* 19. *art.* 2. *in corp.* ibi: *Quandoque homo propter mala, quæ timet, ad Deum convertitur, & ei inhæret, quod quidem malum est duplex, scilicèt, malum pœnæ, & malum culpæ. Si ergo aliquis convertatur ad Deum, & ei inhærat propter timorem pœnæ, erit timor servilis, si autem propter timorem culpæ, erit timor filialis: nam filiorum est timere, offensam Patris, si autem propter utrum est timor initialis, qui est medius inter utrumque timorem.* Timor servilis sufficit, & saltem ipse est necessarius ad Sacramentum pœnitentiæ, nam juxta *Trid. sess.* 14. *de Pœnit. cap.* 3. & 4. *Attritio, seu contritio imperfecta, quæ vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehen-*

næ,

næ, & pœnarum metu communitèr concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen cum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit. Et hac ratione sunt damnatæ ab Alex. VIII. sequentes propositiones. 14. *Timor gehennæ non est supernaturalis.* 15. *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se non est bonus, ac supernaturalis.* Idem damnatum est à Clemente XI. *in proposit. 6. usque ad 67. inclusivè Pasch. Kesnel.* Alii è contrario errarunt tribuendo cuicumque dolori, etiam naturali, vim justificandi cum Sacramento pœnitentiæ, cum certum sit quod atritio naturalis ad hoc non sufficiat, quia ad gratiam consequendam requiritur, quod attritio sit Donum Dei, & Spiritus Sancti impulsus. *Trid. sess. 14. de Pœnit. cap. 4.* & ideò ab *Inoc. XI.* est damnata propositio 57. quæ sic ait: *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.* Sed cave ne incidas in aliud extremum damnatum ab *Alex. VIII.* in proposit. 9. ibi: *Revera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura sine ullo ad Deum offensùm respectu. Lacr. lib. 6. p. 2. ex n. 795.* Sed cautè inter has syrtes navigandum: nam *dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.*

Cap. 9. Id. in Libro de Pœnit.

Defleat peccator, quia offendens in uno, factus est omnium reus; consonat *D. Jacob. in Epistol. Can. 2. v. 10.* Qui enim unum peccatum grave committit factus est reus damnationis æternæ, & inimicus Dei, sicut, qui plura commisit, vel omnia est transgressus præcepta: non enim loquitur D. Jacobus de peccato ex parte conversionis, secundum quoad peccata distinguuntur, sed loquitur de eis ex parte aversionis in quantum scilicèt homo peccando recepit à Legis mandato: omnia enim Legis mandata sunt ab uno, & eodem Legislatore, & ideò idem Deus contemnitur in omni peccato: & ex hac parte dicit, quod qui offendit in uno factus est omnium reus, quia, scilicèt, uno peccato peccando incurrit pœnæ reatum ex hoc, quod contemnit Deum, ex cujus contemptu provenit omnium peccatorum reatus. Sic. *D. Thom. 1. 2. q. 73. art. 1. ad 1. Et 2. 2. q. 5. art. 3. ad 3.* ait: *Diversa præcepta Legis possunt referri, vel ad diversa motiva proxima, & sic unum sine alio observari potest, vel ad unum motivum primum, quod est perfectè obedire Deo, à quo decidit quicumque unum præceptum transgreditur secundum illud Jacob 2. qui offendit in uno factus est omnium reus.*

Cap. 10. Greg. in Registro.

Non potest esse Pastoris excusatio, si Lupus oves comedit, & Pastor nescit. Pessima enim erit excusatio Prælati, si per ejus negligentiam, vel ignorantiam subditi sibi commissi pereant. Pastor enim, vel Superior, sivè Ecclesiasticus, sivè Sæcularis non debet dormire, sed vigilare necessè habet super gregem suum; *arg. L. 40. ff. Locat. c. 12. 13. q. 4. c. 8. D. 81.* Nam ut in *Psalm. 120.* dicitur: *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel. L. 15. tit. 8. p. 5.* Et in Apocalypsi reprehendit Dominus aliquorum Episcoporum omissionem. Et præcipuè in *cap. 3.* loquendo de Episcopo Sardis, ait: *Esto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant: non enim invenio opera tua plena coram Deo meo:: Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, & nescies, qua hora veniam ad te. Alciat. Embl. 25.* ait: admoneri Ecclesiasticum Pastorem gregem sibi commissum vigilantissimè custodire Galli, & Leonis imaginibus, quæ in Templis solent collocari, quod his Versibus significat: *Instantis quod signa Canem dat Gallus Eoi: & revocet famulus ad nota pensa manus. Turribus in sacris effingitur ærea mentem ad susperos pelvis, quod revocet vigilem; est Leo: sed custos oculis, qui dormit apertis, Templorum idcircò ponitur ante fores.*

Cap. 11. Lucius III.

Indignum est, & Romanæ Ecclesiæ consuetudine alienum, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur. Clerici possunt præstare juramentum fidelitatis, & obedientiæ suis Prælatis servandæ, & in hoc sensu homagium servare tenentur. *c. 15. de Exces. Prælator.* non tamen possunt homagium, propriè tale, præstare pro rebus spiritualibus: nam hoc jus homagii, seu vasallitii Dominis tan-

tantùm temporalibus, non verò Ecclesiasticis, præstatur. Hinc, quia munus indebitum est, non potest pro rebus spiritualibus, sine labe Simoniæ, præstari. *cap.* 17. *de Simon.*

De regulis Juris in 6.

Cap. 1. Bonifacius VIII.

443

Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine Canonica institutione obtineri, cap. 3. *de Institut. cap.* 21. *de Jure Patron.* Nullum enim beneficium, nec dignitas, personatus, vel Præbenda Ecclesiastica potest obtineri: quin justus titulus ad ejus possessionem præcedat, sivè sit electio Canonica, vel postulatio, vel collatio libera, vel præsentatio, ad quam propriè institutio Canonica subsequitur. Non verò potest adquiri per præscriptionem, etiam cum bona fide, & titulo colorato, quia non est modus, qui à jure determinatur. *Barbos. hìc, n.* 6. Si quis verò beneficium, etiam sine Canonica institutione, teneat, verè possidet, ac proindè, si spolietur, debet restitui. *C.* 5. *de Restit. spoliat.* imò, si bona fide, quieta, pacifica, ac continuata per triennium possessione, illud obtinuit; Pontifex per Regul. Cancel. tollit omnes lites post triennium, quæ ortæ sint contra talitèr possidentes, dum non sint intrusi, vel adquisitio Simoniaca: sed licèt per talem regulam excludatur tertius possessorem inquietans, non excluditur Episcopus, si ab eo titulum suæ possessionis petat. *Barbos. hìc, n.* 11.

Cap. 2.

Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. Olim, de Jure Civili, satis erat ad præscriptionem, & usucapionem, quod bona fides in ejus principio daretur, nec ipsam interrumpebat mala fides superveniens. Sed cum hoc sine peccato non staret: nam quod non est ex fide peccatum est, teste Apostolo: Jus Canonicum hac ratione hanc Legem abrogavit, ac proindè hodiè, etiam in foro Sæculari, cessat præscriptio, etiamsi immemorialis sit, quando mala fides, id est scientia rei alienæ, vel injustæ possessionis supervenit. *C.* 5. *cap. fin. de Præscript. L.* 54. *tit.* 5. *p.* 5. Si verò jam sit completa præscriptio, vel usucapio, non tenetur, qui bona fide jam præscripserat, restituere rem, etiam si ipsam rem præscriptam, alienam esse sciat.

Cap. 3.

Sine possessione præscriptio non procedit. L. 25. *ff. de Usucapionib.* Siquidem quod principalitèr in usucapione, vel præscriptione requiritur, est possessio, adeò ut sæpè in jure possessio pro præscriptione sumatur: & qui est incapax possessionis, ut Laicus respectu rerum spiritualium, consequentèr est incapax eas præscribendi. In rebus ergo corporalibus est necessaria possessio vera, & quidem Civilis. *L.* 1. §. *Per servum, ff. de Adquir. possess.* Nec sufficit naturalis. *Gomez in L.* 45. *Taur. n.* 105. in juribus, & in rebus incorporabilibus datur quædam quasi possessio, quæ æquivalet possessioni veræ, quoad effectum præscribendi. *L.* 10. *ff. Si servit. vindic. Barb. hìc.*

Cap. 4.

Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum, cap. 1. 14. *q.* 6. *cap.* 5. *de Usur. cap.* 2. *eod. in* 6. Qui enim alteri aliquod damnum contra justitiam commutativam facit, gravem culpam committit, nec ea dimittitur, nisi ipse damnificans satisfaciat damnum, vel restituendo ad ipsum, quod accepit, vel si nihil accepit satisfacere debet damnum alteri causatum. *C.* 11. *de Restit. spoliat.* Si non habet undè satisfaciat, sufficit, si propositum habeat satisfaciendi, cum possit: imò si altèr remittat, ut potest, quia quilibet juri in sui favorem introducto potest renuntiare ille, qui damnum fecit, omnino ab obligatione satisfaciendi liberatur. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *in corp.* ibi: *Restitutio, est actus justitiæ commutativæ, quæ in quadam æqualitate consistit, & ideò restituere importat redditionem illius rei, quæ injustè ablata est; sic enim per iteratam ejus exhibitionem æqualitas reparatur.* Et posteà *ad* 1. *ait: Quod in quibus non potest recompensari æquivalens; sufficit; quod ibi recompensetur, quod possibile est; sicut patet de honoribus, qui sunt ad Deum, & ad parentes, & ideò, quando id, quod est ablatum non est restituibile per aliquid æquale, debet fieri recompensatio, qualis possibilis est: puta cum aliquis alicui asbtulit membrum, debet ei recompensare,*

vel

vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione utriusque personæ secundum arbitrium boni viri. Si præsens textus restringatur ad materiam usucapionis debet intelligi de vitio, quod per furtum contrahit res furtiva, quod tantùm purgatur, ut res possit usucapi, si ad Domini redeat potestatem, §. 8. *Inst. de Usucap.*

Cap. 5.

Peccati venia non datur nisi correcto, cap. 2. 24. *q.* 2. Aliquando solet pœna temporalis pro culpa debita, etiam hac non correcta in foro externo remitti, si fortè scandalum, vel alia inconvenientia graviora timeantur. Coram Deo tamen pœna æterna non remittitur, nisi culpa sit correcta. *D. Thom. in* 3. *p. q.* 68. *art.* 2. *in corp.* ibi: *Resp. dicendum, quod impossibile est peccatum actuale mortale sine pœnitentia remitti, loquendo de pœnitentia, quia est virtus: Cum enim peccatum sit offensa Dei, eo modo Deus peccatum remittit, quo remittit offensam in se comissam. Offensa autem directè opponitur gratiæ: ex hoc enim aliquis dicitur alteri esse offensus, quod repellit eum à gratia sua::: Offensa autem peccati mortalis procedit ex hoc, quod voluntas hominis est aversa à Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile: undè requiritur ad remissionem Divinæ offensæ, quod voluntas hominis, sic immutetur, ut convertatur ad Deum, cum detestatione conversionis prædictæ, & proposito emendæ, quod pertinet ad rationem pœnitentiæ secundum, quod est virtus: & ideò impossibile est, quod peccatum alicui remittatur sine pœnitentia, secundum, quod est virtus.*

Cap. 6.

Nemo potest ad impossibile obligari. L. 31. *L.* 185. *ff. h. t.* Impossibile aliud est de facto, hoc est, quod per naturam repugnat fieri; v. g. dare Hipocentaurum. Aliud est impossibile de jure, quod scilicèt, Jure Naturali, Divino, vel Positivo prohibetur. V. g. homicidium, adulterium, vel perjurium: cum enim omnis obligatio in dando, vel faciendo consistat. *L.* 2. *ff. de V. O.* Et quod impossibile est, vel de facto, vel de jure, nequeat dari, vel fieri, natura, vel jure repugnante, ideò dari non potest obligatio impossibilium: ac proindè promissio rei impossibilis, etiam juramento firmata, nullius roboris est: & conditio impossibilis contractibus adjecta eos vitiat. Conditio verò impossibilis in ultimis voluntatibus posita vitiatur, & pro non adjecta habetur, ac proindè instituto valet, tamquam si nulla esset apposita conditio, quod favore ultimarum voluntatum est inductum, idem ob favorem matrimonii in matrimoniis est introductum: nam conditio impossibilis vitiatur, nisi contra substantiam matrimonii sit, quippè tunc ipsum vitiat matrimonium. *C. fin. de Cond. apposit.*

Cap. 7.

Privilegium personale, personam sequitur, & extinguitur cum persona, cap. 2. *de Auth. & usu pallii. L.* 68. *L.* 196. *ff. h. t. L.* 27. *tit.* 34. *p.* 7. Privilegium aliud est *personale*, quod scilicèt immediatè personæ conceditur: aliud *reale*, quod immediatè rei datur: quod est reale rem sequitur ubicumque sit, personale personam committatur, & cum persona extinguitur, adeò, ut privilegium, quod alicui personæ conceditur, non transeat ad filios. *L.* 27. *L.* 35. *C. de Decurion. lib.* 10. Nec marito concessum extenditur ad uxorem. *Sanch. de Matrim. L.* 7. *D.* 47. Nec concessum patrifamilias extenditur ad ejus famulos. *C. pen. de Privil. in* 6. Nisi alitèr in his casibus, ex tenore privilegii colligatur, quod omninò servandum est. *L.* 5. *ff. Mandat.*

Cap. 8.

Semel malus semper præsumitur malus, cap. 14. 22. *q.* 7. *cap.* 9. *de Præsumpt. L.* 33. *tit.* 34. *p.* 7. Quamvis in dubio quilibet bonus, & non malus, nec delinquens præsumatur. *L.* 51. *ff. Pro socio. C. un. de Scrut. in Ordin. faciend.* Sic qui semel fuit Dominus rei, vel eam possedit, vel habuit in deposito, semper præsumitur, Dominum, vel possessorem, vel depositarium esse, donec contrarium probetur. *L.* 16. *C. de Probat. L.* 10. *tit.* 14. *p.* 3. Tam si quis semel malus in aliquo delicto inveniatur, semper, & tunc, non tamen ante commissum delictum, malus præsumitur in futurum; siquidem alia præsumptio, de qua nobis constat debet prævalere, quousque constet contrarium. Hæc tamen præsumptio non est gravis, sed

sed levis, nec extenditur ad omne genus mali, sed tantùm ad eandem mali speciem, ut benè *Greg. Lop. in L. 1. tit. 18. p. 6. V. Procurado. Barb. in h. text. n. 8.*

Cap. 9.

Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum. c. 23. de Sent. excom. in 6. L. 6. §. Sed si ego, ff. de Negot. gest. Ratihabitio enim fit, fingendo, actum, qui nunc ratus habetur, factum fuisse consensu ratum habentis, ac proindè, ut hæc retroctratio habeat locum, debet utrumque tempus habile supponere, quod non aliter potest esse, quam si ille actus nomine ratum habentis factus sit: & quidem ratihabitio debet fieri, vel expressè, significando consensum per verba, vel saltem per aliquod factum, quod consensum exprimat. *C. un. de Desponsat. impub. in 6.* Ex taciturnitate tamen ob præjudicium, quod potest continere non inducitur ratihabitio.

Cap. 10.

Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari. L. 152. §. 2. ff. h. t. L. 10. tit. 34. p. 7. Ratihabitio enim mandato, etiam speciali, comparatur: seu censetur mandatum fictum. *C. fin. de Jur. jur. in 6. L. 26. ff. de Minor.* quod in judiciis, & in contractibus, ubi per procuratorem agitur, habet locum. *C. fin. de Jur. jur. in 6. L. 56. ff. de Judic.* Imò & in delictis, quæ per alium fieri possunt, ut percussio Clerici, & similia. *C. pen. de Sent. excom. in 6.* secùs in illis, quæ per alium non possunt committi, ut adulterium, struprum, & similia. Ad hoc tamen necesse est, ut non solùm quis ratum actum habeat, sed quod ratum habeat, ut suo nomine factum: deindè, & quod actus, de cujus ratihabitione agitur, fieri potuisset eo tempore, pro quo fit ratihabitio. Si enim eo tempore aliquis esset furiosus, etiam si actus fuisset nomine ejus gestus, non potest ipse, etiam sanæ mentis factus, ratum habere. Vel si tempore, quo actus factus fuit, esset nullus. Prætereà ratihabitio non habet locum in præjudicium tertii. *c. 3. de Rescript. in 6. Anton. Gomez in L. 9. Taur. n. 64.* Nec mandato æquivalet, quando hoc pro forma, vel in vim authoritatis à principio requiritur. *c. 22. de Rescript. Barbos. cum aliis hic.*

Cap. 11.

Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori. L. 33. L. 125. ff. h. t. Quando enim in causa, quæ vertitur, inter actorem, & reum, etiam post diligentem discussionem, & allegationes utriusque omnia sunt paria, & causa obscura, ita, ut pro aliquo debeat interpretatio fieri, reo favendum est in quocumque statu litis, sivè in fine, sivè in principio: quia ejus conditio est miserabilior, utpotè quod invitus ad judicium trahitur, & non adeò instructus, ac actor censetur: cum è contra actor benè instructus credatur, utpotè ad judicium provocans. Deindè: quia absolutio est favorabilior, & securior, quam condemnatio. *c. 12. 26. q. 7. L. Absentem, 5. ff. de Pœnis.* Si verò causa actoris sit favorabilior, ut est causa matrimonii, dotis, testamenti, vel libertatis, cum jam non omnia sint paria, actori ratione causæ est favendum, & pro eo est ferenda sententia. *C. fin. de Sent. & Re judic. L. 38. ff. eod.*

Cap. 12.

In judiciis non est acceptio personarum habenda. c. 13. de Judic. c. 11. §. Insuper, de Rescript. in 6. Licèt enim, qui bona à suo arbitrio dependentia distribuit, liberè possit uni ea concedere, alteri verò sine injuria, & sine acceptione personarum negare, juxta illud Christi D. apud *Matth. 20. v. 13. Amice non facio tibi injuriam, aut non licet mihi quod volo facere? D. Thom. 2. 2. q. 63. art. ult.* Ille verò, qui in judicio, vel in alia quacumque distributione facienda secundum merita litigantium, sivè sententia difinitiva sit pronuntianda, sivè præmium sit distribuendum, vel pœna infligenda, non debet attendere circunstantiam personæ, an sit amicus, vel compatriota, vel dives, vel pauper, vel inimicus, vel quid simile, sed solùm juxta qualitatem causæ, & illius merita debet distributionem facere: alias acceptor erit personarum. *D. Thom. 2. 2. q. 63. art. 1. in corp.* ibi: *Personarum acceptio opponitur justitiæ distributivæ: consistit æqualitas justitiæ distributivæ,*

væ, in hoc, quod diversis personis diversa tribuuntur, secundum proportionem ad dignitates personarum, si ergo aliquis consideret illam proprietatem personæ, propterquam, id, quod ei confertur est ei debitum, non est acceptio personæ, sed causæ. In aliis verò honoribus personæ tribuendis, ut in assurgendo, sedendo, &c. vel etiam in qualitate pœnarum, quæ sunt imponendæ, rectè attenditur personæ dignitas, nobilitas, & aliæ qualitates. *C. fin. de Transact. c. 12. de Jure jur. c. 19. D. 93.* Debet enim Judex, & Princeps in eadem trutina merita, & præmia ponderare, ut sic æqualis, & justus in eorum commensurationem inveniatur, & hac ratione ab *Horat. lib. 1. Satyr. 6.* reprehenditur ille; *qui stultus honores sæpè dat indiguis, & famæ servit ineptus.* Sanè *Alciat. Embl.* 144. satis aptè boni Principis Senatum depingit:

Effigies manibus truncæ ante altaria Divum.
Hinc resident, quarum lumine capta prior.
Signa potestatis summæ, Sanctique Senatus.
Thebanis fuerant ista reperta viris.
Cur resident? quia mente graves decet esse quieta.
Juridicos, animo nec variare levi.
Cur sine sunt manibus? capiat nec xenia, nec se.
Pollicitis flecti muneribusvè sinant.
Cæcus & est Princeps, quod solis auribus absque
Affectu constans justa Senatus agit.

Cap. 13.

Ignoratia facti, non juris excusat. L. 9. ff. de Jur. & fact. ignorant. c. 12. §. Notandum, 1. q. 4. L. 20. tit. 1. p. 1. Ignorantia facti est, quando ignoratur factum, de quo agitur: ignorantia juris est, quando jus ad tale factum pertinens ignoratur. *L. 1. §. 1. ff. de Jur. & fact. ignorant.* Ignorantia facti excusat, & non nocet, quia regularitèr invincibilis, & probabilis est, si ipsam nulla præcedit malitia, vel negligentia: cum facti interpretatio plerumque etiam prudentissimos fallat. *L. 2. ff. de Jur. & fact. ignor.* Secùs ignorantia juris, non solùm Naturalis, & Divini, sed etiam Positivi, imò & Municipalis, & Statutorum. *c. 12. §. Notandum, 1. q. 4.* Quia turpe est verò Patritio, & nobilis jus, in quo versatur ignorare: siquidem lata culpa est ignorare Leges, quas omnes scire tenemur. *L. 9. C. de Legib.* nisi fortè jus sit obscurum, difficile, arduum, vel admixtam ignorantiam facti habeat: nam tunc etiam excusat. Ignorantia etiam facti, si sit crassa, supina, improbabilis, vel invincibilis, quando scilicèt, quis ignorat, id, quod scire, & investigare tenetur, præcipuè ratione officii, non excusat. Sic ignorantia facti proprii, quæ crassa est, non excusat, nisi ob diuturnitatem sit probabilis oblivio; vel si factum sit valdè intrincatum. *Menoch. lib. 6. de Præsumpt. 23.* Nec excusat ignorantia affectata, quam habet ille, qui cum posset, & deberet scire, scire noluit, ut liberiùs peccaret, juxta illud *Psalm. 35. Noluit intelligere, ut benè ageret. In C. 9. ff. de Jur. & fact. ignor.* explicatur, quando noceat, vel non ignorantia. In minoribus 25. ann. in fœminis, militibus, & similibus juris ignorantia excusatur. *L. 9. ff. de Jur. & fact. ignor. L. 1. C. eod.* Demum juris error ubi de damno evitando agitur non nocet, ubi de lucro captando nocet etiam fœminæ: error facti neutro casu nocet. *L. 8. ff. de Jur. & fact.*

Cap. 14.

Cum quis in jus succedit alterius, justam ignorantiæ causam censetur habere. L. 42. ff. h. t. c. 11. de Jur. Patron. L. 30. tit. 34. p. 7. Successor præsumitur ignorare, quod ejus antecessor gessit, etiamsi filius sit, sivè succedat in Ecclesia, sivè etiam sit successor universalis in jus defuncti: nam cum hæc ignorantia circa factum alienum versetur, creditur justa. *L. 5. ff. de Jur. & fact. ignor.* ibi: *Iniquissimum videtur cuiquam scientiam alterius, quam suam nocere.* Si verò successor actor sit cum debeat de suo facto instructus, & certus esse, quia ad judicium provocat, non præsumitur, illud etiam ab antecessore factum ignorare, sicut præsumeretur, si reus esset, qui invitus traheretur ad judicium, actor enim, cum in ejus potestate sit, quando velit experiri, certus debet esse, ante enim debet rem diligentèr explorare, & tunc ad agendum procedere. *L. 42. ff. h. t.*

Cap. 15.

Odia restringi, & favores convenit ampliari. L. 56. L. 192. §. 1. ff. h. t. Odium in præsenti dicitur, quidquid affert gravamen, vel molestiam: è contra favor dicitur quidquid gratiam, vel beneficium affert: an aliqua dispositio, vel Lex censeatur odiosa, vel favorabilis, ex principali ejus intentione, & fine desumendum est: ac proindè erit favorabilis, si ejus primum intentum sit aliquid in alterius favorem statuere, licèt tandem in damnum, & odium alterius redundet: si verò primum intentum sit alicujus odium, & pœnam, quamvis dispositio, vel Lex cedat, quasi ex consequenti in alterius favorem, erit odiosa, quando verò favor, & odium commodè distingui possunt, tunc dispositio, vel Lex quatenùs odiosa restringetur, & quatenùs favorabilis extendi debet. *Sanchez de Matr. lib. 1. D. 1. n. 5.* Quando verò dubitatur, potius favor quam odium debet considerari; *arg. c. 49. h. t.* Quando verò certè dispositio est odiosa, nec ex identitate rationis debet extendi.

Cap. 16.

Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum. c. 9. de Offic. Deleg. in 6. c. 36. de Præbend. in 6. L. 2. tit. 10. p. 2. Princeps, qui aliquod privilegium concedit, etiam post jus quæsitum privilegiato, potest illud revocare, vel etiam concessum à suis prædecessoribus: quia cum tota vis, & efficacia illorum pendeat à Principis voluntate hac deficiente, necessario corruit privilegium: nam ut ait *Horat. Qui dedit hoc hodie, cras si volet aufert, ut si detulerit fasces indigno detrahet idem.* Quando verò non constat de hac voluntate, deest privilegium esse mansurum, siquidem præsumitur, Principem velle conferre beneficium, quam plenum, & perfectum, ut sit plenior ejus liberalitas. *c. 1. de Donat.* ibi: *Hanc sibi, quodammodo nobilitatis legem imponit, ut debere se, quod spontè tribuit, existimet, & nisi in beneficiis suis creverit, nihil se præstitisse putet.* Ideò gratiæ à Principe concessæ, etiam in integra non expirant per mortem Principis. *c. 36. de Præbend. in 6. c. 9. de Offic. Deleg. in 6.*

Cap. 17.

Indultum à jure beneficium non est alicui auferendum. L. 1. ff. de Foriis. Lex etenim potest tollere beneficium à Lege indultum, *arg. L. 35. ff. h. t.* Homo verò, etiamsi Prætor sit, non potest beneficium à jure indultum tollere. *L. 1. §. 1. ff. de Feriis*: quia inferior non potest contra Superiorem disponere. *c. 16. de Major. & obed.* Hinc legitima à jure constituta, licèt consuetudine, Lege, vel Principis authoritate possit tolli, vel minui, non tamen potest ab homine minui, nam contra Legem superioris disponeret. Item cum Clerico promoto ad Ecclesiam Parochialem à jure annus concedatur, intra quem debeat ordinari. *c. 14. de Elect. in 6.* non potest urgeri, ut statim Presbyteratum suscipiat. Idem dicendum est de aliis induciis concessis ad appellandum, acceptandum hæreditatem, faciendum testamentum à Commissario, & alia hujusmodi.

Cap. 18.

Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit. L. 29. L. 201. L. pen. ff. h. t. c. 29. de Elect. Tempus solùm ex se nec est modus inducendi, nec tollendi, nec reparandi obligationem, ac proindè actus, qui ipso jure est nullus, non validatur præcisè per temporis transcursum, cum deficiat forma illum revalidans; si verò posteà de novo ponatur forma, vel quasi forma ad ejus valorem requisita aliquando expressè, aliquando tacitè, juxta actuum qualitatem, actus valebit: non quidem tractu temporis, sed quia forma necessaria ad ejus valorem ponitur, & deficit impedimentum; sic matrimonium á principio nullum, quia metu fuit contractum, ex post facto valet, & convalescit deficiente metu, & posito consensu libero. *c. 21. de Sponsal.*

Cap. 19.

Non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet. L. 36. ff. h. t. L. 5. tit. 34. p. 7. Sic Medicus imperitus tenetur, & puniri potest ob damnum ex ejus imperitia secutum. *L. 8. ff. ad Leg. Aquil.*

similitèr Judex ex imperitia malè judicans, arbitrariè punitur. *Text. in pr. Inst. de Obligat. quæ ex quasi delict.* Etiam Magister Navis ex sua imperitia tenetur, si damnum causet. *L. 1. L. 9. tit. 9. p. 5.* Ideò etiam Clericus, vel Monachus sit irregularis, si Chirurgiam exercendo, vel sagittas ad scopum emittendo, aliquem occidat, quia se immiscet rei minimè conformi suo statui. *c. 37. D. 50. c. 8. c. 19. de Homic.* Nec enim debet quis falcem immittere in segetem alienam. Hoc argumento contra aliquos Poetas satis facete utitur *Horat. lib. 2. Epist. 1. Navem agere ignarus navis timet: abrotonum ægro, non audet, nisi qui didicit dare: quod Medicorum est, promittunt Medici: tranctant fabrilia fabri: scribimus indocti, doctique poemata passim.*

Cap. 20.

Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur. L. 43. ff. h. t. L. 5. L. 8. ff. de Except. c. 15. de Præscript. Si defensiones sint contrariæ, ita ut nullo modo possint ad veritatem reduci, non potest, quis pluribus uti defensionibus, quia Lex prohibet. *c. 13. de Fide instrum.* ibi: *imputari ei potest, qui contrarias inter se Scripturas in judicio protulit, fidem sibi ad invicem derogantes, cum in ipsius fuerit potestate, quam voluerat non proferre.* Si verò tantùm sint diversæ, ita ut possint in aliquo sensu verificari, potest quis illius uti. *L. 8. ff. de Exception.* Sic dubius de jure jam quæsito, potest, & titulum donationis, & emptionis allegare, ad hoc ut si alter non sufficiat, ex altero defendatur. Similitèr potest allegare privilegium, & præscriptionem *c. 15. de Præscript.* nam tales tituli ad cautelam multiplicantur. *L. 17. C. de Testam.* Actor verò, etiam si plures actiones habeat, una debet experiri. *L. 43. ff. h. t.*

Cap. 21.

Quod semel placuit, amplius displicere non potest. L. 5. ff. de Action. & obligat. Qui enim semel consensu legitimo præstito matrimonium contraxit, certè pœnitere non potest. *c. 17. 32. q. 5.* Cum matrimonium vinculum indissolubile contineat. Similitèr licèt in mea manu sit vovere, vel non, tamen non est in meo arbitrio votum factum non adimplere. Similitèr in juramentis. *c. 25. de Jur. jur.* in contractibus, in electionibus. *c. 8. de Elect. in 6.* & in Judiciis accidit. *c. 1. de Judic.* hinc prodiit commune axioma: *Quod ab initio fuit voluntatis ex post facto est necesitatis*, secùs dicendum est in illis rebus, quæ non solùm in primo fieri, sed etiam in conservari à nostro arbitrio pendent.

Cap. 22.

Non debet aliquis alterius odio prægravari. Vel ut dicitur *in L. 74. ff. h. t. Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.* Nullus profecto punitur æterna pœna ob alterius peccatum, nec pœna merè spirituali, quæ scilicèt, salutem animæ directè respiciat. *c. 10. 1. q. 4.* Ideò filius non debet excommunicati, si pater ejus aliquod crimen dignum excommunicatione commiserit. *c. 1. 24. q. 3.* nam ut dicitur. *Ezech. 18. Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii:* quinimò regularitèr, nec pœna temporali potest quis puniri pro alterius culpa. *c. 37. de Elect. in 6.* Cum æquum sit, quod culpa suos teneat Authores. *L. 22. ff. de Pœnis. c. 2. de His, quæ fiunt à major. part.* Aliquando tamen potest pro alterius culpa quis puniri, quando aliquomodo ejus punitio ipsum gravet delinquentem: & ad majorem delinquentium terrorem, & ut magis timeatur, & fugiatur peccatum: nam ut dicitur *Exod. 20. Ego sunt Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem.* Sic pro peccato Cham fuit maledictus Chanaam ejus filius, *Genes. 9.* & Populus Israel in manus hostium fuit traditus pro peccato Acham, *Joann. 7.* & sic de aliis exemplis ex Scriptura deductis. *Pœna enim,* ait *D. Thom. 2. 2. q. 108. art. 4. in corp. dupliciter potest considerari: uno modo secundum rationem pœnæ, & secundum hoc pœna non debetur nisi peccato: quia per pœnam reparatur æqualitas justitiæ, in quantum ille, qui peccando nimis secutus est voluntatem suam, aliquid contra suam voluntatem patitur. Alio modo potest considerari pœna, in quantum est medicina, non solùm sanativa peccati præteriti, sed etiam præservativa à peccato futuro, & promotiva in aliquos bonum, & secundum hoc, aliquis interdum punitur sine culpa, non sine causa: secundum tamen, quod nun-*

nunquam medicina subtrahit majus bonum, ut promeveat minus bonum. Sicut medicina carnalis nunquam cœcat oculum, ut sanet calcaneum, quandoque tamen infert nocumentum in minoribus, ut melioribus auxilium præstet, & quia bona spiritualia sunt maxima bona, bona autem temporalia sunt minima: ideò quandoque punitur aliquis in temporalibus bonis absque culpa: cujus modi sunt plures pœnæ præsentis vitæ divinitus inflictæ ad humiliationem, vel probationem: non autem punitur aliquis in spiritualibus bonis sine propria culpa neque in præsenti, neque in futuro, quia ibi pœnæ non sunt medicinæ, sed consequuntur spiritualem damnationem.

Cap. 23.

Sine culpa nisi subsit causa, non est aliquis puniendus. L. 31. ff. ad Leg. Aquil. L. 54. de Sentent. excomm. Licèt regulariter quis sine culpa non puniatur, aliquando tamen, quia hoc exigit bonum publicum, & quia ad justam delinquentium punitionem conducit pœna solet, etiam innocentes, comprehendere. *L. 11. D. 34. c. 4. de Cleric. ægrot. D. Thom 2. 2. q. 108. art. 4. ad argum.*

Cap. 24.

Quod quis mandato facit Judicis dolo facere non videtur, cum habeat parere necessè. L. 167. §. 1. l. 169. ff. h. t. l. 20. tit. 34. p. 7. cap. 13. 23. q. 5. c. 2. de Major. In dubio enim stat præsumptio pro Superiore, ac proindè cum subditus teneatur illi parere, ac consequentèr ex necessitate obedientiæ illud faciat, non committit dolum; nam sine animo machinandi dolus non stat. Quando verò Superior aliquid jubet contra Legem, vel contra ipsius Superiorem, subditus non tenetur ei obedire; imò resistere potest, ac proindè, si obediat, non excusatur à culpa. *L. 9. de Sent. & re judic. c. 44. de Sent. excomm. Greg. Lop. in L. 3. tit. 16. p. 2. V. Pro mandado Barbos. hic.*

Cap. 25.

Mora sua cuilibet est nociva. L. 173. §. 2. h. t. L. 12. ff. de Aqua pluvia. Mora est quædam culpabilis dilatio in solvendo, vel recipiendo debito. Aliquando quis in mora constituitur, quia homo interpellat. *L. 88. ff. h. t.* Aliquando verò sine facto hominis dies adjectus pro homine interpellat. *C. fin. de Locat.* Ut ergo quis morosus dicatur, necessè est, quod sciat, se debere, vel saltem, quod fuisset interpellatus, ut solveret, & simul habuisset possibilitatem solvendi. *L. 5. ff. de Reb. credit.* Hinc est, quod cum hæc dilatio, vel mora culpam contineat suo authori debet nocere, non aliis. *L. 22. C. de Pœnis, C. 2. de His, quæ fiunt à major. parte*, nec fidejussori nocet. *L. fin. ff. de Fidejussor.* nisi ipse in omnem causam fidejusisset; nam tunc ei nocet mora. *L. 88. ff. de V. O.* ut notat *Gothof. in L. fin. ff. de Fidejussor.* Ex æquitate tamen est inductum, quod morosus suam moram purget, & ab illius effectibus liberetur, si legitimè satisfaciat suæ obligationi sine creditoris detrimento. *L. 73. §. Vult. L. 91. §. Sequitur, ff. de V. O. Covar. 3. Var. cap. 17. Gregor. Lopez L. 35. tit. 11. p. 5. Gomez L. 33. Taur. Matienz. L. 10. tit. 17. lib. 5. R. Glos. 2. n. 3. Pichard. in tract. de Mora.*

Cap. 26.

Ea, quæ fiunt à Judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt, L. 170. ff. h. t. Quando enim dubitatur, an aliquid ad Judicis officium, seu jurisdictionem spectet, pro ipso Judice præsumitur; & illius muneris, est hoc examinare. *L. 5. ff. de Judiciis*, ibi: *Prætoris etenim æstimare, an sua sit jurisdictio.* Quando verò notoriè constat, jurisdictione ad aliquid faciendum, carere, si fortè illud faciat, est nullius momenti, cum habeatur, ut privatus. *c. 7. de Restit. spoliat.* & potestate publica ad illud requisita careat. *L. fin. ff. de Jurisdict.* ibi: *Extra territorium jus dicenti impunè non paretur*: idem est, etsi supra jurisdictionem suam velit jus dicere. Sic etiam Supremus Princeps Sæcularis de rebus Ecclesiasticis non validè disponit. *c. 1. D. 96. c. 10. de Constitution.* Similitèr Judex incompetens. *c. 4. de Judic.* vel etiam competens, si extra territorium jus dicat. *c. fin. de Constit. in 6.* Vel etiam si competens sit, & intra territorium judicet, si non servet ordinem substantialem judicii. *c. 7. de Restit. spoliator.* Ea tamen, quæ non à jurisdictione, sed à potestate ordinis dependent, quamvis illicitè, validè tamen fiunt. Sic Episcopus validè, quamvis illicitè promovet,

& ordinat Clericum alterius Diœcesis etiam sine licentia Episcopi proprii.

Cap. 27.

Scienti, & consentienti, non fit injuria, neque dolus. L. 45. ff. h. t. L. 25. tit. 34. p. 7. Qui enim juri suo potest renuntiare, si sciat aliquid contra se fieri, & simul consentiat, injuriam non patitur: nec sibi ipsi quis injuriam facere potest. *D. Thom. 2. 2. q. 59. art. 3. ad 2.* ibi: *Aliqua persona singularis potest duplicitèr considerari, uno modo secundum se: & sic si sibi aliquod nocumentum inferat, potest quidem habere rationem alterius peccati, puta intemperantiæ, vel imprudentiæ, non tamen rationem injustitiæ, quia sicut justitia semper est ad alterum, ita & injustitia. Alio modo potest considerari aliquis homo, in quantum est aliquid Civitatis, scilicèt pars, vel in quantum est aliquid Dei, scilicèt creatura, & imago. Et sic qui se ipsum occidit, injuriam quidem facit, non sibi, sed Civitati, & Deo; & ideò punitur, tàm secundum Legem Divinam, quàm secundum Legem Humanam.* Indirectè, & ex consequenti potest quis sibi injuriam facere. *c. 10. 25. q. 2.* ibi: *Quod verò dicitis nostris temporibus debere servari, quæ à meis quoque prædecessoribus tradita, atque custodita sunt, absit à me, ut statuta majorum Consacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam, quia mihi injuriam facio, si fratrum meorum jura perturbo.* Cum ergo consentiens non patiatur injuriam, ideò fœmina ingenua, quæ cum servo, quem talem esse sciebat contraxit, debet cum eo in matrimonio permanere. *c. 5. 29. q. 2.* Si verò quis sciat, sibi injuriam parari; sed non consentiat, ipsi fit injuria. Imò etsi consentiat, si suo juri non potest renuntiare. *C. 36. de Sent. excomm.* ibi: *Contingit interdum, quod Clerici, si quem offendant, & satisfacere velint offenso, secundum morem patriæ, quæ inter se Laici observant, corpora sua spontè supponant 30. seu pluribus, aut paucioribus percusionibus fustium. Nos autem fraternitati tua super hoc respondemus, quod hujusmodi manus injectio, et si non violenta, tamen injuriosa videtur, cum ille Canon non tàm in favorem Clerici ordinati, quàm in favorem Ordinis Clericalis fuerit promulgatus.* Quin, & ipse Clericus, qui se animo irato percutit, ita ut percussio sit peccatum mortale, juxta plures Canonis excommunicationem incurrit, licèt alii hoc negent. Ille verò Clericus, qui in sui percussionem consentit, non incurrit hanc excommunicationem ipso jure, licèt facilè resistere possit: poterit tamen ab Episcopo excommunicari. *C. 36. de Sentent. excommun. Suarez de Censur. D. 22. sect. 1. ex n. 57.*

Cap. 28.

Quæ à Juri Communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda, L. 141. ff. h. t. Quando enim dispositio est exhorbitans, hoc est, quod deviet, & à Jure Communi, illique in parte deroget, licèt illud non absolutè, & in totum corrigat, non debet de casu expresso ad non expressum extendi. *L. 14. L. 15. L. 16. ff. de Legib.* Sic Ecclesia Laicis concedit jus spirituale Patronatus, & in eo facultatem præsentandi Clericos ad beneficia Ecclesiastica. Sed quia hoc exhorbitat à Jure Commune, quo attento Laici talis facultatis sunt incapaces, non debet extendi hæc facultas, ut possint ipsi de causis juris Patronatus cognoscere. *C. 3. de Judic.* nisi ex alia specialiori gratia hæc facultas concedatur, ut conceditur nostris Catholicis Regibus, ut suo loco diximus.

Cap. 29.

Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari. L. 1. & fin. C. de Auth. præstandi. c. 6. de Constit. Quando verò aliquem, minùs principalitèr, & secundario tangit, non est necessè ab eo approbari; *arg. L. 1. §. Denuntiare, ff. de Inspiciend. ventre.* Solùm ergo loquitur præsens textus de eis, de quorum præjudicio immediatè agitur. Et quidem, si ad plures, ut universos, & in communi; v. g. quatenùs constituunt Universitatem, Capitulum, Collegium, vel Communitatem, aliquid collegialitèr, ut dicitur, pertineat, sufficit, si à majori parte approbetur. *C. 1. de His, quæ fiunt à major. part. L. 160. §. 1. ff. h. t.* Si verò pertineat ad singulos, ut singulares, & in speciali, regularitèr debet approbari ab omnibus. *C. 6. de Constitution.* nisi ex justa causa, & ob publicam utilitatem, vel ad vitandum absurdum, attendatur major pars. Sic licèt præsentatio pertineat ad singulos Patronos, sufficit, Cleri-

ricunt à majori parte præsentari, ne Ecclesia detrimentum in longiori vacatione patiatur. *c.* 2. *de Jur. Patronat.*

Cap. 30.

In obscuris minimum est sequendum. L. 9. *L.* 34. *ff. h. t. L.* 5. *tit.* 33. *p.* 7. In dispositione ergo obscura, id quod verisimilius est juxta circunstantias, debet fieri; ideò aliquando etiam mediocritas attenditur, ut in *c.* 1. *de Offic. custod.* & in exercitio virtutum moralium debet eligi medium, quod versatur inter excessum, & defectum, ut sic regulæ rectæ, & propriæ mensuræ conformetur: *Aristot. lib.* 2. *Ethic.* 6. *D. Thom.* 1. 2. *q.* 64. *art.* 1. *in corp.* At verò in obligationibus inducendis regularitèr id, quod minimum est inspicimus: Sic respondet *Innocent. III.* Quod si Hispani solverunt ad unam mensuram, id quod ex voto Divo Jacobo datur; eadem servetur, si verò ad plures, & diversas solverunt, sufficit si ad minorem solvant, nec est necesse ad majorem solvere. *c.* 18. *de Censib.* idem de testatore dicit. *L.* 5. *tit.* 33. *p.* 7.

Cap. 31.

Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet. L. 1. *ff. de Act. empt. c. fin. D.* 11. *c.* 7. *de Appellat.* non enim est necesse certiorari aliquem, si jam plenam facti notitiam habeat: sic sola ipsius scientia sufficit in his, quæ ad ipsius commodum pertinent, Imò, & ad ipsum in mala fide constituendum: & hac ratione *in c.* 2. *de Probat.* Actor qui plenè probavit, non compellitur jurare, etiam si hoc habeat consuetudo. Si verò notificatio, vel denuntiatio pro forma actus requiratur, debet fieri, etiam illi, qui aliundè illius habet notitiam: ut in electione, in citatione ad electionem, & in aliis hujusmodi. Et in dubio erit consultius, saltem ad cautelam, notificationem facere, ut sic nulla possit allegari excusatio.

Cap. 32.

Non licet actori, quod reo licitum non existit. L. 41. *ff. h. t.* Quamvis enim reo liceat aliquando, quod actori non licèt, quia partes rei sunt favorabiliores. *L.* 125. *ff. h. t.* Siquidem facilius absolvuntur, possidentes habentur potiores. *L.* 128. *ff. h. t.* & in aliis favor ipsis fit: tamen, quod reo non licet, nec actori debet licere; cum pro actore nullus favor militet, & aliundè à pari procedant actor, & reus. *c.* 2. *de Mutuis petit.* cum jus, quod in uno relatorum statuitur idem in alio censeatur statutum. *L.* 21. §. 11. *ff. de Recept. qui arbit.*

Cap. 33.

Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum. L. 75. *ff. h. t.* facit *c.* 21. *supr. h. t.* Quilibet enim in melius potest suum consilium mutare. *L.* 8. *ff. de Collat. bonor.* nam sano consilio utitur, qui malum consilium revocat, nisi ex tali mutatione damnum tertio sequatur, quatenùs jus ipsi ex consilio adquisitum est; v. g. ex electione, præsentatione, vel sententia, vel alitèr aliis obligatus sit: tunc enim non potest quis consilium mutare. *c.* 58. *de Elect.* quia nemo potest jus alteri quæsitum ei invito auferre. *L.* 11. *ff. h. t.* Si tamen res integra sit, liberè revocatur. *L.* 22. §. *fin. ff. Mand.* ibi: *Sicut enim liberum est mandatum non suscipere, ita susceptum consumari oportet, nisi renuntiatum sit: renuntiari autem ita potest, ut integrum jus mandatori reservetur, vel per se, vel per alium eamdem rem commodè explicandi.*

Cap. 34.

Generi per speciem derogatur. L. 80. *ff. h. t. c.* 2. *de Offic. Legat.* Quoties enim duæ dispositiones possunt, debent ad concordiam redigi. *c.* 16. *de Testib. c.* 29. *de Elect. in* 6. *L.* 26. *ff. de Legibus.* Si una alteri contrarietur, specialis prævalet contra generalem: quod præcipuè in Legibus, & rescriptis locum habet, sivè speciale præcedat, sivè subsequatur. *L.* 5. *L.* 16. *ff. de Legib. c.* 1. *c.* 14. §. 1. *de Rescript.* idem est in pœnis, in legatis, petitionibus, ac sententiis, in ultimis voluntatibus, in laudo, & aliis hujusmodi, ut affert *Gothofred. ad L.* 80. *ff. h. t.* Quod quidem in privilegiis sæpè fallit.

Cap. 35.

Plus semper in se continet, quod est minus. L. 110. *L.* 113. *ff. h. t. c.* 53. *infr. h. t.* Quod enim est plus in quantitate, vel

vel in summa, vel quia est totum, vel compositum aliquod, semper ex natura rei continet minorem quantitatem, minorem summam, & partes, quibus tale totum constat. *c.* 1. *de Arbitr. in 6.* ibi: *Si ex tribus arbitris te duo in decem, & tertius in quinque condemnent, debet sententia prævalere duorum: licèt cum unus in* 15. *alius* 10. *tertius verò in quinque pronuntiant, illius, qui dixit de summa minori, cum in illa omnes concordes existant, sententia efficax censeatur.* Similitèr, qui habet servitutem actus, etiam itineris servitutem habet, cum in actu, & iter includatur. *Pr. Inst. de Servit. prædior.* Quando verò est plus in qualitate, vel per comparationem ad aliud, non continet quod est minus in qualitate, vel comparativè ad majus.

Cap. 36.

Pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere. L. 131. *L.* 150. *ff. h. t. arg. L.* 19. *tit.* 13. *p.* 5. Quantùm ad damnum scilicèt, non tamen quantum ad commodum. Nam cum dolus, & fraus nemini debeat patrocinari, ille, qui fugiens actionem, quæ contra ipsum potest intentari, dolo desiit possidere, in tantùm tenetur, in quantum si possideret teneretur, quoad effectum, scilicèt. *c.* 3. *Ut lite pendente. L.* 47. *ff. de Negotiis gest.* non tamen quoad modum, quia contra possidentem verè, datur actio in rem directa, contra possidentem fictè, datur actio utilis.

Cap. 37.

Utile non debet per inutile vitiari. L. 1. §. *Sed si mihi, ff. de V. O. c.* 57. 12. *q.* 2. In rebus siquidem dividuis, hoc est, quæ ad invicem separari possunt, regulariter, id, quod est inutile non vitiat, quod utile est. *c.* 19. *de Præbend.* ibi: *Nos facto ejusdem Legati illicito reprobato, quod est licitum approbantes.* In rebus verò individuis, seu, quæ nequeunt inter se separari, quod inutile est vitiat etiam quod est utile: v. g. testis, qui quando deposuit falsum dixit in aliqua parte, in nulla parte facit fidem. *c.* 24. *de Re judic. c.* 56. *de Elect. c.* 7. *D.* 9. Similitèr, si Notarius in aliqua instrumenti parte falsum scripsit, totum corruit instrumentum, etiam quoad alias partes. *c.* 5. *de His, quæ fiunt à Prælat.* quæ fides testium, & Notarii indivisibilis est, & non potest, quoad partem esse certa, firma, & vera, & quoad partem, incerta, fallibilis, & falsa: imò si rescriptum Pontificis ex vitio latinitatis in una parte reddatur suspectum, an à Pontifice emanarit, vel non, etiam est suspectum, quoad articulos separatos, cum non sit possibile, quod idem rescriptum, quoad unam partem emanarit à Papa, & non emanarit quoad aliam. *c.* 11. *de Rescript.*

Cap. 38.

Ex eo non debet, quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare. c. 19. *de Censib.* hinc qui testamentum, tanquam inofficiosum impugnavit, non capit ex eo legatum. *L.* 8. §. 14. *ff. de Inoffic. testament.* Nec pro se potest allegare Epistolas Decretales, qui eas non esse authenticas dicit. *c.* 1. *D.* 19. Hinc etiam deducit Barbosa, non posse aliquem approbare, quod semel impugnavit, nec posse reprobare, quod semel fuit ab ipso approbatum. *L.* 9. *ff. de Negot. gest.*

Cap. 39.

Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo. L. 16. *ff. de Spons. L.* 26. *C. de Usur.* ibi: *Principali actione non subsistente, satis supervacuum est super usuris, vel fructibus adhuc Judicem cognoscere.* Sicut enim aliquo concesso intelliguntur concessa, quæ ad illud sunt necessaria. *L.* 2. *ff. de Jurisd.* Sic quando aliquid prohibetur, prohibita censentur, quæ ex illo sequuntur. Ideò, quia beneficium datur propter officium, qui ab officio suspensus est, etiam beneficio suspensus censetur. *c.* 18. *D.* 81. Similitèr cui est prohibita propter delictum, vel contumaciam communio Ecclesiæ, in qua stipendium habet, etiam stipendium censetur prohitum. *c.* 53. *in fin. de Appellat.*

Cap. 40.

Pluralis locutio duorum numero est contenta L. 12. *ff. de Testib.* Si enim aliqua dispositio in plurali loquatur, & aliundè nullum numerum requirat, sufficit si duo inveniantur. Sic *in L.* 12. *ff. de Testib.* sufficit duorum testium numerus, quando

do testes requiruntur, & non assignantur eorum numerus. Sic cui libertas post annos est legata, duos saltem annos debet expectare. *L.* 17. §. *fin. ff. de Manum. testam.* Si cum aliquo ad plura beneficia obtinenda dispensetur, duo potest obtinere, *cap.* 19. *de Præbend. in* 6. Aliquando verò pluralis locutio in singularem resolvitur, quando est eadem ratio, & non sequitur absurdum. Sic *D. Jacob. in Epist. anon. cap.* 5. loquendo de Sacramento Unctionis, & ejus Ministro, ait: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ.* Et tamen *ex cap.* 14. *de V.S.* constat etiam unum Sacerdotem posse Sacramentum Unctionis administrare, etiamsi alii Sacerdotes non sint. Nam ibi potius qualitas, quam numerus personarum significatur, ut *in Luc.* 17. *Ite, & ostendite vos Sacerdotibus.* Id est, cuilibet de Sacerdotibus: siquidem pluralis aliquando Rethoricè loquendo pro singulari sumitur, ut in *Matth.* 27. *v.* 44. Ubi Latrones cum Christo crucifixos ipsi exprobasse dicitur, cum constet. *Luc.* 23. *v.* 39. unum solum blasphemasse. Sicut etiam, è contra aliquando, locutio singularis pluralitatem significat. Sic *Virgil. Æneid.* 2. loquendo de militibus in equo inclusis ad Trojam debellandam, ait: *Penitusque cabernas ingentes, uterumque armato milite complent.*

Cap. 41.

Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum. C. fin. de Elect. cap. 66. infrà h. t. Sic Semestre à jure præfixum ad eligendum, sed conferendum beneficium, non currit legitimè impedito, nec currere incipit, nisi à die notitiæ vocationis, quia ignoranti, vel impedito, non potest imputari, quare non elegerit, vel non præsentaverit. *C.* 5. *de Conces. Præbend.* Si verò per ipsum stet impedimentum non tolli, cum jam ipsi hoc possit imputari, ipsi tempus currit. *L. fin. de Elect.* Idem de appellatione interponenda, de Sacerdotio suscipiendo, & similibus dicendum est.

Cap. 42.

Accessorium naturam sequi congruit principalis. L. 178. *ff. h. t. arg. L.* 1. *tit.* 14. *p.* 5. Principale in præsenti est, id, quod per se, & in propria virtute stat: Accessorium autem est id, quod à principali dependet, eique inhæret, tamquam accidens substantiæ. *C.* 9. *de Offic. delegat. in* 6. Etiamsi accessorium secundum suam naturam nobilius principali sit, ut in §. 26. *Inst. de Rer. divis.* ubi purpura, licèt sit pretiosior vestimento, habetur, ut vestimenti accessoria, quando ei intexitur: & hac ratione accessorium naturam principalis debet sequi: principale verò non debet naturam sequi accessorii. Sic quando committitur causa matrimonii judicanda, etiam de dote cognoscit delegatus, quia est accessoria matrimonio, *cap.* 3. *de Donat. inter virum.* Et quia sponsalia simplicia possunt mutuo consensu dissolvi, etiam mutuo consensu dissolvuntur, quando sunt jurata: quippè juramentum induit naturam contractus, cui accedit, & tamquam ejus accessorium habetur. *C.* 2. *de Sponsalib. cap.* 25. *de Jure jur. L.* 5. *C. de Legib.* Aliud dicendum est, quando juramentum, non ut accessorum, sed ut stans per se ponitur: nam tunc etiam contractu soluto servari debet. *C.* 28. *de Jur. jur. cap.* 6. *de Usur.* & sic habetur, quando confirmat contractus Jure Civili invalidos, idem dicendum est, quando in accessorio militat diversa ratio, vel quando propter ejus arduitatem non censetur ad ipsum extensa mens, vel dispositio concedentis, vel prohibentis. *Barbos. hìc.*

Cap. 43.

Qui tacet consentire videtur L. 2. §. 2. *ff. Solut. matr. C. Nonnè*, 5. *de Præsumpt. L.* 1. *tit.* 16. *p.* 4. Quando enim Judæi Christo dixerunt: *Nonnè benè dicimus: quia Samaritanus es tu, & Dæmonium habes.* Respondit Jesus: *Ego Dæmonium non habeo.* Hinc infert. *D. Gregor. in cap.* 5. *de Præsumpt. Duo quippè illata fuerunt ei: unum negavit, alterum tacendo, concessit.* Similitèr in *L.* 2. §. 2. *ff. Soluto matrim.* ait Ulpianus: *Voluntatem filiæ cum Pater agit de dote, utrum sic accipimus, ut consentiat, an verò ne contradicat filia? Et est ab Imperatore Antonino rescriptum, filiam, nisi evidentèr contradicat, videri consentire Patri.* Sic in *cap. un.* §. *fin. de Despons. impub.* Et sponsalibus, quæ parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii, si expressè consenserint, vel tacitè, vel si præsentes fuerint, nec contradixerint,

obligantur. Sic in *L. 1. tit. 16. part. 4.* dicitur: *E porque dan los homes algunas vegadas sus fijos legitimos, è naturales à otros que los profijen, por ende en tal profijamiento, como este, ha menester que aquel á quien profijan, que consienta otorgandolo por palabras, ó callandose, non contradiciendo. Et ibid. Gregor. Lop.* Qui enim scit, aliquid agi, & præsens est, potestque contradicere sine magna difficultate, vel incommodo, & non contradicit, præsumitur in illum actum consentire. *L. 60. ff. h. t.* Nam vehemens in homine viget passio, teste cujusque propria conscientia, ad contradicendum his, quæ non vult fieri, quando negotium ab ejus arbitrio pendet; *arg. cap. fin. 23. q. 3.* ibi: *Qui desinit obviare, cum potest consentit.* Hæc regula juxta communem DD. præcipuè militat in rebus favorabilibus. *L. 18. ff. Mand. Sanch. de Matrim. L. 1. D. 5. n. 5. alios citans.* Et juxta plures, etiam in odiosis, & præjudicialibus, hæc regula locum habet; *arg. L. 5. §. fin. ff. de Fidejussor. Tutor. cap. 2. de His, quæ fiunt à Prælat. Barbos. hìc, num. 10.* Sed cum talis consensus tantùm præsumptus sit, facilè per fortiorem præsumptionem eliditur: sicut probatio vincitur per meliorem probationem. *C. 9. cap. 14. de Probat.* Si tacens ore ostendat, signo, vel nutu displicentiam, cum fortiora sint facta, quam verba. *L. 48. §. Ei, qui ff. de Ædilitio Edicto.* Intelligitur utique dissentire. *Barbos. hìc*, qui etiam respondet argumentis contrariis.

Cap. 44.

Is, qui tacet non fatetur, sed nec utique negare videtur. L. 142. ff. h. L. 23. tit. 34. p. 7. Qui enim sine difficultate, & scandalo non potest contradicere, etiamsi taceat, non censetur consentire. *C. 2. de Præscript.* nam culpa caret, qui scit, sed prohibere non potest. *L. 50. ff. h. t.* Præcipuè, si in præjudicialibus, & odiosis tacet, & nullum aliud signum consensus ponit. Sic dominus, quando ejus res ab alio venditur, non censetur consentire in venditionem: nec reus condemnatus in sententiam consentit, etiamsi taceat, cum possit appellare intra tempus definitum à Lege. *C. 28. 2. q. 6.* Qui verò contumaciter tacet, cum respondere debeat, habetur à jure pro consentiente, ad contrahendam contumaciam. *C. 3. de Dolo, & contumac.*

Cap. 45.

Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit. L. 114. ff. h. tit. Verisimilitudo dicitur naturæ cognata: nam verisimile est, quod jure, vel naturæ est conformius, & quod regulariter accidere solet. Ideò filius, si aliundè non constet esse ingratum in Patrem, præsumitur injustè exhæredatus, quia non est verisimile, ingratum fuisse. Sic mulier, quia longo tempore suo cohabitavit marito, in matrimonium consensisse videtur, etiamsi à principio fuisset per vim contractum, *C. 21. de Sponsalib.*

Cap. 46.

Is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille uti debebit. L. 59. L. 175. §. 1. L. 177. ff. h. t. Sic Ecclesia, si ob defectum hæredum consanguineorum succedat Clerico, tenetur ad tributa, quæ solvere deberent habentes talia prædia, *L. 52. tit. 6. p. 1.* Et hoc coincidit cum axiomate commune: *Subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur. L. 10. §. 2. ff. Si quis caution. cap. 41. de Elect.* Si verò antecessor jus personale habebat, eo non utitur successor, nec privilegio personali antecessoris. *C. 7. sup. h. t.*

Cap. 47.

Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur, ut in L. 21. ff. de Probat. Ubi Legatario incumbit probare, Testatorem, qui rem alienam, vel alteri obligatam legavit, scisse, rem esse alienam, vel alteri obligatam, quia ut notat *ibid. Gotofr.* in dubio præsumitur regulariter ignorantia facti alieni. Non tamen præsumitur ignorantia, imò præsumitur scientia facti notorii. *L. 9. §. 2. ff. de Jur. & fact. ignor.* Præsumitur itidem scientia juris, præcipuè naturalis. *L. 9. ff. de Jur. & fact.* imò & præsumitur scientia facti alieni, quod quis ex officio indagare, & scire debet: & ideò non præsumitur, Tutorem ignorare facta sui pupilli: nec de Episcopo præsumitur, ignorare vacationem beneficii, nec collationem ab inferiori factam, nec juris patronatus devolutionem. *Barbosa hìc.*

Ace-

Acevedo in L. 2. tit. 20. lib. 6. Recop. ex num. 10.

Cap. 48.

Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura. L. 14. *ff. de Condict. indebiti. L.* 206. *ff. h. t. L.* 17. *t.* 34. *p.* 7. Ideò si pupillus ex mutuo accepto locupletior sit factus, si fortè solvit, non repetit solutum. *L.* 13. §. 1. *ff. de Condict. indeb.* Et hac etiam ratione privilegia debent intelligi, ita ut non sequatur aliis grave præjudicium. *c.* 21. *de V. S.*

Cap. 49.

In pœnis est benignior interpretatio facienda. L. 155. §. 2. *ff. h. t. L. pen. ff. de Pœnis. c.* 11. *de Constit.* Dispositio enim pœnalis, non extenditur præter expressos, ad casus similes. *c.* 18. *de. Pœnit. D.* 1. Et quando est dubia interpretatur in partem mitiorem: v. g. si verbum possit importare pœnam temporalem, & perpetuam, pro temporali interpretamur. *c.* 11. *de Constit.* Similitèr Judex, si diversas pœnas infligere possit mitiorem, & benigniorem saltem ex consilio debet eligere. *c.* 41. 24. *q.* 1. Et generalius hoc habetur in *L. pen. ff. de Pœnis*, ibi: *Interpretatione Legum pœnæ moliendæ sunt, potius, quam asperandæ.* Ita tamen, ut ex nimia benignitate non foveantur delicta, sed solum in supplicio temperando rigorem. Sicut Christus in Templo, qui contra illud profanantes fecit quasi flagellum de funiculis. *Joan.* 2. *v.* 15. nam ut ait *D. Thom.* 2. 2. *q.* 67. *art.* 4. *ad* 1. *Clementia Judicis habet locum in his, quæ arbitrio Judici relinquuntur, in quibus boni viri est, ut sit diminutivus pœnarum, sicut Philosoph. dicit in* 5. *Ethic. In his autem, quæ sunt determinata secundum Legem Divinam, vel Humanam non est suum misericordiam facere.* Potest tamen clementiam exercere si consilium sequatur Senecæ *de Clem.* 1. *Tamquam invitus, & magno cum tormento ad castigandum venias.* Quod etiam dixit *Ovid. sit piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox, cuique dolet, quoties cogitur esse ferox.*

Cap. 50.

Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem L. 77. *ff. h. t. c.* 2. *de Elect. in* 6. *L.* 15. *tit.* 6. *p.* 6. Conditio propriè talis est oratio dispositionem suspendens in futurum eventum contingentem. A nullo prorsus actu, quantumvis legitimo excluditur conditio, quæ ex natura rei tacitè inest actui: nec conditio de præterito, vel præsenti, vel futuro necessario. Quippè tales non sunt propriè conditiones, cum non suspendant. Actus ergo illi, qui ab executione initium capiunt non recipiunt conditionem, neque diem: vel si hæc apponatur: utpotè contra ipsam actus naturam illum viciat, & destruit: nam actus ex sua natura debet ab executione incipere, & ex conditione nequit incipere ab executione, sed hæc debet usque ad eventum conditionis suspendi. Tales sunt emancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, servi optio, datio Tutoris à Judice, electio, postulatio, sententia Judicis, & alii hujusmodi: alii vero actus è contra licèt conditionem à principio recipiant, quæ dicitur initiativa, non recipiunt conditionem resolutivam, ut patet in matrimonio: nam postquam semel legitimè contractum est, in potestate hominis non est illud resolvere, utpotè, quod ex Divina institutione indissolubile est. *Matth.* 19. Regularitèr verò omnes actus, qui ab humano dependent arbitrio, possunt sub conditione fieri, nisi expressè à jure hoc prohibeatur. *Sanchez de Matrimon. L.* 5. *D.* 1. *Barbosa hic, & alii comm.*

Cap. 51.

Semel Deo dicatum non est ad usus humanos, ulterius transferendum. c. 4. *de Religios. domib. L.* 64. *tit.* 4. *p.* 1. Quod quidem ob favorem Religionis, & cultus Divini inductum est: & meritò quidem: nam indecens est, rem, quæ Deo fuit ritè consecrata, usibus profanis deservire. Ideò in *c.* 38. *de Consecr. D.* 1. disponitur, quod ligna Ecclesiæ dedicatæ non debent ad aliud opus jungi, nisi ad aliam Ecclesiam, vel igni sunt comburenda, vel ad profectum in Monasterio fratribus, in Laicorum verò usum non debent admitti. Idem de vestimentis, palliis, Cathedris, Candelabris, aliisque rebus sacris dicitur. *In c.* 39. *& seqq. de Consec. D.* 1. Aliud de servis dicendum est: nam si invito Domino sunt ordinati, ipsis debent restitui. Si verò res inanimatæ invito Domino consecrentur, ipsi debens

restitui, non res, sed prætium. *C. 2. 14. q. 6.* Si verò ipsæ debeant restitui, prius conflari, vel destrui debent, ita ut consecrationem amittant.

Cap. 52.

Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum. L. 5. C. de Legib. c. 8. de Jur. Patronat. quod enim nullum est, nullum producit effectum. *L. 4. §. Condemnatum, ff. de Re judic.* Ideò matrimonium, sponsalia, vel electio nulla, nullum impedimentum præstant, ut non possit aliud matrimonium, sponsalia, vel electio celebrari. Quando verò aliquid prohibetur addendo pœnam, impedimentum, vel inabilitatem contra transgressorem Legis, ille, qui illum actum ponit, quambis nullum, incurrit tamen pœnam, impedimentum, inhabilitatem: & ad hoc effectum, idem est, ac si validus esset talis actus. Sic in *c. 4. & fin. de Bigam.* illi, qui in sacris constituti matrimonium defacto contrahunt, quamvis illud nullum penitus sit, nihilominus bigamiam, & irregularitatem incurrunt.

Cap. 53.

Cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus. L. 21. L. 110. ff. h. t. c. 35. super. h. t. Quod quidem intelligendum est, minus si sit in eadem linea, & contineatur in majori, sicut pars in toto, species in genere, & minor summa in majori summa. *c. 1. de Arbitr. in 6. L. 1. §. Stipulanti, ff. de V. O.* In his enim casibus validum est argumentum de majori ad minus, ita ut minùs possit, qui potest majus. Sic enim patri, qui filios poterat occidere, à fortiori eos exhæredare concedebatur. *L. 11. ff. de Liber. & posth.* Et maritus, qui adulterum occidere poterat, à fortiori poterat calumnia afficere. *L. 22. §. 3. ff. ad Leg. Jul. de Adult.* Sic Religiosis quibus decimæ antiquæ competunt, competent etiam decimæ novalium, quod minùs est. *C. 28. de decimis.* Sic Sacerdos, qui Corpus Christi conficere potest, magis poterit Populum in fine Missæ benedicere, quia est minus intra eamdem lineam. *c. 6. D. 9.* Secus erit dicendum, quando magis, & minus diversarum linearum sunt: Hinc quamvis Sacerdos possit absolvere pœnitentem à reatu pœnæ æternæ, non potest à carcere solvere, quod est minus. Nec in dispensationibus, quæ jure conceduntur, habet locum hæc regula; *arg. c. fin. de Translat. Episcop.* Si verò ab homine concedantur, & sint intra eamdem lineam, concessio ad plus extenditur ad minùs. *Barbosa in h. text. Sanchez de Matrim. lib. 8. D. 2.*

Cap. 54.

Qui prior est tempore potior est jure. L. 98. ff. h. t. L. 11. ff. Qui potiores in pignor. L. 6. tit. 10. p. 3. Quando ergo concurrunt duo, qui pares sunt causa, secus aliter, qui prior est tempore, etiam si prioratis in hora, imò & in puncto consistat, ille est potior jure ac proindè alteri præfertur, quod procedit, tàm in agendo, quàm in excipiendo, & replicando. *L. 12. ff. Qui potior. in pignor.* Etiam prior nominatio arguit majorem dignitatem. Et præcedere, ut dignior debet, qui prius nominatur. *L. 1. ff. de Albo scribend.* & magis dilectus censetur. *c. 46. de Elect. in 6.* Et prius ordinatus, prior, & major aliis, cæteris paribus, habendus est. *c. 1. de Major. & obed.*

Cap. 55.

Qui sentit onus sentire etiam debet, & commodum, & è contra. L. 10. L. 38. ff. h. t. L. 29. tit. 34. p. 7. L. 23. tit. 5. p. 5. Commodum, & onus eamdem personam sequuntur in his, quæ ex natura actus proveniunt. Ideò Clericus, qui de fructibus Ecclesiæ vivit, ipsi in Divinis ministrare, & servire debet. *c. 11. de Præbend.* Ideò Parocho, qui suo Parochiano Sacramenta ministraverat vivo, eo mortuo, etiam si alibi sepulturam eligat, debetur certa portio ex bonis defuncti. *c. 1. de Sepult.* Deindè Monasterio adjudicantur bona Clerici ibidem detrusi, ut portet onus illum alendi. *c. 5. 16. q. 6.* Ideò etiam in *c. 16. de Præbend.* ait *Innoc. III. Cum secundum Apostolum, qui altari servit vivere debeat de altari, & qui ad onus eligitur repelli non debeat à mercede, patet à simili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio Jesu-Christi, cujus obsequio deputantur.* Quod si aliter inter partes conveniatur in distributione commodi, & oneris, pactum servandum erit. *c. 1. de Pactis.*

Cap.

Cap. 56.

In re communi potior est conditio prohibentis. L. 28. *ff. Com. divid.* ibi: *In re communi neminem Dominorum jure facere quidquam invicto altero posse.* Sic quando duo parietem comunem habent, si unus prohibeat, nequit alter illum destruere, nec reficere. *L.* 8. *ff. de Servit. urban. prædior.* Similitèr, si unus prohibeat, quod per viam compromissi procedatur, ejus prohibitio prævalet. Etiam prohibentis opinio prævalet inter duos conjugatos, quorum alter vovere vult. *c.* 1. 33. *q.* 5. Quod si bonum publicum, favor libertatis, vel alia æquitatis ratio stet ex parte concedentis hujus conditio, etiam contra prohibentem, præfertur. *L.* 1. *C. de Commun. servo manum.* Ubi prævalet voluntas Domini concedendi libertatem servo communi contra aliorum Dominorum prohibitionem. *L.*7. §. *Hodie, cum seq. de Pact.* Ubi attenditur major pars creditorum, ad remittendam debitori partem debiti. Et sic de aliis. *Barbos. hic, & alii com.*

Cap. 57.

Contra eum, qui Legem dicere potuit apertius est interpretatio facienda. L. 172. *ff. h. t. L.* 2. *tit.* 33. *p.* 7. Verba enim dubia contra proferentem sunt interpretanda. *L.* 39. *ff. de pact.* Sic dictum obscurum contra illud dicentèm interpretatur. *c.* 8. *de Probat.* Qui ipse debet pati pœnam in hac interpretatione contraria, qui commisit culpam in non declaranda sua mente.

Cap. 58.

Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum. c. 1. *de Jur. jur. in 6. L.* 38. *tit.* 5. *p.* 5. sed debemus facere, quod ait *D. Isidor. in c.* 5. 22. *q.* 4. *In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum: quod incautè vovisti, ne facias: Impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur.* Non debet ergo tale juramentum servari: & merito, siquidem juramentum, quod est Religionis firmissimum vinculum, non debet fieri vinculum iniquitatis. *c.* 18. *de Jur. jur.* Et ideò juramentum de occidendo patre, defurto, vel adulterio faciendo; non valet. Tolerabilius profectò est stultæ promissionis vota rejicere, quam per inutilium promissorum custodiam exhorrendam criminium implere mensuram. *c.* 1. 22. *q.* 4. Nec tenet juramentum illius, qui juravit exhæredare liberos, vel à se expellere uxorem. *c.* 23. *de Jur. jur.* Nec valet juramentum nunquam agendi rerum amotarum causa cum uxore. *L.* 5. *ff. de Pact. dotal.* Etiam juramentum, quod est majoris boni impeditivum illicitum est, ut siquis juret, se non ingressurum Religionem, vel quod non fiet Clericus: aut quod non accipite Prælationem in casu, in quo expedit, eum illam accipere. Quando ergo quis jurat, aliquod peccatum facere, & peccavit jurando, & peccat juramentum servando: at verò, qui juravit, se non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenetur, peccat quidem jurando, in quantum ponit obicem Spiritui Sancto, qui est boni propositi inspirator: non tamen peccat juramentum servando: sed multo melius facit, si non servet. Alio modo vergit juramentum in deteriorem exitum propter aliquod, quod de novo emerserat, quod fuit impræmeditatum, sicut patet in juramento Herodis, qui juravit puellæ saltanti, se daturum, quod petiissèt: hoc enim juramentum poterat esse à principio licitum, intellecta debita conditione, scilicèt, si peteret, quod dare deceret. Sed impletio juramenti fuit illicita: unde *Ambrosius* dicit *in* 1. *de Officiis*, est contra officium nonnumquam promissum solvere Sacramentum, sicut Herodes, qui necem Joannis præstavit, ne promissum negaret. Sic *D. Thom.* 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *ad* 2. *c.* 2. 22. *q.* 4. Juramentum contra prohibitionem Juris Divini illicitum sanè est, nec debet servari, ut contra Gratianum *in C. fin.* 22. *q.* 4. tenendum est, quamvis Josue jurasset fœdus cum Gabaonitis, quod Lege Divina erat prohibitum, aliqui dicunt, illud juramentum fuisse validum, quia tunc non erat de re illicita, quippè Josue procesit ex quadam Divina inspiratione per modum legitimæ interpretationis. *Suar. de Relig. lib.* 2. *de Jurament. cap.* 18. Juramentum contra bonos mores civiles, si non sit contra Legem obligantem in conscientia, quod quidem servari possit sine animæ dispendio, validum, & obligatorium est. *c.* 28. *de Jur. jur. c.* 2. *eod. in* 6. *Suar. de Relig. lib.* 2. *de Juram. cap.* 21. & 22.

Cap.

Cap. 59.

Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eumdem. L. 173. §. *fin. ff. h. t.* Qui enim debet aliquid restituere ipsi, à quo illud petit, sanè dolo, & mala fide, & animo decipiendi facere inteligitur; ideò creditor prohibetur sub censuris à debitore petere usuras, siquidem eas eidem restituere tenetur. *c. 6. de Jur. jur.* Diversa ratio est illius, qui re spoliatus petit, eam sibi restitui in possessorio, etiam si in petitorio ad eam restituendam sit condemnandus cum maximum commodum ex possessione percipiat. Etiam potest quis petere rem, quam restituere tenetur, non tamen ipsi, à quo petit, sed alii. Sic commodatarius rectè petit à fure rem ablatam, quamvis posteà ipse debeat eam Domino restituere.

Cap. 60.

Non est in mora, qui potest se legitima exceptione tueri. Arg. L. 88. *ff. h. t.* Mora enim sine culpa non committitur: hinc in mora non sunt Clerici, qui non solvunt quartam partem decimarum quando exceptione præscriptionis sunt muniti. *c.* 4. *de Præscript.* Nec qui differunt sortem, quando exceptionem legitimam habent: nam in mora non estis, à quo pecunia propter exceptionem peti non potest. *L.* 40. *ff. de Reb. credit.* Nec in mora constituitur, qui solutioni quidem moram fecit, judicium autem accipere paratus fuit. *L.* 24. *L.* 27. *ff. de Usur.*

Cap. 61.

Quod ob gratiam alicui conceditur non est in ejus dispendium retorquendum. L. 6. C. de Legib. L. 25. *ff. eod.* ibi: *Nulla juris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ salubritèr pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem.* Sic *in L.* 41. *ff. de Minor.* Non cogitur minor uti beneficio restitutionis sibi concesso, ne talis favor in ejus damnum retorqueatur. Quando verò concessio est facta ad instantiam alicujus, solet accidere, quod in ejus damnum tandem resultet. Sic *in C. fin. de mutuis petit.* ille, qui impetravit, ut sua causa, appellatione remota, definiatur, si reconvenitur à reo, non potest in causa reconventionis appellare: ut æqualitas servetur inter actorem, & reum.

Cap. 62.

Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non sit, obligatur. L. 47. *ff. h. t. L. 6. tit.* 34. *p.* 7. Sic non tenetur de damno fortè secuto, qui suum consilium dedit dubitanti, an has merces potius, quam alias emat; vel an contrahat matrimonium cum Seja potius, quam cum Titia, vel quid simile circa rem licitam consulti; nam consilii natura est excitare ad deliberandum, non tamen obligare ad sequendum. *c.* 7. *de Arbitr. L.* 77. §. *Mandato*, 24. *ff. de Legib.* 2. *Et ibi Gothofr.* Ideò qui consilium dat, non tenetur ex ipso, cum alter suæ facilitati potius debeat imputare, quod consilium secutus sit, quod liberum erat acceptare, vel respuere: secus est de mandato, ex quo quidem mandans tenetur, quia principalitèr influit in opus secutum ex mandato. Quando verò quis dolosè consilium dedit circa contractum; v. g. vel quasi contractum, de dolo tenetur ei, cui fraudulentum consilium dedit. *L.* 47. *ff. h. t.* Similitèr, qui ut peritus in arte præstare consilium tenetur, ut Assessores, Advocati, Judices; & similes ex consilio iniquo, etiam per imperitiam præstito obligantur illi, contra quem consilium dederunt, si ex consilio secutum sit damnum. *L.* 2. *ff. Quod quisque jur.* ibi: *Nam si Assessoris imprudentia jus alitèr dictum sit, quam oportuit, non debet hoc Magistratui officere, sed ipsi Assessori.* Denique ex consilio tenetur, qui rem illicitam consulit; v. g. furtum vel homicidium, quia cum censeatur causa moralis talis injuriæ, ad illius reparationem tenetur.

Cap. 63.

Exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarii confiteri. Sic generalitèr respondit *Innoc. III. in c. 6. de Exception.* Idemque dicit *J. C. in L. 9. ff. de Except.* Nam cum exceptio opponatur ad actoris intentionem excludendam, non potest contrarium operari effectum, scilicèt, firmare ejus intentionem: quod certè faceret, si eam objiciens videretur de intentione adversarii con-

confiteri. Si verò exceptionem opponens non sisteret præcisè in ipsa exceptione, sed aliquid adderet, jam illud posset pro confessione haberi, si v. g. dicat: Ego feci homicidium, sed illud ad meam defensionem feci: non esset pura exceptio, sed pro confessione haberetur, dum exceptionem non probaret: nam in se confessionem includit.

Cap. 64.

Quæ contra jus fiunt debent utique pro infectis haberi. L. 5. C. de Legib. Dupliciter aliquid potest contra Legem fieri: vel contra Legem irritantem, vel contra Legem prohibentem. Et quidem, quod fit contra Legem irritantem certè nullum, & invalidum est. Lex irritans est, quando nullitatem actus contra ipsam facti inducit, vel quando pro forma, vel quasi forma, vel conditione, vel pro requisito, seu solemnitate essentiali actus aliquid exigitur in Lege. Si enim illud omittatur, actus nullus erit. Sic matrimonium clandestinum est nullum, quippè caret debita solemnitate. *Trid. sess. 24. de Ref. matrim. cap. 1.* Si alienatio facta de rebus Ecclesiæ vacantis non præcedente tractatu, & justa causa est utique nulla, quia forma præscripta deficit. *C. 1. de Reb. Eccles. non alien. in 6.* Et alia exempla passim inveniuntur in jure. Quando verò Lex solùm prohibet, sed non irritat actum, si hic contra Legem fiat, illicitus erit, validus tamen: sic professio non debet fieri ante annum probationis, si tamen fiat, utroque renuntiante, valet. *L. 16. de Regul.* Et ibi generalitèr dicitur, *quia multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* Et patet clarè in matrimonio cum aliquo impedimento purè impediente contracto; v. g. cum voto simplici castitatis: nam validum est, quamvis illicitum sit.

Cap. 65.

In pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis. L. 116. §. fin. L. 128. L. 154. ff. h. t. ibi: *Cum par delictum est duorum, semper oneratur potior, & melior habetur possessoris causa, sicut fit, cum de dolo excipitur petitoris: neque enim datur talis replicatio petitori: aut si rei quoque in ea re dolo actum sit.* Ubi notat *Gothofr.* non audiri, replicationem actoris dolosi adversus reum dolosum excipientem. Et *L. 33. ff. h. t.* dicitur: *In eo quod, vel is: qui petit, vel his, à quo peteretur lucri facturus est, durior causa est petitoris.* Hos est, quod quando duo de lucro certant, conditio actoris est deterior, & à contra melior est conditio possessoris. Et hinc est regula generalis, quod in quacumque causa dubia debet præferri jus possidentis. Quæ non solùm habet locum in materiæ justitiæ, sed etiam in materia aliarum virtutum, quia quando dubium est, invenitur quædam æqualitas inter obligationes restituendi rem, & potestatem retinendi eam, vel inter obligationem faciendi, vel dandi rem voto promissam, & potestatem non solvendi, & sic de aliis: & aliundè possessio rei confert aliquod jus possidenti: hac ergo ratione prævalere debet jus possidentis. *Suar. de Relig. tom. 2. lib. 4. de Voto, capit. 5. ex n. 8. Sanch. in Decal. lib. 1. c. 10. ex n. 10. Lacr. lib. 1. ex n. 495.* Ac proindè in materia cujuslibet virtutis, quando neutra pars sufficienter probatur, possessoris causa debet sustineri. Et ideò in materia obedientiæ, cum Superior sit in possessione potestatis præcipiendi, subditus in dubio, an sit peccatum, tenetur obedire. Sic in materia Religionis dubius de voto, non tenetur, quia libertas est in possessione. Sic in materia fidelitatis dubius de valore matrimonii tenetur debitum reddere, quia alius conjux in possessione est juris petendi. Et sic de aliis. Nec tenetur dubitans in omnibus, & per omnia tutiorem partem sequi, ut affert. *Lacr. lib. 1. ex n. 470.* ubi hoc axioma explicat.

Cap. 66.

Cum non stat per eum ad quem pertinet, quominùs conditio impleatur, haberi debet perindè, ac si impleta fuisset L. 161. ff. h. t. Ideò, quia per Abraham non stetit suum filium non immolare, ad meritum reputatum fuit, tamquam si illum immolasset. *C. 20. in fin. 22. q. 2.* ibi: *Quandoque aliquid jubendo significamus, velle fieri, quod tamen fieri nolumus, sed experimentum obedientiæ quærimus, sicut Abraham à Deo tentatus legitur, cum jussus immolare filium, quem Dominus nolebat ab eo occidi. Undè Ambrosius: non enim volebat Deus immolari à Patre filium, nec impleri hoc munus volebat, qui ovem pro filio immolandam obtulit: sed tentabat affectum*

tum Patris, si Dei præcepta præferret filio. Et hac voluntas dicitur signi prout distinguitur à voluntate beneplaciti, qua Deus propriè, & formalitèr aliquid vult. Et è contra reus pro citato habetur, quia impedivit à Judice citari. C. 5. §. *Porrò. Ut lite non contest.* Quia quoties per eum cujus interest conditionem non impleri, fiat, quominùs impleatur, perindè habetur, ac si impleta conditio fuisset. *L.* 161. *ff. h. t.*

Cap. 67.

Quod alicui non licet suo nomine, nec alieno licebit. Et ideò, quia in pœnam de albo corrupto incidit, qui Prætoris album proprio nomine corrumpit, etiam incidit si alieno nomine hoc faciat. *L.* 7. §. *fin. ff. de Jurisd.* Sic etiam, quia non licet falsare R. Pontificis litteras nomine proprio, nec licet alieno. *C.* 7. *de Crim. fals.* Similitèr, quia non potest quis in utilitatem propriam usuras exercere, nec alieno nomine, sivè in alterius utilitatem exercere valet. *C.* 10. *D.* 46. ibi: *Sicut non suo, ita nec alieno nomine aliquis Clericorum exercere fœnus attentet. Indecens est enim, crimen suum commodis alienis impendere.* Sic quia Proregibus, Gubernatoribus, Prætoribus, aliisque Magistratibus prohibetur in Provincia, quam gubernant contractus facere, negotiari, & mercimonia exercere. *L.* 33. *ff. de Rebus credit. L.* 5. *tit.* 5. *p.* 5. *L.* 2. *tit.* 6. *lib.* 3. *R. C.* Nec per alios hæc facere possunt. *L.* 74. *tit.* 3. *lib.* 3. *R. Ind.* ibi: *Expresamente prohibimos à los Vireyes de nuestras Indias todo genero de trato, contrato, ó grangeria, por sí, ó sus criados, familiares, ó allegados, ó otras qualesquier personas.* Ne quod una via prohibetur, alia concedatur: nam quid interest, quod quis manum dexteram habeat ligatam, ne alienum surripiat, si idem manu sinistra sinistrè obstinet? Contra *c.* 84. *infra h. t.*

Cap. 68.

Potest quis per alium, quod petest facere per se ipsum. L. 1. §. *Dejecisse, ff. de Vi, & vi armat.* Nam qui per alium aliquid facit, per se ipsum facere videtur. Hinc potest quis per Procuratorem matrimonium contrahere, *cap. fin. de Procur. in* 6. Etiam juramentum potest quis præstare per alium, *cap.* 33. *D.* 63. Quando hæc per se ipsum facere potest: Et hac ratione, qui mandat Clericum percutere; excommunicatus est, sicut ipse percutiens, cum is committat verè, cujus authoritate, vel mandato delictum committi probatur, *cap.* 6. §. *un. de Sent. excom.* Si verò alicujus industria requiratur ad aliquod factum, illud non potest per alium fieri. Ne quando factum personale est. Sic Episcopus per alium chrisma, vel Ecclesias consecrare, nec ordinare Clericos valet. Nec Sacerdos potest per alium pœnitentes absolvere. Nec potest Parochus, nec Episcopus per alios in Parochia, vel Diœcesi residere, quia ipsorum industria est electa. *C.* 4. *cap.* 6. *de Cleric. non resident. Trid. sess.* 6. *de Ref. cap.* 1.

Cap. 69.

In malis promissis fidem non expedit observari, cap. 5. 22. *q.* 4. ibi: *In malis promissis rescinde fidem: in turpi voto muta Decretum: quod incautè vovisti, ne facias. Impia enim est promissio, quæ scelerè adimpletur.* Aliquando promissum est malum, quia, id, quod promittitur est turpe, & contrarium virtuti; v. g. Adulterium, homicidium, furtum, & alia hujusmodi. Aliquando verò, id, quod promittitur est malè promissum, quia per injuriam promittitur; v. g. dolo, vel metu, licèt id, quod promittitur, sit bonum. Quando promissum est malum, nulla nascitur obligatio, etiamsi juramento sit firmata talis turpis promissio. *C.* 8. *cap.* 18. *de Jure jur. D. Thom.* 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *ad* 2. *Suar. de Relig. tom.* 2. *L.* 2. *de Juram. cap.* 14. Si tamen promissio non sit de re turpi, licèt malè, & per injuriam, vel dolum extorta, si sit jurata debet adimpleri, quia sine dispendio salutis æternæ adimpleri potest. *C.* 6. *de Usur. c.* 28. *de Jur. jur.* Potest tamen rescindi ob injuriam illatam promissori. *C.* 8. *de Jur. jur.*

Cap. 70.

In alternativis debitoris est electio, & sufficit alterum impleri. L. 10. §. *fin. ff. de Jur. dotium. L.* 11. *tit.* 1. *p.* 4. De debitore enim præsumitur, quod quantum minùs potuit se obligavit, cum semper in dubio contra eum fiat interpretatio. *L.* 19. *ff. de Pact.* Et ideò creditur, sibi electionem reservasse in solvendo, quando alternariva est obligatio, ac propterea,

rea, si creditor unam rem determinatè petat, plus petere causa dicitur. *c. un. de Plus petition.* Ideò si pater promissit alicui unam ex suis filiabus uxorem dare, Pater potest eligere, quam maluerit; quod si alter illam ducere nolit, liber est à promissione. *L.* 11. *tit.* 1. *p.* 4. Eadem ratione si debitor alternativus utrumque solvit per errorem, ejus est eligere, quodnam repetere velit. *L.* 10. *C. de Condit. in debit.* Qui potest postquam semel elegit variare quoties voluerit. *L.* 138. §. 1. *ff. de V. O.* Et una re perempta est in ejus arbitrio, vel prætium ejus, vel rem permanentem præstare. *L.* 47. §. 2. *ff. de Legib.* 1. Imò etiam ad hæredem ipsius debitoris transit jus eligendi. *L.* 76. *ff. de V. O. & ibid. Gothofr.* Quando verò Princeps alternativè aliquas gratias concedit, non concedentis, sed recipientis est eligere, quam malit. In legatis alternativis quando verba testatoris ad legatarium diriguntur, vel quando dubium est, ad quem pertineat electio, legatarius eligit. *L.* 23. *ff. de Legat.* 2. Si verò ad hæredem dirigantur, ipse eligit. *L.* 19. *ff. de Legat.* 2. Sic Accursius *in L.* 23. *de Legat.* Si creditori plures actiones, vel remedia competant, ad ipsum pertinet eligere, qua actione agere velit. *L.* 108. §. *Cum homo, ff. de Legat.* 1. Similitèr ad creditorem pertinet eligere locum ubi petat, quando promissor promissit dare; v. g. Manilæ, vel Acapulci. *L.* 2. §. *Scævola, ff. de Eo, quod cert. loco.* Deindè in alternativis sufficit alterum adimpleri. Sic quando Pontifex mandat, inquiri de duobus alternativè, sufficit, si alterum probetur. *c.* 4. *de Rescript.* Etiam si alternativa negativè concipiatur, sufficit alterum non fieri. *L.* 129. *ff. de V. O.* Aliquando autem ordo scripturæ servandum est: nam si Episcopo mandet Papa, quod det Cajo beneficium, quod priùs vacabit, sivè ad ipsius Episcopi, sivè ad alterius collationem pertineat, non est Episcopi electio, sed debet beneficium, ad ejus collationem spectans conferre. *c.* 10. *de Præb. in 6.* Similitèr, si testator substituat Titium, aut Sejum, Titius prius vocatus censetur. Idem dicitur si in majoratu dicatur: succedat Filius, aut Filia: Nam filius etiam junior præfertur Filiæ, etiam majori. *L.* 77. §. 32. *ff. de Legat.* 2. *c.* 10. *de Præb. in 6.* Denique aliquando alternativa, seu disjunctiva in copulativam resolvitur, & tunc utrumque adimpleri necesse est. *L.* 53. *ff. de V. S. L.* 4. *C. eod. latè Barb. hìc, & alii com.*

Cap. 71.

Qui ad agendum admittitur est ad excipiendum multo magis admittendus. L. 156. §. 1. *ff. h. t.* Et ratio est: quia aliquibus exceptio conceditur, quibus actio non datur, ut sunt excommunicati. *c.* 5. *de Except.* Et exceptio perpetuo durat, licèt actio tempore tollatur, ac proindè, qui admittitur ad agendum, ad excipiendum admitti debet. Quod fallit, quando exceptio aliqua ratione excluditur *ut in c.* 6. *de Jur. jur.* Ubi qui juravit solvere usuras, non potest uti exceptione ratione juramenti, sed post ipsarum solutionem eas repetere potest. Nec locum habet hæc regula, quando actio, & exceptio ad diversa diriguntur. *C.* 11. *de Excesib. Prælator.*

Cap. 72.

Qui facit per alium, est per indè, ac si faciat per se ipsum. L. 141. *ff. h. t.* ibi: *Quod jussu alterius solvitur pro eo est, ac si ipsi solutum esset. Vid. c.* 68. *supr.* Sic qui per Procuratorem aliquid facit, licèt verè per se non faciat, idem est, ac si per se faceret.

Cap. 73.

Factum legitimè retractari non debet, licèt casus posteà eveniat, à quo non potuit inchoari. L. 85. §. 1. *ff. h. t.* Si enim illud vitium solùm resistat primæ rei positioni, re legitimè facta, non retractatur, etiam si vitium superveniat actui jam perfecto, & legitimè constituto. Sic licet furiosus non possit contrahere matrimonium, si tamen sanæ mentis contraxit, etiam si furor superveniat non irritatur matrimonium. *L. Patre furioso, ff. de His, qui sunt sui. c.* 26. 32. *q.* 7. Idem de aliis impedimentis matrimonii dirimentibus dicendum est, siquidem nullum impedimentum superveniens irritat matrimonium. *c.* 10. *de eo, qui cognov.* Siquidem solùm opponuntur primæ positioni matrimonii, quo semel legitimè posito, non potest dissolvi, etiam si aliquod impedimentum dirimens superveniat, facilius namque jura conservantur, quam adquiruntur, & turpius ejicitur, quam non admittitur hospes. *c.* 25.

de Jur. jur. Si verò illud vitium supervenies non solùm opponatur rei primæ positioni, sed etiam conservationi, illo superveniente res vitiatur, vel ipso jure vel authoritate Judicis. *L. 7. tit. 6. p. 7.* Ubi infamis non solùm excluditur ab obtinendis Dignitatibus: sed, & ab obtentis etiam repellitur ille, qui infamiam incurrit. *Et c. 3. D. 33.* Ubi arrepritii postquam sunt legitimè ordinati ab ordine suspenduntur, quia illud vitium ordinum exertitio opponitur. Quando verò aliquis actus adhuc non est perfectus vitiatur, si perveniat ad casum, à quo incipere non potest. *L. 15. L. 16. ff. ad Leg. Aquil. & ibid. Gothofr.*

Cap. 74.

Quod alicui gratiose conceditur trahi non debet in exemplum. L. 141. ff. h. t Et quia privilegium, vel dispensatio, quæ alicui conceditur constituit jus singulare respectu illius personæ, vel casus, ideò non debet extendi ad personam, vel casum, non solùm similem, sed nec ad majorem. *L. 14. cum seqq. ff. de Legib. c. 9. de Privileg.* ibi: *Temerarium est, & indignum, aliquem sibi sua authoritate præsumere, quod Romana Ecclesia certa ratione inspecta singularibus voluit beneficiis indulgere.* Siquidem respectu illius deficit voluntas concedentis, qui solùm de tali persona, vel casu, de quo fuit rogatus, vel de quo præcessit cognitio, disposuit. *c. 7. c. 28. supr. h. t.* Ac proindè deficit privilegium, dispensatio, vel gratia, quæ unicè à concedentis voluntate pendet. Sic Paterfamilias exprovabit operariis vineæ qui adversus eum murmurabant. *Matth. 20. v. 13.* ibi: *At ille respondens uni eorum dixit: Amice non facio tibi injuriam, nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade, volo autem, & huic novissimo dare sicut, & tibi, aut non licèt mihi, quod volo facere?* Quod à fortiori ratione intelligitur de gratia supernaturali, siquidem non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.

Cap. 75.

Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat. c. 3. de Jure jur. ibi: *Nec tu ei etiam si promissum tuum juramento, vel fidei obligatione interposita, conditione firmasses aliquatenùs teneris, si constat, eum conditioni minimè paruisse.* Ideò in mutuis promissionibus frangenti fidem fides frangitur. *L. 16. ff. de Transaction. L. 21. C. de Pact. & ibid. Gothofr.* Siquidem sub hac conditione tacita fiunt: ex parte mea promissionem implebo, si ex parte alterius contrahentis etiam servetur pactum.

Cap. 76.

Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare. c. 6. de Exception. L. 17. tit. 10. p. 7. Si enim Episcopus delictum commissit, ipse debet puniri: imò, & aliquando deponi, sed bona Ecclesiæ non debent fisco addici. *L. 3. 16. q. 6.* Nec Ecclesia perdit causam, si Procurator instrumentum falset. *c. 6. de Exception.* Nec debet Monasterium solvere pecuniam depositam apud Religiosum, etiam de licentia Superioris: imò etiam si apud Superiorem deposita sit, si ejus culpa periit, quin in Ecclesiæ commodum fuisset conversa: teneretur tamen, quatenùs commodum percepit. *Sanch. in Dec. lib. 6. cap. 14. n. 29. Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 27. n. 12.* Idem est dicendum de Superiore cujuscumque Communitatis, Collegii, Capituli, vel Universitatis. *L. 17. tit. 10. p. 7.* Et quidem licet delictum personæ, quod in faciendo consistit, non præjudicet Ecclesiæ, delictum tamen quod in omittendo, vel negligentia consistit, Ecclesiæ, vel Communitati utique præjudicare valet. *C. 15. 16. q. 4.*

Cap. 77.

Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore. L. 143. ff. h. t. Ideò Prælatus succedit in onere solvendi debita contracta pro Ecclesiæ utilitate, quia in honorem Prælaturæ succedit. *c. 1. de Solution.* & filius patroni, qui in patronatus honorem succedit, similitèr succedit in onus defendendi Ecclesiam. *c. 31. 16. q. 7.* Et è contrario non debet quis onerare, quem non honorat. *L. 9. C. de. Fideicom.* cum commodum, & incommodum; honor, & onus pari passu ambulare debeant, ut sic æqualitas servetur *L. 10. ff. h. t. c. 55. supr. h. t.*

Cap. 78.

In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa. L. 162. *ff. h. t.* Nam causa necessitatis cessante, cessat, quod ob necessitatem statutum est. Sic alienatio sacrorum vasorum, quæ propter necessitatem permittitur, ut Captivi redimantur, non conceditur, si nulla adsit necessitas. *L.* 22. *C. de Sacros. Eccles.* Et beneficia, quæ ob defectum Sacerdotum Sæcularium Religiosis collata fuerunt, debent Sæcularibus, data eorum copia restitui; *arg. c.* 1. *D.* 55.

Cap. 79.

*Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur. L.*54. *L.*120. *ff. h. t. L.* 12. *tit.*34. *part.* 7. Nemo enim dat, quod non habet: hinc, qui rem alienam vendit etiam bona fide, non transfert in emptorem dominium, cum ipso careat venditor: transfert tamen jus usucapiendi ex dispositione Legis, & ob publicam utilitatem. *L.* 1. *ff. de Usucapiend.*

Cap. 80.

In toto partem dubium non est contineri. L. 110. *L.* 113. *ff. h. t. cap.* 1. *de Arbitr. in 6.* Ideò si pro aliquo feratur sententia circa totum, si posteà ab eo pars ejus petatur, exceptionem rei judicatæ opponet. Vid. *cap.* 35. *supr. h. t.*

Cap. 81.

In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimilitèr in specie concessurus. Hinc dicitur in *cap.* 2. *de Pœnit. in 6.* Si Episcopus suo subdito concesserit, ut sibi possit idoneum eligere confessorem, ille, quem is elegerit in casibus, qui eidem Episcopo specialitèr reservantur, nullam habet penitus potestatem, cum in generali concessione illa non veniant, quæ non esset, quis verisimilitèr in specie concessurus: quia in obscuris id, quod verosimilius est, præsumitur, *cap.*45. *supr. h. t.* & non est verisimile, quod sub tali generalitate concedatur, quod in specie difficilè concederetur, ideò si non exprimatur non intelligitur concessum. Sic commissio generalis, quam Legato facit Pontifex non extenditur ad causas fidei, *cap.*52. 16. *q.* 1.

Cap. 82.

Qui contra jura mercatur bonam fidem præsumitur non habere. L. 7. *C. de Agricol. L.* 11. Nec enim potest dolo carere, qui imperio Magistratus non paruit. *L.* 197. *ff. h. t.* Hinc qui sine solemnitatibus à jure requisitis contrahit est in dolo præsumpto, & mala fide. *Menoch. de Præs. L.* 3. *præsumpt.* 130. *n.* 33. *& lib.* 5. *præs.* 3. *n.* 76. Nam si scit, illud prohiberi, mala fide agit: si ignorat, habet malam fidem juridicam, quam error juris constituit. Sic mala fide agere creditur, qui recipit Ecclesiam de manu Laici, *cap.* 12. 16. *q.* 7. & qui in aliena Parochia decimas recipit, cum nec Laicus Ecclesiam concedere possit, nec regulatitèr, qui in aliena Parochia decimas obtineat.

Cap. 83.

Bona fides non patitur, ut semel exactum, iterum exigatur. L. 57. *ff. h. t. L.* 6. *tit.* 3. *p.* 5. Si enim una exactione tota finiatur obligatio, nec Ecclesiæ licet iterum illud petere, *cap.* 11. 12. *q.* 2. Nam tunc sic repetens cum alterius jactura locupletaretur, contra *L.* 14. *ff. de Condict. indebit.* Aliud ob contrariam rationem est dicendum, si tota obligatio non est finita per unicam solutionem. Similitèr non debet iterum puniri, qui semel ad æqualitatem est punitus; secus si ad inæqualitatem tantùm punitus fuit.

Cap. 84.

Cum quid una via prohibetur alicui, ab id alia non debere admitti; arg. L. 32. *ff. de Pactis, cap. un. de Cleric. conjugat. in 6.* Sic patet, qui est prohibitus administrare, non potest administrare ut Curator. *L.* 21. §. 1. *ff. de Tutor. & Curat.* Similitèr qui res Ecclesiæ non potest alienare, nec in pignus potest obligare, *c.* 5. *de Rebus Eccles.*

Cap. 85.

Contractus ex conventione Legem accipere dignoscuntur. L. 23. ff. h. t. L. 1. §. Si convenerit, 6. ff. Deposit. cap. 1. de Pact. Pacta enim, etiam ultra; imò & contra naturam contractus debent servari. Sic licèt depositarius tantum de dolo, & culpa lata teneatur, potest ex pacto adjecto, etiam ad levem, & levissimam; imò ad casum fortuitum obligari, *cap. fin. de Deposito*, dum tamen pacta non sint contra bonos mores.

Cap. 86.

Damnum quod quis sua culpa sentit sibi debet, non aliis imputare, cap. 38. 23. q. 4. L. 22. tit. 34. p. 7. Cum enim damnum sit effectus culpæ, ille, qui culpam commissit, justum est, quod patiatur, & damnum. Sic Clericus sibi debet imputare, si cum præbenda vacat, ob negligentiam eam non petit, *cap. 11. de Præb. in 6.* Sic si Procurator ex delicto suo aliquam pœnam pecuniariam solvat, non repetit illam à Domino. *L. 46. §. 5. ff. de Procurat.* Similitèr socius omnium bonorum, si ob suum delictum damnatus sit, non potest solvere pœnam ex communi, sed ipse tantum damnum sentire debet. *L. 52. §. fin. ff. Pro socio.*

Cap. 87.

Infamibus portæ non pateat dignitatum. L. 2. C. de Dignit. L. 12. L. 22. tit. 5. p. 1. L. 7. tit. 6. p. 7. In persona enim infami indignè collocatur dignitas, *cap. 3. D. 81. cap. 11. de Exces. Prælator.* Sic enim *Chrysost. qui benè sederit super Cathedram, honorem accipit ab illa, qui malè sederit injuriam facit Cathedræ.* Consonat *Ovid. ad Pison. Nam quid imaginibus, quid à vita fulta triumphis attria, quid pleni numeroso consule facti profuerint, si vita labat? perit omnis in illo gentis bonos, cujus laus est in origine sola.* Ideò infames, sivè infamia juris, sivè facti, non debent ad dignitates, non solùm Ecclesiasticas, sed etiam nec ad Sæculares admitti: imò debent deponi ab obtentis. *L. 6. tit. 6. p. 7.* ibi: *E tan gran fuerza ha el enfamamiento, que estos atales non pueden ganar de nuevo ninguna dignidad, nin honra de aquellas, para que deben ser escogidos homes de buena fama; é aun las que habian ganado, debenlas perder luego que fueren probados por tales.* Infamia siquidem est læsio status, dignitatis, seu conditionis alicujus: vel mala existimatio de aliquo quoad aliquod ejus malum. Et est duplex: alia *juris*, quæ scilicèt à jure inducitur, sic Sodomitæ infames sunt per ipsam Legem, quamvis crimen occultum sit: alia est *facti*, quæ scilicèt, ex facto ipso independentèr ab omni Lege procedit, & exurgit apud viros bonos, & graves: nec enim infamis censetur ille, cujus fama, tantùm apud personas leves, pueros, mulieres, & maledicos est læsa: quod clarius ex famæ cognitione percipietur. Fama enim, quæ sic *à fando* dicitur, est duplex: alia *de homine*, alia *inter homines*. Fama de homine, quæ etiam dicitur existimatio, sic describitur *à J. C. in L. 5. §. 1. ff. de Extraord. cognition. Est dignitatis illæsæ status Legibus, ac moribus comprobatus, qui ex delicto nostro authoritate Legum, aut minuitur, aut consumitur.* Vel alitèr potest definiri. *Est existimatio bona de aliquo, quod aliquod ejus bonum, ut sunt virtutes, scientia, nobilitas, opes, pulchritudo, vires, valetudo, & alia hujusmodi, quæ bonam de homine existimationem generent; ipsumque apud viros probos commendat.* Etenim hic loquimur tantùm de bona fama: & quidem illa bona existimatio, quam homines de aliquo concipiunt, facit ut de eo loquantur, & tunc est propriè fama, quia fatur. *Hanor. juxta Div. Thom. 2. 2. q. 103. art. 1. in corp. testificationem quændam importat de excellentia alicujus.* Undè homines, qui volunt honorari testimonium suæ excellentiæ quærunt. Hoc testimonium, si inspiciatur coram Deo, qui inspector est cordium consistit in solo interiori motu cordis: quoad homines tamen præstatur per aliqua signa exteriora, vel verborum, puta, cum aliquis ore pronuntiat excellentiam alicujus, & tunc dicitur *laus*. Etiam hoc testimonium præstatur factis, ut inclinationibus, obviationibus, & aliis hujusmodi: vel etiam exterioribus rebus puta in encæniorum, vel munerum oblatione, aut imaginum institutione, vel aliis hujusmodi: ac proindè honor in signis exterioribus, & corporalibus consistit. *Reverentia* verò non est honor, sed ex una parte est principium motivum ad honorandum, in quantum aliquis ex reverentia, quam habet ad

ali-

aliquem, eum honorat: ex alia parte est honoris finis, in quantum aliquis ad hoc honoratur, ut in reverentia habeatur ab aliis. Denique honor, est optimorum, quæ non ordinantur ad finem, sed jam sunt in fine: *gloria* autem est effectus honoris, & laudis, quia ex hoc, quod testificamur de bonitate alicujus clarescit bonitas ejus in notitia plurimorum: & hoc importat nomen gloriæ: nam *gloria* dicitur quasi *claria*. Undè Ambros. dicit. *Quod Gloria est claria cum laude notitia.* Sic *D. Thom.* Honor ergo est quid excellentius, quam fama: Nam includit famam, quæ consistit in bona opinione & existimatione excellentiæ, & insuper addit manifestationem, & testificationem talis opinionis per aliquod signum externum in quo propriè honor consistit. Sic *Less. lib. 2. de Just. cap. 11. n. 5.* Fama injustè violator, & denigratur per detractionem. Honor injustè minuitur per contumeliam. Detractio fit instar furti, ut plurimum occultè, & contra absentem. Contumelia fit instar rapinæ, apertè, & contra præsentem. Ex quibus facilè colliges, quando quis censeatur, vel non infamis, & consequentèr, quando debet, vel non à dignitatibus excludi.

Cap. 88.

Certum est, quod, is committit in Legem, qui verba Legis complectens contra Legis nititur voluntatem. L. 5. C. de Legibus. L. 17. ff. eod. ibi: *Scire leges non est verba earum tenere, sed vim, ac potestatem. L. 29. ff. eod.* ibi: *contra legem facit, qui id facit, quod lex prohibet, in fraudem verò, qui salvis verbis legis sententiam ejus circumvenit.* Magis enim debet attendi mens, quam verba. *L. 3. C. de Liber. præter. cap. 26. de Privileg.* Nam mens, & ratio Legis se habent, sicut anima, & spiritus: verba tamen sicut corpus, vel superficies. Sic quia, ut obvietur hominum avaritiæ, & ambitioni, prohibetur electis ad aliquam dignitatem, eam antequam confirmentur, administrare, etiam prohibetur, ut sub nomine Æconomi administrent, *cap. 5. de Elect. in 6.* Similiter cum usura sit aliquid prætio æstimabile suprà sortem accipere, qui aliquid suprà sortem accipit sub quocumque prætextu, vel nomine, usuram committit, *cap. 3. 14. q. 3.*

444 Denique diversorum axiomatum usufrequentiorum quandam collectionem attexere libuit, tamquam quoddam juris Armamentarium, in quo telis, & clypeo facilè instrui queant novi milites, qui huic facultati operam dant, ut in quacumque materia, quam frequentes occasiones offerent, aliqualem discursum ex his principiis debita proportione applicatis, formare valeant. Sanè aliquando eadem sententia sub diversa vocum apparientia repeti solet: nec frustra, cum sæpè sub diversa forma eadem sententia, diversa, & aliquando aptiori, & opportuniori gaudeat energia. Nec vobis terrorem incutiat, quod aliqua axiomata aliis pugnare videantur: quia si omnia in proprio accipiantur sensu, omnia profecto in suo sensu vera apparebunt. Quod si adhuc vos aliqualis angat scrupulus, Authores consulite, qui latiori calamo de his scribunt: quippè ut Poeta testatur: *Non omnis fert omnia tellus.* Et temporis angustia (quod ab aliis occupantibus clàm arripimus) à tabula jam manum removere, compellit, & urget.

ARMAMENTARIUM JURIS.

A

445 ACtus debet interpretari, ut potius valeat, quam pereat. *L. 80. ff. de Verbor. oblig. L. 12. ff. de Rebus duab.*

Actus legitimi, qui diem, aut conditionem non admittunt, per conditionis, vel diei adjectionem vitiantur. *L. 77. ff. de Reg. jur.*

Aliud pro alio invito creditore non rectè solvitur. *L. 2. §. 1. ff. de Rebus credit.* nec alio loco, quam quo conventum est. *L. 9. ff. de Eo, quod cert. loc.* neque alio tempore. *L. 122. ff. de Verb. oblig.*

Ars artium est regimen animarum, *capit. 14. de Ætat. & qualit.*

Aliquando quod est nullum, & ineffi-cax, dicitur rescindi. *L. 5. C. de Rescind. vendit.*

Actor debet sequi rei forum, *cap. 8. de Foro compet.*

Ac-

Actio semel extincta amplius non reviviscit. *L.* 83. §. 5. *ff. de V. O.*

Agenti incumbit probatio. *L.* 2. *ff. de Probation.*

Absens in servitio Papæ, vel Episcopi non debet beneficio privari, quin ut præsens habetur, *cap.* 14. *de Cleric. non resident.*

Attendendum semper est id, quod principalitèr, non quod incidentèr, geritur. *L.* 1. *L.* 7. *ff. de Author. Tutor.*

Argumentum de contractibus ad ultimas voluntates, & è contra, validum est in jure. *L.* 44. §. 5. *ff. de Legat.* 1.

Actore non probante, reus, etsi nihil præstiterit, absolvitur, *cap.* 3. *de Caus. posses. L.* 4. *C. de Edend.*

Avarus gratius intuetur aurum, quam solem, *cap.* 8. *D.* 47.

Advocatus non debet indigentibus suum denegare patrocinium, *cap.* 2. §. *Si quis verò*, 3. *q.* 7.

Afflictis non est addenda afflictio, *cap.* 5. *de Cleric. ægrot.*

A diversis non fit illatio, *cap.* 12. *de Decim. L.* 20. *ff. de Minor.*

Actus agentium non operantur ultra agentium intentionem. *L.* 19. *ff. de Rebus credit.*

Annus incœptus pro completo habetur. *L.* 5. *ff. Qui testam. facer.*

Argumentum à contrario sensu in jure validum prorsus est. *L.* 20. §. 6. *ff. Qui testam.*

Acta faciunt rem notoriam. *L. fin. C. de Re judicat.*

Actum nihil dicitur, cum quid superest agendum. *L.* 134. *ff. de V. O.*

Æquiparatorum eadem est dispositio. *L.* 1. *ff. de Legat.* 1.

Affectus non punitur, nisi sequatur effectus. *L.* 18. *ff. de Pœnis.*

Allegatio partis neutiquam facit jus, *capit.* 34. *de Præbend.*

Alteri per alterum fieri non debet iniqua conditio. *L.* 7. *ff. de Reg. jur.*

Anima est proculdubio corpore pretiosior, *cap.* 12. *D.* 38. *cap.* 13. *de Pœnit. & remis.*

Animus ab operibus dignoscitur, & talis præsumitur, qualem facta demonstrant. *L.* 7. *ff. de Dolo.*

Ars naturam, in quantum potest, imitatur, §. *Minorem. Instit. de Adopt.*

Ars, & natura nihil faciunt frustra *L.* 18. *ff. de V. O.*

Admissio, seu inclusio unius est sæpè alterius exclusio. *L.* 12. *ff. de Judic.*

Affectus non sufficit, nisi sequatur effectus, ubi ex necessitate opus est facto, *cap.* 1. *de Dolo, qui mittit.*

Arma Clericorum sunt lachrymæ, & orationes, *cap.* 3. 23. *q.* 8.

Aliqua leguntur, ne negligantur, aliqua, ne ignorentur: alia non ut teneamus, sed ut repudiemus, *cap.* 9. *D.* 37.

Acumen legentium turbat, & deficere cogit, qui eos à legendis sæcularibus litteris omninò æstimat prohibendos, cum & ipse Magister Gentium aliquos versus Poetarum suis scriptis, & dictis indidisset, *cap.* 8. *D.* 37.

Apud eos, quos oportet esse subjectos, dum nimia à Superiori servatur humilitas regendi frangitur authoritas, *cap.* 4. *D.* 86.

Ad ea, quæ non habent attrocitatem facinoris, vel sceleris in his ignoscitur servis, si vel Dominus, vel his, qui Vicedominorum sunt, veluti Tutoribus, & Curatoribus obtemperaverunt. *L.* 157. *ff. de Reg. jur.*

Absentia ejus, qui Reipublicæ causa abest, neque ei, neque alii damnosa esse debet. *L.* 140. *ff. de Reg. jur.*

Alterius circumventio alii non præbet actionem. *L.* 49. *ff. de Reg. jur.*

Accusans ex malitia absdubio puniendus est, *cap.* 4. *D.* 46.

Adversitas, quæ bonis votis objicitur, probatio virtutis est, non judicium reprobationis, *cap.* 48. 7. *q.* 1.

Advocatus ratione, non probris debet certare, *cap.* 2. 3. *q.* 7.

Agenda sunt multa, etiam cum invitis benigna quadam asperitate plectendis, quorum potius utilitate consulendum est, quam voluntati, *cap.* 2. 23. *q.* 1.

Ad præteritum non datur potentia, *capit.* 11. 32. *q.* 5.

Ad veritatem non possumus pervenire, nisi facti circunstantiis attentis, *capit.* 14. 23. *q.* 8.

Aliqui, dum æstimari habentes nolunt, sæpè se quibusdam exquisitionibus, plusquam necesse est exercentes, ex nimia subtilitate falluntur, *cap.* 1. *D.* 49.

Aliquando oportet malos pro pace tolerare, *cap.* 1. 23. *q.* 4.

Ad Romanam Ecclesiam omnibus sine exceptione appellare licet, quasi ad Matrem, ut ejus uberibus nutriantur, authoritate defendantur, & à suis oppressoribus releventur, *cap.* 8. 2. *q.* 6.

Amaritudo afflictionum Pastorem obligare non debet, ut à pio mentis proposito juvandi proximos, & gregem regendi recedat, & solùm propriæ quie-

quieti incumbat. *c.* 46. *c.* 47. 7. *q.* 1.

Aliquando uno peccante ita Dei super omnem Populum venit. *c.* 17. *D.* 45.

Arrogantia non ita debet caveri, ut veritas relinquatur. *c.* 11. 22. *q.* 2.

Adversa petens, & sibi contrarius audiendus non est. *c.* 54. *de Appellat.*

Ad Dignitatem majorem transeundum est à minori. *c. fin. de Translat. Episc.*

Appellatione pendente nihil innovandum est. *c.* 55. *de Appellat.*

Appellationis remedium non est ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ institutum. *c.* 61. *de Appellat.*

Abusus facit, multa etiam justè concessa revocari. *c.* 2. *de Conces. Præbend. in 6.*

Arbor, quæ inutilitèr terram occupat, succidi oportet. *c. un. de Schismat. in 6.*

Argumentum ab absurdo validum in jure est. *c.* 14. *de Præbend. in 6.*

Argumentum à contrario sensu omninò cessat, si alia jura obstent. *Extrav. un. de Judæis. Joann. XXII. junct. Glos.*

Argumentum absdubio tenet, si dicatur, non est ita, quia jure cautum non reperitur. *Extrav. un. de Vot. Joan. XXII.*

Aliquando hominum genio indulgendum est, ne fortè pejores existant, si ab aliqua consuetudine prohibeantur: nam ut ait Salomon: qui multum emungit, elicit sangninem. *c. fin. D.*4.

Argumentis frequentèr, & collationibus latens veritas aperitur. *Extrav.* 2. *de V. S. Joann. XXII.*

Accessorium naturam sequi congruit principalis. *c.* 42. *de Reg. jur. in 6.*

Alienationis verbum etiam usucapionem continet. *L.* 28. *ff. de V. S.*

Armorum appellatio non utique tantùm scuta, & gladios, & galeas significat, sed & fustes, & lapides. *L.* 41. *ff. de V. S.*

Absentem accipere debemus eum, qui non est eo loci, in quo loco petitur, & si fortè extra continentia urbis abest: cæterum usque ad continentia non abesse videtur, si non latitet. *L.* 199. *ff. de V. S.*

Æs alienum est, quod nos aliis debemus: æs suum est, quod alii nobis debent. *L.* 213. §. 1. *ff. de V. S.*

Amicos appellare debemus non levi notitia conjunctos, sed quibus fuerint jura cum patrefamilias honestis familiaritatis quæsita rationibus. *L.* 223. §. *un. ff. de V. S.*

Advena est, qui domo profugus est, & colonus adveniens appellatur. *L.* 239. §. 4. *ff. de V. S.*

Aliud est universitas, aliud singuli de Universitate. *L.* 2. *ff. Quod cujusq. Univers.*

Argumentum ab etymologia validum in jure censetur. *L.* 1. *ff. de Præcario. L.* 35. §. 1. *ff. de Mortis caus. donation.*

B

446 Bona intelliguntur deducto ære alieno. *L.* 72. *ff. de Jur. dotium.*

Bona malè possessa cum fructibus, & incrementis restitui debent. *c.* 11. *de Restitut. spoliat.*

Bona definitio converti debet cum suo definito. *L.* 1. §. 2. *ff. de Dolo.*

Bonarum mentium est ibi culpam timere, ubi culpa minimè reperitur. *c.* 2. *de Observ. jejun.*

Boni Rectores ex sua infirmitate aliorum infirmitates pensantes magis per humilitatis, & mansuetudinis levamentum studeant peccantes ab erroris laqueo eruere, quam per austeritatem in foveam perditionis nutantes propellere. *c.* 16. *D.* 45.

Bellum licitè potest fieri, non desiderio fundendi sanguinis, sed dilatandæ causa Republicæ, in qua Deus colitur, quatenùs Christi nomen per subditas gentes fidei prædicatione circumquaque discurrat. *c.* 49. 23. *q.* 4.

Bella, etiam apud veros Dei cultores justa sunt, quæ non cupiditate, aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, ut mali coerceantur, & boni subleventur. *c.* 6. 23. *q.* 1.

Bonæ rei dare consilium, & præsentis habetur vitæ subsidium, & æternæ remunerationis expectare cernitur præmium. *c.* 74. 12. *q.* 2.

Bonus Judex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito voluntatis, sed juxta Leges, & jura pronuntiat, statutis juris obtemperat *c.* 4. 3. *q.* 7.

Beneficiorum nomine, etiam majora veniunt in privilegio de percipiendis fructibus beneficiorum. *c.* 32. *de V. S.*

Bonum est quandoque respondere auditoribus, ne existiment, nos responsionis penuria declinare certamen, & fides eorum lædatur non inteligentium propositum nostrum. *c.* 2. *D.* 43.

Bonum publicum debet præferri privato. *Extrav. un. de Privileg. Joann. XXII. L.* 3. *ff. de Primipil. lib.* 12.

Brevitas in scribendo recommendabilis est. *Extrav.* 1. *de V. S. Joan. XXII.*

Beneficium Ecclesiasticum non potest li-

licitè sine institutione Canonica obtineri. *c.* 1. *de Reg. jur. in 6.*

Bona fides non patitur, ut semel exactum, iterum exigatur. *c.* 83. *de Reg. jur. in 6. L.* 57. *ff. eod.*

Bonis concessis, etiam obligationes videntur concessæ. *L.* 21. *ff. de V. S.*

Bona propriè non dicuntur, quæ plus incommodi, quam commodi, habent. *L.* 83. *ff. de V. S.*

Bonæ fidei emptor esse videtur, qui ignoravit, eam rem alienam esse. *L.* 109. *ff. de V. S.*

Beneficium Principis latissimè interpretari debet. *c.* 16. *de V. S.*

C

447 Cessante causa cessat effectus. *c.* 60. *de Appellat. L.* 6. §. 2. *ff. de Jure patron.*

Castitas est res meri consilii, ad quam non potest Ecclesia obligare. *c.* 13. 32. *q.* 1.

Conscientia est necessaria nobis; fama proximis nostris: qui fidens conscientiæ negligit famam suam crudelis est. *c.* 10. 12. *q.* 1.

Culpa in casibus fortuitis non præsumitur, nisi probetur. *L.* 18. §. 1. *ff. de Probation.*

Charitas omnia tolerat. *c. fin. de Pœnit. D.* 3.

Causa in prœmio posita censetur finalis. *L.* 21. *tit.* 1. *p.* 6.

Coacta voluntas voluntas est. *L.* 21. §. 1. *ff. de eo, quod metus caus. c.* 1. 15. *q.* 1.

Castitatem promittere est viam arctissimam ingredi. *c.* 3. *D.* 28.

Conditiones, quæ tacitè insunt, non faciunt dispositionem conditionalem. *L.* 99. *ff. de Condit. & demonst.*

Correcta ratione Legis Lex ipsa censetur correcta. *c.* 7. *de Serv. non Ordinand.*

Culpa lata dolo comparatur. *L.* 226. *ff. de V. S.*

Correlativorum idem est judicium, & in uno dispositum ad aliud trahitur. *L. fin. ff. de Acceptilat.*

Contrariorum eadem est ratio, & disciplina. *L.* 1. *ff. de His, qui sui.*

Communio non leves solet parere discordias. *L.* 77. §. 20. *ff. de Legat.* 2.

Casus superveniens, qui in personam cadit, actum non vitiat, etsi ab initio impediret. *L.* 8. *ff. de His, qui.*

Consuetudo est optima Legum interpret. *c.* 8. *de Consuet. L.* 37. *ff. de Legib.*

Consuetudo cujusque Provinciæ, quæ Sacris Canonibus non manifestè obviet sequenda est. *c.* 3. *de Donat.*

Congregatio dicitur, ubi duo, vel tres fuerint insimul. *c.* 1. *de Election.*

Correctio jurium in dubio vitanda est. *L.* 32. §. *fin. L. de Appellat. c.* 29. *de Electione in 6.*

Corpus mulieris non vis maculat, sed voluntas *c.* 6. 32. *q.* 5.

Confessio semel facta nequit revocari nisi in continenti. *c.* 7. *de Testib. cogend.*

Casus omissus Juris Communis relinquitur dispositioni. *L.* 64. §. 9. *ff. Solut. matrim.*

Consuetudo, sicuti jurisdictionem tollere, restringere, & imminuere potest, ita etiam potest jurisdictionem dare, extendere, & ampliare. *c.* 13. *de Foro competent.*

Capitulum Sedevacante, succedit in jurisdictionem Episcopi Ordinariam, secus in delegatam, & specialem. *c.* 11. *c.* 14. *de Majorit. & obedient.*

Charitas benè ordinata incipit à semetipso. *L.* 6. *ff. de Servit. c.* 9. 23. *q.* 5.

Culpa tantùm suos debet tenere Authores. *c.* 2. *de His, quæ fiunt à major. part.*

Concesso aliquo intelligitur concessum omne id, quod est necessarium ad ipsum. *L.* 2. *ff. de Jurisdict.*

Clericorum appellatione in favorabilibus veniunt omnes Ecclesiastici. *c.* 11. *de Ætat. & qualit.*

Consuetudo parem vim cum Lege habet. *c. fin. de Consuetud.*

Casus superveniens recipit interpretationem secundum casum præcedentem. *c.* 3. §. *Item. quæritur de Baptism.*

Circuitus inutiles, & vitiosi prorsus vitandi sunt. *Cl.* 3. *de Rescript.*

Conditio formam actus, cui apponitur inducit. *L.* 44. *ff. de Condit. & demonstr.*

Contrariorum contraria est ratio, & contrarius effectus. *L. fin. ff. de Edend.*

Creditores sunt quibus ex quacumque actione debetur sine ulla exceptionis perpetuæ remotione. *L.* 10. *ff. de V. S.*

Conjuncta aliquando pro disjunctis, aliquando disjuncta pro conjunctis, interdum soluta pro separatis accipiuntur. *L.* 53. *ff. de V. S.*

Collegarum appellatione hi continentur, qui sunt ejusdem potestatis. *L.* 173. *ff. de V. S.*

Cha-

Charitas phreneticum castigando, & lethargicum stimulando ambos amat; ambo offenduntur, sed ambo diliguntur: ambo melestati, quandiu ægri sunt indignantur, sed ambo sanati gratulantur. *c.* 25. 23. *q.* 4.

Congregatio dicitur, ubi duo, vel tres fuerint in simul. *c.* 1. *de Election.*

Charitas ferveat ad corrigendum, ad emendandum: si sunt boni mores delectent, si sunt mali emendentur. *c.* 26. 23. *q.* 5.

Constitutio ad præterita non extenditur, nisi nominatum de eis caveatur. *c. fin. de Constit.*

Capite languescente cætera corporis membra inficiuntur. *c.* 13. 6. *q.* 1.

Casum appetit qui ad summi loci fastigia Postpositis gradibus per abrupta quærit ascensum. *c. fin. D.* 48.

Cathedra non facit Sacerdotem, sed Sacerdos Cathedram: non locus sanctificat hominem: sed homo locum: qui benè sederit super Cathedram honorem accipit ab illa: qui malè sederit injuriam facit Cathedræ. *c. fin. D.* 40.

Cogitationis pœnam nemo patitur. *c.* 14. *de Pœnit. D.* 1.

Communicatio malorum nullum maculat, sed consensio factorum. *c.* 7. 23. *q.* 4.

Culpa caret qui scit, sed prohibere non potest. *L.* 50. *ff. de Reg. jur.*

Cujus per errorem dati repetitio est, ejus Consulto dati donatio est. *L.* 53. *ff. de Reg. jur.*

Cavillationis (quam syllogismum acervalem appellant) natura est, quod ab evidenter veris per brevissimas mutationes disputatio ad ea, quæ evidenter falsa sunt, perducatur. *L.* 65. *ff. de Reg. jur.*

Conditiones licitæ, & honestæ omninò servandæ sunt. *c.* 30. 18. *q.* 2.

Consuetudo perversa ex diuturnitate non levigat crimen, sed auget. *c.* 34. 24. *q.* 1.

Cum consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmius retineri. *c.* 7. *D.* 8.

Conversio in extremis, licèt rarò vera sit, desperandum tamen non est. *c.* 6. *de Pœnit. D.* 7.

Convivium Clericorum debet præcedere mensæ benedictio, inter mensam lectio, post mensam gratiarum actio. *c.* 8. *D.* 44.

Cum correctio districtius agitur, ex charitate agendum est, non ex furore. *c.* 11. 12. *q.* 2.

Cuilibet licet suum errorem corrigere, & illicitè commissa in melius revocare. *c.* 1. §. *Quia*, 35. *q.* 9.

Confabulatio Monachi cum Sanctimoniali debet esse per modica, & compendiosa verba, & in brevi ab ea discedat. *c.* 21. 18. *q.* 2.

Cujus in agendo quis observat arbitrium, eum habere, etiam contra se Judicem in eodem negotio non dedignetur. *c.* 1. 3. *q.* 8.

Cum displicet is, qui ad intercedendum mittitur, irati animus proculdubio ad ulteriora provocatur: neque in Omnipotentis Dei judicio quid, sed à quo datur, inspicitur. *c.* 5. 3. *q.* 7.

Crimen ubi commissum est puniri debet. *c.* 1. *de Raptor.*

Contrariorum non semper est eadem disciplina; *arg. c. fin. de V. S.*

Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori. *c.* 11. *de Reg. jur. in 6.*

Consuetudo sine veritate vetustas erroris est. *c.* 8. *D.* 8.

Cum quis in jus succedit alterius justam ignorantiæ causam censetur habere. *c.* 14. *de Reg. jur. in 6.*

Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo. *c.* 39. *de Reg. jur. in 6.*

Cui licet quod est plus, licet utique quod est minùs *c.* 53. *de Reg. jur. in 6.*

Contra eum, qui Legem dicere potuit apertius est interpretatio facienda. *c.* 57. *de Reg. jur. in 6.*

Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quominùs conditio adimpleatur, haberi debet perindè ac si impleta fuisset. *c.* 66. *de Reg. jur. in 6.*

Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti. *c.* 84. *de Reg. jur. in 6.*

Contractus ex conventione Legem accipere dignoscuntur. *c.* 85. *de Reg. jur. in 6.*

Certum est, quod is committit in Legem, qui Legis verba complectens contra Legis nititur voluntatem. *c. fin. de Reg. jur. in 6.*

Cautum intelligitur, sivè personis, sivè rebus cautum sit. *L.* 188. *ff. de V. S.*

Cedere diem significat incipere deberi pecuniam: venire diem significat, eum diem venisse, quo pecunia peti potest. *L.* 213. *ff. de V. S.*

Cum verbum. *Restituas* in Lege invenitur, etsi non specialitèr de fructibus additum est, tamen etiam fructus

sunt restituendi. *L.* 173. §. 1. *ff. de Reg. jur.*

Concordia gaudet Altissimus, & gloriatur in membris suis. *c.* 5. 9. *q.* 3.

Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. *L.* 21. *tit.* 26. *p.* 2. *junct. Gloss.*

D

448 Discretio est mater virtutum. *c.* 1. *de Offic. Custod.*

Dictio *quasi* improprietatem denotat. *L.* 2. *ff. de Inoffic. testam.*

Dolus non præsumitur, nisi probetur. *L.* 51. *ff. Pro socio.*

Dimissio momentanea moralitèr non censetur dimissio. *L.* 3. *ff. de Divort.*

Difficilè est, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. *c.* 5. *D.* 61.

Diversa profectò sunt præcipere, & permittere: quod enim permittimus nolentes præcipimus, quia malas hominum voluntates ad plenum prohibere non possumus. *c.* 9. 31. *q.* 1.

Delegatus formam mandati si sit præscripta ad amussim servare debet. *c.* 22. *de Rescript.* si non est præscripta, juris formam servabit. *c.* 13. *de Offic. Deleg.*

Dignus est operarius mercede sua. *c.* 1. *de Sepultur.*

De occultis non judicat Ecclesia. *c.* 33. *c.* 34. *de Simon. c.* 11. *D.* 32.

Debitor potest in quacumque pecunia currente solvere, si aliud non sit Conventum. *L.* 6. *tit.* 14. *lib.* 6. *R. C.*

Dispositio, quantumvis generalis censetur fieri de præsentibus, non autem de futuris, quæ nondum existunt, nisi aliud exprimatur; *arg. L.* 46. *ff. de Legat.* 2.

Dominium insolidum nequit esse apud duos. *L.* 5. §. 15. *ff. Commodat.*

Dies interpellat pro homine. *L.* 12. *C. de Contrab. stipulat. c. fin. de Locat.*

Duo testes regularitèr gerunt vicem unius, quamvis maximæ sit authoritatis. *c.* 28. *junct. c.* 23. *de Testib.*

Delegatus à Principe subdelegare potest. *c.* 3. *de Offic. delegat.* quin, & delegatus ab inferiori: non tamen generalitèr, sed in aliquibus casibus.

Deceptis, non decipientibus jura subveniunt. *c.* 8. *de Rerum permutat.*

De exiguis non curat Prætor. *L.* 4. *ff. de In integr. restitut.*

Docti in Dei Ecclesia, velut splendor fulgent firmamenti. *c. fin. de Magistr.*

Delicta merè interna solùm à Deo puniuntur, qui solus secretorum cognitor, & Judex est. *c.* 11. *D.* 34.

Dictum unius dictum nullius. *L.* 9. §. 1. *C. de Testib.*

Difficilè est injuriato temperare dolorem. *L.* 4. *C. ad Leg. Juliam de Adult.*

Dum reverentiam minores potioribus exhibent, & potiores minoribus dilectionem impediunt vera concordia fit, & ex diversitate contextio, & rectè officiorum geritur administratio singulorum. *c. fin. D.* 89.

Dubia ardua ad Apostolicam Sedem sunt referenda, ut resolvantur: *c.* 4. *D.* 17.

De rapina holocaustum offert, qui sivè ciborum nimia egestate, vel somni penuria corpus immoderatè affigit, ac proindè non est Deo acceptabile. *c.* 24. *de Cens. D.* 5.

Difficilè solent cohærere, & conjungi, quibus, & studia, & vota diversa sunt. *c.* 22. 16. *q.* 7.

Dum nimia in superioribus servatur humilitas regendi frangitur authoritas. *c.* 4. *D.* 86.

Delictum, quod in secreto fit, non palam, sed in secreto corrigi debet. *c.* 19. 2. *q.* 1.

Detestabile sanè est, in tugurio rusticano natum, & milio nutrium, in Religione similam, & mella fastidire. *c.* 71. 12. *q.* 2.

Diversitas cultus plurimum est materia discordiæ. *c. fin. D.* 90.

Dignitates in indignis vituperabiles apparent, in benemeritis recomendabiles sunt. *c.* 7. *D.* 40.

Delinquentes, qui ad sua delicta iterato, velut canes ad vomitum reversi fuerint, & veluti sues in volutabris luti jacuerint, severius puniuntur. *c.* 2. 15. *q.* 7.

Delinquentes frustra ex consortio complicis solantur, quia non propterea minùs ardent, qui cum multis ardent. *c.* 18. 2. *q.* 1.

Distingue tempora, & concordabis jura. *c.* 19. 2. *q.* 1.

Diversitas personarum diversam recipit medicinam. *c.* 1. 14. *q.* 6.

Declarare, non est novum jus edere, sed antiquum patefacere. *L.* 21. §. 1. *ff. Qui testam. c. fin. de Decim. in* 6. *junct. Glos.*

Dubia in meliorem partem interpretari debent. *c.* 2. *de Reg. jur.*

Decet, concessum à Principe beneficium esse mansurum. *c.* 16. *de Reg. jur. in* 6.

Dolo facit, qui petit, quod restituere opor-

oportet eumdem. *c.* 59. *de Reg. jur. in 6. L.* 173. §. *fin. ff. eod.*

Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare. *c.* 76. *de Reg. jur. in 6.*

Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare. *c.* 86. *de Reg. jur. in 6.*

Derogatur Legi, cum pars detrahitur, abrogatur Legi, cum prorsus tollitur *L.* 102. *ff. de V. S.*

Debitor inteligitur is, à quo invito exigi pecunia potest. *L.* 108. *ff. de V. S.*

Duobus negativis verbis, quasi permittit Lex magis, quam prohibuit. *L.* 237. *ff. de V. S.*

Dictio, *antequam*, non semper implicat. *c.* 4. *de V. S.*

Decuriones, quidam dictos ajunt, ex eo, quod initio cum Coloniæ deducerentur, decima pars eorum consilii publici gratia conscribi solita sit. *L.* 239. §. 5. *ff. de V. S.*

Domum suam reficere unicuique licet, dum non officiat invito alteri, in quod jus non habet. *L.* 61. *ff. de Reg. jnr.*

Donari videtur, quod nullo jure cogente, conceditur. *L.* 82. *ff. de Reg. jur.*

E

449 Expressa nocent, non expressa non nocent. *L.* 195. *ff. de Reg. jur.*

Exempla regulam declarant. *L.* 3. §. 2. *ff. de Collation.*

Experientia rerum mater est, & magistra. *c.* 6. *de Election. in 6.*

Extrema omnia communitèr sunt vitiosa, & ex duobus contrariis fit medium optimum. *L.* 6. §. *fin. ff. de Offic. Procons.*

Erubescimus, dum sine textu loquimur. *L.* 9. *C. de Collation.*

Extra territorium jus dicenti non paretur impune. *L. fin. ff. de Jurisdict. C. fin. de Constit. in 6.*

Effectus Legis non debet excedere Legislatoris voluntatem. *L.* 19. *ff. de Rebus credit.*

Exemptus ratione officii fit subditus Ordinarii. *c.* 16. *de Privileg. c.* 1. *eod. in 6.*

Ecclesia jure minoris gaudet. *c.* 1. *de In integr. restitut.*

Eccclesia solùm spiritualem gladium habet, & quidem non ad occidendum, sed ad vivificandum. *c.* 6. 33. *q.* 2.

Exceptio debet esse de regula. *L.* 18. *ff. de Testib.*

Exceptio declarat regulam. *L.* 4. §. 1. & 2. *ff. de Penu legat.*

Exceptio firmat regulam in contrarium. *L.* 20. §. 6. *ff. Qui testament.*

Exemptus suam exemptionem, et privilegia defendere, & conservare tenetur. *c.* 8. 7. *q.* 1. *c.* 5. *de Arbitr.*

Error consensum excludit, & imperitiam detegit. *L.* 15. *ff. de Jurisdict.*

Ex principio generali Lex generalis censetur, quin per exempla restringatur. *L.* 9. §. *fin. ff. de Jur. &. fact. ignor.*

Error facti ne maribus quidem in damnis, vel in compendis obstet, juris autem error nec fœminis in compendiis prodest. Cœterum omnibus juris error in damnis amittendæ rei suæ non nocet. *L.* 8. *ff. de Jur. &. fact. ignorant.*

Expediens profectò est singulas causas singulis appellationibus distingui. §. 5. *Inst. quib. mod. testamenti.*

Episcopus in aliena Diœcesi ut privatus habetur. *c.* 1. 16. *q.* 5.

Expressio eorum, quæ tacitè insunt nihil operatur. *L.* 3. *ff. de Legat.* 1.

Ex casu fortuito quis tenetur, si præcessit culpa, pactum, vel mora. *C. un. de Commodat.*

Ex conversatione æquali contemptus dignitatis nascitur. *L.* 19. *ff. de Offic. Præsid.*

Ex majoritate, & majori decore ornatum majoritas apparet dignitatum. *c.* 6. *de Privileg. in 6.*

Ecclesiastica censura comprehendit excommunicationem, suspensionem, & interdictum. *c.* 20. *de V. S.*

Ejus est nolle, qui potest velle. *L.* 3. *ff. de Reg. jur.*

Ea quæ raro accidunt non temerè in negotiis computantur. *L.* 64. *ff. de Reg. jur.*

Exceptio, cum ad defensionem reorum pertineat, Jure Naturali conceditur. *c.* 5. *de Exception.*

Ecclesia Romana est caput, Mater, & Magistra omnium Ecclesiarum. *c.* 1. *D.* 12.

Error, cui non resistitur, approbatur. *c.* 3. *D.* 83.

Extra Ecclesiam nullus omninò salvatur. *c.* 1. *de Sum. Trinit.*

Ecclesia nulli claudit gremium redeunti. *c.* 4. *de Heretic. in 6.*

Episcopus, qui crimina non corrigit, magis dicendus est canis impudicus, quam Episcopus. *c.* 2. *D.* 83.

Ecclesia pro malefactoribus intercedere debet, sed non eos defendere. *c.* 3. 24. *q.* 6.

Ecclesia Catholica est multitudo fidelium fide, & charitate unita: *c.* 38. 1. *q.* 1.

Ecclesia Romana est prima Petri Apostoli sedes non habens maculam, neque rugam. *c.* 3. *D.* 21.

Ecclesia Romana habet plenitudinem potestatis, aliæ Ecclesiæ vocatæ sunt in partem solicitudinis. *c.* 8. 3. *q.* 6.

Ecclesiæ omnes Ecclesiam Romanam debent sequi. *c.* 11. *D.* 11.

Eleemosyna, quæ corporalitèr datur, si non benigno corde tribuitur, omninò non sufficit. *c.* 13. *D.* 45.

Episcopus in quolibet loco sedens stare Presbyterorum non patiatur. *c.* 9. *D.* 95.

Episcopo non sufficit æqualem cum subditis gerere vitam; sed sicut est in honore superior, sic, & vita debet esse præstantior. *C. fin.* 8. *q.* 1.

Expedit facultates Ecclesiæ possideri, & proprias perfectionis amore contemni. *c.* 13. 12. *q.* 1.

Ecclesiæ Matricis nomine communitèr non Romana; sed Cathedralis intelligitur. *c.* 22. *de V. S.* quin, & aliquando intelligitur Parochialis. *Clem.* 1. *de Sentent. Excommun.*

Ejus est interpretari, cujus est condere. *c.* 12. *de Judic.*

Ea, que fiunt à Judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt. *c.* 26. *de Regul. jur. in* 6. *L.* 170. *ff. eod.*

Eum, qui certus est certiorari ulterius non oportet. *c.* 31. *de Reg. Jur. in* 6.

Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare. *c.* 38. *de Reg. jur. in* 6.

Exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarii confiteri. *c.* 63. *de Reg. jur. in* 6.

Ea, quæ dari imposibilia sunt, vel quæ in rerum natura non sunt, pro non adjectis habentur. *L.* 135. *ff. de Reg. jur.*

Et si nihil facilè mutandum est ex solemnibus, tamen ubi æquitas evidens exposcit, subveniendum est *L.* 183. *ff. de Reg. jur.*

Excessus, & peccata Prælatorum non facilè credi debent, quia quasi signum ad sagittam positi sunt *c.* 24. *de Accus.*

Ex majori sede major dignitas cognoscitur. *c.* 23. *de Privileg.*

F

450 Falsus, & mendax est qui veritatem occultat, & qui prodit mendacium: ille, quia prodesse non vult, iste, quia nocere desiderat. *c.* 1. *de Crimin. fals.*

Facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi. *c.* 13. *de Vita, & honest.*

Familiaritas nimia mulierum antiqui hostis stimulos incitat. *c.* 23. *D.* 81.

Facilius jura conservantur, quam adquiruntur. *L.* 8. *ff. de His, qui sui.*

Fines mandati diligentèr sunt custodiendi. *L.* 5. *ff. Mandat. c.* 22. *de Rescript.*

Facilius invenitur quod à pluribus senioribus quæritur. *c.* 3. *D.* 20.

Frangenti fidem fides non est servanda. *L.* 21. *ff. de Inoffic. Testam.*

Facientes, & consencientes æquali pœna puniuntur. *c.* 29. *de Sentent. excom.*

Forma, etiamsi in minimo deficiat, totus actus corruit. *L.* 8. §. *Si præter, ff. de Transact.*

Fundamento destructo, ædificium super ædificatur corruit. *L.* 8. *ff. Quod vi aut clam.*

Fere imposibile est quod omnes in idem placitum consentiant. *L.* 1. §. *fin. ff. de Adquirend. posses.*

Finis est primus in intentione, & ultimus in executione. *L.* 1. *C. de Execut. rei judic.*

Fides publica, etiam hostibus est servanda. *L.* 5. §. 1. *ff. de Pactis. c.* 3. 23. *q.* 1.

Factum præsumitur quod fieri consuevit. *L.* 14. *ff. de Annuis legat.*

Factum non præsumitur, nisi, probetur. *L.* 12. §. *Facti, ff. de Captiv. & com. DD.*

Fictio cessat, ubi veritas locum habere non potest. *L.* 16. *ff. de Adoption.*

Fortitudo, quæ vel in bello tuetur à Barbaris Patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus Socios plena justitiæ est. *c.* 5. 23. *q.* 3.

Ferro necesse est, ut abscindantur vulnera, quæ fomentorum non senserint medicinam. *c.* 4. *D.* 82.

Falsa mansuetudo crudelitas est. *c.* 24. 23. *q.* 4.

Fletus immoderatus non debet fieri pro morte amicorum, quia ipsos per mortem non amittimus, sed præmittimus. *c.* 25. 13. *q.* 2.

Factum legitimè retractari non debet, licèt casus posteà eveniat à quo non potuit inchoari. *c.* 73. *de Reg. jur. in* 6.

Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat. *c.* 75. *de Reg. Jur. in* 6.

Filii appellatione omnes liberos intelligimus *L.* 84. *ff. de V. S.*

Forus est exercendarum litium locus. *c.* 10. *de V. S.*

Fœminæ ab omnibus oficiis civilibus, vel publicis remotæ sunt. *L.* 2. *ff. de Reg. jur.*

Furiosus nullum negotium contrahere potest. *L.* 5. *ff. de Reg. jur.*

Furiosi, vel ejus, cui bonis interdictum sit, nulla voluntas est. *L.* 40. *ff. de Reg. jur.*

Ferè in omnibus pœnalibus Judiciis, & ætati, & imprudentiæ sucurritur. *L.* 108. *ff. de Reg. jur.*

Favorabiliores rei potius, quam actores habentur. *L.* 125. *ff. de Reg. jur.*

Factum cuique suum, non adversario nocere debet. *L.* 155. *ff. de Reg. jur.*

Facta prudentissimos plerumque fallunt. *L.* 2. *ff. de Jur. & fact. ignor.*

G

451. Generales definitiones ad generales, non ad singulares casus adaptari debent. *L.* 5. *ff. de Legib.*

Generalis dispositio omnes species, sub se contentas comprehendit. *L.* 79. *ff. de Legat.* 3.

Gladio sæculari utendum est, quando spiritualis contemnitur potestas. *c.* 9. *de Heretic.*

Gloria Episcopi est pauperum inopiæ providere: ignominia Sacerdotis est propriis studere divitiis. *c.* 71. 12. *q.* 2.

Gratias debemus agere Deo, & hominibus, à quibus beneficia accepimus. *c.* 65. 16. *q.* 1.

Generi per speciem derogatur. *c.* 34. *de Reg. jur. in* 6. *L.* 80. *ff. eod.*

H

452. Habitus non facit Monachum, sed Professio Religiosa. *c.* 13. *de Regularib.*

His quibus interdicitur, ut absque Superioris licentia eligere non præsumant: tempus statutum à Canone currit ex quo in mora fuerint licentiam hujusmodi postulandi. *c. fin. de Elect.*

Hæres personam defuncti representat. *L.* 14. *C. de Re vindicat.*

Homo debet facere, etiam pro temporali hominum salute, quod possit. *c.* 15. 22. *q.* 2.

Homines disparis professionis difficilè sociantur, ac proindè non debet quis ad regionem illorum, qui diversæ professionis sunt, eligi: quia secundum Legem Divinam non est arandum in bove, & asino, nec quisquam debet induere vestem de lana, linoque contextam. *c.* 27. *de Elect.*

Habentibus dare, nihil aliud est, quam perdere. *c.* 1. 1. *q.* 2.

Horrenda impietas est de Dei bonitate desperare. *c.* 13. 26. *q.* 6.

Homini Religioso partum esse debet inimicias aliorum non exercere, vel non augere malè loquendo, nisi etiam eas extinguere benè loquendo, studierit. *c.* 89. 11. *q.* 1.

Habere non potest Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet Matrem. *c.* 19. 24. *q.* 1.

Hoc tollit fiscus quod non accipit Christus. *c.* 8. 16. *q.* 1.

Honor non est suscipiendus, nisi prius is, qui adspici, desiderat, vires suas cum onere metiatur. *c.* 27. 1. *q.* 1.

Humani moris est illum vereri, cujus judicio, & voluntate nunc erigitur, nunc deprimitur. *c.* 1. 16. *q.* 2.

Honor divitiis proculdubio præferri debet. *L.* 26. *ff. Si quis omis. caus. testam.*

Hæreditas nihil aliud est, quam successio in universum jus, quod defunctus habuit. *L.* 24. *ff. de V. S.*

Hostes sunt hi, qui nobis, aut, quibus nos publicè bellum decrevimus. Cæteri latrones, aut prædones sunt. *L.* 118. *ff. de V. S.*

Hæreditatis appellatio etiam damnosam hæreditatem continent. *L.* 119. *ff. de V. S.*

Hæredis appellatio non solum ad proximum hæredem, sed & ad ulteriores refertur, nisi in aliquibus casibus *L.* 65. *L.* 70. *ff. de V. S.*

Hæredem ejusdem potestatis, jurisque esse, cujus fuit defunctus, constat *L.* 59. *ff. de Reg. jur.*

I

452. In quo quis peccat, debet puniri *arg. c.* 2. *de Temp. ordinat.*

In benè constituta Republica pœnis, & præmiis propositis homines ad virtutem impellere, allicereque vehementèr Legumlatores student. *L.* 1. §. 1. *ff. Just. & jur. L. fin. C. de Statuis, & imagin. L.* 3. *tit.* 1. *p.* 1.

Judex, qui suæ jurisdictionis limites excedit, ut privatus habetur, eique potest resisti. *L.* 5. *C. de Jur. fisci.*

Juri publico non potest à privatis renuntiari. *c.* 12. *de Foro compet. L.* 38. *ff. de Pactis.*

Idem

Idem juris est de toto ad totum, ac de parte ad partem. *L. 76. ff. de Rei vindic.*

Jus Canonicum æquitate fundatur potius, quam subtilitate nimia. *c. 6. de Judic. c. fin. de Transact.*

In ipsa Ecclesia ubi maximè misereri decet teneri quam maximè debet forma justitiæ. *c. 33. 23. q. 4.*

Jura juribus concordari debent. *c. 29. de Elect. in 6.*

Inter alios res acta aliis non præjudicat. *c. 6. de Fidei instrument.*

Id possumus quod de jure possumus. *L. 125. ff. de V. S.*

Juramentum, quod sine dispendio salutis æternæ, & tertii præjudicio potest impleri, servandum est. *c. 28. de Jur. jur.*

Judex non de Legibus, sed secundum Leges debet judicare. *c. 3. D. 4.*

Judex delegatus in causa sibi commissa est major quocumque Judice Ordinario. *c. 11. de Offic. Delegat.*

Judicis est æstimare, an sua sit jurisdictio. *L. 5. ff. de Judic.*

Idem est aliquid fieri tempore prohibito, ac in tempus prohibitum conferri. *L. 13. ff. de Jurisdict.*

In necessitate extrema bona communia sunt. *L. 2. ff. ad Leg. Rhod. c. 8. D. 47.*

Inter duo mala, si utrumque vitari nequeat, minus eligi ipsa ratio naturalis dictat. *c. 1. D. 13. c. 7. 22. q. 4. L. 200. ff. de Reg. jur.*

Interest magis non solvere, quam solutum repetere. *L. 3. ff. de Compensat.*

Iniquum est ex alterius pacto alterum obligari. *L. 26. C. de Transact.*

In notoriis cognitio judicialis non requiritur. *c. 1. de Offic. Delegat. in 6.*

Iteratio notabiliter aggravat delictum. *L. 28. §. 2. & 10. ff. de Pœnis.*

Judex desinit esse Judex ex quo causam retulit superiori. *c. 5. de Offic. Legat.*

In contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis plenisima est interpretatio adhibenda. *c. 6. de Donation.*

In causis spiritualibus possunt puberes, etiam sine curatore stare in judicio. *c. fin. de Judic. in 6.*

In causis Ecclesiasticis Leges Sæculares non dedignantur Sacros Canones imitari. *c. fin. de Secund. nupt.*

In restitutione, quæ ex justitia fit, debet restituens fructus reddere, omnia cum integritate restituere, damna plenariè resarcire, & de illatis injuriis competenter satisfacere. *c. 11. de Restitut. spoliator.*

Ille tantùm repudiare potest, qui potest adquirere. *L. 13. ff. de Adquir. hæredit.*

Ille intelligitur rem facere; v. g. subscribere, cujus nomine res fit. *L. 1. §. 12. ff. de Vi, & vi armat.*

In omni juramento intelligitur excepta voluntas Superioris. *c. 19. de Jur. jur.*

Invito beneficium non datur. *L. 69. ff. de Reg. jur.*

In generali administratione bonorum non venit facultas donandi, nisi expressè concedatur, cum donare perdere sit. *L. 7. ff. de Donation.*

Ingratus debet beneficio spoliari. *c. fin. de Postuland. c. fin. de Donation.*

Inanis est actio, quam inopia debitoris excludit. *c. 16. de Restitut. spoliat.*

Incivile profectò est, quemquam jus sibi dicere. *L. un. C. Ne quis in sua caus. L. 10. tit. 4. p. 3.*

Jus totum per minimam facti mutationem mutatur. *L. 31. ff. de Excusat. Tutor.*

In Legibus magis simplicitas, quam difficultas placere debet. §. 7. *Inst. de Fideic. com. hæred.*

In dubiis semitam oportet eligere tutiorem. *c. 12. c. 18. de Homicid.*

In dubio non præsumitur donatio, cum nullus bona præsumatur jactare. *L. 25. L. de Probation.*

In medio consistit virtus, quando extrema sunt vitiosa. *L. 6. §. fin. ff. de Offic. Proconsul.*

In dubio pro Judice præsumitur. *c. 7. de Probation.*

Intentio implicita idem operatur ac expressa. *L. 3. ff. de Rebus credit.*

Ignorantia mater cunctorum errorum maximè in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. *c. 1. D. 38.*

In quacumque arte ejus peritiis fides adhibenda est. *c. 4. de Probat. L. 12. ff. de Statu homo. L. 8. tit. 14. p. 3.*

Juramentum ita interpretatur, ut non obliget, nisi res in eodem statu permanet. *c. 25. de Jur. jur.*

Judex debet pœnam in jura statutam infligere, si nulla in jure statuta reperiatur, pro arbitrio imponet. *c. 4. §. 1. de Offic. Delegat.*

In dubio non præsumitur delictum. *L. 51. ff. Pro socio.*

Inferior Superioris Legem infringere nequit. *c. 16. de Majorit. & obed.*

Jus ex facto oritur. *L. 4. tit. 16. lib. 2. R. C. L. 52. §. 2. ff. ad Leg. Aquil. junct. Glos.*

Indignum est, aliquem infirmare, quod sua voce dilucidè potestatus est, proprio-

priorque testimonio resistere. *L.* 13. *C. de Non numerat. pecun.*

In alieni, secus proprii, ignorantia facti tolerabilis est error. *L. fin. in fin. ff. Pro suo.*

Injuria neutiquam debet nasci undè jura nascuntur. *c.* 17. *de Accusat.*

Integrum prorsus est judicium, quod plurimorum sententia confirmatur. *c.* 22. *de Offic. delegat.*

In præmiis, & dignitatibus conferendis, potius quam generis, virtutum nobilitas, vitæque honestas debent attendi. *c.* 36. *de Præbend.*

In persona infami indignè dignitas collocatur. *c.* 3. *D.* 81. *c.* 11. *de Excesib. Præl.*

Indubio consuetudo loci est attendenda: quod si hæc varia sit, ea potius attenditur, quæ magis rationabilis est, & aliis minùs præjudicat. *c.* 6. *de Consuet.*

Inimicitiæ benè loquendo extinguntur. *c.* 89. 11. *q.* 3.

Inter armorum strepitum silent Leges. *L. un. C. de Caduc. tollend.*

Interfecisse videtur, qui cum potuisset, noluit liberare. *c.* 6. *de Homicid.*

Integritas Præsidentium salus est subditorum. *c.* 5. *D.* 61.

In obscuris, vel dubiis id est sequendum, quod Legibus non sit contrarium. *c. fin. D.* 14.

In omnibus quidem, maximè tamen in jure æquitas spectanda est. *L.* 90. *ff. de Reg. jur.*

In ambiguis orationibus maximè spectanda est sententia ejus, qui eas protulisset. *L.* 96. *ff. de Reg. jur.*

In hæredem non solent actiones transire, quæ pœnales sunt ex maleficio. *L.* 111. §. *un. ff. de Reg. jur.*

Imperitia culpæ adnumeratur. *L.* 132. *ff. de Reg. jur.*

Is damnum dat, qui jubet dare *L.* 169. *ff. de Reg. jur.*

In vanitate, & obscuritate sensus ambulant, qui sæcularibus disciplinis, & Gentilium, & Poetarum figmentis curiosius incumbunt. *c.* 3. *D.* 37.

Jura non constituuntur de his, quæ rarò; sed de his, quæ communitèr, frequentèrque eveniunt. *L.* 4. *L.* 5. *L.* 6. *ff. de Legib.*

In omnibus causis pro facto accipitur id, in quo per alium mora est, quo minus fiat. *L.* 39. *ff. de Reg. jur.*

Juramentum sequitur naturam actus, cui accedit. *c.* 25. *de Jur. jur.*

Juramentum non debet esse vinculum iniquitatis. *c.* 69. *de Reg. jur. in* 6.

Incola dicitur, qui in aliquam Regionem domicilium suum contulit. *L.* 239. §. 2. *ff. de V. S.*

Jurans obedire Prælato, & Ecclesiæ, non Clero Diœcesano, sed Capitulo Ecclesiæ Cathedralis obedire tenetur. *c.* 19. *de V. S.*

Jus nostrum non patitur eundem in paganis, & testato, & intestato decisisse. *L.* 7. *ff. de Reg. jur.*

Jura sanguinis nullo Jure Civili dirimi possunt. *L.* 8. *ff. de Reg. jur.*

Id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest. *L.* 11. *ff. de Reg. jur.*

In errorum barathrum facilitèr ruunt, qui conceptus proprios Patrum definitionibus anteponunt. *Extrav. de Religios domib. Joan. XXII.*

In ipso causæ initio non est à questionibus incoandum. *c.* 6. *de Reg. jur.*

In pari delicto, vel causa potior est contio possidentis. *c.* 65. *de Reg. jur. in* 6. *L.* 128. *ff. eod.*

In malis promissis fidem non expedit observari. *c.* 69. *de Reg. jur. in* 6.

In alternativis debitoris est electio, & sufficiat alterum adimpleri. *c.* 70. *de Reg. jur. in* 6.

Iteratum non intelligitur, quod ambigitur esse factum. *c.* 3. *de Presbyt. non baptiz.*

Ille condemnat, qui potest absolvere. *c.* 27. 24. *q.* 1.

Ignorantia non habet locum in his, quæ publicè fiunt. *c. fin. qui matrim. accus.*

Indignum est dare Deo, quod dedignatur homo. *c. fin. D.* 49.

In Omnipotentis Dei judicio, non quid, sed à quo datur, inspicitur. *c.* 5. 3. *q.* 7.

In uno, eodemque officio non debet esse dispar professio. *c.* 22. 16. *q.* 7.

Infideles non possumus Christo lucrari si eorum colloquium vitamus, & convivium. *c.* 17. 23. *q.* 4.

In arduis negotiis graves, expertosque viros nostris consiliis adhibere participes debemus, & cum eis communi de hoc deliberatione pensare. *c.* 119. 1. *q.* 1.

Incongruum est, quod cum unum officium pro sui magnitudine diligentèr quis non potest explere, ad duo videatur idoneus. *c.* 38. 16. *q.* 1.

In eleemosyna, & liberalitate modus adhibendus est rerum, & personarum: rerum, ut non omnia uni, sed singulis quædam præstentur, ut pluribus prodesse possimus: personarum, ut primum justis, deindè peccatoribus, quibus tamen dare prohibemur, non quia ho-

homines sunt, sed quia peccatores. *c.* 6. §. *in ipsa*, *D.* 86.

In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum: quod incautè vovisti, ne facias: impia enim est promissio, quæ scelerè adimpletur. *c.* 5. 22. *q.* 4.

Incompositio corporis inæqualitatem indicat mentis. *c. fin.* §. *sicut*, *D.* 41.

In lata gente gloria Regis est, in diminutione contritio Principis. *c.* 11. V. *Item David*, 1. *q.* 4.

Ingratitudo omni jure reprobatur. *c.* 62. 12. *q.* 2.

Judicantem oportet, cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere, & tamdiu actio ventiletur, quousque ad rei veritatem perveniatur, *c. fin.* 30. *q.* 5.

Judices, qui antequam intelligant, judicant, in labyrinthum erroris impingunt. *c.* 1. *D.* 29.

Judicet ille de alterius errore, qui non habet quod in se ipso condemnet: judicet ille, qui non agit eadem, quæ in alio putaverit punienda. *c.* 4. 3. *q.* 7.

Judex non debet esse facilis ad credendum, nec ad vindictam ferendam. *c.* 23. *D.* 86.

Judex in loco judicii debet conscientiam, quam de domo portavit deponere, & secundum allegata, & probata procedere. *c.* 4. 3. *q.* 7. *c.* 2. *de Offic. Ordin.*

Judicium humanum pervertitur timore, cupiditate, odio, & amore. *c.* 78. 11. *q.* 3.

In bellis jure culpatur nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus, atque implacabilis animus, feritas rebellandi, & libido dominandi. *c.* 4. *c.* 23. *q.* 1.

Injuria propriæ personæ cum patientia, & gaudio est sustinenda, sed injuria Dei acerrimè est ulciscenda. *c.* 26. §. *Potest*, 23. *q.* 4.

In qualibet Communitate, quantumcumque Sancta, aliqui mali reperiuntur. *c.* 9. *D.* 47.

In dubiis benigna interpretatio fieri debet. *c.* 21. *de Jur. jur.*

Judex, si quid à litigatoribus, vel ab his, qui negotiis assistunt, minus fuerit dictum, id supplere, & proferre quod sciat debet, quod Legibus, & juri publico convenit. *L. un. C. Ut quæ desunt Advocatis.*

In electione non dignitas, sed numerus eligentium attenditur. *c.* 22. *de Elect.*

Idoneus quilibet præsumitur donec contrarium probetur. *c. fin. de Præsumpt.*

Jus Canonicum per Civile juvatur, & è contra. *c.* 1. *de Novi oper. nuntiat.*

In pœnis infligendis debet Judex dignitati, & personæ deferre. *c.* 28. *de Offic. Delegat.*

Inter vincula æqualis roboris prius prævalet posteriori. *c.* 22. *de Sponsal. & matrim.*

In causa appellationis potest utraque pars non allegatum allegare, & non probatum probare. *L.* 4. *C. de Temp. appellat.*

Judex in adeundo facilem se præbeat; sed contemni non patiatur: In cognoscendo, neque excandescere adversus eos, quos malos putat, neque precibus calamitosorum inlachrymari oportet: id enim non est constantis, & recti Judicis, cujus animi motum vultus detegit. Et summatim ita jus reddi debet, ut autoritatem dignitatis ingenio suo augeat. *L.* 19. *ff. de Offic. Præsid.*

In pluribus eventibus quot capita tot sententiæ. *c.* 151. *de Cons. D.* 4. *Extrav.* 1. *de V. S. Joann. XXII.*

In re communi potior est conditio prohibentium. *c.* 56. *de Reg. jur. in* 6.

In judiciis non est acceptio personarum habenda. *c.* 12. *de Reg. jur. in* 6.

Ignorantia facti, non juris excusat, *c.* 13. *de Reg. jur. in* 6.

Indultum à jure beneficium non est alicui auferendum. *c.* 17. *de Reg. jur. in* 6.

In obscuris nimium est sequendum. *c.* 30. *de Reg. jur. in* 6. *L.* 35. *ff. eod.*

Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum. *c.* 41. *de Reg. jur. in* 6.

Is, qui tacet non fatetur, sed nec utique negare videtur. *c.* 44. *de Reg. jur. in* 6. *L.* 142. *ff. eod.*

Is, qui in jus succedit alterius eo jure, quo ille uti debebit. *c.* 46. *de Reg. jur. in* 6.

In pœnis benignior est interpretatio facienda. *c.* 49. *de Reg. jur. in* 6.

Intextatus est, non tantùm qui testamentum non fecit, sed etiam cujus ex testamento hæreditas adita non est. *L.* 64. *ff. de V. S.*

In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa. *c.* 78. *de Reg. jur. in* 6.

In toto partem non est dubium contineri. *c.* 80. *de Reg. jur. in* 6.

Immoderata correctio, vel pœnitentia, vel severitas facit deteriores. *c.* 6. & 16. *D.* 45. *c. fin. D.* 4.

In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus. *c.* 81. *de Reg. jur. in 6.*

Infamibus portæ non pateant Dignitatum. *c.* 87. *de Reg. jur. in 6.*

In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur. *L.* 14. *ff. de Reg. jur.*

Is, qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur. *L.* 15. *ff. de Reg. jur.*

In eo, quod, vel is, qui petit, vel is, à quo petitur, lucro facturus est, durior causa est petitoris. *L.* 33. *ff. de Reg. jur.*

Indignum est, & à Romanæ Ecclesiæ consuetudine alienum, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur. *C. fin. de Reg. jur.*

In notoriis ordinem judiciarium non servari per omnia ipsa ratio juris postulat, & requirit. *c.* 21. *de Jur. jur.*

In gradu cæteros antecedat, quem stipendia meliora, vel labor prolixior fecerit anteire. *L.* 2. *C. de Officio Magistri officiorum.*

L

454 Limitata causa limitatum producit effectum. *L.* 16. *ff. de Adquir. rer. domin.*

Legibus, non exemplis judicandum est. *L.* 14. *C. de Sentent. & interloc.*

Lex præsumit, pecuniam non esse numeratam, utcumque Chirographum hoc testetur. *L.* 3. *C. de Non numer. pec.*

Leges rebus, non verbis impositæ sunt. *L.* 2. *C. Commun. delegat.*

Lex quamvis dura servanda est. *L.* 13. §. 1. *ff. Qui, & à quib.*

Locutio indefinita æquivalet universali. *L.* 23. *ff. de Servit. prædior. urban. L.* 44. *ff. de Leg.* 2.

Lex generaliter loquens generaliter intelligenda est. *L.* 8. *ff. de Public. in rem. action.*

Lex Divinæ Constitutionis Apostolicam Cathedram totius possuit Orbis terrarum Magistram, ut quidquid ubique locorum dubitatur, ab ea ratio ejusdem requiratur. *c.* 18. 27. *q.* 2.

Lex correctoria, & exorbitans non ampliatur à paritate, quin nec à majoritate rationis *L.* 14. *ff. Legib.*

Laicis obsequendi adest necessitas, non authoritas imperandi. *c.* 23. 16. *q.* 7.

Loca exempta locis extraneis purificantur. *c.* 6. 18. *q.* 2.

Laici communiter Clericis infesti sunt. *c.* 5. 2. *q.* 7.

Libertas omnibus rebus favorabilior est. *L.* 122. *ff. de Reg. jur.*

Loca sine gratia Dei animam salvare non possunt; nam Loth in ipsa perversa Civitate fuit justus, in monte peccavit. Quid enim Paradiso jucundius? quid Cœlo securius? & tamen homo ex Paradiso, & Angelus de Cœlo peccando cecidit. *c.* 10. *D.* 40.

Locus regiminis desiderantibus negandus est, & fugientibus offerendus. *c.* 9. 1. *quæst.* 1.

Lex debet esse justa, honesta, possibilis, secundum naturam, secundum Patriæ consuetudinem, loco, temporique conveniens, utilis, manifesta, nullo privato commodo, sed pro communi Civium utilitate conscripta. *c.* 2. *D.* 4.

Leges factæ, sunt, ut earum metu humana coerceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio refrænetur nocendi facultas. *c.* 1. *D.* 4.

Lex Naturæ omnia communia fecit, sed jure humano facta est divisio. *c.* 1. *D.* 8. *c.* 2. 12. *q.* 1.

Leges Divinæ, & Humanæ, & malis pœnam, & bonis præmia, justitia suadente, constitunt. *c.* 42. 23. *q.* 5.

Lex opus inspicit, non voluntatem. *c.* 13. 15. *q.* 1.

Legis auxilium frustra invocat, qui committit in Legem. *c.* 23. *de Election. c.* 14. *de Usur.*

Legislator benè potest, & quidem solus in Jure Communi dispensare. *c.* 4. *de Conces. præbend.*

Locupletari non debet quis cum alterius injuria, vel jactura. *c.* 48. *de Reg. jur. in 6. L.* 14. *ff. de Condict. indeb.*

Lites quantum fieri possit abbreviandæ, quin & vitandæ sunt. *c.* 5. *de Dolo, & contum.*

Litus est quousque maximus fructus à mari pervenit. *L.* 96. *ff. de V. S.*

Librarii error non nocet Authori. *L.* 92. *ff. de Reg. jur.*

Lata culpa est nimia negligentia, id est, non intelligere, quod omnes intelligunt. *L.* 213. §. *fin. ff. de V. S.*

Locuples est, satis idoneè habet pro magnitudine rei, quam actor restituendam esse petit. *L.* 234. §. 1. *ff. de V. S.*

Lis mota dicitur, cum fuerit contestata. *c.* 30. *de V. S.*

Libertas inæstimabilis res est. *L.* 160. *ff. de Regul. jur.*

M

455 Manifesta accusatione non indigent. *c.* 9. *de Acusat.*

Magis expedit Reipublicæ firmas, & permanentes habere Leges, quam prætextu meliorum sæpè mutare. *L.* 2. *ff. de Constitut. princip.*

Melius est intacta jura servare, quam post vulneratam causam remedium quærere. *L. fin. C. In quib. caus. in integ. restit.*

Mixtum sub simplicibus continetur. *L.* 13. *ff. de Liber. & posthum. L.* 81. *ff. de Hæred. instit.*

Mandatum rei turpis nullum est. *L.* 22. §. 6. *ff. Mandat.*

Mandatum re integra morte mandatarii, vel mandantis finitur. *L.* 15. *C. Mand.*

Mors omnia solvit. *Auth. de Nupt.* §. *de Inces. col.* 4.

Malorum consortia sæpè bonos corrumpunt : quanto magis eos, qui ad vitia proni sunt? *c.* 12. 28. *q.* 1.

More Romano dies à media nocte incipit, & sequentis noctis media parte finitur. Ita quidquid in his 24. horis (id est, duabus dimidiatis noctibus, & luce media) actum est, perindè est, ac si quavis hora lucis actum esset. *L.* 8. *ff. de Feriis.*

Multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in judicium, exigente justitia, non debent tolerari. *c.* 18. *de Præbend.*

Mandatum speciale derogat generali. *c.* 1. *de Rescript.*

Malitia sapè supplet ætatem. *c.* 9. *de Desponsat. impuber.*

Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. *c.* 16. *de Regular.*

Multorum experimenta morborum cogunt multas invenire medicinas. *c.* 25. *D.* 50.

Multa pro utilitate communi contra juris asperitatem ex æquitatis mansuetudine, tolerari decet. *c.* 3. *de Sentent. & re judic. in* 6.

Melius est habere rem, quam actionem ad illam. *L.* 204. *ff. de Reg. jur.*

Manifesta peccata non sunt occulta tantum cerrectione purganda. *c.* 1. *de Pœnitent. & remis.*

Mendax precator carere debet penitus impetratis *c.* 20. *de Rescript.*

Multo utilius est pauca idonea effundere, quam multis inutilibus homines prægravare. *L.* 2. §. 16. *C. de Veter. jur. enucl.*

Manifestum dicitur de quo constat per confessionem, vel probationem legitimam, vel rei evidentiam. *c.* 23. *c.* 24. *de V. S.*

Melior conditio nostra per servos fieri potest, deterior fieri non potest. *L.* 133. *ff. de Regul. jur.*

Minus est actionem habere, quam rem. *L.* 204. *ff. de Regul. jur.*

Magis dignum trahit ad se minus dignum. *L.* 43. *ff. de Rei vindicat.*

Mali à malo prorsus sunt prohibendi, & cogendi ad bonum. *C. fin.* 23. *q.* 4.

Melius est pro veritate pati supplicium, quam pro adulatione recipere beneficium. *c.* 81. 11. *q.* 3.

Miscenda est profecto lenitas cum severitate, faciendumque quoddam ex utraque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. *cap.* 9. *D.* 45.

Melior est in male factis humilis confessio, quam in bonis superba gloriatio. *c.* 89. 11. *q.* 3.

Mitius agendum est cum eo, qui commissum facinus facili confessione est confessus. *c.* 3. *D.* 50.

Mala consuetudo non minus, quam perniciosa corruptela radicitus est evellenda. *c.* 3. *D.* 8.

Melius est pro misericordia rationem reddere, quam propter crudelitatem. Ubi enim Paterfamilias largus est dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus est, ut quid Sacerdos ejus austerus? *c.* 12. 26. *q.* 7.

Miserum est Magistrum fieri, qui nunquam Discipulus fuit, & summum fieri Sacerdotem, qui nunquam in ullo gradu obsecutus fuerit Sacerdoti. *c.* 4. *D.* 61.

Mali etiam inviti viam salutis juxta Evangelicam veritatem compellendi sunt intrare. *c.* 38. 23. *q.* 4.

Mulier quamvis docta, & sancta viros in Conventu docere non præsumat. *c.* 29. *D.* 23.

Mali hospites, qui hospitantibus male remunerant sunt sicut mus in pera ignis in sinu serpens in gremio. *c.* 1. 13. *q.* 1.

Miserabilis est Rector, qui gubernaculi lo-

locum occupavit, & remum tenere non novit. *c.* 7. *D.* 40.

Mercenarius utique est Prælatus, qui plus diligens proprium commodum quam ovium, videns lupum oves relinquit. *c.* 48. 7. *q.* 1.

Multa in jure contra rationem disputandi pro utilitate communi recepta sunt. *L.* 51. §. 2. *ff. ad Leg. Aquiliam.*

Mare pars terræ proximioris censetur, & ad ejus Principem spectat; *arg. L.* 9. *ff. de Judiciis.*

Mora sua cuilibet est nociva. *c.* 25. *de Reg. jur. in* 6. *L.* 173. §. 2. *ff. eod.*

Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum. *c.* 33. *de Reg. jur. in* 6. *L.* 75. *ff. eod.*

Muneris nomine veniunt donum, onus, & officium. *L.* 18. *ff. de V. S.*

Minus solutum intelligitur, etiamsi nihil esset solutum. *L.* 32. *ff. de V. S.*

Magna negligentia culpa est, magna culpa dolus est. *L.* 226. *ff. de V. S.*

Munus publicum est officium privati hominis, ex quo commodum ad singulos, universosque cives, remque eorum imperio Magistratus extraordinario pervenit. *L.* 239. *ff. de V. S.*

N

456 Non creditur Legato, seu Commissario, nisi litteras Legationis, vel Commissionis ostendat. *C. fin. D.* 97.

Nemo tenetur se ipsum prodere. *c.* 1. *de Probation. c.* 87. *de Pœnit. D.* 1.

Non præsumitur incontinens in senectute, qui in juventute continuit, maximè, si est litteratus. *c.* 25. *de Præsump.*

Nemo est Dominus membrorum suorum. *L.* 13. *ff. ad Leg. Aquil.*

Nullius testimonio, etiamsi Religiosus sit, nisi juratus deposuerit, in alterius præjudicium debet credi. *c.* 51. *de Testib.*

Nulla dicitur actio, quæ exceptione repellitur. *L.* 25. *ff. de Verb. Obligat.*

Nemo invitus uti cogitur privilegio. *c.* 6. *de Privileg.*

Non fit pauperior, qui non adquirit, sed qui de patrimonio suo deposuit, sivè dedit. *L.* 5. §. 13. *ff. de Donation. inter vir.*

Novis morbis nova convenit antidota præparari. *c.* 5. *de Juram. calumn.*

Nemo potest facere, quominùs Leges locum habeant in suo testamento. *L.* 55. *ff. de Legat.* 1.

Nemo censetur velle dare, quod non habet. *c.* 7. *de Donat.*

Natura non patitur aliquem locupletiorem fieri cum alterius jactura. *L.* 14. *ff. de Condict. in debit. L.* 206. *ff. de Reg. jur.*

Negantis factum nulla est probatio. *c.* 23. *de Election. c.* 11. *de Probat.*

Nemini facit injuriam, qui suo jure utitur. *L.* 13. §. 1. *ff. de Injur.*

Notoria probatione non indigent. *c.* 3. *de Testib. cogend. c.* 8. *de Cohabitat. Clericor.*

Nullus, despectis aliis, debet se solùm sanctum esse credere, & sapientem. *c.* 27. *de Cons. D.* 3.

Nullus censetur voluisse, quod non expressit. *c.* 12. *de Decim.*

Non infringitur promissio, quæ in melius commutatur. *c.* 3. *de Jur. jur.*

Non spectandum est, quid Romæ factum est, sed quid Romæ fieri debeat. *L.* 12. *ff. de Offic. Presid. c.* 27. *de Election.*

Non est laudabilis Tyrannæ factionis perversitas, si Regia clementia Tyrannus subditos tractet: nec vituperabilis ordo Regiæ potestatis, si Rex crudelitate tyrannica sæviat. *c.* 9. 14. *q.* 5.

Nullius entis nullæ sunt qualitates. *L.* 41. *ff. de Rebus. credit.*

Nulli debet suum officium esse damnosum. *c.* 30. *de Election. in* 6.

Nulli fraus sua, vel dolus patrocinari debet. *c.* 15. *c.* 16. *de Rescript. c.* 14. *de Testament.*

Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana, præsertim, cum urgens necessitas, aut evidens utilitas id exposcit. *c.* 8. *de Consanguin. & affinit.*

Nemo suis stipendiis militare tenetur *c.* 16. *de Prebend.*

Nulla juris sanctio, quantuncumque perpenso digesta consilio ad humanæ naturæ varietatem, & machinationes ejus inopinabiles sufficit: nec ad decisionem lucidam suæ nodosæ ambiguitatis attingit. Eo præsertim, quod vix aliquid adeò certum, clarumque statuitur, quin ex causis emergentibus, quibus jura jam posita mederi non possint, in dubium revocetur. *Proœm. Clement.*

Non semper (licèt regularitèr accidat) una determinatio respiciens plura determinabilia pariformitèr determinat. *L.* 2. *ff. de Offic. Proconsul.*

Nostra omnia facimus, quibus authoritatem nostram impartimur. *L.* 1. §. 6. *C. de Veter. jur. enucl.*

Nec convenit, nec decet, terminos, quos patres nostri posuerunt, facilè transgredi. *c.* 1. *de Sepultur.*

Nominum diversitas diversitatem rerum, & locorum infert. *L.* 7. *C. de Codicil.*

Nihil volitum quin præcognitum. *L.* 15. *ff. de Jurisdict.*

Nemo divinare tenetur. *L.* 31. *ff. ad Leg. Aquil.*

Non omnium, quæ à majoribus constituta sunt, ratio reddi potest. *L.* 20. *ff. de Leg.*

Non potest dolo carere, qui imperio Magistratus non paruit. *L.* 299. *ff. de Reg. jur.*

Non solent, quæ abundant vitiare scripturas. *L.* 94. *ff. de Reg. jur.*

Nullum crimen patitur is, qui non prohibet, cum prohibere non potest. *L.* 109. *ff. de Reg. jur.*

Non alienat, qui duntaxat omittit possessionem. *L.* 119. *ff. de Reg. jur.*

Nemo sibi ipsi imperare valet. *L. Prætor. ff. de Tutor. & Curator.*

Non debet aliis defectum objicere, qui simili defectu laborat; *arg. C. fin. de Adulter.*

Non est discipulus super Magistrum. *c.* 2. 2. *q.* 5.

Non debet in Magistrum assumi, qui vix discipuli formam assumpsit. *c.* 49. *de Election.*

Nihil operatur extra suæ activitatis sphæram. *L.* 16. *ff. de Adquir. rer. domin.*

Nulli licet falcem in messem immittere alienam. *L.* 36. *ff. de Reg. jur. c.* 34. *de Election.*

Non sufficit à malo abstinere, sed insuper bonum fieri oportet. *Clem.* 3. *de Pœnis.*

Non potest videri desisse habere, qui nunquam habuit. *L.* 208. *ff. de Reg. jur.*

Nullus de alterius fletu ridere oportet. *c.* 20. *de Privileg.*

Novitates plerumque pariunt discordiam, præsertim dum ab eo, quod diu æquum visum est per novam constitutionem receditur: nec quare recedatur, utilitas evidens, vel alia causa subest. *Extrav.* 1. *de Privileg. int. com. c.* 9. *de Consuet.*

Nemo potest ad impossibile obligare. *c.* 6. *de Reg. jur. in* 6. *L.* 185. *ff. eod.*

Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit. *c.* 18. *de Reg. jur. in* 6. *L.* 29. *ff. eod.*

Non est sine culpa, qui rei, quæ ad cum non pertinet, se immiscet. *c.* 19. *de Reg. jur. in* 6. *L.* 36. *ff. eod.*

Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur. *c.* 20. *de Reg. jur. in* 6. *L.* 43. *ff. eod.*

Non debet aliquis alterius odio prægravari. *c.* 22. *de Reg. jur. in* 6. *L.* 74. *ff. eod.*

Non licet actori quod reo licitum non existit. *c.* 32. *de Reg. jur. in* 6. *L.* 41. *ff. eod.*

Non præstat impedimentum quod de jure non sortitur effectum. *c.* 52. *de Reg. jur. in* 6.

Nullus jure suo sine sua culpa privari debet. *c.* 6. *de Eo, qui cognovit.*

Nonnumquam quod consultè statuitur, ex sanioris inspectione judicii consultius revocatur. *Extrav. un. de Torneamentis. Joan. XXII.*

Nec generis, nec loci nobilitate, sed virtute unusquisque sibi gratiam comparat. *c.* 9. *D.* 40.

Nemo consuetudinem rationi, & veritati præponat: quia consuetudinem ratio, & veritas semper excludit. *c.* 4. *D.* 8.

Non deccipi, sed adjuvari quis beneficio debet. *C. un. de Commodat.*

Non est negligenda medicina, quia non nullorum est insanabilis pestilentia. *c.* 37. 23. *q.* 4.

Non omnis, qui parcit amicus est nec omnis, qui verberat inimicus. Meliora sunt vulnera amici, quam blanda oscula inimici: melius est cum severitate diligere, quam cum lenitate decipere: utilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus justitiam negligat, quam esurienti panis frangitur, ut injustitiæ seductus acquiescat. *c.* 37. 23. *q.* 4.

Nihil illo pastore miserius, qui luporum laudibus gloriatur, quod si placere voluerit, & ab his amari delegerit, erit hinc ovibus magna pernicies. Nullus ergo Pastorum placere lupis, & gregibus ovium potest. *c.* 6. *D.* 83.

Non enim verbis tantùm, sede corde orandus est Deus: melior est quinque psalmorum decantatio cum cordis puritate, & serenitate, & spirituali hilaritate, quam totius psalterii modulatio cum anxietate cordis, & tristia. *c.* 24. *de Cons. D.* 5.

Non est vox ad aures Dei, nisi animi affectus. *c.* 12. *D.* 38.

Non pax quæritur, ut bellum excitetur,

tur, sed bellum geritur, ut pax adquiratur. *c.* 3. 23. *q.* 1.

Nullus debet alicui in alterius damnum benefacere. *c.* 3. 14. *q.* 5.

Non decet à capite membra discedere, sed juxta Sacræ Scripturæ testimonium omnia membra caput sequantur. *c.* 1. *D.* 12.

Non potest corpus corrumpi, nisi prius animus fuerit corruptus. *c.* 8. 32. *q.* 5.

Non satis est benè vellè, sed etiam benefacere: nec satis est iterum benefacere, nisi id ex bono fonte, id est, ex bona voluntate proficiscatur. *c.* 14. *D.* 86.

Nihil, quod ad cautelam pertineat, omittendum est. *c.* 10. *D.* 63.

Negligere, cum quis possit deturbare perversos, nihil aliud est, quam fovere. *c.* 3. *D.* 83.

Non caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto faciniori desinit obviare. *c.* 3. *D.* 83.

Nihil obsunt saluti credentium diversæ pro loco, & tempore consuetudines, si illis Canonica non obsistat auctoritas. *c.* 3. *D.* 12.

Non habet duplex cor, qui propter varium eventum verbum suum non adimplet. *c.* 14. 22. *q.* 2.

Necessitas dispensationem inducit. *c.* 7. *D.* 34.

Necessitas caret Lege. *c.* 4. *de Reg. jur.* *c.* 2. *de Observat. jejun.*

Non est consequens, ut continuò erret quisquis aliquid nescit, sed quisquis se existimat scire, quod nescit. *c.* 11. *D.* 38.

Nemo rectè monitoris personam suscipit, nisi qui actibus suis errata condemnat, & amorem innocentiæ conversatione demonstrat. *c.* 2. *D.* 81.

Nihil est infelicius felicitate peccantium, quia pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas, velut hostis interior roboratur. *c.* 2. 23. *q.* 1.

Non ideò approbanda est consuetudo mala, quia locus bonus est: quia non pro locis res, sed pro rebus loca amanda sunt. *c.* 10. *D.* 12.

Novis in fide minor pœnitentia imponitur. *c.* 8. *de Pœnit. & remis.*

Non sunt facienda mala culpæ, ut eveniant bona. *c.* 4. 22. *q.* 2.

Non est opus sanis Medicus, sed malè habentibus juxta Evangelicam veritatem. *c.* 18. 2. *q.* 1.

Negligentia est eruditionis noverca. *c. fin. D.* 83.

Nunquam per obedientiam malum fieri, aliquando autem per obedientiam debet bonum, quod agitur intermitti. *c.* 99. 11. *q.* 3.

Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum. *c.* 58. *de Reg. jur. in* 6.

Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur. *c.* 62. *de Reg. jur. in* 6. *L.* 47. *ff. eod.*

Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur. *c.* 79. *de Reg. jur. in* 6. *L.* 54. *ff. eod.*

Nominis appellatione res significatur. *L.* 4. *ff. de V. S.*

Novale est terra novitèr ad culturam redacta. *c.* 1. *de V. S.* vel de cujus cultura non est memoria, & quod prius modicum, vel nullum fructum afferebat. *c.* 21. *eod.*

Non dicitur natus, qui statim decessit. *c.* 3. *de V. S.*

Non videtur cœpisse, qui per exceptionem à petitionem removetur. *L.* 13. *ff. de Reg. jur.*

Nuptias non concubitus, sed consensus facit. *L.* 30. *ff. de Reg. jur.*

Nemo qui condemnare potest absolvere non potest. *L.* 37. *ff. de Reg. jur.*

Non videtur quisquam id capere, quod ei necessè est alii restituere. *L.* 51. *ff. de Reg. jur.*

Non defendere videtur non tantum qui latitat, sed, & is, qui præsens negat, se defendere, aut non vult suscipere actionem. *L.* 52. *ff. de Reg. jur.*

Nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur. *L.* 55. *ff. de Reg. jur.*

Nulla intelligitur mora ibi fieri, ubi nulla petitio est. *L.* 88. *ff. de Reg. jur.*

Nemo de domo sua extrahi debet. *L.* 104. *ff. de Reg. jur.*

Nihil interest, ipso jure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur. *L.* 112. *ff. de Reg. jur.*

Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest. *L.* 134. §. *un. ff. de Reg. jur.*

Non videtur perfectè cujusque id esse, quod ex casu auferri potest. *L.* 139. §. *un. ff. de Reg. jur.*

Non omne, quod licet, honestum est. *L.* 144. *ff. de Reg. jur.*

Non debeo melioris conditionis esse, quam auctor meus, à quo jus in me transiit. *L.* 175. §. *un. ff. de Reg. jur.*

Non est singulis concedendum, quod per Magistratum publicè possit fieri: ne occasio sit majoris tumultus faciendi. *L.* 176. *ff. de Reg. jur.*

Nihil poti potest ante id tempus, quo per

per rerum naturam persolvi possit: & cum solvendi tempus obligationi additur nisi eo præterito, peti non potest. *L.* 186. *ff. de Reg. jur.*

Nulla censetur illius obedientia, qui obedit tantum in his, quæ appetit: vel etiam in repugnantibus, sed præter voluntatem: nam aliquando obedientia si de suo aliquid habet, nulla est: aliquando autem, si de suo aliquid non habuerit, minima. *c.* 10. 8. *q.* 1.

Non Sermoni res, sed sermo rei subjectus est. *c.* 6. *de V. S.*

Non possunt omnes articuli singillatim aut Legibus, aut Senatus Consultis comprehendi. *L.* 12. *ff. de Legib.*

Non potest esse Pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & Pastor nescit. *c.* 10. *de Reg. jur.*

Nihil obstat narrandi diversitas, ubi eadem dicuntur. *c.* 7. *de V. S.*

O

457. Obligatus ad factum præcisè facere compellitur. *L.* 3. *tit.* 14. *p.* 5.

Obligationis alternativæ natura est unicuique in solidum actum tribuere. *L.* 2. *ff. de Duobus reis.*

Oves, quæ Pastori suo commissæ sunt, eum nec reprehendere debent, nec ullatenùs accussare possunt. *c.* 13. 2. *q.* 7.

Omne, quod rarum est, plus appetitur; sicut pulegium apud indos pipere pretiosius est. *c.* 24. *D.* 93.

Obligatio semel extincta non reviviscit amplius. *L.* 98. §. 8. *ff. de Solutionib.*

Omnis definitio in jure periculosa est. *L.* 202. *ff. de Reg. jur.*

Ob errorem communem jurisdictio necessaria à Legislatore suppletur. *L. Barbarius Philippus*, 3. *ff. de Offic. Prætor. c.* 1. 3. *q.* 7.

Obscuritas in omni dispositione reprobatur, ac proindè fugienda est. *c.* 2. *D.* 4.

Opposita juxta se posita magis elucescunt. *L. un.* §. 2. *C. de Caduc. tollend.*

Obscurè respondere, & non respondere paria habentur. *L.* 11. §. 7. *ff. de Interrogat.*

Omnis ætas ab adolescentia prona est in malum. *c.* 1. 12. *q.* 1.

Odio, habeantur peccata, non homines. *c.* 2. *D.* 86.

Omnis, qui justè judicare vult, stateram in manu gestat, & in utroque penso justitiam, & misericordiam portat: sed per justitiam reddit peccanti sententiam: per misericordiam pecanti temperat pœnam, ut justo liberamine quædam per æquitatem corrigat: quædam verò per miserationem indulgeat. *c.* 10. *D.* 45.

Omne, quod malè possidetur alienum est: malè autem possidet, qui malè utitur. *c.* 11. 14. *q.* 4.

Occulta, & incognita illi sunt relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum. *c.* 20. 2. *q.* 4.

Obedientia victimis jure præponitur: quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur. *c.* 10. 8. *q.* 1.

Omnes habere oportet simplicitatem columbæ, ne cuiquam machinentur dolos: & serpentis astutiam, ne aliorum supplantentur insidiis. *c.* 13. 6. *q.* 1.

Omnis ordo Ecclesiasticus suis innititur Rectoribus: sicut apibus, & gruibus unus rector est. *c.* 41. 7. *q.* 1.

Opinio cedit manifestæ veritati. *c.* 4. *D.* 8.

Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. *c.* 1. *de Reg. jur. L.* 35. *ff. eod.*

Odia restringi, & favores convenit ampliari. *c.* 15. *de Reg. jur. in* 6.

Oppidum ab ope dicitur, quod ejus rei causa mœnia sint constituta. *L.* 239. §. 7. *ff. de V. S.*

P

458. Parum pro nihilo reputatur. *L.* 32. *ff. de Condition. & demonst.*

Perversio Ordinis, quando Ordo non est de substantia, non vitiat actum; *arg. L.* 1. *C. de Appellation.*

Principale concedens concedit subindè accessorium. *L.* 2. *ff. de Jurisdict.*

Par in parem non habet imperium. *L.* 4. *ff. de Recept. qui arbitr. c.* 20. *de Elect.*

Plus cautionis est in re, quam in persona. *L.* 25. *ff. de Reg. jur.*

Plures eandem rem simul possidere non possunt. *L.* 3. §. 5. *ff. de Adquirend. posses.*

Perpetua exceptione tutus solutum per errorem repetit. *L.* 40. *ff. de Condict. indebit.*

Proximè accingendus pro accinto habetur. *L.* 43. *ff. de Testam. Militar.*

Privatio præsupponit habitum. *L.* 208. *ff. de Reg. jur.*

Plus valet quod est in veritate, quam quod est in opinione. *L.* 2. §. 15. *ff. Pro emptor.*

Prohibito aliquo, prohibetur etiam id,

per

per quod pervenitur ad illud. *L.* 16. *ff. de Sponsalib.*

Potius debemus substantiam, quam opinionem intueri. *L.* 2. §. 2. *ff. Pro emptor.*

Potestas nulli conceditur in destructionem, sed in ædificationem. *Trid. sess.* 14. *de Pœnit. cap.* 7.

Pœnæ inventæ sunt, ut delinquentes corrigantur. *c.* 32. 23. *q.* 4.

Pompa exequiarum, & conditio sepulturæ magis vivorum solatia sunt, quam subsidia mortuorum. *c.* 22. 23. *q.* 2.

Pro necessitate temporum, & pro consideratione ætatum multa oportet temperari. *C. fin. D.* 14.

Proemium denotat causam finalem, & mentem loquentis ostendit. *L. fin. ff. de Hæred. instituend.*

Prius nominatus censetur magis dilectus. *L.* 4. *ff. de Stipulat. servor.*

Præsumptio cedit veritati, siquidem veritas prævalet præsumptioni. *L.* 57. *ff. de Jure dotium.*

Pares cum paribus facilimè congregantur. *L.* 27. §. 1. *ff. de Tutor. & Curat.*

Propositio copulativa utrumque extremum verificari requirit. *c.* 25. *de Resc.*

Principium, & initium à Deo est. *c.* 1. *D.* 23.

Propositio alternativa, seu disjunctiva unius extremi positione verificatur. *c.* 4. *de Rescript.*

Promptiora sunt jura ad absolvendum, quam ad condemnandum. *c.* 3. *de Probation.*

Partibus non expressis in societate debent fieri æquales, non secundum proportionem Arithmeticam, sed secundum Geometricam. *L.* 6. *ff. Pro socio.*

Probationum facultas coangustari non debet. *L.* 21. *in fin. C. de Hæretic.*

Proprium copulæ est distribuere vim verbi æqualiter inter personas copulatas. *L.* 11. §. 1. *ff. de Duobus reis.*

Processus in infinitum, ut absurdum vitari debet. *L.* 13. §. *fin. ff. de Damn. Infect.*

Princeps jus in scrinio pectoris habere creditur, non tamen censetur facta, consuetudines, vel Leges particulares, & locales scire. *c.* 1. *de Constit. in* 6.

Privilegiatus adversus privilegiatum non gaudet privilegio. *L.* 11. §. 6. *ff. de Menorib. C. fin. de Ordin. cognit.*

Paria sunt non esse, & inutiliter esse. *L.* 1. §. 2. *ff. Quod cujusq. Univers.*

Plus solet timeri, quod specialiter injungitur, quam quod generaliter imperatur. *c.* 6. *D.* 23. *c.* 11. *de Hæretic.*

Privilegium sane meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate. *c.* 7. *D.* 74. *c.* 24. *de Privileg.*

Papa communiter vult jura Diœcesana inviolata servare. *c.* 2. *de Religios. domib.*

Publicè expedit, suprema hominum judicia exitum habere. *L.* 5. *ff. de Testam. quemadmod.*

Plura remedia non possunt concurrere circa eamdem personam, sed electione unius alterum tollitur. *L.* 9. §. 1. *ff. de Tribut. action.* quod intelligitur, quando remedia ex eodem fonte oriuntur, & ad idem competunt: non quando ex diversis fontibus, vel causis resultant. *L.* 8. §. 12. *ff. de Inofficios. Testament.*

Paria habentur scire, & debere scire. *L.* 5. *ff. de Reb. credit.*

Plura sunt negotia, quam vocabula. *L.* 4. *ff. de Præscript. verbis.*

Pater, & filius una eademque persona in jure censentur. *L. fin. C. de Impud. & aliis substit.*

Protestatio contraria facto non revelat protestantem. *L.* 60. §. 6. *ff. Locat. c.* 20. *de Offi. Delegat.*

Protestatio fit, ne ab altero præjudicium juri suo fiat. *c.* 21. *de Sentent. & re judic.*

Præcipitatio in judicando est justitiæ noverca. *Clem.* 2. *de Sentent. & re judic.*

Plus erga corrigendos agat benevolentia, quam severitas: plus charitas, quam potestas. *c.* 6. *D.* 45.

Pelle sub agnina latitat mens sæpè lupina. *c.* 11. *de Hæretic. in* 6.

Peccator offendens in uno factus est omnium reus. *c.* 9. *de Reg. jur.*

Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. *c.* 2. *de Reg. jur. in* 6.

Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum. *c.* 4. *de Reg. jur. in* 6.

Peccati venia non datur nisi correcto. *c.* 5. *de Reg. jur. in* 6.

Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona. *c.* 7. *de Reg. jur. in* 6.

Pro dubiis resolvendis ad seniores recurrere oportet. *c.* 3. *D.* 20.

Proximi vulnus crudeliter siletur, & misericorditer vindicatur, ut sanetur. *c.* 1. 5. *q.* 5.

Proximos diligere est de eorum perditione dolere, & ad eorum correctionem quotidiè laborare. *c.* 32. 23. *q.* 4.

Plures vitam bonorum amplius, quam debent, laudant; & ne qua elatio de lau-

laude surrepat, permittit Deus, malos in obtrectationem, & objurgationem prorrumpere, ut si qua culpa ab ore laudantium in corde nascitur, ab ore vituperantium suffocetur. *c.* 11. 6. *q.* 1.

Populus à Sacerdotibus docendus est, & corripiendus, non ipsi ab eo. *c.* 8. 6. *q.* 1.

Prima Sedes (hoc est Romana) omnes judicat, & à nullo judicatur. *c.* 9. §. *Sola*, 9. *q.* 3.

Patientia Superioris in adversitate plus laudabilis est, quam quies in Religione. *c.* 46. *c.* 47. 7. *q.* 1.

Prælati perversa perpetrantes tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. *c.* 3. 11. *q.* 3.

Præcepta patientia potius virtute animi, quam ostentatione corporis, servanda sunt. *c.* 2. 23. *q.* 1.

Partus, quoad conditionem, ventrem sequitur. *C. fin.* 32. *q.* 4.

Prædicator gloriam suam evacuat, quando non pro æterno, sed pro fructu temporali laborat. *c.* 9. 1. *q.* 2.

Peccata, quæ in Deum, vel proximum committuntur, à nobis punienda sunt, ea verò, quibus in nos delinquitur. vel toleranda patienter, vel potius disimulanda sunt. *c.* 27. §. *Hinc*, 23. *q.* 4.

Pontifex omnes judicat, ipse verò à solo Deo judicatur. *c.* 15. 9. *q.* 3.

Propter excessus majorum, aliquando contingit afflictio minorum. *c.* 11. 1. *q.* 4.

Pacta contra bonos mores, vel Leges, vel contra honestas consuetudines, nullius sunt momenti. *c.* 2. *D.* 8.

Pacificus est quisquis, vel quod potest, arguendo corrigit, vel quod corrigere non potest, salvo pacis vinculo excludit: vel quod salvo pacis vinculo excludere non potest, æquitate improbat, firmitate supportat. *c.* 5. 23. *q.* 4.

Peccata Sacerdotum, Religiosorum, vel Superiorum celare debemus, & non infrunitum, sed pudoratos filios Noe imitantes, paternam verecundiam contegamus. Ex exemplo Constantini, qui dixit: si propriis oculis vidissem Sacerdotem Dei peccantem, chlamydem meam expoliarem, & cooperirem eum, ne ab aliquo videretur. *c.* 8. *D.* 96.

Populus non minus, quam decem personis constituitur. *c.* 3. 10. *q.* 3.

Presbyteros turba comtemptibilis facit, *c.* 24. *D.* 93.

Perfectis licet ad exemplum Christi D. injuriam verbis, quamvis non verberibus repellere. *c.* 2. 23. *q.* 1.

Prudentia aliquando est auditores, vel interrogantes responsionibus eludere. *c.* 2. *D.* 43.

Plurimorum utilitas unius utilitati, aut voluntati absdubio præferenda est. *c.* 35. 7. *q.* 1.

Picturæ, & imagines Sanctorum sunt libri, & scripturæ Laicorum. *c.* 27. *de Cons. D.* 3.

Paria crimina pari compensatione tolluntur. *C. pen. & fin. de Adulter.*

Pacta, quamtumcumque nuda, omninò servari à contrahentibus debent. *c.* 1. *de Pact. L.* 2. *tit.* 16. *lib.* 5. *R. C.*

Plus semper continet, quod est minus. *c.* 35. *de Reg. jur. in* 6. *L.* 110. *ff. eod.*

Pro professore habetur, qui dolo desiit possidere. *c.* 36. *de Reg. jur. in* 6. *L.* 150. *ff. eod.*

Pluralis locutio duorum numero contenta est. *c.* 40. *de Reg. jur. in* 6.

Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur. *c.* 7. *de Reg. jur. in* 6.

Potest quis per alium, quam potest facere per se ipsum. *c.* 68. *de Reg. jur. in* 6.

Parentis appellatione non tantùm pater, sed etiam avus, & proavus, & deinceps omnes superiores continentur: sed & mater, & avia, & proavia. *L.* 51. *ff. de V. S.*

Proximus est, cui nemo antecedit, supremus, quem nemo sequitur. *L.* 92. *ff. de V. S.*

Potest aliquorum appellatio, & universos significare. *L.* 95. *ff. de V. S.*

Perfecisse ædificium is videtur, qui ita consummavit, utjam in usu esse possit. *L.* 139. *ff. de V. S.*

Primogenitus dicitur, qui primo nascitur, etiam si nullus eum sequatur. *c.* 5. *de V S.*

Plebs est cæteri Cives sine Senatoribus. *L.* 238. *ff. de V. S.*

Privilegium contra consuetudinem Juri Communi obviantem, largè est interpretandum. *c.* 18. *de V. S.*

Pupillus omnia negotia Tutore auctore agere potest. *L.* 5. *ff. de Reg. jur.*

Privatorum conventio juri publico non derogat. *L.* 45. §. *un. ff. de Reg. jur.*

Pupillus nec velle, nec nolle in ea ætate, nisi adposita Tutoris auctoritate creditur. *L.* 189. *de Regur. jur.*

Privilegia, quæ causæ sunt ad hæredem transmittuntur, secus quæ personæ sunt. *L.* 196. *ff. de Reg. jur.*

Prius nominatus aliis præfertur. *L.* 34. *ff. de Usufruct. & quemadmod.*

Q

459. Quod nullius est primò occupanti adquiritur. *L.* 3. *ff. de Adquir. rer. domin.*

Quod à principio fuit voluntatis ex post facto fit necessitatis, *cap.* 21. *de Reg. jur. in* 6. *L.* 5. *C. de Oblig. & actionib.*

Quem ætas, non vita seniorem facit, gravitèr increpandus est, *cap.* 28. 2. *q.* 7. *junct. epigraph.*

Quæ fiunt per privilegium possunt communitèr, & per consuetudinem fieri, *cap.* 13. *de Foro compet.*

Quæ in præfationibus dicuntur in sequentibus censentur repetita. *L.* 134. §. 1. *ff. de V. O.*

Quod meum est amplius meum fieri nequit. *L.* 3. §. 4. *ff. de Adquir. possess.*

Quæ sine conditione voventur sine conditione solvuntur. *C. un. in fin.* 32. *q.* 8.

Quod in uno negatur, de alio concessum intelligitur, *cap.* 5. *de Præsumpt.*

Qui juxta suum gradum honorari cupit alios juxta suos gradus honorare debet, juxta illud Oratoris Domitii: Cur ego te habeam ut Principem, cum tu me non habeas, ut Senatorem? *c.* 7. *D.* 95.

Quilibet ex honestate debet voluntarios labores appetere, ut aliis præparet quietem, *cap.* 1. *de Rest. spoliat. in* 6.

Qui non potest suum munus implere, & peccat non implendo, officium etiam relinquere tenetur, *cap.* 10. *de Renunt.*

Qui altari servit de altari vivere debet, *cap.* 16. *de Præbend.*

Qui non facit quod debet, non recipit, quod oportet. *L.* 3. *C. de Condition. inser.*

Quilibet potest juri principalitèr pro se introducto renuntiare. *L.* 29. *C. de Pactis*, *cap.* 6. *de Privileg.*

Qui inter bonos malus est, pessimus esse solet, *cap.* 9. *D.* 47.

Qui semel est hæres numquam desinit esse hæres. *L.* 88. *ff. de Hæred. instituend.*

Quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & ut generalitèr dixerim, quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est. *L.* 15. *ff. de Condition. institut.*

Quilibet potest alterius conditionem meliorem, non verò deteriorem facere. *L.* 39. *ff. de Negot. gest.*

Qui semel aliquam qualitatem permanentem habuit, semper ipsam habere præsumitur, donec contrarium probetur. *L.* 16. *C. de Probat.*

Quæ non probantur prohibita, licita, & permissa censentur. *L.* 28. §. 2. *ff. Ex quib. caus. major.*

Qui quod potuit noluit, & quod voluit non potuit nihil fecit. *L.* 3. *ff. de Rebus dub.*

Quæ in continenti fiunt, in esse censentur. *L.* 40. *ff. de Rebus credit.*

Qui agit malè odit lucem juxta Evangelicam veritatem, *c.* 24. *de Offic. Deleg.*

Quibus vetitum est minùs, censetur etiam vetitum majus. *L.* 4. *ff. de Senator.*

Quod differtur non aufertur. *L.* 2. *C. de Precib. Imperat. offer.*

Quod non est correctum stare non prohibetur. *L.* 32. §. *fin. C. de Appellat.*

Qui ex duobus illatis alterum negat reliquum affirmare præsumitur, *cap.* 5. *de Præsumption.*

Qui major pars Civitatis, Collegii, vel Communitatis facit ab omnibus factum videtur. *L.* 19. *ff. ad Municip.*

Quædam sunt, quæ nescire, quam scire melius est, *cap.* 11. *D.* 38.

Qui dicit: *Omnes, vel totum*, nil excludit. *L.* 29. *ff. de Hæred. instituend.*

Quod nullum habet tempus præfinitum, quocumque vitæ spatio potest fieri. *L.* 10. *ff. de Condit. & demonst.*

Qui alicujus consilium requirere debet, non utique illud sequi tenetur, *cap.* 7. *de Arbitr.*

Quando est periculum in mora facilè rigor, & præcepta Legum dispensantur; *arg. cap.* 4. *de Reg. jur.*

Quæ singula non probant collecta juvant, *cap.* 13. *de Probation.*

Quando Canon, vel Lex deficit, judicium relinquitur arbitrium Judicis, *c.* 3. §. *fin.* 13. *q.* 2. *c.* 4. §. 1. *de Offic. Delegat.*

Quod nullum est neutiquam irritari, nec rumpi valet. *L.* 5. *ff. de Injusto rupt.*

Quandocumque existit conditio retrotrahitur ad tempus dispositionis factæ, ita ut ab initio pura censeatur. *L.* 8. §. 1. *ff. de Pericul. & commod.*

Quod Author Canonis non reservabit, hoc concessisse videtur, *cap.* 29. *de Sentent. excom.*

Quæ differunt penes magis, & minùs non differunt specie. *L.* 11. *ff. Quemadm. servit.*

Quilibet ratione sic dictante, pati debet Legem, quam ipse tulit, *c.* 6. *de Constit.*

Qui vult antecedens vult consequens,

quod ex illo naturalitèr infertur. *L.* 1. §. 1. *ff. Si usufruct. petat.*

Quod sine termino debetur, statim debetur. *L.* 14. *ff. de Reg. jur.*

Qui pro se habet Jus Commune privilegio non indiget: frustra enim precibus impetrantur, quæ Lege permissa sunt. *L. un. C. de Thesaur. lib.* 10.

Quando de mente Testatoris constat, à verbis, & argumentis receditur: quia potius mens, quam scriptura debet attendi. *L.* 7. §. 2. *ff. de Supellect. legat.*

Qui factum promissit ad factum tenetur: si non fecit, vel amplius non potest fieri, ad interesse obligatur. *L.* 1. *ff. de Action. empt.*

Quæ in consequentiam veniunt, non curantur. *L.* 5. §. 2. *ff. de Author. Tutor.*

Quod in certo loco permissum est, in alio censetur vetitum: & quod in certo loco vetitum est, in alio permissum censetur. *L.* 22. *ff. de Legib. L.* 12. *ff. de Judic.*

Quod pervenit ad casum, à quo incipere non potest vitiatur. *L.* 140. §. 2. *ff. de V. O.*

Qui contra formam mandati facit, nihil facit, *cap.* 22. *de Offic. deleg.*

Qui ejusdem Patriæ sunt, naturalitèr se amant, præcipuè in Regionibus longinquis. *L.* 4. *tit.* 27. *p.* 4.

Qui alicujus professionis est, non debet alterius, quam fortè numquam salutavit officium obtinere: quippè in tali conjunctione cithara cum psalterio malè concordat, *c.* 5. *de Cleric. conjugat.*

Qui similem cum aliis vitam suscipiunt, similem in Legibus debent sentire disciplinam, *cap.* 3. *de Statu Monach.*

Qui facit quod facere non debet, non videtur facere id, quod facere jussus est. *L.* 2. *ff. de Reg. jur.*

Quod agitur à Prælatis facilè trahitur à subditis in exemplum, *cap.* 7. *de Voto.*

Qui non habet in ære luat in corpore. *L. fin. ff. de In jus vocand. L.* 1. §. *fin. ff. de Pœnis, cap.* 1. 14. *q.* 6.

Qui malè facta hominum laudibus efferunt, augent, quæ increpare debuerunt, *cap.* 2. *D.* 46.

Qui de suis facultatibus aliquid Ecclesiæ contulerunt, si ipsi, aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem Ecclesia suffragium vitæ pro temporis usu percipiant, *cap.* 30. 16. *q.* 7.

Qui candorem sibi justitiæ, sivè sapientiæ tribuit à luce se supernæ cognitionis excludit, *cap.* 1. *D.* 49.

Quod nullum est, nullum producit effectum, *cap.* 52. *de Reg. jur. in* 6.

Quilibet debet servare morem Ecclesiæ, vel Civitatis, in qua vivit, ut sic nulli ipse sit scandalum, nec alii sibi, *c.* 11. *D.* 12. concordat illud: *Si fueris Romæ, Romano vivito more.*

Qui peccantem defendit, arctius, quam ille, qui peccavit, coercetur, *cap.* 100. 11. *q.* 3.

Qui cum potuerunt, numquam converti voluerunt, cum jam peccare nequeunt, non sic facilè adquirunt, quod volunt, *cap.* 6. *de Pœnit. D.* 7.

Qui honorem non habet, honorem dare non potest, *cap.* 17. 1. *q.* 1. Et hinc: honor est in honorante.

Qui non repellit à socio injuriam, si potest, tàm est in vitio, quàm ille, qui facit, *cap.* 7. 23. *q.* 3.

Quæ de novo emergunt, novo indigent auxilio. *L.* 11. §. 8. *ff. de Interrogat.*

Quod belli calamitas introduxit, debet pacis lenitas sopire. *L. un. C. de Caduc. tollend.*

Quod tibi non vis, alteri ne facias, *capit.* 14. *D.* 50.

Qui iratus crimen aliquod cuilibet temere objecerit, convitium non est pro accusatione habendum, *cap.* 5. 2. *q.* 3.

Qui societatem fraternitatis aliqua discordiæ pestæ commaculant, Deum, qui charitas est, tamquam Judas produnt, *cap.* 83. 11. *q.* 3.

Qui judicium refugit, apparet eum de justitia diffisum, *cap.* 12. 11. *q.* 1.

Qui se scit aliis esse propositum, non molestè ferat, aliquem esse sibi prælatum, *cap.* 12. 2. *q.* 6.

Qui rectè judicat, & præmium indè remunerationis expectat, fraudem in Deum perpetrat: quia justitiam, quam gratis impertiri debuit, acceptione pecuniæ vendit, *cap.* 66. 11. *q.* 3.

Qui præsunt, non ex locorum, vel generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debent, nec urbium claritate, sed fidei puritate, *cap.* 3. *D.* 40.

Quando audientes ita indigni, & improbi sunt, ut contemptus timeatur, taceat Prædicator, ne det Sanctum Canibus, & ne mittat margaritas ante porcos, *cap.* 23. 11. *q.* 3.

Quando multorum strages timetur, detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas syncera subveniat, *cap.* 25. *D.* 50.

Quando aliquod bonum alicui facimus, si quid per hæc præter nostram voluntatem cuiquam malè acciderit, nobis non imputatur. Quid enim est in usu ho-

hominum bono, ac licito, unde non possit, etiam pernicies irrogari? *c.* 8. 23. *q.* 5.

Quando exterior persecutio Prælato ratione personæ infertur, exemplo Christi, fugienda est: sed cum ratione gregis, vel fidei, est constantèr subeunda. *c.* 48. §. *Hoc*, 7. *q.* 1.

Qui docet, & instruit animas rudes, oportet, talem esse, ut pro ingenio discentium semetipsum possit aptare, & verbi ordinem pro audientis capacitate dirigere. *c.* 12. 8. *q.* 1.

Qui ea docet, quæ ab auditoribus non valent intelligi, non ad eorum utilitatem, sed ad sui ostentationem facit. *c.* 5. *D.* 43.

Qui juri suo semel renuntiavit, non valet posteà ad ipsum redire. *c.* 16. *de Election.*

Qui in continentibus Urbis nati sunt. Romæ nati intelliguntur. *L.* 147. *ff. de V. S.*

Qui caret aliquo gradu, vel dignitate nequit assumere insignia illius gradus, vel dignitatis. *c.* 6. *de Privil. junct. Glos.*

Quod in peccatis severius castigari necessè est, non sævientis plectatur animo, sed medentis. *c.* 2. *D.* 86.

Quod non est licitum. in Lege, necessitas facit licitum. *c.* 4. *de Reg. jur.*

Quod latentèr, aut per vim, vel alias illicitè introductum est, nulla debet stabilitate subsistere. *c.* 5. *de Reg. jur.*

Quidquid in sacratis Deo rebus, & Episcopis, injustè agitur, pro sacrilegio reputatur. *c.* 7. *de Reg. jur.*

Qui ex timore facit: præceptum, alitèr, quam debeat, facit: & ideò jam non facit. *c.* 8. *de Reg. jur.*

Quod semel placuit, amplius displicere non potest. *c.* 21. *de Reg. jur. in* 6.

Quod quis mandato facit Judicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necessè. *c.* 24. *de Reg. Jur. in* 6. *L.* 167. §. *un. ff. eod.*

Quæ à Jure Communi exorbitant, nequaquam ad consequentias sunt trahenda. *c.* 28. *de Reg. jur. in* 6.

Quod omnes tangit ab omnibus debet approbari *c.* 29. *de Reg. jur. in* 6.

Qui tacet consentire videtur. *c.* 43. *de Reg. jur. in* 6.

Qui prior est tempore potior est jure. *c.* 54. *de Reg. jur. in* 6.

Qui sentit onus sentire debet commodum, & è contra. *c.* 54. *de Reg. jur. in* 6. *L.* 10. *ff. eod.*

Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. *c.* 61. *de Reg. jur. in* 6.

Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi. *c.* 64. *de Reg. jur. in* 6.

Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit. *c.* 67. *de Reg. jur. in* 6.

Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus. *c.* 71. *de Reg. jur. in* 6. *L.* 156. §. 1. *ff. eod.*

Qui facit per alium est perindè, ac si faciat per se ipsum. *c.* 72. *de Reg. jur. in* 6.

Quod alicui gratiosè conceditur trahi non debet aliis in exemplum. *c.* 74. *de Reg. jur. in* 6.

Qui contra jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere. *c.* 82. *de Reg. jur. in* 6.

Quoties dubia interpretatio libertatis est, secundum libertatem respondendum erit. *L.* 20. *ff. de Reg. jur.*

Qui potest invitis alienare, multò magis, & ignorantibus, & absentibus potest. *L.* 26. *ff. de Reg. jur*

Qui ex liberalitate conveniuntur, in id, quod facere possunt, condemnantur. *L.* 28. *ff. de Reg. jur.*

Quod attinet ad Jus Civile servi pro nullis habentur: non tamen, & Jure Naturali: nam quoad Jus Naturale attinet omnes homines æquales sunt. *L.* 32. *ff. de Reg. jur.*

Qui in alterius locum succedunt justam habent causam ignorantiæ, an id, quod peteretur, deberetur. *L.* 42. *ff. de Reg. jur.*

Quidquid calore iracundiæ, vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quam si perseverantia apparuit, judicium animi fuisse. *L.* 48. *ff. de Reg. jur.*

Quoties idem sermo duas sententias exprimit, ea potissimum excipiatur, quæ rei gerendæ aptior est. *L.* 67. *ff. de Reg. jur.*

Quoties duplici jure defertur alicui succesio, repudiato novo jure, quod ante defertur, suppetit vetus. *L.* 91. *ff. de Reg. jur.*

Qui vetante Prætore fecit, adversus Edictum fecisse propriè dicitur. *L.* 102. *ff. de Reg. jur.*

Quod contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentias. *L.* 141. *ff. de Reg. jur.*

Quod ipsis, qui contraxerunt obstat, & successoribus eorum obstavit. *L.* 143. *ff. de Reg. jur.*

Quod evincitur, in bonis non est. *L.* 190. *ff. de Reg. jur.*

R

460 Reipublicæ interest, ne delicta maneant impunita. *L.* 51. §. 2. *ff. ad Leg. Aquil. c.* 33. 23. *q.* 4.

Res de facili ad suam primevam naturam redit. *L.* 23. *ff. de Liber. & posthum.*

Reprehensibile est alterius beneficio, & liberalitate abuti. *c.* 15. *de Rescript.*

Renuntiatio benè regentis non est de facili admittenda. *c.* 10. *de Renuntiat.*

Res quæ casu fortuito perit, suo Domino perit. *L.* 9. *C. de Pignorat. action.*

Relatum est in referente cum omnibus suis qualitatibus. *L.* 77. *ff. de Hæredib. instituend.*

Respublica jure minoris utitur. *L.* 4. *C. Quibus ex caus. major.*

Regula juris certa est, ex maleficiis pœnales actiones in hæredem rei non competere. §. 1. *Inst. de Perpet. & temp.*

Religiosus nec velle, nec nolle habere intelligitur. *C. fin. de Testament. in 6.*

Res ubicumque sit pro suo Domino clamat. *L.* 44. *ff. de Condict. indebit.*

Ratio, & usus obtinuit, neminem cui non vult, contra utilitatem, & rationem cogi de proprio facere beneficium. *c.* 4. 10. *q.* 2.

Ratio Legis tamquam ejus anima habetur. *L.* 7. *ff. de Bonis damnator.*

Remota personarum, & numerum acceptione, ob vitæ meritum, & sapientiæ domum debent eligi benemeriti ad officia, & dignitates. *c.* 34. *D.* 63.

Ridiculum est, & satis abominabile dedecus, ut temporibus nostris, vel falso insimulari Sanctam Dei Ecclesiam permittamus, vel eas traditiones, quas antiquitus à Patribus suscepimus pro libitu semper errantium infringi patiamur. *c.* 5. *D.* 12.

Rector debet esse discretus in silentio, utilis in verbo: ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat. *c.* 1. *D.* 43.

Resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ovis à caulis repellenda, ne tota domus massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. *c.* 16. 24. *q.* 3.

Ream linguam non facit, nisi mens rea. *c.* 3. 22. *q.* 2.

Reiterari oportet, quod malè actum est. *c.* 24. 1. *q.* 7.

Reus non pertimescit culpam, quam redimere nummis existimat. *c.* 72. 11. *q.* 3.

Rectores improvidi humanam amittere gratiam formidantes, loqui liberè recta pertimescunt, & juxta veritatis vocem, nequaquam jam gregis custodiæ, Pastorum studio, sed mercenariorum vice deserviunt, quia veniente lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt, canes muti non valentes latrare. *c.* 1. *D.* 43.

Res humanæ alitèr tutæ esse non possunt, nisi quæ ad divinam confessionem pertinent, & Regia, & Sacerdotalis defendat authoritas. *c.* 21. 23. *q.* 5.

Rarum est omne, quod magnum est. *c.* 2. *D.* 59.

Rex, qua homo Deo servit vivendo fideliter, qua verò Rex est, servit Leges justa præcipientes, & contraria prohibentes convenienti vigore sanciendo. *c.* 42. 23. *q.* 4.

Regia potestas instituta est, ut mali coerceantur, & quietius inter malos vivant boni. *c.* 18. 23. *q.* 5.

Regum officium est facere judicium, & justitiam, & liberare de manu calumniatorum vi oppressos: & peregrino, pupilloque, & viduæ, qui facilius opprimuntur à potentibus, præbere auxilium. *c.* 23. 23. *q.* 5.

Religiosi digni sunt convenienti honore. *c.* 12. 16. *q.* 1.

Res cum suo onere transit. *c.* 33. *de Decimis.*

Reprehensibile utique est, quod homines nimis curiosè de his, quæ non multum expediunt disceptent, & plura sapere, quam oporteat contra doctrinam Apostoli temerè appetant. *c.* 1. *de Renuntiat. in 6.*

Ratio allegari profectò valet, jure scripto deficiente. *c.* 31. *de Election. in 6. junct. Glos. L.* 7. *ff. de Bonis damnator.*

Respublica magis Religionibus, quam officiis, & labore corporis, vel sudore continetur. *c.* 23. 23. *q.* 8.

Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum. *c.* 9. *de Regul. jur. in 6.*

Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari. *c.* 10. *de Reg. jur. in 6.*

Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore. *c.* 77. *de Regul. jur. in 6.*

Rei appellatio latior est, quam pecuniæ. *L.* 5. *ff. de V. S.*

Rei appellatione, & causæ, & jura continentur. *L.* 23. *ff. de V. S.*

Restituit, qui non solùm corpus; sed

etiam

etiam omnem rem, conditionemque reddita causa præstat. *L. fin. §. un. ff. de V. S.*

Regula est, quæ rem, quæ est, brevitèr enarrat, non ut ex regula jus summatur, sed ut ex jure, quod est, regula fiat. *L. 1. ff. de Reg. jur.*

Refertur ad universos, quod publicè fit per majorem partem. *L. 160. ff. de Regul. jur.*

Res judicata pro veritate accipitur. *L. 207. ff. de Reg. jur.*

Reipublicæ causa abesse eos solos intelligimus, qui non sui commodi causa, sed coacti absunt. *L. 36. L. 43. ff. Ex quib. caus. major.*

S

461 Si de interpretatione Legis quæratur in primis inspiciendum est, quo jure Civitas retro in ejusmodi casibus usa fuisset: optima enim est Legum interpres consuetudo. *L. 37. ff. de Legib.*

Si cœcus cœcum ducit ambo in foveam cadunt, juxta Evangelicam veritatem. *c. 14. de Ætate, & qualitat.*

Satius est paucos bonos, quam multos malos habere Ministros. *c. 14. de Ætate, & qualitat.*

Sacerdotis officium est nulli nocere, omnibus velle prodesse. *C. fin. de Postuland.*

Sancta quippè rusticitas solùm sibi prodest, & quantum ædificat ex vitæ merito Ecclesiam Christi, tantùm nocet, si destruentibus non resistat. *c. 56. 2. q. 7.*

Sancta non sunt porcis, & canibus committenda. *c. 23. 11. q. 3.*

Sæpè sequitur diversitatem corporum diversitas animorum. *c. 5. de Cences. Præbend.*

Servus non habet legitimam personam standi in judicio. *L. 6. C. de Judic.*

Servitutem mortalitati ferè comparamus. *L. 209. ff. de Reg. jur.*

Si vinco vincentem te, à fortiori vincam te. *L. 14. §. 3. ff. de Divers. & temporal. præscript.*

Solutio omnem speciem liberationis continet: magisque ad substantiam liberationis refertur, quam ad nummorum solutionem. *L. 54. ff. de Solutionib.*

Successor factum prædecessoris præstare oportet, nisi hoc perniciosum sit: nam tunc illud mutare est necessè. *c. 28. D. 63.*

Subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur. *L. 10. §. 2. ff. Si quis caution.*

Solis radius per Cloacas, & latrinas transiens non potest aliquid exindè contaminationis atrahere. *C. fin. 15. q. 8.*

Sententia Pastoris, sivè justa, sivè injusta fuerit, timenda est. *c. 1. 11. q. 3.*

Si in Laicis vix tolerabilis videtur inscitia, quanto magis in his, qui præsunt, nec excusatione digna est, nec venia. *c. 3. D. 38.*

Spoliatus, etiamsi prædo sit, ante omnia est restituendus. *c. 5. de Restitut. Spoliator.*

Sententia à discretione matre virtutum, non à noverca justitiæ, voluntaria scilicèt judicantis præcipitatione procedere debet. *Clem. 2. de Sent. & re judicat.*

Summa æqualitas est in judiciis servanda. *c. 5. de Exception.*

Superlativum, & comparativum aliquando pro positivo ponuntur. §. 5. *Inst. de Locat. junc. t. L. 5. §. 2. ff. Commod.*

Subdelegatus subdelegare non potest. *c. 27. §. Si verò, de Offic. Delegat.*

Sæpè plures attenditur ratio dispositionis, quam verba. *L. 77. §. 20. ff. de Legat. 2.*

Satius est Missam non cantare, aut non audire, quam in illis locis, ubi fieri non oportet, nisi pro summa contingat necessitate. *c. 11. de Cons. D. 1.*

Si quod ago non valet, ut ago, valeat tamen ut valere potest. *C. fin. de Desponsat. impuber.*

Scientia non curiosissimi hominis, qui omnia, quæ in Civitate, vel Communitate accidunt sciat, nec negligentissimi, qui ignoret, quæ omnes sciunt, sed talis oportet esse, ut rem diligentèr inquirendo quis notam possit habere. *L. 9. ff. de Jur. & fact. ignorant.*

Simulata æquitas duplex est iniquitas. *arg. c. 1. de Religios. domib. in 6. junct. Glos. V. Sanctitatis.*

Sapientis est in melius mutare consilium. *c. 10. 22. q. 4.*

Sæpè in Legibus aliisque Principum dispositionibus est pro ratione voluntas. *c. 1. de Constitut. Princip.*

Si non potest alicui subveniri, nisi alter lædatur, commodius est, neutrum juvari, quam gravari alterum. *c. 10. 14. q. 5.*

Sicut artium in suo quoque opere invenitur mater instantia, ita noverca eruditionis est negligentia. *c. 6. D. 83.*

Sententiæ verbis præponendæ sunt, ut præ-

præponitur animus corpori : & ita malle debemus veriores, quam dissertiores audire sermones, sicut malle debemus prudentiores, quam formosiores habere amicos. *c.* 12. *D.* 38.

Si conscientia aliquem in oculis Dei non accusat, nihil interest, quod homines sentiant quod velint. *c.* 51. 11. *q.* 3.

Sicut in contumacia persistentibus severitas est ostendenda, sic humiliatis, & pœnitentibus venia non est denegan-da. *c.* 8. 2. *q.* 4.

Superior in correctione excedens non tenetur à subditis veniam postulare. *c.* 4. *D.* 86.

Si bonum est, quod præcipit Imperator, & Præses, jubentis obsequere voluntati : si verò malum, responde illud de Actibus Apostolorum : obedire Deo oportet magis, quam hominibus. *c.* 93. 11. *q.* 3.

Sana, & Sancta doctrina à Sacerdote, Prælato, vel Prædicatore quantumvis malo benè sumitur : nec ipse eam coinquinare valet. *c.* 5. 15. *q.* 8.

Si omnia in hoc sæculo vindicata essent, locum Divina judicia non deberent. *c.* 7. 6. *q.* 1.

Supervacuis ad beneficia laborat impendiis, qui solent certat facibus adjuvare. *c.* 7. 6. *q.* 1.

Sibi debitum honorem substrahit, qui alteri honorem defert indebitum. *c.* 4. *D.* 99.

Sicut medicus peritus non uno collyrio omnium oculos curat, sic Prælatus, vel prædicator diversorum nominum vulneribus diversis doctrinis medetur. *C. fin. D.* 29.

Sicut hoc, quod ratio exigit utilitatis oportet definiri, ita quod definitum est, nisi fortè ubi major est auctoritas non debet violari. *c.* 9. 25. *q.* 2.

Summa humanitas est, cum multi paucorum animadversione salvantur. *Novel.* 30. *cap.* 11.

Sæpè ex malis parentibus mala proles generatur. *c.* 10. *D.* 56.

Stultus in culpa erit sapiens in pœna. *c.* 10. *D.* 38.

Stultus est quidem qui in eo se primum existimat, ut bona, quæ viderit, discere contemnat. *c.* 4. *D.* 22.

Satius est non vovere, quam votum, prout melius potest, non perficere. *c.* 8. 12. *q.* 1.

Sæpè dum aliquis aliquid corrigere tentans, ansam solvisse se credidit, nodum ligasse videtur : & septem uno hydræ amputato capite suscitasse. *Extrav.* 1. *de Privil. int. com.*

Sine possessione præscriptio non procedit. *c.* 3. *de Reg. jur. in 6.*

Semel malus, semper præsumitur malus. *c.* 8. *de Reg. jur. in 6.*

Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus. *c.* 23. *de Reg. jur. in 6.*

Scienti, & consentienti non sit injuria, neque dolus. *c.* 27. *de Reg. jur. in 6. L.* 145. *ff. eod.*

Semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum. *c.* 51. *de Reg. jur. in 6.*

Sequestèr dicitur, apud quem plures eamdem rem, de qua controversia est, depossuerint. *L.* 110. *ff. de V. S.*

Solvendo esse nemo intelligitur, nisi, qui solidum potest solvere. *L.* 114. *ff. de V. S.*

Sensum, non verba considerare debemus. *c.* 8. *de V. S.*

Semper in obscuris quod minimum est, sequimur. *L.* 9. *ff. de Reg. jur.*

Semper in dubiis benigniora præferenda sunt. *L.* 56. *ff. de Reg. jur.*

Semper qui non prohibet pro se intervenire, mandare creditur. *L.* 60. *ff. de Reg. jur.*

Summa ratio est, quæ pro Religione facit. *L.* 43. *ff. de Relig. & sumptib.*

Superiores nequeunt omnibus complacere, cum ex officio suo teneantur arguere, & increpare, suspendere, & non nunquam ligare. *c.* 24. *de Accusat.*

Senectuti honor, & reverentia debetur. *L.* 5. *ff. de Jure immunitat.*

Sicut minorem major præcedit in honore, ita & in crimine : & quem major sequitur culpa major plectatur vindicta. *c.* 16. *D.* 50.

T

462 Tempus non currit ignoranti, nec impedito legitimè. *c.* 5. *de Conces. Præbend.*

Tutius est in dexteram, quam in sinistram, & in misericordiam, quam in severitate declinare. *c.* 2. *de Sortileg.*

Tres personæ constituunt Collegium. *L.* 85. *ff. de V. S.*

Textus debent interpretari, & intelligi, juxta titulum, sub quo jacent. *L.* 2. §. 14. *C. de Veter. jur. enucl.*

Tolerabilius est stultæ promissionis vota rejicere, quam per inutilium promissionum custodiam exhorrendam crimi-

minum implere mensuram, *cap.* 1. 22. *q.* 4.

Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes, *cap.* 25. *de Jur. jur.*

Tractent fabrilia fabri, *cap.* 4. *de Probat. L.* 6. *C. de Re Militar.*

Tempore quidem indigemus, ut aliquid maturius agamus: nec præcipitemus consilia, & opera nostra, neque ordinem corrumpamus, *cap.* 14. *D.* 50.

Tria sunt genera eleemosynarum: una corporalis, egenti dare quidquid poteris: altera spiritualis, dimittere, à quo læsus fueris: tertia delinquentes corrigere, & errantes in viam reducere veritatis, *cap.* 12. *D.* 45.

Turpis est omnis pars suo universo non congruens, *cap.* 2. *D.* 8.

Testium non tàm multitudo, quàm qualitas consideranda est, *cap.* 32. *de Testib.*

Testium dicta debet Judex concordare, si fortè discordent, *cap.* 16. *de Testib.*

Testis in causa propria nullus deponere valet, *cap.* 12. *de Testib.*

Turpitudinem propriam allegans non est audiendus, *cap.* 8. *de Donat.*

Totum perdit, qui totum vult. *Extrav. un. de Præbend. Joann. XXII. junct. Glossa.* V. *Inhabiles.*

Tumidi debent corripi, tolerari infirmi, *cap.* 2. *D.* 86.

Territorium est Universitas agrorum intra fines cujusvis Civitatis, quod ab eo dictum, quidam ajunt, quod Magistratus ejus loci intra eos fines terrendi, id est, summovendi jus habet. *L.* 239. §. 8. *ff. de V. S.*

Turpe est Patricio, & nobili, & causas oranti, jus, in quo versatur ignorare. *L.* 2. §. 43. *ff. de Origin. jur.*

V

463 Veritas sæpius exagitata magis splendescit in luce, *cap.* 7. 35. *q.* 9.

Ubi per graves dissensionum scissuras, non hujus, aut illius est periculum, sed populorum strages jacent, detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas syncera subveniat, *cap.* 25. *D.* 50.

Vana, & frustranea est potentia, quæ non reducitur ad actum. *L.* 4. §. 3. *ff. de Suspect. Tutor.*

Ubi remedium ordinarium suppetit ad extraordinarium non est recurrendum. *L.* 9. *ff. de Edend.*

Voluntas Testatoris est deambulatoria usque ad ultimum vitæ spiritum. *L.* 1. *C. de Sacrosanct. Eccles.*

Voluntas Testatoris pro Lege habetur. *L.* 35. §. 3. *ff. de Hæredib. instituend. cap.* 17. *de Testament.*

Voluntas Testatoris, & hæredis institutio non debet ab alieno pendere arbitrio. *L.* 32. *ff. de Hæredit. instituend.*

Ubi medium est inhabile impedit extrema conjungi. *L.* 7. *L.* 31. *ff. de Servit. prædict. rustic.*

Ubi periculum majus intenditur, ibi proculdubio est plenius consulendum, *capit.* 3. *de Election. in* 6.

Voluntas non minùs factis, quam verbis declaratur. *L.* 32. *ff. de Legib.*

Verba intelligi debent ita, ut aliquid operentur. *L.* 109. *ff. de Legat.* 1.

Ubi gubernaculum disciplinæ contemnitur, restat, ut Religio naufragetur. *Cl.* 2. *de Statu Monachor.*

Ubi exceptio non reperitur posita non est à regula recedendum. *L.* 3. §. *fin. ff. de Prævaricat.*

Vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ omnes Leges, & omnia jura permittunt. *L.* 3. *ff. Justit. c.* 18. *de Homicid.*

Verba præcedentia declarant sequentia, & è contra. *L.* 23. *ff. de Petition. hæredit.*

Vix inter ementes, & vendentes non intervenit peccatum, *cap.* 2. *de Pœnitent. D.* 5.

Ubi est eadem ratio, eadem juris dispositio debet esse. *L.* 32. *ff. Ad Leg. Aquil. L.* 12. *ff. de Legib.*

Ubi Lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. *L.* 32. *ff. de Recept. qui arbitr.*

Verba sunt intelligenda circa subjectam materiam, de qua proferuntur, *cap.* 6. *de V. S.*

Ubi culpa non est, non debet esse pœna. *L.* 49. §. 1. *ff. ad L. Aquil.*

Verba ex consuetudine Regionis interpretationem accipiunt. *L.* 18. §. 3. *ff. de Instruct. vel instrum. legat.*

Verbum, *mando*, aliquando non est imperativum, sed potius precativum. *L.* 2. *C. Commun. de Legat.* Quando vero is, qui præcipere, & jubere potest, mandat, vel etiam rogat, mandatum vim præcepti, & potest, & debet habere. *L.* 1. §. 3. *ff. Quod jussu.*

Ubi vera qualitas, vel certa forma requiritur, non sufficit, si per æquivalens impleatur, *cap.* 27. *de Præbend. in* 6.

Ver-

Verba Testatoris intelligi debent, prout jacent, nisi aperte de contraria voluntate appareat. *L.* 5. *tit.* 33. *p.* 7.

Vigilantibus, & non dormientibus jura subveniunt. *L.* 24. *ff. Quæ in fraud. credit.*

Verbum, *homo* ad fœminam extenditur, nisi contrarium expressè reperiatur. *L.* 6. *tit.* 33. *p.* 7. *L.* 152. *ff. de V. S.*

Verba in dubio contra stipulatorem interpretantur. *L.* 38. §. 18. *ff. de V. O.*

Ubi plures concurrunt facilè in opinionibus dissentiunt. *L.* 17. §. 6. *ff. de Recept. qui arbitr.*

Vinculum duplex fortius ligat, & difficilius rumpitur. *L.* 83. *ff. de Hæredib. instituend.*

Ubi senior juvenibus exemplum ad interitum præbet, ibi districta interpretatione feriendus est, *cap.* 28. 2. *q.* 7.

Verus ornatus Christianorum non est vestis pompa, sed mores boni, *cap.* 38. *de Cons. D.* 5.

Ubi ebrietas, ibi libido dominatur, & furor, *cap.* 5. *D.* 35.

Ubi est incolumitas obedientiæ, ibi facta est forma doctrinæ, *cap.* 7. *D.* 61.

Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur, *cap.* 3. *de Reg. jur.*

Urbis appellatio muris, Romæ autem continentibus ædificiis finitur, quod latius patet. *L.* 2. *ff. de V. S.*

Ubi pugnantia inter se in testamento inveniuntur, neutrum ratum est. *L.* 188. *ff. de Reg. jur.*

Ubi charitas non est, non potest esse justitia, *cap.* 29. 24. *q.* 1.

Veritas, cum minimè defensatur, opprimittur, *cap.* 3. *D.* 83.

Ubi consilium datur, offerentis arbitrium est, ubi præceptum necessitas est fervientis. *C. fin.* 14. *q.* 1.

Universitas non potest alia ratione subsistere, nisi magnus eam differentiæ ordo servet. *C. fin. D.* 89.

Ubi duo Superiores mandant opposita inferiori contra Superiorem neutiquam est obediendum, *cap.* 97. 11. *q.* 3.

Ubi peccatum non est evidens ejicere de Ecclesia neminem possumus, ne fortè eradicantes zizania eradicemus simul, & triticum, *cap.* 22. 11. *q.* 3.

Vana garrulitas dialecticorum, & sciolorum, eorumque sophistica argumenta ranarum garrulitati comparantur, *cap.* 7. *D.* 3.

Verba non semper debent accipi, ut sonant, *cap.* 2. 23. *q.* 1.

Vir communitèr sumitur pro sexu, *c.* 17. 32. *q.* 7. Aliquando pro virtute, *c.* 15. *D.* 30. Aliquando tandem pro ætate, *cap.* 6. *D.* 77. Unde versus: *Vir notat ætatem, vir sexum, vir probitatem.*

Virginitas in consilio tantùm, non in præcepto est, suaderi potest, imperari non potest, *cap.* 13. 32. *q.* 1.

Verba dubia juxta comunem intelligentiam interpretantur, & contrahentes coguntur verba pro lata in eo sensu retinere, quem solent rectè intelligentibus generare, *cap.* 7. *de Sponsalib.*

Verba secundum intentionem proferentis intelligenda sunt, *cap.* 41. *de Appellat.*

Votum non infringitur, cum in melius commutatur, *cap.* 3. *de Jur. jur.*

Vinculum fortius rumpit, quod ipso debilius est, *cap.* 15. *de Sponsalib.*

Verba litterarum Apostolicarum, quibus Papa proprium factum narrat, plenè utique probat, si super illis gratia, vel intentio Papæ fundetur. *Cl. un. de Probation.* Secus si non fundetur, *capit.* 10. *de Privil. in 6.*

Ubi Papa est, ibi, & Sedes Apostolica, & Curia Romana est; *arg. cap.* 34. *de Præbend. in 6.*

Verbum universale nonnunquam limitatur, & restringitur. *Extrav. un. Ne Sedevacant. Joann. XXII. junct. Gloss.* V. *Aliorum.*

Veritas fortissima est, & tandem prævalet, & vincit, manet, & invalescit in æternum: & vivit, & obtinet in sæcula sæculorum, *cap.* 8.

Utile non debet per inutile vitiari, *c.* 37. *de Reg. jur. in 6.*

Urbs ab urbo appellata est: urbare est aratro definire: & Varus ait, urbum appellari curvaturam atatri, quod in urbe condenda adhiberi solet. *L.* 239. §. 6. *ff. de V. S.*

Verba privilegiorum debent intelligi, ut aliquid asserant, & non remaneat ambiguitas, *cap.* 25. *de V. S.*

Verbum moderationis diminutionem continet, non augmentum. *C. fin. de V. S.*

Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris, vel domini. P. 4. *ff. de Reg. jur.*

Vani timoris justa excusatio non est. *L.* 184. *ff. de Reg. jur.*

Universitas, Civitas, Collegium, vel alia quæcumque Communitas potest dissolvi ob aliquorum particularium delicta, etsi alii innocentes sint. *L.* 2. *tit.* 2. *lib.* 8. *R. C.*

Ze-

Z

464. Zelus indiscretus vitari oportet, & dum aliqui præcipites quasi ad emendandum ruunt, ipsi multo magis deterius cadunt. *c.* 5. 24. *q.* 3.

Hucusque Jus Canonicum, Deo juvante, & Aurora protegente MARIA. Ad utriusque gloriam, & honorem collustrare tentavi; non quidem ut mea vota ad studentium utilitatem enixe optabat, sed prout mei ingenii tenuitas permissit. Plura adderem, aliaque fortè penitius castigassem, nisi torrens occupationum, & negotiorum mira inter se varietate disitorum sæpè à manu calamum invitum eriperet. Quapropter defectus, quos forsàn obvios invenietis, digni profectò sunt vestri generosi animi commiseratione: nam

Ablatum mediis opus est incudibus istud:
Defuit, & scriptis ultima lima meis.
Et veniam pro laude peto, laudatus abundè
Non fastidutus, si tibi, lector, ero.

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
QUÆ IN UTROQUE VOLUMINE CONTINENTUR.

Prior numerus significat Librum : secundus, numerum marginalem. Quæ in Proemio continentur, sub lib. 1. apponuntur.

A

ABBAS, quomodo eligatur? Et de ejus benedictione, & mitra. lib. 1. num. 168. An possit minores Ordines conferre? n. 215. De eorum potestate n. 337.

Abbatistarum electio. l. 1. n. 169.

Abortus. l. 5. ex n. 141.

Absentes qui dicantur? l. 2. n. 245. Quando vocentur ad Electionem? l. 1. n. 141. & 142. Quandoque pro præsentibus habentur. l. 3. ex n. 27. contra absentem proceditur in contumacia. l. 5. n. 8.

Absolvere quis possit à reservatis? l. 5. ex n. 374. à censuris ex n. 403. ab hæresi ex n. 100. ab excommunicatione Canonis ex n. 418.

Abstinentia à carnibus. l. 3. ex n. 423.

Abusus facit privilegium amittere. l. 5. n. 301.

Academiæ. l. 5. n. 59.

Acceptatio Legis an sit necessaria? l. 1. n. 40.

Acceptilatio. l. 3. n. 210.

Acceptio indebiti. l. 3. n. 216.

Accessione adquiritur dominium. l. 2. n. 96.

Accusatio. Quid sit, & quomodo ab aliis differat? l. 5. n. 1. Quid debeat continere libellus accusationis? n. 2. Accusator debet probare, accusatus non promovetur ad Dignitates. n. 4. Quis possit accusare, vel non? ex n. 5. Quid si plures accusent, & quomodo cesset accusatio? n. 10.

Accusare, quis possit matrimonium? l. 4. ex n. 170.

Adquisitio dominii quibus modis fiat? l. 2. ex n. 95. possessionis. n. 92.

Acta judicialia quomodo fidem faciant? l. 2. n. 17.

Actio realis, & personalis Civilis, & Prætoria. l. 2. n. 18. rei persecutoria, & pœnalis. 19. mixta, bonæ fidei, stricti juris, perpetua, & temporalis, 20. transitoria, & non transitoria, adhæredes, directa, contraria, utilis in factum, præscriptis verbis. Et an nomen actionis debeat in libello exprimi? 21. De actione doli. 100. De sequestraria. 126. Et juramento 205. Rei judicatæ. 255. Redhibitoria, & quanto minoris. l. 3. n. 159.

Actionibus quando præscribatur. l. 2. n. 251. & 252.

Actor l. 2. n. 2. sequitur forum rei. 23. debet sua edere instrumenta. 143.

Actus interni, an possint præcipi Jure Positivo? l. 1. n. 36. metu facti an valeant? n. 390. Actus requisiti ad consuetudinem. 117. meræ facultatis non præscribuntur. l. 2. n. 236.

Addictio in diem. l. 3. n. 153.

Aditio hæreditatis. l. 3. n. 242.

Adjuratio. l. 2. n. 225.

Administrans præbendam potest eligere. l. 1. n. 135.

Administrator rerum alienarum an possit ordinari? l. 1. n. 266.

Adoptio, quid, & quotuplex sit, quis possit adoptare, vel non? De ejus impedimento ad matrimonium. l. 4. ex n. 107.

Adulterium quando sit causa divortii? l. 4. ex n. 174. Quid sit adulterium? Et de ejus pœna. l. 5. ex n. 180. Quis illud accuset? 183. Quis de eo cognoscat, & quomodo probetur? 185.

Advocatus quomodo à Procuratore, & aliis differat? l. 1. n. 373. Qui possint postulare? 374. Quomodo quis postulare debeat? De salario, & privilegiis Advocatorum, & de pœna male suo officio utentium. 375. & 376.

Ædilitium Edictum. l. 3. n. 159.

Ætas ad ordines, & ad alia munera requisita. l. 1. ex n. 228. ætates hominis referuntur. l. 5. n. 258. ob defectum ætatis sæpè mitigatur pœna. 259.

Affectio, & reservatio beneficiorum. l. 3. ex n. 79.

Affictus. l. 3. n. 166.

Affinitas illicita quando impediat matrimonium, & quomodo probetur? l. 4. ex n. 111. quomodo impediat affinitas ex copula ilicita? ex n. 123. Arbor, & nomina affinium. 129.

Agnari. l. 4. n. 116.

Ag-

Agnus Dei. l. 3. n. 419.
Alienatio judicii mutandi causa. l. 1. n. 403. Quid alienationis nomine veniat? 404. Quid comprehendat alienatio? l. 3. n. 116. an res Ecclesiæ solemnitate indigeant, ut alienentur? 117. & 118. ex qua causa fieri debeat? 120. illigitimè facta revocantur. 121. De solemnitate ad alienandum. 122. De authoritate Superioris. 123. De consensu Pontificis. 124. De pœna male alienantium. 126.
Allodium. l. 3. n. 187.
Alluvione adquiritur dominium. l. 2. n. 96.
Altare. l. 3. n. 372.
Alternativa beneficiorum collatio. Reg. 9. Canc. in l. 3. n. 82.
Admodiatio. l. 3. n. 166.
Amentes non tenentur Legibus. l. 1. n. 56. & 58.
Anathema. l. 5. n. 407.
Anatocismus. l. 5. n. 224.
Ancila. l. 4. ex n. 95. & 99.
Annata. l. 3. n. 83.
Annulus Episcopi. l. 3. n. 371.
Antichrisiis. l. 3. n. 209.
Apertura feudi. l. 3. n. 193.
Apocha. l. 2. n. 186.
Antapocha. l. 2. n. 186.
Apostasia à statu Religioso. l. 3. n. 305.
Apostasia, quid, & quotuplex sit, & quomodo puniatur? l. 5. ex n. 135.
Apostoli apellationis. l. 2. n. 280.
Appellatio quid, & quotuplex sit? l. 2. n. 267. Quis possit appellare, vel non? 268. & 269. Quid debeat continere appellationis libellus? 270. & 271. In quibus causis appellatio admittarur? 272. & 273. A quo possit appellari? 274. Gradus appellationis. 275. & 276. De appellatione à Delegato. 277. Quoties liceat appellare? 278. De tempore interponendi appellationem. 279. De Apostolis. 280. De effectu appellationis. 282. Judex, à quo debet appellationi deferre, nec ultra progredi. 283. Judex, ad quem cognoscit de causa in qua appellatur. 284. Pendente appellatione nihil est innovandum: & de attentatis. 285. Quomodo differat appellatio à recusatione? 286. Per arreptionem itineris etiam appellatur. 289.
Apprehensione adquiritur possessio. l. 2. n. 92.
Approbatio Confessarii. l. 5. n. 368. Parochi. 369.
Aqua benedicta. l. 3. n. 375.
Aquilia Lex. l. 5. ex n. 314.
Arbiter, quis dicatur, & quomodo ab arbitratore, & aliis differat? l. 1. n. 405. & 406. Qui compromittere possint? 407. Qui esse arbitri, vel arbitratores. 308. Quænam causæ veniant in compromissum? 409. Quando, & de quibus arbiter cognoscat? 410. & 411. De effectu arbitrii, & sententia. 412. Officium arbitri, & arbitratoris quomodo finiatur? 413.
Arbitrator. l. 1. n. 405.
Arbor consanguinitatis. l. 4. n. 128. & affinitatis. 129.
Archidiaconus quis sit? & de ejus officio, & dignitate. l. 1. ex n. 283.
Archiepiscopus. l. 1. n. 330.
Archipresbyter. l. 1. n. 287. & 288.
Archivum. l. 2. n. 184.
Arctitudo fœminæ. l. 4. n. 137.
Aristocratia. l. 1. n. 350.
Arma non sunt ad hostes deferenda. l. 1. n. 358. nec ad infideles. l. 5. n. 80.
Armamentarium juris. l. 5. ex n. 444. & 445.
Armistitium. l. 1. n. 359.
Arrha in emptione. l. 3. n. 153. in sponsalibus. l. 4. n. 9.
Arrestatio. l. 2. n. 124.
Arrogatio. l. 4. n. 108.
Articulus. l. 2. n. 59.
Ascendentes, quomodo succedant? l. 3. n. 259.
Ascendentes, quomodo succedant? l. 3. n. 259.
Aspectus turpis. l. 5. n. 197.
Assecuratio fortis. l. 5. n. 228.
Assessores. l. 1. n. 348.
Astrologia. l. 5. n. 255.
Asylum, qui eo gaudeant, vel non? l. 3. ex n. 443. De criminibus exceptis. 450. Quæ loca gaudeant immunitate? ex n. 451. ejus causa pertinet ad Episcopum. 455. De pœna contrafacientium, ex n. 453.
Attentata revocantur. l. 2. n. 285.
Attestationes in judicio receptæ, quam fidem faciant? l. 2. n. 169. De attestationum reprobatione. 170.
Authenticæ. l. 1. n. 11.
Authenticum Instrumentum. l. 2. ex n. 183.
Axiomata juris. l. 5. n. 444. ubi ordine Alphabetico afferuntur.

B

Baccalaurei. Lib. 5. n. 59.
Baculus Episcopi. l. 3. n. 370.
Ballistarii. l. 5. n. 179.
Baptismus quid, & quotuplex sit? l. 3. ex n. 399. De ejus institutione, & necessitate. 402. De ejus materia, ex n. 403. De ejus forma. 405. De intentione Ministri. 406. De subjecto baptismi, ex n. 407. De ejus effectu. 410. an possit reiterari? 411. De Patrinis. 412. Non baptizatus invalidè ordinetur. 413.

Baptisma reiterantes. l. 5. n. 138.
Beatificatio. l. 3. ex n. 420.
Bellum quid sit? & de causis illud indicendi. l. 1. ex n. 354. non licèt Clericis propria manu pugnare. Et quid in bello liceat? De insidiis, de bonis in bello adquisitis, ex n. 355.
Benedictio variarum rerum. l. 3. n. 371. Numptiarum. l. 4. n. 196.
Beneficium Ecclesiasticum debet dati digniori. l. 1. n. 233. Quid ut beneficium? & de eorum divisione. l. 3. ex n. 35. De eorum pluralitate, & quis, & ex qua causa in ea dispenset? ex n. 40. De eorum unione, ex n. 47. De divisione, & dismembratione, n. 54. De eorum institutione, ex n. 62. Collatione, ex n. 71. reservatione, ex n. 79. vacatione, ex n. 84. permutatione, ex n. 183.
Beneficium ordinis, seu excusionis, & divisionis. l. 3. n. 207. cedendarum actionum. 208. cessionis bonorum. 213. & competentiæ. 214.
Beneficiati, quo ordine, qua ætate, scientia, & qualitatibus debeat pollere? l. 1. ex n. 331.
Bestialitas. l. 5. n. 293.
Bigamia quid sit, & quis in ea dispenset? l. 1. ex n. 274.
Blasphemia quid, & quotuplex sit? & de ejus pœna. l. 5. ex n. 264.
Bona Ecclesiastica an sint propria Clericorum? l. 3. ex n. 229. Immuni sunt ab oneribus, & tributis. 437. Et quid in communi neccesitate? 438.
Bona paraphernalia. l. 4. n. 188. De bonis lucratis durante matrimonio. 190.
Brachium Sæculare invocatur ab Ecclesiastico. l. 1. n. 333.
Breve Apostolicum. l. 2. n. 182.
Bulla. l. 2. num. 172. Crutiatæ. 217. 388.

C

Cadaver, quando alicubi invenitur, quis de causa cognoscat. l. 2. n. 32. in causa spolii quando restituatur? 103.
Caducitas empytheusis. l. 3. n. 179.
Cœremonia. l. 3. n. 374.
Calix. l. 3. n. 355. & 377.
Calumnia, quid & quotuplex sit, & quomodo puniatur? l. 5. ex n. 23.
Cambium, quid, & quotuplex sit? l. 5. n. 237.
Camerarius Cardinalis. l. 1. n. 384.
Campanæ. l. 3. n. 355. & 372.
Cancellaria. l. 1. n. 20. l. 2. n. 182. ejus regulæ. l. 3. n. 82. Cancellariæ Regiæ Hispaniæ, & Indiarum. l. 1. n. 339.
Cancellarius. l. 2. n. 182.
Canon in locatione solvendus, & quid de tempore sterilitatis? l. 3. ex n. 173. in Emphytensi. 177.
Canonica. l. 3. n. 35.
Canonica portio. l. 1. n. 334.
Canonici. l. 3. n. 35. tenentur residere. 22.
Canonista debet esse Vicarius Episcopi. l. 1. n. 297. & Capituli. 300.
Canonizatio Sanctorum. l. 3. ex n. 420.
Cantor. l. 1. n. 289.
Capellania l. 3. n. 36.
Capellæ Religiosorum. l. 3. n. 329.
Capitularibus competit jus eligendi. l. 1. n. 134.
Capitulum Sedevacante, in quæ succedat. l. 3. ex n. 90. debet assignare Viratium, & Æconomum. 92. De aliquibus in specie, ex n. 93. Quid sit Capitulum? 99. in aliquibus de ejus consilio, vel consensu, in aliis, sine eo procedit Episcopus, ex n. 100. Qui debent ad Capitulum vocati? ex n. 104.
Captivitas est modus adquirendi dominium. l. 2. n. 96.
Cardinales eligunt Pontificium. l. 1. ex n. 170. De eorum officio & vel num. 327. l. 3. n. 369.
Castitas est annexa Ordini Sacro. l. 3. ex n. 15. & professioni Religionis n. 334.
Casus fortuitus. l. 3. n. 134. & 140. Casus reservati. l. 5. ex n. 372.
Catechismus. l. 4. n. 30.
Cathedraticum. l. 1. n. 334.
Causæ spirituales, & aliæ ad Ecclesiam pertinent. l. 2. ex n. 8. causæ mixti fori. 13. legitimitatis. l. 4. n. 166. matrimoniales. 172.
Causa possessionis, & proprietatis quomodo tranctanda? l. 2. n. 99.
Cautio. l. 3. n. 194.
Censura variarum propositionum, quomodo fiat, & intelligatur? l. 5. ex n. 114.
Censura Ecclesiastica quid, & quotuplex sit? l. 5. ex n. 396. Quis possit, & in quos eas ferre? ex n. 398. ob quam culpam? 400. debet præcedere monitio. 401. solùm per absolutionem tollitur. 402. Qui, & quomodo à censuris absolvant? ex n. 403. Quando non incurrantur? 406.
Census ut est contractus. l. 3. n. 344. prout est pensio. 345. Qui censum imponant? 346. prout est tributum. 448.
Censuales Libri. l. 2. n. 184.
Censibus annuis, quomodo præscribatur? l. 2. n. 251.
Cessatio à Divinis. l. 5. n. 433.
Cessatio Legis. l. 1. ex n. 69.
Cessio bonorum. l. 3. n. 213.

Charta sigillata. l. 2. n. 180.
Chirographium. l. 2. n. 186.
Chorepiscopi, & Coepiscopi. l. 1. n. 304.
Chorus. l. 3. n. 374.
Chrisma. l. 1. n. 235. debet in Ecclesia custodiri. l. 3. n. 415.
Christiani, & Christus unde dicti? l. 1. n. 239.
Ciborium. l. 3. n. 373.
Cimiliarcha. l. 1. n. 290.
Circunstantia quid? l. 2. n. 258.
Citatio, & modus citandi. l. 2. n. 49. Debet fieri de mandato Judicis. 50. quæ debeat continere? 51. De ejus necessitate. 52. De citandis, & citationis effectu. 53.
Civitas Jure Minoris gaudet. l. 1. n. 397. Ejus bona quomodo præscribantur? l. 2. n. 248.
Clandestina matrimonia. l. 4. ex n. 47.
Clausula guarentigia. l. 2. n. 177. De clausula, *appellatione remota*. n. 272. Aliquæ Rescriptorum clausulæ. l. 1. n. 91. & Dispensationum. l. 4. n. 161.
Clausura Monialium. l. 3. n. 328.
Clementinæ. l. 1. n. 17.
Clerici quomodo Legibus obligentur? l. 1. n. 46. Qui dicantur peregrini. 280. Originarii debent extraneis præferri. 282. an possint postulare? 374. sunt exempti à jurisdictione sæculari. l. 2. n. 10. non possunt renuntiare fori privilegio. l. 2. n. 34. De eorum vita, & honestate quoad habitum, & alia. l. 3. ex n. 1. non debent cum fœminis cohabitare, ex n. 10. De Clericis conjugatis, ex n. 14. De eorum residentia, ex n. 21. Clerico ægrotanti est dandus coadjutor, ex n. 55. De eorum bonis, & peculio, & an dominium habeant? ex n. 229. an possint testari. 240. immunes sunt à tributis, & aliis oneribus, ex n. 436. non debent se immiscere negotiis sæcularibus, scilicèt, negotiationis, studio Juris Civilis, Medicinæ, & aliis, ex n. 458. nec possunt in duello pugnare. l. 5. n. 178. prohibetur eis venatio. 261. percussio. 262. Clericus censuratus regularitèr nequit ministrare, ex n. 268. nec valet ministrare in ordine, quo caret, ex n. 270. Clericus per saltum promotus, qua pœna puniatur? Et quis dispenset, ex n. 272. De Clerico, qui furtivè ordinem suscepit, ex n. 374.
Coadjutor Clerici ægrotantis. l. 3. ex n. 55.
Codex. l. 1. n. 11.
Codicillus. l. 3. n. 256.
Cœlibatus, quos obliget? l. 3. n. 324. l. 4. n. 77.
Cœmeterium. l. 3. n. 266. & 355.
Cognatio spiritualis unde proveniat, & quomodo impediat matrimonium, & quis in ea dispenset? l. 4. ex n. 101.
Cognatio Legalis quid, & quotuplex sit, & quando matrimonium impediat? l. 4. ex n. 107.
Cognatio naturalis quid sit. l. 4. ex n. 115.
Cohabitatio cum mulieribus Clericis prohibetur. l. 3. ex n. 10.
Collaterales, quando succedant? l. 3. n. 260.
Collatio beneficiorum quid sit, quando, quomodo, & à quo fiat? l. 3. ex n. 71.
Collatio suffragiorum in electione. l. 1. n. 150.
Collatiuncula. l. 3. n. 425.
Collusio. l. 5. n. 257.
Comediæ. l. 3. n. 5.
Commendæ Indiarum. l. 3. n. 193.
Commissarius Cruciatæ. l. 2. n. 37.
Commissio ad testandum. l. 3. n. 241.
Commissoria Lex. l. 3. n. 153. & 201.
Commixtione adquiritur dominium. l. 2. n. 96.
Commodatum quid sit, in quibus consistat, & quas actiones producat? l. 3. ex n. 131.
Commodum rei venditæ ad quem spectet? l. 3. n. 163.
Communitas. l. 3. n. 99.
Compensatio debiti. lib. 3. n. 210. lib. 5. n. 213.
Competentiæ beneficium. lib. 3. n. 214.
Compositio vi Bullæ. lib. 5. n. 217.
Compromisarii in eligendo. lib. 1. n. 153. in arbitrando. 407.
Concessio præbendæ. lib. 3. ex n. 84.
Concilium. lib. 1. n. 334.
Concubinatus. lib. 5. n. 190.
Concursus in collatione præbendarum. lib. 3. n. 74.
Concursus, & ordo creditorum. lib. 3. ex n. 217.
Condemnatio in expensas. lib. 2. n. 265.
Condictio. lib. 2. n. 18.
Conditio quid, & quotuplex sit, & quæ possit sponsalibus, & matrimonio, adjici, vel non? lib. 4. ex n. 67.
Conditio servilis impedit matrimonium. lib. 4. n. 95.
Conductio, & locatio. lib. 3. n. 166.
Confessarius quomodo debet in confessione procedere? l. 5. ex n. 366. De ejus approbatione, 368. jurisdictione. 370. Quomodo debet imponere pœnitentiam? 377. De pœna non Sacerdotis audientis confessiones, 395. Confessarius solicitans est denuntiandus, & puniendus. l. 5. n. 119. & 395.

Confessio judicialis quid, & quotuplex sit? l. 2. n. 129. Quando reus teneatur respondere? Et an confessio sit probatio? ex n. 130.
De confessione incidenti, & qualificata. 134. De confessione extrajudiciali. 135. Quando possit confessio revocari? 136.
Confessio Sacramentalis. l. 5. ex n. 361. De confessionis sigillo, quomodo violetur, & violans puniatur? ex n. 389.
Confessio quædam Ecclesiæ pars. l. 3. n. 375.
Confirmatio electionis. l. 1. ex n. 157.
Confirmationis Sacramentum quibus cæremoniis fiat. l. 1. ex n. 237. De ejus materia, & forma, 240. & necessitate, 241.
Confirmatio utilis, vel inutilis, communis, vel especialis. l. 2. ex n. 290.
Confiscatio bonorum. l. 5. n. 342. 343. & 344.
Confusione adquiritur dominium. l. 2. n. 96.
Congregationes variæ. l. 1. n. 20.
Conjugati an possint ordinari? l. 3. ex n. 307. quando valeant ingredi Religionem? l. 3. ex n. 307.
Conjugicidium est impedimentum ad matrimonium. lib. 4. ex n. 89.
Consanguinei quomodo sibi succedant? l. 3. ex n. 258.
Consanguineam uxoris cognoscens? l. 4. ex n. 111.
Consanguinitas, quid, & quotuplex sit? De ejus gradibus, & quomodo impediat matrimonium? l. 4. ex n. 115. Arbor, & nomine consanguineorum, 128.
Consecratio Episcopi. l. 1. ex n. 162. Ecclesiæ, vel Altaris. l. 3. ex n. 352. Calicis. 355.
Consecrator Episcopi. l. 1. n. 162. & 163.
Consensus ad matrimonium. l. 4. ex n. 19. ad ordines, n. 79.
Conservando quando, & de quibus cognoscat? l. 1. ex n. 318.
Consilium Capituli aliquando requiritur. l. 3. n. 103.
Constitutio. l. 1. n. 34. & 35. Vide *Læx.*
Constitutio Gregor. XIV. Circa immunitatem. l. 3. n. 457.
Consuetudo, quid, & quotuplex sit? l. 1. ex n. 112. differt à Lege, aliis. 115. Quinam possint consuetudinem inducere? 116. Quibus actibus? 117. Quæ ad eam requirantur? ex n. 118. De clausula non obstante quacumque consuetudine. 123. De consuetudine immemoriali. 124.
Contestatio litis quid sit, quomodo, & quando fiat? l. 2. ex n. 57. De ejus effectu. 60. & 61. ante contestationem regulariter non proceditur ad receptionem testium, vel sententiam, ex n. 62.
Continentia causarum. l. 2. n. 99.
Continentia. Vide *Castitas.*
Contractus, quid & quotuplex sit, & quomodo fiant? l. 1. ex n. 365. Qui contrahere possint, vel non? ex n. 362.
Contractus correspondentiæ. l. 5. n. 228.
Contra dos, seu donatio propter nuptias. l. 4. n. 189.
Contributiones. Vide *Tribut.*
Contumacia, quid, & quotuplex sit? & de ejus pœnis. l. 2. ex n. 113.
Conventio, seu pactum. l. 1. ex n. 160.
Conventionis, & reconventionis causa simul tractanda. l. 2. n. 56.
Conversio conjugatorum. l. 3. ex n. 307.
Copia, vel exemplum instrumenti. l. 2. n. 176.
Copula. l. 5. n. 112.
Corporale. l. 3. n. 377.
Corpore vitiati. l. 1. ex n. 267.
Corpus Juris Civilis, & Canonici. l. 1. ex n. 10.
Corpus delicti. l. 5. n. 13.
Credendum quid? l. 1. n. 27.
Credentes hæreticorum. l. 5. n. 107.
Creditorum concursus. l. 3. ex n. 217.
Crimina ab asylo excludentia. l. 3. ex n. 446.
Criminis impedimenta. l. 4. n. 30. & ex n. 86.
Criminum accusatio quando præscribatur? l. 2. n. 252.
Crux debet haberi in altari, & de ejus significatione. l. 3. n. 376.
Culpa quid sit? l. 5. n. 313.
Cultus quotuplex sit, & quibus debeatur? l. 3. ex n. 416. quo cultu venerentur reliquiæ? 418.
Cultus disparitas est impedimentum. l. 4. n. 35.
Cumulari potest causa possessionis.
Curam animarum habens residere tenetur. l. 3. n. 24. Hujusmodi cura datur per institutionem authorizabilem, n. 68. Parocho incumbit, ex n. 275.
Cura de bono nomine quomodo habenda? l. 3. n. 9.
Custodia Eucharistiæ, & Chrismatis. l. 3. n. 414.
Custos, & ejus officium. l. 1. n. 291.

D

Damnum quid sit, & quomodo fiat? l. 5. n. 313. debet resarciri. 315.
Damnum emergens. l. 5. n. 226.

Data rescripti. l. 1. n. 92.
Dataria. l. 2. n. 182. Quomodo in ea dispensetur? l. 4. n. 155.
Debilitati sunt irregulares. l. 1. n. 270.
Debitor solvere tenetur. l. 3. n. 213.
Debitum conjugale. l. 4. n. 23.
Decanus. l. 1. n. 287. & 288.
Decimæ quo jure debeantur? l. 3. n. 279. De Decimis realibus, & personalibus, 280. Qui teneantur decimas solvere? 281. Qui eximantur? 282. & 283. Cui debeantur? 284. De eis cognoscit Ecclesiasticus. 285. Quomodo jus decimandi adquiratur? 286.
Declarationes Cardinalium. l. 1. n. 20.
Decretales. l. 1. n. 16.
Decretum Gratiani. l. 1. n. 14. & 15.
Decretum primum, & secundum. l. 2. n. 116. & 118.
Decreta varia S. Congregation. l. 3. n. 397.
Deffectus in Missa occurrentes. l. 3. n. 383. & 384.
Defloratio ad quid obliget? l. 4. n. 85.
Deformes sunt irregulares. l. 1. n. 271.
Degradatio. l. 5. ex n. 341.
Delectatio. l. 5. n. 197.
Delegatio jurisdictionis. l. 1. ex n. 305.
Delegatio debiti. l. 3. n. 210.
Delegatus Judex. l. 1. ex n. 305. Vide *Judex.*
Deliberatio ad sponsalia. l. 4. n. 2.
Delicti forum. l. 2. n. 30.
Delictum quando notorium dicatur. Et quomodo tunc procedatur? l. 5. ex n. 20. quando dicatur occultum quoad dispensationem? 171.
Democratia. l. 1. n. 350.
Demonstratio. l. 4. n. 70.
Denuntiatio quid, & quotuplex sit, & quo ordine fiat? l. 5. ex n. 16.
Depositarius Generalis. l. 3. n. 142.
Depositio. l. 5. n. 335.
Depositum, quid, & quotuplex sit, in quibus consistat, & quas actiones producat? l. 3. ex n. 136.
Desponsatio impuberum. l. 4. ex n. 42. Clandestina, ex n. 47.
Destitutio testamenti. l. 3. n. 252.
Devolutio in collatione beneficiorum. l. 1. ex n. 198.
Dies festi. l. 2. ex n. 75.
Diffamationis forum. l. 2. n. 39.
Digestum. l. 1. n. 10.
Dignior debet eligi. l. 1. n. 143. Digniori debet conferri beneficium collatum, 233.
Dignitas. l. 3. n. 35.
Dilatio quid, & quotuplex sit? De earum terminis, & quando admittantur? l. 2. ex n. 69.
Diminutio beneficiorum. l. 3. ex n. 108.
Dimissoriæ à quo concedantur? l. 1. n. 217.
Dispensare in lege quis possit? l. 1. ex n. 72.
Dispensatio circa impedimenta matrimonii à quo fiat? l. 4. ex n. 147. ex quibus causis? ex n. 151. quando vitietur? 154. quando in Pœnitentiaria, quando in Dataria petatur? ex n. 155.
Dissolutio sponsalium ex variis Capitibus provenit. l. 4. ex n. 11.
Destilatio. l. 5. n. 196.
Distractus forum. l. 2. n. 28.
Distributiones quotidianæ. l. 3. ex n. 31.
Divinatio. l. 5. ex n. 252.
Divortium quid sit, quando, quibus ex causis, & qua authoritate fieri possit? l. 4. ex n. 173.
Doctores, qui & à quo possint creari? l. 5. n. 61. De eorum gradu, & privilegiis, ex n. 62.
Dolus quid, & quotuplex sit, quomodo differat ab errore, & aliis, & quando reddat nullum, vel rescindibilem contractum? l. 2. ex n. 107. De actione, & exceptione doli, ex n. 110. quomodo dolus probetur? 112. De dolo. l. 5. n. 313.
Domicilium quoad forum. l. 2. ex n. 26. & quasi domicilium. 27.
Dominium definitur, dividitur, & quomodo adquiratur? l. 2. ex n. 95.
Domus religiosæ. l. 3. ex n. 329.
Donatio Indiarum nostris Regionibus à Sancta Sede facta fuit. l. 1. n. 326.
Donatio, quid, & quotuplex, sit & quomodo ab aliis differat? l. 3. ex n. 219. & 220. qui possint donare? 221. De donatione omnium bonorum, de insinuatione donationis. 222. De ejus irrevocabilitate, ex n. 223.
Donatio inter virum, & uxorem quando permittatur, vel non? l. 4. ex n. 185.
Dos Ecclesiæ debet esse sufficiens. l. 3. n. 350.
Dos uxoris quotuplex sit? l. 4. n. 118. in qua quantitate possit constitui? 189. quando possit ab uxore repeti? 190.
De hypotheca, quam uxor habet pro dote, & quando marito dos cedat ob uxoris adulterium? 191.
Dotalitium. l. 4. n. 189.
Dotatione adquiritur patronatus. l. 3. n. 333.
Duelum quid sit, & quando liceat, vel non? & de ejus pœnis. l. 4. ex n. 173.
Duplicatio. l. 2. n. 229.

E

Ebrii an Legibus teneantur? Lib. 1. n. 58.

Ecclesia Parochialis quomodo Monasterio uniatur? l. 3. n. 332.
Ecclesia diversimodè accipitur. l. 3. n. 351. De Ecclesiæ consecratione, & execratione. n. 352. & 353. Missa est in Ecclesia celebranda. 354. Quomodo Ecclesia polluatur, & reconcilietur? ex n. 356. De variis Ecclesiæ partibus. Turri scilicet, Altari, Choro, &c. ex n. 372. Quomodo, qua licentia, quibus sumptibus Ecclesia sit ædificanda, vel reparanda, ex n. 431. Immunitas Ecclesiæ, ex n. 443. Vide *Asylum.*
Edicta varia S. Inquisitionis. l. 5. ex n. 116.
Edictio quid sit, & quomodo ab aliis differat? l. 1. n. 132. Qui eligant Episcopum? ex n. 133. qui possint eligere, vel non? ex n. 135. qui debeant vocari? 141. & 142. Quis eligendus, vel non? ex n. 143. Pœna eligentium indignum, ex n. 147. Quomodo fiat electio? ex n. 149. Quis à majori parte electus dicatur? 151. quomodo impugnetur electio? 152. De electione per compromissum. 153. & 154. per inspirationem. 155. non debet metu, nec à laicis fieri. 156. De terminis electionis, præsentationis, & confirmationis, ex n. 157. De potestate Episcopi confirmati, ex n. 160. De electione Prælatorum Regularium, ex n. 166. De Abbatum electione, benedictione, & Mitra. 168. Abatissarum. 269. Pontificis, ex n. 170. Imperatoris 173.
Emporii jus quid. l. 3. n. 145.
Emptio, & venditio quid sit, & quomodo ab aliis differat? l. 3. n. 143. qui possint emere, vel non? & de Nundinis. 144. & 145. De Monopoliis. 146. de pretio. 147. & 148. quæ res possint vendi, vel non? ex n. 149. De pacto Legis commissoriæ. 152. De Arrha, & in diem addictione. 153. De Evictione. 155. De læsione ultra dimidium, & quando non succurratur læso, ex n. 157. De periculo, & commodo rei venditæ. 162. & 163. quomodo dissolvatur venditio? 164. De gabella. 165.
Emphyteusis quid, & quotuplex sit, à quo concedatur, quomodo finiatur, & quas actiones producat? l. 3. ex n. 175.
Empiikeia. l. 1. ex n. 67.
Episcopatus an sit ordo? l. 1. n. 204.
Episcopus potest ordinare, & quomodo? l. 1. ex n. 212. quis possit dare dimissorias? 217. potest renuntiare Episcopatui, ex n. 224. est confirmationis Minister. 238. Est Judex Ordinarius. 331. De ejus Lege jurisdictionali. 332. quomodo in Laicos procedat? Confert beneficia, condit statuta, visitat Diœcesim, & quæ alia valeat exercere? 333. De Lege Diœcesana, Synodatico, Cathedratico, &c. 334. Quando, ut delegatus in Regulares procedat? 335. De solitis Episcoporum. 336. In causis Capitularium cum adjunctis procedit. l. 3. n. 102. in quibus debeat cum Consilio Capituli procedere. 103. loca Ecclesiastica visitat, aliquibus exceptis. l. 3. n. 329. Quid de Hospitalibus Regiis? l. 1. n. 333.
Epistolæ l. 2. n. 186.
Eremitæ an gaudeant fori ptivilegio? l. 2. n. 10.
Error communis. l. 2. n. 2.
Error quid sit, & quando matrimonium impediat? l. 4. ex n. 33.
Errores varii hæreticorum. l. 1. ex n. 28.
Eucharistia diversimodè sumitur. l. 3. n. 358. De ejus materia, & forma. 391. De ejus Ministro. 392. quomodo sumenda est? 393. debet in Ecclesia custodiri. 414. ad infirmos est deferenda. 415.
Evictio. l. 3. ex n. 155.
Exactiones quis possit imponere? l. 3. n. 347.
Examen. l. 1. ex n. 222.
Exceptio doli. l. 2. n. 110. & 111. Ex juramento. 205.
Exceptio quid, & quotuplex sit? l. 2. ex n. 226. cui concedatur? 229. Exceptiones declinatoriæ, & peremptoriæ quando opponantur? ex n. 230. plures possunt opponi. 232. aliquæ rejiciuntur. 233.
Exceptio rei judicatæ in uno foro admittitur in alio. l. 2. n. 232. & 255.
Excessus Prælatorum, & Subditorum. l. 5. ex n. 276.
Excommunicatio quid, & quotuplex sit? l. 5. n. 407. Excommunicati vitandi. 408. quibus priventur? ex n. 409. In quibus eis communicare liceat. 412. De excommunicatione minori. 413. De excommunicatione Canonis, ex n. 414. Quis ab ea absolvat? ex n. 418. De excommunicationibus in specie, ex n. 435.
Excusatum. l. 3. n. 440.
Excussionis beneficium. l. 3. n. 207.
Executio sententiæ, quomodo procedatur in via executiva, & in quæ bona? l. 2. ex n. 264.
Executor Testamenti. l. 3. ex n. 253.
Exemptio Clericorum. l. 2. n. 14. Religiosorum. l. 5. ex n. 292.
Exequiæ. l. 3. n. 364.
Exhæredatio. l. 3. n. 242.

Expilata hæreditas. l. 5. n. 215.
Expositio infantium. l. 5. ex n. 143.
Extractio ex Asylo. l. 3. n. 453.
Extravagantes. l. 1. n. 17.

F

Facultatis meræ actus non præscribuntur. l. 2. n. 236.
Falcidia. l. 3. n. 247.
Faldistorium. l. 3. n. 371.
Falsum instrumentum. l. 2. ex n. 190.
Falsi crimen. l. 5. ex n. 245.
Fama quid probet? l. 2. n. 147.
Familiares Inquisitionis ad quod Tribunal spectent? l. 2. n. 38.
Fatalia appellationis. l. 2. ex n. 279.
Feriæ quid sint? De feriis sacris, & profanis, quis eas indicat, & quæ in eis præcipiantur, vel prohibeantur? l. 2. ex n. 75.
Feudorum Libri. l. 1. n. 11.
Feudum quid, & quotuplex sit? De ejus actionibus, & quomodo finiatur? l. 3. ex n. 187.
Fideicommissum quid sit? l. 3. n. 250.
Fidejussio. l. 3. ex n. 203.
Fidelitas vassalli. l. 3. n. 192.
Fides Catholica. l. 1. ex n. 26. de ejus professione. 33.
Fides bona, & mala in præscriptione. l. 2. ex n. 237.
Fides instrumentorum. l. 2. ex n. 176.
Filii illegitimi sunt irregulares, & quis dispenset? l. 1. ex n. 256.
Filii legitimi, & illegitimi qui sunt? l. 4. ex n. 163.
Filii Presbyterorum. l. 1. ex n. 256.
Filii familias an patris licentia indigeant, ut fiant Clerici? l. 1. n. 265. an possint contrahere? 363. an stare in judicio? l. 2. n. 5. an facere testamentum. l. 3. n. 239. Quid in matrimonio? l. 4. n. 26.
Fiscales ex officio accusant. l. 5. n. 6.
Fiscus quando succedat? l. 3. n. 261.
Fœdus cum Turcis, Sarracenis, vel hæreticis an liceat? l. 1. n. 358.
Fœmina est incapax ordinum. l. 1. n. 208.
Forma electionis. l. 1. n. 149.
Formula Testamenti. l. 3. n. 257.
Fornicatio. l. 5. n. 190.
Forum internum, & externum. l. 2. n. 22.
Fori privilegio qui gaudeant? l. 2. ex n. 10.
Forum quid, & quotuplex sit? l. 2. n. 22. Actor sequitur forum rei, 23. forum ratione domicilii. 26. De quasi domicilio. 27. De foro contractus. 28. De loco, in quo quis promisit solvere. 29. De loco delicti. 30. De foro Clericorum, Militum Scholarium, miserabilium personarum. De casibus Curiæ, & aliis, ex n. 37. De foro Mercatorum. 185.
Fratres quando succedant? l. 3. n. 260. inter fratres nequit matrimonium contrahi. l. 4. n. 120.
Frigiditas impedit matrimonium. l. 4. ex n. 131.
Fructus, & expensæ quomodo veniant, in restitutione in integrum. l. 1. ex n. 394. quando debeant restitui? l. 2. n. 104.
Fructus beneficiorum vacantium. l. 3. n. 115.
Fructum sequestratio. l. 2. en n. 124.
Fugitivi. l. 3. n. 305. l. 5. n. 136.
Fundatione adquiritur patronatus. l. 3. n. 333.
Funeraria portio Parochis debetur. l. 3 n. 271.
Furtivè ordo susceptus. l. 3. ex n. 274.
Furtum quid sit, quando committatur, & qui furti teneantur? l. 5. ex n. 209.
Furti variæ species referuntur, ex n. 214. De quantitate furti, & qui teneantur restituere? 216. De actionibus furti, ex n. 218.

G

Gabella in emptione. l. 3. n. 165.
Glossa. l. 1. n. 21.
Glossatores. l. 1. n. 24.
Gradus consanguinitatis. l. 4. n. 128. & affinitatis. 129.
Gravamen est causa appellandi. l. 2. ex n. 268.
Græci conjugati an possint ordinari? l. 3. n. 14.

H

Habitus Clericorum. lib. 3. ex n. 1.
Hæredes qui possint institui, vel non? Et de suorum legitima. l. 3. ex n. 242.
Hæreditas in quot partes dividatur? l. 3. n. 258.
Hæreses quid? l. 5. n. 82. quando incurratur, vel non? ex n. 83. ejus cognitio cui competat? ex n. 93. quis ab ea absolvat? ex n. 101.
Hæreticus non est ignorans, nec Catechumenus. l. 5. n. 84. an, & cui liceat cum Hæreticis disputare? ex n. 85. Eorum libri sunt prohibiti, ex n. 88. De eorum pœnis, ex n. 104. De credentibus, fautoribus, & defensoribus hæreticorum. 107. Propositio hæretica quid sit? n. 114.
Hermaphroditus. l. 4. n. 137.

Homagium. l. 2. n. 202. l. 3. n. 190.
Homicidium quid, & quotuplex sit? l. 5. n. 146. De ejus pœnis, ex n. 147. Nulli se ipsum occidere liceat. 150. De irregularitate ex homicidio, ex n. 153. De ejus dispensatione, ex n. 170.
Homo liber non præscribitur. l. 2. n. 236.
Honestas Clericorum. l. 3. ex n. 1.
Honestatis publicæ impedimentum. l. 4. n. 32.
Horæ Canonicæ. l. 3. n. 394.
Hypotheca. l. 3. ex n. 194.

J

Jejunium. l. 3. ex n. 423.
Ignorantia quando excuset? l. 1. ex n. 53.
Illegitimi sunt irregulares. l. 1. n. 256. Quomodo hæc irregularitas tollatur? ex n. 259. De filiis illegitimis Clericorum. 262.
Imaginum usus. l. 3. n. 375.
Imbreviatura, seu protocollum. l. 2. n. 176.
Immissio in bona. l. 2. ex n. 116.
Immunitas Ecclesiastica. l. 3. ex n. 435.
Immunitas à decimis solvendis. l. 3. ex n. 282.
Impedimenta matrimonii, & quis possit ea statuere? l. 4. ex n. 27. De Impedientibus. 30. De dirimentibus. 31. De publiça honestate. 32. De errore, ex n. 33. De disparitate cultus. 35. De vi, & metu, ex n. 37. De raptu. 41. De impedimento criminis. 86.
Imperium quid? Et de imperio mero, & mixto. l. 1. ex n. 342.
Impotentia. l. 4. ex n. 131.
Impuberes an excommunicatione ligentur? l. 1. n. 57.
Incarceratio. l. 5. n. 332.
Incendiarii. l. 5. ex n. 205.
Incestus. l. 5. n. 191.
Incorporatio beneficiorum. l. 3. ex n. 47.
Indebitum. l. 3. ex n. 215.
Indiarum justa adquisitio. l. 1. n. 355. Earum donatio. 326.
Indi quibus privilegiis gaudeant quoad dies festos. l. 2. n. 78. quoad jejunium. l. 3. n. 428. & alia. l. 5. n. 302.
Indicia. l. 2. n. 194.
Indigni electio. l. 1. n. 147. & 148.
Indulgentia. l. 5. ex n. 381.
Infamiæ pœna. l. 5. ex n. 329.
Infantes expositi. l. 5. ex n. 143.
Inferioris negligentia per Superiorem supletur. l. 1. ex n. 197.
Infideles alium occidentes, ut cum ejus uxore contrahant. l. 3. n. 309.
Infidelitas quid, & quotuplex sit? l. 5. n. 69. an liceat cum infidelibus communicare? 70. non sunt inviti baptizandi, nec ad eos arma licet deferre, ex n. 75.
Injuria. l. 5. ex n. 308.
Innocens an possit condemnari? l. 1. n. 345. an teneantur admittere adulterum? l. 4. n. 181. quando possit ab adultero propria authoritate discedere? 182.
Inofficiosum Testamentum. l. 3. ex n. 251.
Inquisitio quid, & quotuplex sit, & quomodo procedatur. l. 5. ex n. 10. De Inquisitione severa, seu tortura. 14.
Inquisitores de quibus cognoscant? l. 5. ex n. 93.
Inquisitionis varia Edicta. l. 3. ex n. 116.
Inspectio ocularis. l. 2. n. 146.
Inspiratione fit quandoque electio. l. 1. n. 149.
Installatio. l. 3. n. 69.
Instantia. l. 2. n. 1.
Institutiones Justiniani. l. 1. n. 12. Canonicæ. 18.
Institutio Canonica. l. 3. ex n. 62.
Institutio authorizabilis. l. 3. n. 68.
Institutio hæredis. l. 3. n. 242.
Instrumentum quid sit, & quomodo dividatur? l. 2. n. 176. quomodo probet. 177. quomodo fiat? ex n. 180. à quo sit edendum? 189. quomodo impugnetur? ex n. 190.
Insulæ cui adquirantur? l. 2. n. 95.
Interdicta possessoria. l. 2. ex n. 97.
Interdictum Ecclesiæ ad matrimonium. l. 4. ex n. 143.
Interdictum prout est censura. l. 5. ex n. 425. De interdictis in specie. 438.
Interpretatio legis. l. 1. n. 66. Rescriptorum. ex n. 102. privilegiorum. l. 5. n. 289.
Interstitia in ordinibus servanda. l. 1. ex n. 220.
Inventarium quomodo fiat? l. 3. n. 253.
Inventione adquiritur dominium. l. 2. n. 95.
Investitura in beneficiis quid sit, quomodo, & à quo fiat? l. 3. ex n. 69.
Inviti non ordinandi. l. 1. n. 209.
Irregularitas. l. 5. ex n. 336.
Irritatio. l. 1. n. 63.
Iteratio Sacramentorum. l. 1. n. 254.
Jubilæum quid sit? l. 5. n. 385. quæ opera in eo præscribantur? 386. De absolutione tempore Jubilæi, & suspensione Indulgentiarum. 387.
Judæi. Quando liceat, vel non cum eis communicare? l. 5. ex n. 70. Eorum Synagogæ an reparari valeant? 73. nequeunt inter Christianos publico officio fungi. 74. non sunt baptizandi inviti, & à quo puniantur? exn. 75.

Judex delegatus quis dicatur? l. 1. n. 305. quomodo differat ab ordinario, & aliis 306. qui, & quibus possint delegare? ex n. 307. De causa pluribus delegata. 309. litteræ delegationis exhibentur Ordinario. 310. Ordinarius exequitur delegati sententiam. 311. quæ causæ delegari valeant? 312. quomodo delegati jurisdictio finiatur? ex n. 314. à delegato ad delegantem appellatur. 317.

Judex Ordinarius quis sit? l. 1. n. 323. Qui possint esse Judices vel non? 324. De variis Judicibus Ordinariis, ex n. 324.

Judex quomodo procedere debeat in electione opinionum, & ex publica scientia. l. 1. ex n. 344. potest salarium accipere, non alia munera, nec negotiari, ex n. 346. non litteratus debet Assessorem consulere. 348. De pœna malè judicantium. 349. Quid de eo qui judicatur errore communi Judex? l. 2. n. 2.

Judex extra territorium non exercet jurisdictionem. 24. Nemo est Judex in sua causa. 25. suam debet jurisdictionem defendere. 42.

Judicium quid sit, & quibus constet? l. 2. n. 1. & 2. De Judicio Ecclesiastico, & Sæculari. n. 3. De petitorio, possessorio, &c. n. 4. Et qui possint stare in judicio, vel non? ex n. 5. quibus modis judicium finitur. 16. De judicii nullitate, & an acta in uno judicio probent in alio? 17.

Juramentum calumniæ quid sit, à quibus, & quomodo præstetur? Et de ejus partibus, & effectu. l. 2. ex n. 65.

Juramentum quid? l. 2. n. 200. est actus Religionis, & ubique est in usu, & qui ad illud admittantur? 202. quotuplex sit, & quomodo fiat? 203. Per juramentum voluntarium lis finitur. 204. De actione, & exceptione ex eo resultante. 205. De ejus delatione. 206. De juramento judiciali, ex n. 211. De juramento in litem. 213. De juramento affectionis, & super interesse singulari. 214. De juramento promissorio, ex n. 215. De aliquibus juramentis illicitis. 217. Juramentum confirmat contractum invalidum. 219. De juramenti relaxatione. 220. Et qui possint illud relaxare? ex n. 221. De perjurio, & ejus pœna. 223. De restrictione mentali. 224. De juramento comminatorio, & execratorio, & de adjuratione. 225.

Jurisdictio delegata. l. 1. ex n. 305. ordinaria, ex n. 302. Quid sit jurisdictio? & de ejus speciebus. 342.

Jurisprudentia. l. 1. n. 1.

Jus quid, & quotuplex sit, & quomodo accipiatur? l. 1. ex n. 1. Jus Civile, & ejus partes, ex n. 9. Jus Canonicum. 13. Hispanum. 22. & 23.

Jus jurandum vide juramentum.

Jus patronatus. l. 3. ex n. 333.

Justitia quid, & quotuplex sit? l. 1. ex n. 3.

L

Lacticinia, quando prohibeantur. l. 3. ex n. 423.

Læsio ad restitutionem. l. 1. ex n. 395.

Læsio ultra dimidium. l. 3. ex n. 157.

Laici nequeunt eligere Prælatum Ecclesiasticum. l. 1. n. 156. nec Clericos judicare. l. 2. n. 10.

Languidi. l. 5. ex n. 143.

Largitas sponsalitia. l. 4. n. 189.

Laudare venditorem. l. 3. ex n. 155.

Laudemium. l. 3. n. 177.

Laudum. l. 1. n. 410.

Legatum quid, & quotuplex sit, & in quibus consistat? l. 3. ex n. 245.

Legatus quotuplex sit? & de eorum commissione, & potestate. l. 1. ex n. 320.

Legislator quomodo sua lege teneatur? l. 1. ex n. 59.

Legitima. l. 3. ex n. 242.

Legitimatio quomodo fiat? l. 4. ex n. 166.

Legitimitatis causa ad Ecclesiasticum pertinet. l. 4. n. 166.

Legitimi liberi qui sint? l. 4. ex n. 163.

Lenocinium. lib. 5. n. 351.

Lepra quid sit, & an dissolvat sponsalia? l. 4. ex n. 92.

Lex quid sit? l. 1. ex n. 34. ejus materia. 36. quibus verbis feratur? 37. futura respicit. 38. debet publicari. 39. an requiratur populi acceptatio? 40. Qui Leges faciant? ex n. 41. Qui Legibus teneantur? ex n. 46. & ex n. 56. Quomodo obligent? ex n. 48. Legislator an obligetur? ex n. 59. De Lege irritante, & prohibente, ex n. 63. De Legis interpretatione, ex n. 65. Quomodo cesset? ex n. 69. De Lege veteri, ex n. 81.

Lex Commissoria. l. 3. n. 152. & 201.

Lex Diœcesana. l. 1. n. 334.

Libellus in scriptis offertur. l. 2. n. 43. quæ debeat continere? 44. quæ in eo debeant vitari? 45. an exprimenda causa? 46. De libelli oblatione, & ejus vitiis, & mutatione. 47. De praxi, & clausulis libellorum. 48.

Liber. l. 4. n. 100.

Liberti. l. 4. n. 100.
Libri hæreticorum. l. 5. ex n. 88.
Libri officialium, & mercatorum. l. 2. n. 184.
Licentia ad assistendum matrimonio. l. 4. n. 61.
Limites quomodo probentur? l. 2. n. 145. De Parochiarum limitibus. lib. 3. ex n. 274.
Linea consanguinitatis. l. 4. n. 128. affinitatis. 129.
Litigantes temerè puniuntur. l. 2. n. 265.
Litependente nihil innovandum est. l. 2. ex n. 121.
Litteræ commendatitiæ. l. 1. ex n. 280.
Litteræ dimissoriæ. l. 1. ex n. 216. Missivæ. l. 2. n. 186.
Loca sacra, pia, religiosa possunt visitari ab Episcopo. lib. 3. n. 329. quæ licentia ab ipsa fundanda requiratur? 330. Quomodo ad usus profanos convertantur? 331. Quænam asylo gaudeant? ex n. 451.
Locatio, & conductio quid sit, in quibus consistat, & quas actiones producat? l. 3. ex n. 166.
Locus solutionis. l. 3. n. 210.
Lucra conjugum durante matrimonio. l. 4. n. 190.
Lucrum cessans. l. 5. n. 227. Lucrum usuram constituens, ex n. 230.
Laudi theatrales prohibentur in Templis. l. 3. n. 8.
Ludus, & ejus qualitates, & qui possint ludere? l. 3. ex n. 227.
Luxuria. l. 5. ex n. 180. & 351.

M

Macedonianum Senatus Consultum. l. 1. n. 363.
Machinatio in mortem conjugis. l. 4. ex n. 89.
Magia, & variæ ejus species. l. 5. n. 253.
Magistri. l. 5. ex n. 60. Magistri Cathedralium. 66.
Majoritas, & obedientia. l. 1. ex n. 350.
Majoratus. l. 3. n. 193.
Maledictum. l. 5. ex n. 266.
Maleficium quando impediat matrimonium. l. 4. n. 131. non potest alio maleficio tolli. 136.
Malitia quando suppleat ætatem. l. 4. n. 43. & 46.
Mancipia. l. 4. n. 99.
Mandatum. l. 1. n. 377.
Mandatum Vicarii Generalis. l. 1. n. 299.
Manumissio. l. 1. n. 263.
Manus septima. l. 4. n. 140.
Mappæ Altaris. l. 3. n. 377.
Maranatha. l. 5. n. 407.
Maritus est caput familiæ. l. 4. n. 25.
Martyrium. l. 3. n. 401.
Matrimonium quid sit? De ejus etymologia, institutione, & obligatione. l. 4. n. 16. De ejus solemnitatibus, ex n. 17. De consensu ad matrimonium necessario, & de matrimonio B. V. M. ex n. 19. potest per procuratorem contrahi. 21. est Sacramentum, & de ejus materia, & forma. 22. De effectu matrimonii, & petitione debiti. 23. Quid de dubitante de valore matrimonii? 24. per matrimonium dissolvitur patria potestas. 25. Qui possint, vel non matrimonium contrahere? 26. De impedimentis matrimonii, ex n. 27. Matrimonium clandestinum irritatur? ex n. 52. De ejus pœna. 55. De assistentia Parochi, & testium, ex n. 56. Matrimonium dissolvit sponsalia cum alia. 63. Matrimonium secundum contrahens, durante primo, punitur. 66. De conditione matrimonio adjecta, ex n. 67. Quo tempore, & quibus matrimonium prohibeatur? ex n. 143. Matrimonium nullum quomodo ratificetur? 162. Matrimonium subsequens legitimat filios naturales, ex n. 166. Quis matrimonium accusare valeat? ex n. 170. Matrimonium est indissolubile, quoad vinculum, quoad torum ex variis causis separatur, ex n. 174.
Matris conditionem partus sequitur? l. 4. n. 100.
Matriculati. l. 2. n. 184.
Medicorum obligatio erga infirmos. l. 5. n. 380.
Mendicantes. l. 3. n. 320. Vide *Religiosi.*
Mercatus die festo prohibetur. l. 2. n. 80.
Merx emptionis. l. 3. n. 143.
Metus in electione. l. 1. n. 156.
Metus quid, & quotuplex sit? l. 1. n. 388. Metus reverentialis. 389. actus ex metu provenientes quando rescindantur? 390. Quodnam remedium competat metu passo? 393.
Milites habent forum privilegiatum. l. 2. n. 35.
Minister ordinum. l. 1. ex n. 212. Minister in Missa. l. 3. n. 377.
Ministri Regii quomodo possint contrahere matrimonium. l. 4. n. 145.
Minores, quando authoritate curatorum indigeant? l. 1. n. 362. an possint constituere procuratores. 380. læsi restituntur. l. 1. n. ex n. 396.
Miserabiles personæ habent forum privilegiatum. l. 2. n. 37.
Missa. De ejus etymologia. l. 3. n. 358. qua-

qua hora celebranda? 361. quoties in die? 362. De tribus diebus ultimis hebdomadæ majoris. 363. De Missis Defunctorum. 364. De Missis votivis. 365. De partibus Missæ, ex n. 378. De defectibus in Missa occurrentibus, ex n. 383. Explicatio Missæ, ex n. 385. De Cæremoniis, quibus nostri Reges utuntur. 387. Missarum numerus quomodo possit reduci? Et de pœna non Sacerdotis Missam celebrantis. 390.
Missale. l. 3. n. 377. & 378.
Missio in possessionem. l. 2. ex n. 116.
Missivæ epistolæ. l. 2. n. 186.
Mitra. l. 1. n. 168. l. 3. n. 370.
Moderamen inculpatæ tutelæ in quo consistat. l. 5. n. 169.
Modus an possit sponsalibus adjici? l. 4. n. 70.
Mohatra. l. 5. n. 234.
Mollities. l. 5. n. 196.
Monachi, de eorum statu, & obligationibus. l. 3. ex n. 320.
Monarchia. l. 1. n. 350.
Monasteria quomodo sint fundanda? l. 3. n. 330.
Moneta, in qua debeat solvi? l. 3. n. 210. De ejus mutatione. 345.
Moniales. De earum clausura, & de velis. l. 3. n. 328.
Monopolium. l. 3. n. 146.
Montes pietatis. l. 5. n. 236.
Morbi aliqui faciunt irregulares. l. 1. n. 272.
Morbi contagiosus. l. 4. ex n. 93.
Mors conjugalis debet esse certa ad secundum matrimonium contrahendum. l. 4. n. 193.
Mulcta, seu pœna pecuniaria. l. 5. n. 333.
Munera nequit Judex accipere. l. 1. n. 346.
Munus in Simonia. l. 5. n. 45.
Musica. l. 3. n. 8.
Mutilans ad damnum tenetur. l. 5. n. 151. est irregularis. l. 1. n. 269.
Mutilati sunt irregulares. l. 1. n. 268.
Mutua petitio. l. 2. ex n. 54.
Mutuum. l. 5. ex n. 221.

N

Natalium defectus. l. 1. n. 256.
Naturæ status. l. 3. n. 398.
Naturales liberi. l. 1. n. 257.
Navarchi, & Naucleri ad quid teneantur? l. 5. n. 318.
Necessitas extrema excusat à furto. l. 5. n. 212.
Negans quando teneatur probare? & de probatione negativa. l. 2. ex n. 141.
Negligentia quomodo, in quibus, & quo tempore suppleatur? l. 1. ex n. 197. Negligentia judicis à quo suppleatur. l. 2. n. 15.
Negotia Sæcularia Clericis prohibita. l. 3. ex n. 460.
Negotiatio quid, & quotuplex sit, quænam Clericis, & Monachis prohibita, & de pœna negotiatorum. l. 3. ex n. 460.
Nepotes quomodo succedant? l. 3. n. 258.
Nobiles, Hispanè: Hidalgos. l. 2. n. 184.
Nobilitatis causa habet forum speciale. l. 2. n. 38.
Nominis quandoque cura habenda est. l. 3. n. 9.
Nominatio ad Prælaturas. l. 1. n. 132.
Notarius. l. 2. n. 178.
Notitia legis debet esse publica. l. 1. n. 39. Item, & Judicis. 345.
Notorietas quid sit, & quomodo procedatur in delictis notoriis. l. 5. ex n. 20.
Novale. l. 5. n. 440. in C. 21. de V. S.
Novalium decimæ. l. 3. n. 284.
Novatio. l. 3. n. 210.
Novellæ. l. 1. n. 11.
Novitiatus. l. 3. ex n. 294.
Novitii in pluribus gaudent privilegio Religiosorum. l. 3. n. 296. De eorum renuntiatione. 297. possunt liberè Religionem deserere. 298.
Novum opus. l. 5. ex n. 278.
Nullitas sententiæ. l. 2. n. 266.
Nundinæ. l. 3. n. 245.
Nuntiatio novi operis. l. 5. ex n. 278.
Nuptiæ secundæ, primis durantibus, puniuntur. l. 4. n. 66. primis solutis permittuntur. 192. Quæ certitudo de morte primi conjugis requiratur? 193. Quæ pœnæ vigeant, & quæ cessent contra secundo nubentem, ex n. 194. De nuptiarum benedictione. 199.

O

Obedientia majoritati debetur. l. 1. n. 353.
Obedientiæ votum. l. 3. n. 325. & 326.
Oblationes. l. 3. n. 288.
Obligati ad ratiocinia, an, & quando Ordinari valeant? l. 1. n. 266.
Obreptio in Rescriptis. l. 1. n. 96.
Occisio. l. 5. ex 146.
Occupatio est modus adquirendi dominium. l. 2. n. 95.
Occultum delictum. l. 5. n. 171.
Odia debent restringi. l. 5. n. 443. in C. 15. de Reg. jur. in 6.
Officium Divinum. l. 3. ex n. 294.
Officiales Regii. l. 1. n. 339.
Officium Judicis, nobile, & mercenarium. l. 1. n. 341.
Olea Sacra in Ecclesia servanda. l. 3. n. 415.
Olei benedictio. l. 1. n. 235.

Operæ possunt locari. l. 3. n. 167.
Opinio, & de earum probabilitate. l. 5. n. 367.
Oratores quid in dispensationis petitione exprimere debeant? l. 4. ex n. 156.
Ordines quot sint? l. 1. ex n. 202. De eorum materia, & forma, ex n. 205. Quæ ad eorum valorem requirantur? ex n. 208. Quæ ætas. 210. & de aliis ordinandorum qualitatibus. 211. Qui possint Ordines conferre? ex n. 212. Qui dent dimissorias? 217. De titulo. 218. De pœnis malè ordinantium, & Ordinatorum. 219. De tempore, loco, & interstitiis ordinum, & ordine ad beneficia necessario. 231.
Ordo Clericalis quando impediat matrimonium, vel non? l. 3. ex n. 14. l. 4. ex n. 77.
Ordo cognitionum quid sit, & quomodo fiat? l. 2. ex n. 83.
Ordo in solvendo creditoribus. l. 3. ex n. 217.
Ordo Religiosus. l. 3. ex n. 289.
Originale instrumentum. l. 2. n. 176.
Ornamenta Sacra. l. 3. n. 367. De aliis ornamentis Clericorum, Episcoporum, & Cardinalium. 368.

P

Pacta invalida an juramento confirmentur? l. 2. n. 219.
Pactum quid sit? l. 1. n. 360. an & quando producat obligationem? 361. Qui possint, & de quibus pacisci, ex n. 362.
Pactum Legis Commissoriæ in emptione. l. 3. n. 152. in pignore. 201.
Pallium quid sit, & quibus competat? & de ejus authoritate, & usu. l. 1. ex n. 178.
Pandectæ. l. 1. n. 10.
Papa quomodo eligatur? l. 2. ex n. 170. solus dat pallium. 180. & Supremus Judex. 324. definit controversias fidei, & morum. 325. habet potestatem Legislativam Supremam. 326. potest commutare quandoque ultimas voluntates. l. 3. n. 255. ad ipsum privativè spectat canonizatio Sanctorum, ex n. 420. potest impedimenta in matrimoniis statuere? l. 4. n. 28. habet plenam potestatem ad concedendas indulgentias. 382. Jubilæum. 385. & alia de quibus sæpè in variis locis fit mentio.
Paramenta Sacra. l. 3. ex n. 367.
Paraphernalia bona. l. 4. n. 188.
Parentes quomodo succedant? l. 4. n. 242. & 259. Parentum consensus an sit necessarius ad matrimonium filiorum. l. 4. n. 26.
Parochia quid sit? & de ejus limitibus. l. 3. n. 274. causa limitum Parochiæ spectat ad Ecclesiasticum, & de eorum præscriptione. 278.
Parochus, & ejus officio, & obligationibus. l. 1. n. 338. De eorum juribus. l. 3. ex n. 275. Quomodo debeant eligi Parochi? 277. De eorum assistentia in matrimonio. l. 4. ex n. 56.
Parricidium. l. 5. ex n. 139.
Pars major, & sanior quæ dicatur? l. 1. n. 150. & 151.
Partus ventrem sequitur. l. 4. n. 100.
Patena. l. 3. n. 377.
Pater debet filiis legitimam. l. 3. n. 242.
Patri an filius teneatur obedire in ordinibus suscipiendis. l. 1. n. 265. vel matrimonio contrahendo. l. 4. n. 26. Pater filiam dotare tenetur. 189.
Patriarchæ. l. 1. n. 328.
Patrinus in confirmatione. l. 1. n. 238. in baptismo. l. 3. n. 412. habent impedimentum ad matrimonium. l. 4. n. 104.
Patronatus quid, & quotuplex sit? l. 3. ex n. 333. Quinam jus Patronatus habeant? 335. in alium variis modis transfertur, ex n. 340. Quomodo probetur? 342. quis Patronatui derogare valeat? & de nostrorum Regum Patronatu. 343.
Patronus habet honorem, utilitatem, & onus. l. 3. n. 336. De jure præsentandi. 337. Debet dignum, & tempore legitimo præsentare. 339.
Paupertas religiosa. l. 3. ex n. 321.
Pax. l. 1. n. 359.
Peccata quænam sint confitenda? l. 5. ex n. 360. De eorum reservatione, & absolutione, ex n. 372.
Pectorale. l. 3. n. 370.
Peculium Clericorum, quid, & quotuplex sit? l. 3. ex n. 229.
Peculatus. l. 5. n. 214.
Pecunia. l. 3. n. 210.
Pecuniariæ mulctæ, seu pœnæ. l. 5. n. 333.
Pensio quid sit, quando, à quo, & in qua quantitate imponatur? l. 3. ex n. 108.
Percussor Clericus. l. 5. ex n. 262.
Peregrini quibus Legibus teneantur? l. 1. ex n. 61. De Clericis peregrinis, ex n. 280. De Clericis peregrinantibus. l. 2. n. 289.
Peremptoria exceptio. l. 2. ex n. 227. quando opponatur? 231.
Periculum in venditione cui cedat? l. 3. n. 162. in mutuo. l. 5. n. 228.
Perjurium, & ejus pœna. l. 2. n. 223.
Permutatio quid sit, & in quibus consistat? & de beneficiorum permutatione. l. 3. ex n. 181.
Personatus. l. 3. n. 37.
Pictura adquiritur dominium. l. 2. n. 96.
Pignorationes, seu Repressaliæ. l. 5. n. 316.

Pignus quid, & quotuplex sit, in quibus consistat, & quas actiones producat? l. 3. ex n. 194.
Plebanus. l. 3. n. 274.
Placitum die festo prohibetur. l. 2. n. 81.
Plagium. l. 5. n. 215.
Plus petitio quid, & quomodo fiat? l. 2. n. 87. Et de ejus pœna. 88.
Pœna malè postulantis. l. 1. n. 131. malè eligentis. 139. eligentium indignum. 148. malè ordinantium. 221. Ordinantis sine scrutinio. 223. deferentium arma ad hostes. 358. recusantis juramentum calumniæ. l. 2. n. 68. plus petentium. 88. pœna contumaciæ, ex n. 114. alienantium rem litigiosam. 123. falsorum testium. 171. pœna perjurii. 223. temerè litigantium. 265. Clerici concubinarii. l. 3. ex n. 12. non Sacerdotis celebrantis. 390. extrahentium reos ab Ecclesia. 456. Clericorum negotiantium. 460. Doctorum admittentium Religiosos ad Juris Civilis, vel Medicinæ studium. 463. contrahentium clandestinè. l. 4. n. 55. contrahentium matrimonium secundum, durante primo. 66. Clerici in Sacris contrahentis matrimonium. 85. Pœna simoniæ. l. 5. n. 49. Hæreticorum. 104. Schismaticorum. 134. Apostatarum. 135. Reiterantium baptisma. 138. Parricidarum. 140. procurantis abortum. 141. Exponentium infantes. 144. Homicidarum, ex n. 148. duellantium, ex n. 176. Adulterorum. 182. Stupri. 187. Incestus, Sacrilegii, Bestialitatis, & Sodomiæ, ex n. 191. Raptus, & rapinæ, ex n. 200. Incendiariorum, ex n. 205. Violatorum Ecclesiarum. 208. Furti, & variarum ejus specierum, ex n. 214. Usurariorum, ex n. 242. Falsariorum. 250. Superstitiosorum. 255. Collusionis. 257. Pœna ob defectum ætatis sæpè mitigatur. 259. Percussorum. 263. Blasphemiæ. 265. Clerici censuris ligati ministrantis. 268. Clerici ministrantis in ordine quo caret. 270. Clerici per saltum promoti. 272. Furtivè ordinati, ex n. 274. Quid, & quotuplex sit pœna? 319. Sine culpa non est pœna. 320. Pœna vindicativa. 321. Princeps potest condonare pœnam. 322. Quando ad pœnam requiratur sententia? ex n. 326. Plures pœnæ eidem delicto possunt infligi. 328. Pœna infamiæ, ex n. 329. De incarceratione, & aliis pœnis corporis afflictivis. 332. De pœnis pecuniariis. 333. Pœna privationis beneficii. 334. De Depositione. 335. De Irregularitate, ex n. 336. De Degradatione, & pœnis Fiscalibus, ex n. 341. De variis pœnis in specie, vide ordine alphabetico, ex n. 343. De pœna violantis sigillum confessionis. 393. non Sacerdotis audientis confessiones, & Confessarii solicitantis. 395.
Pœnitentia quid sit? l. 5. n. 359. est Sacramentum. 359. De ejus materia. 360. De Confessione, ex n. 361. De ejus forma, & necessitate. 363. De ejus obligatione. 364. De ejus Ministro. 365. Quomodo est imponenda pœnitentia. 377. De pœnitentia publica. 378. De pœnitentia occidentis Presbyterum, & adulteri. 379.
Pœnitentiaria. l. 4. ex n. 155. l. 5. n. 374.
Pollicitatio. l. 1. n. 361.
Pollutio. l. 5. n. 197.
Polygamia. l. 4. n. 64.
Polyviria. l. 4. n. 65.
Pontificatus potest renuntiari. l. 1. n. 187.
Pontifex. Vide *Papa.*
Portio Canonica. l. 3. n. 248. & 231.
Positiones. l. 2. n. 59. De recusante eis respondere. 134.
Possessio quid, & quotuplex sit? l. 2. ex n. 89. De ejus utilitate. 91. quomodo adquiratur? 92. & amittatur? 93.
Possessionis, & proprietatis causa, quomodo tractetur? l. 2. n. 99.
Possessor beneficii non proprii an eligat? l. 1. n. 135.
Possessor ex primo, & secundo Decreto. l. 2. n. 116.
Possessor bonæ, vel malæ fidei quoad restitutionem fructuum. l. 2. n. 104 quoad præscriptionem, ex n. 237.
Postulatio Prælatorum. l. 1. ex n. 125.
Postulare pro advocare. l. 1. ex n. 373.
Potestas Judicis Delegati. l. 1. ex n. 305. Judicis Ordinarii, ex n. 323.
Praxis pro Episcopis præsentandis. l. 1. n. 165. procedendi per immissionem in possessionem. l. 2. n. 120. procedendi in via executiva, ex n. 263. condendi testamentum. l. 3. n. 257.
Præbenda quid sit? l. 3. n. 35. Vide *Beneficium.* De Præbendis oppositionis. l. 3. n. 74.
Præcedentia. l. 1. ex n. 351.
Præcentor. l. 1. n. 289.
Præcepta Legis antiquæ. l. 1. n. 83.
Præceptoria. l. 3. n. 36.
Præjudicialis exceptio quando opponenda? l. 2. n. 84.
Prælatorum negligentia quando suppleatur? l. 1. n. 197.
Prælatus quando indigeat consensu Capituli. l. 3. ex n. 100.
Prælati vices suas pro annua pensione locare nequeunt. l. 5. n. 57. eorum excessus, ex n. 276.

Præscriptio quid sit? l. 2. n. 234. qui possit præscribere? 235. quæ non possint præscribi? 236. De bona fide, ex n. 237. Titulo, ex n. 241. De possessione, ex n. 243. De tempore. 245. De variis præscriptionibus in specie, ex n. 247. De immemoriali. 253. De interruptione præscriptionis. 254. De præscriptione limitum Parochiæ. l. 3. n. 278.
Præsentatio. l. 1. ex n. 132.
Præsentes qui dicantur? l. 2. n. 245.
Præstationes annuæ quando præscribantur. l. 2. n. 251.
Præstimonia. l. 3. n. 36.
Præsumptio quid, & quotuplex sit, quomodo à fictione juris, & aliis differat? l. 2. ex n. 193. Quomodo probet, & de aliquibus præsumptionibus in specie, ex n. 196.
Prævaricatio. l. 5. n. 23.
Præventione adquiritur jurisdictio. l. 2. n. 40.
Precariæ quid sint? l. 3. ex n. 127.
Precarium. l. 3. ex n. 129.
Presbyteratus. l. 1. ex n. 202.
Pretium in emptione. l. 3. ex n. 147. in Simonia. l. 5. n. 45.
Primates. l. 1. n. 329.
Primicerius. l. 1. n. 289.
Primitiæ. l. 3. n. 287.
Primogenita, seu majoratus. l. 3. n. 193.
Princeps potest Leges condere. l. 1. n. 45. quomodo Legibus teneatur? ex n. 59.
Princeps Supremus potest illegitimos legitimare. l. 4. n. 168.
Privatio beneficii, ut pœna. l. 5. n. 334.
Privigni. l. 4. n. 129.
Privilegia Episcopor. in Indiis. l. 1. n. 336. De privilegio Eugenianæ. l. 3. n. 30. & Societatis. 306. Privilegium quid sit? Et de ejus promulgatione. l. 5. ex n. 282. Multiplex est, ex n. 286. Quis concedere possit privilegium? 290. Privilegiatus contra privilegiatum. 291. De privilegio exemptionis, ex n. 292. quando privilegia communicentur. 297. quomodo cessent? ex n. 300. De aliquibus Indorum privilegiis. 302.
Probabilitas oppinionum. l. 5. n. 367.
Probatio quid, & quotuplex sit, & quomodo fieri debeat? l. 2. ex n. 137. Cui incumbat. 140. De negativa. 141. quomodo probentur ætas, filiatio, & limites? ex n. 144. De probatione per inspectionem ocularem, & per famam, ex n. 146.
Processus simultaneus quando debeat fieri? l. 2. n. 56.
Proclamationes in matrimonio. l. 4. n. 47.
Procuratio. l. 3. n. 349.
Procurator. l. 1. ex n. 377.
Professio fidei quando facienda sit? l. 1. n. 33.
Professio Religiosa. l. 3. ex n. 298. est impedimentum ad matrimonium. l. 4. ex n. 81.
Proles relinquitur parenti fideli. l. 3. n. 309.
Promissio. l. 1. ex n. 360. quænam requiratur ad sponsalia? l. 4. ex n. 3.
Propositiones variæ damnatæ, scilicet, Wiclef. l. 5. n. 120. Joannis Hus. 121. Lutheri. 122. Baii. 123. Jansenii. 124. damnatæ ab Alexand. VII. 125. ab Innoc. XI. 126. ab Alex. VIII. 127. Michaelis Molinos. 128. Kesnel. 129. Aliqua circa eas notantur. 131.
Proprietas. l. 2. n. 94.
Prorogatio jurisdictionis. l. 2. ex n. 41.
Protocolum. l. 2. n. 177.
Provocatio. l. 2. ex n. 167. Vide *Appellatio.*
Puberes. l. 4. n. 45.
Publicatio Legis requiritur. l. 1. n. 39. & testium. l. 2. n. 167.
Pueri an Legibus ligentur? l. 1. n. 57. De eorum delictis. l. 5. ex n. 258.
Pulpitum. l. 3. n. 375.
Pupillus an possit contrahere? l. 1. n. 362. an stare in judicio? l. 2. n. 4.
Purgatio Canonica. l. 5. ex n. 303.
Purgatio vulgaris. l. 5. ex n. 306.
Purificatio. l. 3. n. 430.
Pyratæ. l. 5. n. 203.

Q

Quadriennium conceditur ad restitutionem. l. 1. n. 401. Quæstio. l. 2. n. 1.
Qualitatis error an impediat matrimonium? l. 4. n. 33.
Quantitas in furto. l. 5. n. 216.
Quarta funeralis Parochis debetur. l. 3. n. 271.
Quasi contractus. l. 1. n. 365.
Querela inofficiosi Testamenti. l. 3. n. 253.
Quindennia. l. 3. n. 83.
Quitantia, seu Apocha. l. 2. n. 186.

R

Ratiocinia. l. 1. n. 266.
Rationum libri. l. 2. n. 185.
Rapina, & ejus pœna. l. 5. ex n. 201.
Raptus. l. 5. n. 200.
Reconventio. l. 2. ex n. 54.
Recursus per viam violentiæ. l. 2. n. 15.
Recusatio. l. 2. ex n. 286.
Reditus beneficiorum ad quos pertineant? l. 3. n. 230.
Reductio ad boni viri arbitrium. l. 1. n. 412.
Referendarii. l. 2. n. 182.
Registra. l. 2. n. 176.
Registrator. l. 2. n. 182.

Regulæ Cancellariæ. l. 1. n. 20. Omnes referuntur. l. 3. n. 82.
Regulæ cognoscendi gradus consanguinitatis, & affinitatis. l. 4. n. 117. Regula quid sit? l. 5. n. 441. De Regulis Juris, ex n. 442.
Regulares. l. 3. ex n. 320.
Relatio. l. 2. n. 288.
Relaxatio juramenti. l. 2. n. ex n. 220.
Relaxatio, seu degradatio. l. 5. n. 341.
Religio quid sit, & quæ ad statum Religiosum requiruntur? & de ejus institutione, & aliis. l. 3. ex n. 289.
Religiosi, de eorum statu, & differentiis. l. 3. n. 320. De eorum votis, & obligationibus, ex n. 321. non sunt impediendi celebrare in suis Ecclesiis. 389.
Reliquiæ, quo cultu venerentur? De earum officio, & venditione. l. 3. ex n. 418.
Remedia possessoria. l. 2. n. 97.
Remissio, seu Pœnitentia. l. 5. ex n. 358.
Renuntiatio. l. 1. ex n. 185.
Renuntians Episcopatui an possit ordinare? l. 1. ex n. 224.
Replicatio. l. 2. n. 226.
Repressaliæ. l. 1. n. 357. l. 5. n. 316.
Reprobatio testium. l. 2. n. 170.
Repudiatio hæreditatis, & legati an sit alienatio. l. 3. n. 116.
Repudium. l. 4. n. 175.
Requisitoria. l. 2. n. 31.
Res judicata. l. 2. n. 259.
Rescisio contractuum ob metum. l. 1. n. 390. ob læsionem, ex n. 395. sponsalium. l. 4. ex n. 11.
Rescriptum quid, & quotuplex sit? l. 1. ex n. 86. qui possit impetrare Rescripta? 88. De ejus partibus, ex n. 89. De ejus clausulis. 91. & 95. De data & signatura. 92. De obreptione, & subreptione, ex n. 96. De interpretatione, ex n. 102. Cui dirigi debeant? 105. De executione. 106. Quodnam valeat, cum plura expediuntur? ex n. 107. quid si sint contra jus? ex n. 110.
Reservatio beneficiorum. l. 3. ex n. 79.
Reservatio casuum. l. 5. ex n. 72.
Residentia Parochorum, Episcoporum, & aliorum. l. 3. ex n. 21. Quæ excusent? ex n. 27. De privilegio Eugenianæ. 30.
Restitutio fit cum fructibus, & expensis. l. 1. n. 395.
Restitutio in integrum quid sit, & quando detur? l. 1. n. 394. Qui hoc gaudeant privilegio? ex n. 397. quando ea nec Minores gaudeant? 399. Coram quo est petenda. 400. Quadriennium ad restitutionem conceditur. 401.
Restitutio spoliatorum quando, & quomodo fiat? l. 2. ex n. 100.
Restitutio fructuum, & expensarum quando fiat? l. 2. n. 104.
Restitutio in causis matrimonialibus. l. 2. n. 105.
Restrictio mentalis. l. 2. n. 224.
Retorsio injuriæ. l. 5. n. 309.
Retractus. l. 3. n. 161.
Retrovenditio. l. 3. n. 351.
Revocatio donationis. l. 3. ex n. 223.
Reus quis sit? l. 2. n. 2. an teneatur edere instrumenta? 143.
Res Hispaniæ præsentat Episcopos. l. 1. n. 134. De ejus patronatu. l. 3. n. 343. quibus cæremoniis utatur in Missa. 387.
Roma est forum commune. l. 2. n. 27.
Romipetæ sunt sub protectione Papæ. l. 2. n. 289.
Rota Romana. l. 1. n. 21.
Rubrica. l. 1. n. 21.

S

Sacerdotium est Ordo. l. 1. n. 202.
Sacerdos quando celebrare teneatur? l. 3. n. 360. de Sacerdotis præparatione. 366.
Sacramentalia. l. 5. n. 387.
Sacramentum quid sit? l. 1. n. 247. De Sacramentis Legis Veteris. 284. De Sacramentis Novæ Legis, de eorum numero, divisione, effectu, charactere, & reiteratione, ex n. 249.
Sacrificium. l. 3. n. 359. Sacrificium Missæ stat in consecratione. 388.
Sacrilegium. l. 5. n. 192.
Sacrista quis sit, & de ejus officio. l. 1. n. 290.
Sagittarii. l. 5. n. 179.
Salvianum interdictum. l. 2. n. 97.
Sanctis solum publicus cultus datur. l. 3. n. 416.
Sanior pars Capituli. l. 1. n. 150.
Sarraceni. l. 5. ex n. 69.
Satisfactio. l. 5. n. 376.
Schisma. l. 5. ex n. 131.
Scholasticus, seu Magister Scholæ. l. 5. n. 66. Salmantinus est conservator. l. 1. n. 319.
Scholæ publicæ. l. 5. n. 59.
Scientiæ utilitas, & laus. l. 5. n. 67.
Scriptura authentica. l. 2. n. 183. deducta ex Archivo. 184. De scriptura privata quomodo probet, & quid de ejus recognitione, ex n. 186.
Scrutatores. l. 1. n. 150.
Scrutinium in electione. l. 1. n. 150. in Ordine, ex n. 222.
Sedevacante quid possit Capitulum? l. 3.

ex n. 90.
Seductio fœminæ. l. 4. n. 85.
Senatus Consultum Macedonianum. l. 1. n. 363. Vellejanum. l. 3. n. 205.
Senes habiles ad matrimonium. l. 4. n. 130.
Sententia quid, & quotuplex sit? & de ejus actione, & exceptione. l. 2. n. 155. quibus constare debeat? 256. quando transeat in rem judicatam? n. 259. & 261. Cui prosit, vel noceat? 260. De Sententiæ executione. 262. De nullitate. 266.
Septennium sufficit ad sponsalia. l. 4. ex n. 42.
Septima manus. l. 4. n. 140.
Septimus Decretalium. l. 1. n. 18.
Sepulchrum violatum. l. 5. n. 214.
Sepultura quid, & quotuplex sit? l. 3. 264. Quis possit, & ubi, eligere sepulturam, ex n. 265. jus sepeliendi Parochis competit. 270. & ipsis quarta debetur. 271. Qui à sepultura Ecclesiastica excludantur? ex n. 272.
Sequestratio quid, & quotuplex sit? l. 2. ex n. 124. Quis possit esse sequester, an possideat? & de actione sequestraria. 126. Quænam valeant sequestrari? 127. quomodo finiatur sequestrum? 128.
Servi cum libera an valeat matrimonium? l. 4. ex n. 95.
Servitus, an, & quando sit impedimentum ad matrimonium? l. 4. ex n. 95. ex quibus causis procedat servitus, ex n. 99. An impediat Ordines, vel Religionem? l. 1. ex n. 263.
Sextus Decretalium. l. 1. n. 17.
Signum, quo signat Pontifex. l. 3. n. 371. Signum Tabellionis. l. 2. n. 181. Signatura Rescripti. l. 1. n. 9. Signatura Papæ. l. 2. n. 182.
Sigillum. l. 2. n. 183.
Sigillum confessionis. l. 5. n. 389. Quando violetur, & quomodo puniatur? ex n. 391.
Simonia unde dicatur? & quotuplex sit? l. 5. ex n. 25. Quid nomine emptionis veniat in Simonia, & in quibus rebus committatur? ex n. 33. De pretio, & in quo consistat? 45. De ea cognoscit Ecclesiasticus. 48. De ejus pœnis, ex n. 49. Quando, & cui fiat restitutio? ex n. 55. Res Ecclesiastica nequit locari pro temporali pensione. 57. potest aliquid accipi pro concedenda exemptione. 58. Non est Simonia aliquid petere pro docendo, vel licentia docendi. l. 8.
Socida. l. 3. n. 166.
Sodomia. l. 5. ex n. 194.
Solemnitas ad electionem, alienationem testamenta, & alia. Vide *suis locis*.
Solutio quid sit, à quo, cui, in qua moneta, quo tempore, & loco fieri debeat? l. 3. ex n. 210.
Sortilegium. l. 5. ex n. 251.
Sortis periculum. lib. 5. n. 228.
Sortium species variæ. l. 5. n. 254.
Spadones. l. 4. n. 131.
Spoliatus quomodo, & quando restituendus? l. 2. ex n. 100.
Spolii exceptio. l. 2. n. 106.
Sponsalia quid sint, & à quibus possint contrahi. l. 4. n. 1. quæ deliberatio ad ea requiratur? 2. De eorum promissione, obligatione, & acceptatione, ex n. 3. producunt obligationem justitiæ. 7. an per copulam transeant in matrimonium? 8. In sponsalibus arrha, non verò pœna, constitui valet, ex n. 9. quomodo dissolvantur? ex n. 11. qua authoritate. 15. De ætate ad sponsalia, ex n. 42. Sponsalia prima non per secunda, benè tamen per matrimonium, dissolvuntur. 62. quæ conditio possit sponsalibus adjici? ex n. 67.
Sponsio quod sit? l. 3. n. 227.
Sportulæ. l. 1. n. 346.
Status. l. 3. n. 320. Status naturæ. 398.
Statutum potest condi ab Episcopis. l. 1. n. 333.
Sterilitas non est impedimentum ad matrimonium. l. 4. n. 130.
Studium Juris Civilis, & medicinæ quibus prohibetur? l. 3. ex n. 463.
Stylus Curiæ. l. 1. n. 20.
Subditi in quibus excedant? l. 5. n. 277.
Sublocare potest conductor. l. 3. n. 167.
Subreptio quomodo vitiet rescriptum? l. 1. ex n. 96.
Subscriptio Tabellionis in instrumentis. l. 2. n. 181. Capituli quando sit necessaria? l. 3. n. 107. & 123. Testatoris in Testamento. 235.
Subsidium charitativum potest exigi ab Episcopo. l. 1. n. 334.
Subsidium, & Excusatum. l. 3. n. 440.
Substitutio quid, & quotuplex. l. 3. n. 249.
Successor. l. 1. n. 289.
Successio ab intestato. l. 3. ex n. 258.
Suffragium in electione. l. 1. n. 141.
Summaria Capitulorum juris. l. 1. n. 21.
Superior inferioris negligentiam suplet. l. 1. ex n. 197.
Superstitio quid sit? l. 5. n. 251.
Supplenda negligentia Prælatorum. l. 1. n. 197.
Supplicatio. l. 2. n. 278.
Suspensio quid, & quotuplex sit, à quo, & in quos feratur, & quomodo tollatur?

tur? l. 5. ex n. 420. De suspensionibus in specie. 437.
Syndicatus. l. 5. n. 15.
Syndicus. l. 1. ex n. 385.
Syngrapha. l. 2. n. 186.
Synodaticum. l. 1. n. 334.

T

Tabelliones. l. 2. ex n. 178.
Tabernaculum. l. 3. n. 373.
Tactus turpes. l. 5. n. 196.
Tempus consuetudinis introducendæ. l. 1. n. 121.
Tempora ordinationum. l. 1. ex n. 220.
Tempus restitutionem petendi. l. 1. n. 401.
Tempore plus petens. l. 2. ex n. 87.
Tempus breve, & longum. l. 2. ex n. 245.
Tempus ad appellandum. n. 279. Tempus solutionis. l. 3. n. 210. ad sponsalia. l. 4. n. 42. ad matrimonium. 45.
Tempus sacratum impedit matrimonium. l. 4. n. 144.
Tergiversator. l. 5. n. 23.
Territorium non egreditur jurisdictio. l. 2. n. 24.
Testamentum quid, & quotuplex sit? De ejus testibus, & solemnitatibus. l. 3. ex n. 233. quæ testamenta solemnitate non egeant? ex n. 237. Qui possint testamentum condere? quid Clerici, & Episcopi? ex n. 239. De commissione ad testandum. 241. De hæredum institutione, & eorum differentiis. De legitima, & exhæredatione, ex n. 242. Testamentum infirmatur, ex n. 251. De testamentorum executione, ex n. 253. De commutatione. 255. De forma Testamentum condendi. 257.
Testes quas debeant qualitates habere. l. 2. n. 148. Qui admittantur, vel repellantur? ex n. 149. Quando uni credatur? 155. Duo regulariter sunt necessarii, & sufficiunt, ex n. 156. Debent jurare. 158. Quando teneantur, vel non respondere? 159. De eorum productione. 160. ad eorum receptionem citatur adversarius. 161. Quomodo debeant examinari, & deponere? ex n. 162. Qui singulares dicantur? 165. in testium discordia, cui credatur? 166. De publicatione testium. 167. Post publicatas attestationes regulariter non admittuntur. 168. quam fidem faciant attestationes? 169. De testium reprobatione. 170. De pœna falsorum. 171.
Thesaurarius. l. 1. n. 290.
Thesaurius. l. 2. n. 95.
Tyara. l. 1. n. 172.
Titulus. l. 2. ex n. 141.
Tonsura prima an sit ordo? l. 1. n. 203. Debent Clerici afferre tonsuram. l. 3. n. 2.
Torneamenta. l. 5. n. 172.
Tortura. l. 5. n. 14.
Tractatus ad electionem. l. 1. n. 149.
Traditione adquiritur dominium. l. 2. n. 96.
Transactio quid, & quotuplex sit, & qui possint, & de quibus transigere? l. 1. ex n. 369. rei judicatæ æquiparatur. 372.
Translatio Episcoporum quomodo, & cujus authoritate fiat? Et de ejus effectu. l. 1. ex n. 174.
Transumptum. l. 2. n. 182.
Trebellinica. l. 3. n. 250.
Treuga. l. 1. n. 359.
Tributa. l. 3. n. 348.
Triennium ad experiendum, quod conjugibus datur. l. 4. n. 140.
Trinitas Sacratissima. l. 1. ex n. 25.
Turpis conditio quando vitiet, vel vitietur? l. 4. n. 76.

V

Vacatio beneficiorum quomodo contingat? l. 3. n. 84.
Vacatio sedis. l. 3. n. 90.
Vagi quibus Legibus teneantur? l. 1. n. 62.
Valor monetæ. l. 3. n. 210.
Vana observantia. l. 5. n. 251.
Variatio in præsentando cui permittatur? l. 3. n. 339.
Vassallus ad quid Domino obligetur? l. 3. ex n. 187.
Vectigalia. l. 3. n. 348.
Venatio quotuplex sit, & quibus prohibeatur? l. 5. ex n. 260.
Venditio. l. 3. ex n. 143.
Veneficium, seu maleficium an possit maleficio tollit? l. 4. n. 136. l. 5. ex n. 251.
Veneratio Sanctorum. l. 4. ex n. 416.
Verba quomodo debeant intelligi? l. 5. n. 439. De verborum significatione. 440.
Veritas quando debeat à reo fateri? l. 2. n. 130.
Vestes Sacræ. l. 3. n. 367. De aliis Clericorum, Cardinalium, & Episcoporum vestibus, ex n. 368.
Vetitum Ecclesiæ, seu tempus feriarum. l. 4. n. 144.
Via executiva, quomodo procedatur? l. 2. n. 263.
Vicarius quid sit? l. 1. n. 292. De Vicario perpetuo, & temporali in beneficiis.

ciis. 293. Vicarius Generalis Episcopi, ex n. 295.
Vicarius Capituli, quando eligatur? & de ejus jurisdictione, ex n. 300. De Vicario foraneo. 303. De Vicario Pontificis. 304.
Violatio Ecclesiarum. l. 5. n. 208.
Vir bonus quis dicatur? l. 1. n. 412.
Virginis defloratio ad quid obliget? l. 4. n. 85.
Vis quid, & quotuplex sit? l. 1. n. 387.
Visitatio cui competat? l. 1. n. 333. l. 3. n. 329.
Visitationis procuratio. l. 3. n. 349.
Vitiati corpore an valeant ordinari? l. 1. ex n. 267.
Vitium rei quomodo venditor debeat aperire? l. 3. n. 154.
Unctio baptizandi. l. 1. n. 236. Confirmandi. 237. Episcopi consecrandi. 242. De Extremæ Unctionis Sacramento, ejus materia, forma, & Ministro, ex n. 243. De Unctione Imperatorum, & Regum. 245. De Unctione Altaris, & Calicis. 246.
Undè vi, uti possidetis, utrobi interdicta. l. 2. ex n. 97.
Unio beneficiorum à quo, & quomodo fiat? l. 3. ex n. 47.
Universitas. l. 5. n. 59.
Volumen. l. 1. n. 11.
Voluntas ultima. l. 3. n. 233.
Votum quid sit? & de ejus obligatione. l. 3. n. 310. De ejus materia. ex n. 311. Dividitur votum. 313. Dubitans ad quid teneatur? 314. Obligatio voti est personalis. 315. De ejus dispensatione. 316. De commutatione. 317. De irritatione. 318. De mutatione materiæ, de cessatione causæ finalis, & de lapsu termini. 319. De votis Religiosorum. ex n. 321. Quæ vota impediant matrimonium. l. 4. ex n. 84.
Votum, seu vox in capitulo, sivè suffragium. l. 1. ex n. 141.
Usucapio. l. 2. ex n. 234. Vide *Præscriptio.*
Usura quid sit? l. 5. n. 220. De ejus malitia. ex n. 223. Ex quo lucro oriatur? & de usura palliata. ex n. 230. Usuræ à quo, & cui debeantur? ex n. 238. De Usurariorum pœnis. ex n. 242. Quis de eis cognoscat, & quomodo probentur? 244.
Usus pallii. l. 1. ex n. 181.
Uxor quando teneatur sequi maritum? l. 4. n. 8. ea consentiente maritus ordinatur. 80. Donatio uxori facta quando valeat? ex n. 185. quando possit dotem repetere? 190. qua hypotheca gaudeat? 191.

X

Xenia, seu munera an possit recipere Judex? l. 1. n. 346.

M

Signat. Top.
39
2
11

MURILLO

Cursus

Juris

Canonici

2.

2650
419